




Library of Princeton
APR 16 1897
Theological Seminary

BIBLIOTHECA REFORMATA.

VOLUMEN PRIMUM.

D. FRANCISCI JUNII

OPUSCULA THEOLOGICA SELECTA

RECOGNOVIT ET PRAEFATUS EST

D. ABR. KUYPERUS.

AMSTELODAMI, MDCCCLXXXII.
APUD FREDERICUM MULLER CUM SOC. ET JOANNEM HERMANNUM KRUYT.

LIPSIIS APUD F. A. BROCKHAUS, Querstrasse 29. — LONDINII APUD WILLIAMS et NORGATE, 14 Henrietta-Street, 88. — PARISIIS APUD G. FISCHBACHER, 33 Rue de Seine. — EDINBURGI APUD T. et T. CLARK, 38 George Street. NEO-EBORACI APUD B. WESTERMANN cum Soc. 838 Broadway. CAPITISTADII APUD J. C. JUTA, Wale-Street.

PRAEFATIO.

L. S.

Duplex praecipue, Benevole Lector, cum *ad agendum* nos impellere solet vis, tum *in agendo* urgere mentem; rerum gestarum memoriâ altera, altera propriae cogitationis incitamento optimum quemque exstimulans; haec *imaginatio*, illa *historiae genius*, docto philosophorum loquendi usu, passim antiquitus appellata. Nimirum fontem, unde hauriatur ea, qua rerum indolem, rationem, finem, momentum perspicias, sapientia, aut foris ad se manantem excipit, aut, in semetipso adopertam opinans, recludere conatur quicumque in rerum contemplatione studia, sive in earundem moderatione ingenii ponit dexteritatem. Pendet hoc a Creatore quem adores. Nam penes quem creatricis potissimum tibi residet virtutis pollentia, in ipso quoque collocabis summum rerum arbitrium atque supremam auctoritatem. Quare qui Deum Optimum Maximum rite rerum omnium Opificem atque Creatorem agnoscit, facile is se Deo docilem praebens in timore Domini libenter omnis verae sapientiae ultro ponet principium. Qui contra Naturam, ut cum Hieronymo loquar, deificat eamque *αὐτοκτίστην* sibi fingit, non potest non omnem scientiam humanam ad legem vitae insitam reducere. Qui denique, infelicis Pelagii subdola lustrans vestigia, semetipsum sui dementat *ἀποθεώσει*, suam necessarie ipsius Cogitationem omnis genuinae sapientiae aestimabit scaturiginem, eque temeraria hominis voluntate, tum omnem eliciet ad agendum impetum, tum primordialem repetet cuiusvis rei gestae causam. *Deo Optimo Maximo* pii omnes omnia per saecula; *naturae*

legi

legi superbum maxime philosophorum genus; *hominis* vero *arbitrio* frivola plerumque plebis insolentia imperitique vulgi rabies cursum rerum atque eventum moderatori assignant. Hinc ante saeculum fere atrox ista diraque in Gallia rerum exstitit commutatio quae, omnia humana divina susque deque vertens, non tantum rem civilem, at vero universam humanitatem, sic revolutâ perturbavit rotâ, ut in reublicâ populi arbitrio, in vita morali sensuum dictamini, in societate certamini commodorum, in sacrosanctis denique rationis placito, diiudicandi ius inviolabile et moderamen concederetur. Etenim hoc maxime et unice fere huius conturbationis duces, cum inter civiles, tum inter philosophos spectabant, ut ex humanae voluntatis radice eque mortalium ingenii principio tanquam *novus* procrearetur mundi aspectus, *nova* omnino pro hominis lubitu conderetur societas, *nova* denique oriretur theologia, in cuius templo, pulso prorsus mirifice fallaci, ut aiebant, de peccato somnio exstinctoque Christi lumine, *Rationis Humanae* humana perfectione praecinctae collucerent lampades. Quid mirum talem amentiam iamiam cuique optimo inexorabile sui instillavisse odium? Fragili scilicet atque perpetuo mobili imposita volubilis arbitrii axi bene placideque conquievisset universitas rerum! Profecto nimis haec insaniam mentisque perolebant delirium quam ut ingenuis diutius probarentur. Hinc mox ab „imaginatione", de qua diximus, ad *historiam* undecumque recursus. Sufficiat in memoriam inclyta Burkii et Gentii, Niebuhrii et Savignyi, Halleri et Steinii, aliorum, revocare nomina, ut novae dehinc „historicae" quae celebratur scolae intaminatus unicuique renideat splendor.

II. Errant tamen, quibus, ut a facie coniiciunt, omnes iam qui pristinam faciem societati reponere studeant, idcirco unam quoque eandemque sibi traxisse videntur faciem. *Retro*spiciunt quidem omnes, omnes presso pede minusve celeri gradu *retro*gradiuntur ipsi secumque ducere retrorsum minis, illecebris, scriptis, suam conantur aetatem, — alii vero alio citati stimulo, alio alii spectantes. Imo quadripertita commodissime historica haec quae appellatur scola dividitur aut sponte potius dilabitur ipsa. Sunt enim qui ad *popularium*, sunt qui ad *christianismi*, sunt qui ad *classicae* aetatis, sunt denique qui ad totius *universi origines* reflectunt. Illi quos primo nominavi loco, e mundanis, qui erant, patriae amore imbuti, clamitant populares, ne, totius orbis incolae, suae gentis cives esse desinant, linguam interim patriam, patria iura atque instituta, proavorum facinora, dulce natale solum ne negligere, imo despicere, pergant, obtestantes. Quos contra politissima potius antiquitatis pellicit venustas quam penatium impellit studium, ii, ultra gentis origines, Athenas nos Romamque reducunt, ut in suavi illa et amoena, qua Areopagus olim Forumque fructa sint, vitae urbanitate nobis quoque vitae perfectum exhibeant, commendent, imponant exemplar. Altius etiam viam repetentes ultimae, quam significabam, classis homines ad ipsius naturae rerumque omnium deveniunt origines, ut, Stoïcorum instar vete-

veterum, *τὸ πνεῦμα ἐνδιῆκον* arguentes, sive Epicuro duce *ἡδονήν* venantes *καταστηματικήν*, in Pantheismi sive Materialismi nos cum posteris ferventem penitus deiciant abyssum; sive omne quod e spiritu spirituale orsum constipando in materiem, sive omne, quod e materiei natura solidum est, in nimbosas resolvendo nebulas, omne quod palpabile exstat, in volatiles vacuasque diluendo auras; Fichtio Hegelio illi, hi Helvetio, Comtio, Schoppenhaverio addicti magistris.

III. Iam restant Christianismi, quos cogitate modo transibam, fautores, qui letali pantheismo Triunius Dei cultum, classicae venustati pacem tranquillitatemque redemtorum, terrestri denique solo coeleste Christi, quem adorant, anteponendum aestimant regnum. Dilabuntur autem et hi ipsi fere tripartito, prouti Romae, Wittenbergae aut Genevarum iis arridet urbs. Parvulum quidem initio huius saeculi momentum, per laeta Syncretismi somnia, diversas ecclesias in unum Christi ovile mox recolligendas sibi decreverant adlectantium imaginum amabilissimi adumbratores, mox tamen perincommode suo perspecturi detrimento inanibus hisce et mendacibus insomniis se „incidere in Scyllam, vitare cupientes Charybdim", nec aliud sic agi, nisi ut iterum historiae rupto obsequio, Roussavii generaliores de re *civili* ad rem *ecclesiasticam* accommodarentur pensiles titubantesque opiniones. Quicumque semel per historiae incedere viam sibi decrevit, ipso propellente historiae genio, is praeceps a a generalioribus ad specialia, a vagis ad concreta, a vacuis ad solida vi irresistibili prorsus rapitur. Hinc nostri quoque aevi Christiani, dolosis propere Syncretismi habenis abiectis, iamiam ab arboris genere quod extra speciem nusquam, ad fagum, ad ulmum, ad quercum redeuntes, suas quique sacras repetiverunt aedes, *romanumque* rursus et *lutheranum* ut et *reformatum*, praeclaris maiorum martyriis inclytum, sibi restituerunt, imo revindicavere, nomen.

IV. De *papistarum* ecclesiae in suis restaurandis consilio, conatu, molimine, progressu vix est, quod moneam. Propalam haec sunt et quasi in oculos incurrunt. Fervet Curiae Romanae fervens indefessusque labor. Clamat Concilium oecumenicum, quod magna voce Papam infallibilem nuncprimum proclamavit. Clamat Brittannia, ubi nobiliores e nobilissimis ad se rapuit familias. Clamat Germania, ubi Galliae subegit invictum victorem. Clamat patria, ubi episcoporum reposuerunt sedes. Clamat America! Clamat Asia! Clamat orbis universus! — Nec magis latet quid apud Germanos perfecerint *Lutheri* asseclae (haud nomen, quod absit, sed hominis secuti *confessionem*) qui sub Villmario in Hessia, sub Kliefothio aliis in Borussia duce puram putam suae nativam ecclesiae renovavere faciem, inque dies magis vires sumentes, adaugent continuo, qua iam pollebant, auctoritatem. — Quod vero ad *reformatas* attinet ecclesias, haud infitior, eas ob suam per varias plagas dispersionem tardiores pro tempore venisse; nunc autem hasce quoque ecclesias prompte et alacriter per eundem historiae tramitem cum magna incedere confidentia, egregie gaudent laici, theologi, liberalium artium cultores omnes quibus, bene ex animi sententia ecclesiis nostris

nostris cupientibus, hoc in paucis invicte persuasum est, numquam tumidum rationalismi torrentem, qui per tot iam annos sata laeta ecclesiae pastorumque labores stravit, coërceri posse aut perdomari, nisi iure postliminii spreta dudum proavorum confessio ad os e corde redeat, inque templis e labiis ministrorum circumtonet iterum intaminata, quam in Scripturae atrio olim proavi exciperant, dulcis aeque atque acerbae pura veritatis vox. Indicia huius rerum conversionis undequaque colligas! Prostant in ecclesiis liberis sic dictis, quas laetas aspicit Helvetia, Gallia, Belgia. Obvia sunt in ecclesiis separatis, quae solido antiquae confessionis fundamento innituntur, cum in Scotia, tum apud nostrates. Sunt indicio ecclesiae Frisiae orientalis et Benthemii comitatus, ut et ecclesiae *τῆς διασπορᾶς* in Germania, ea praesertim quam apud Elberfeldenses condidit piae memoriae praestantissimus Kohlbruggius. Sunt argumento ecclesia in Ungaria, in Bohemia cumprimis quae nuper insigne liberationis festum laete ac solemniter celebravit. Argumento magis etiam concilium ecclesiarum presbyteriali regimine gaudentium, quod, bis iam coactum, mox iam tertium in Islandiâ conveniet, et non poterit non e debili externae politiae convenientia brevi ad stabiliorem spiritualis professionis adscendere concentum. Argumento denique, si hoc addere licet, nova libera universitas nuper apud Amstelodamenses condita, quae reformatum sortita et titulum et indolem et legem, proavorum pellucidis adhaerendo formulis tam immota quam immobilia sibi posuit Sacrae Scripturae fundamenta, et cuius ordo theologorum reformatam hanc, quam praefari mihi iam contingit, bibliothecam edendam curavit.

V. Quid ad tale molimen scolae nostrae theologorum ordinem impulerit, facile perspicitur. Historiae semitam legens per tumulos incedis et sepulcra, nec vivâ voce sed e cippis te maiores alloquuntur. Ad coelestia migraturi, ex asse nos scilicet patres ecclesiae instituerunt ingentium, quibus ditaverat eos gratia Domini, divitiarum heredes nobisque fidei suae atque doctae perseverantiae ut et stupendae eruditionis perennia legaverunt monumenta, e quibus omnis dehinc aetas etiamnunc exciperet eximium plane atque sublime, quo spirati fuissent, genium. At, etsi illaesa utcunque atque incolumia ad aetatem nostram eximia illorum scripta ad nos pervenerint, neque in corrosis monumentis evanuerint inscriptiones, dolet tamen ecclesia exiguam paucitatem exemplarium, quae invidiam temporis tulerunt. Vix credibile quot quantosque thesauros quantumque studiorum supellectile per haec tria continua saecula edax iam perforaverit vermis, molarum in pistrino contuderint rotae, in saccellos perdiderit pistularius, ancillave caminum incensura in fumum verterit et flammas. Sat superque hanc paucitatem optimorum librorum evincunt bibliopolarum quos cum pretiis promulgare solent catalogi. In plenioribus etiam locupletioribusque bibliothecis publicis, omnium gentium, omnium aetatum thesauris refertis, reformatae praesertim ecclesiae patrum libri aut nulli sunt aut rarissimi; in privatorum scriniis, si unum excipis Calvinum,

num, vix ullum reperies; et si usque ad alumnorum descendas forulos, in vacuum impinges satis completum. Tali autem tantaeque egestati subveniendum erat! Non potest penitus historiam scrutari defunctorumque sibi renovare faciem, qui, ad relata ab aliis ablegatus, ipse propria situla quominus hauriat a fontibus prohibetur. Iam gaudent papistici theologi nitidiore sua patrum, scolasticorum, sanctorum editione. Suâ etiam gaudent é Lutheri ecclesia fratres ecclesiasticorum emissione. Sola nostra reformata ecclesia ad hunc usque diem opimae suae atque pretiosissimae pristinae eruditionis usu caret atque fructu. Idcirco theologorum nostrae universitatis ordo censuit, novam praestantissimorum e nostris quoque virorum adornandam esse opusculorum editionem, cuius primitias atque veluti specimen nunc iam ecclesiis reformatis ut et orbi litterato offero, dico, commendo. Et haec quidem de bibliothecae origine hactenus.

V. De consilio nostrae bibliothecae nonnisi paucissima addam. Prouti vires ferent et emtorum corona susceptum in foro librario probabit, prelo serie submittentur opuscula pretiosiora Zwinglii, Calvini, Bullingeri, Musculi, Martyris, Knoxii, Bezae, Hyperii, Zanchii, Perkinsii, Ursini, Oleviani, Trelcatiorum, Iunii, Gomari, Altingii, Walaei, Riveti, Voetii, Rutherfordii, aliorum. Quotannis unum in lucem prodibit volumen. Charta adhibebitur digna in quam vermes suam exerceant voracitatem. Tegumentum membraneum erit. Forma nitidior. Quippe digni excellentissimi viri, quos iam ex indigna expergefacimus oblivione, talesque videbantur a quorum monumentis omne quod incultam redoleret rusticitatem, quantumpote arceretur.

VI. A Francisco Iunio inchoabitur bibliotheca nostra. Quodsi rogas, cur tale instituamus exordium, idem respondeatur tibi quod inquirenti olim de gentium ordine in navium apud Homerum catalogo: „Sin ab alio, rogasses quini ab illo!" Nec desunt tamen plausibiles, cur in Iunii potius illapsi simus messem, atque probabiles rationes. Ubique Iunius docuit. In Gallia, in Helvetia, in Germania, in Belgia, apud nostrates. In paucis vir primarius fuit et palmarius fere, de quo intermortuo lumen suae aetatis, Scaligerum volo, tristi cecinit carmine „duabus horis post mediam noctem de lectulo", ut addidit ipse:

„Te moerens scola flet suum magistrum
Orba ecclesia te suum Parentem
Doctorem gemit orbis universus."

Quibus accedit, Iunium ex iis fuisse, qui quamvis strenue et firmiter doctrinae Augustini sive Calvini nomine divulgatae addicti, tamen nondum inevitabilia prorsus augurabantur discrimina rerum atque pericula, quae mox a Grotio, Arminio, Episcopio cum ecclesiae, tum patriae imminerent. Hinc factum est, eius nomen non tantum apud Calvinistas, verum etiam apud Remonstrantes bene semper audivisse audireque etiamnunc. Nondum via Ecclesiae tunc in diversas se scinderat partes. Stabat Iunius etiam citra bivium. Hinc eximium, quo ecclesiam consolatus, hortatus est *Irenicum*. Hinc et nominis collaudati bibliothecam nostram quo ordiremur commendatio.

VII. Quod

VII. Quod ad auctoris vitam, nil dabo praeter brevissimum, tum cursûs incisionum maxime memorabilium, tum fontium conspectum.

A. D.	Aetatis	
1545		Kal. Mai. natus est Franciscus Iunius in Galliae oppido Biturigi.
1551—57	6—12	Domi pater filium trivium et quadrivium docet.
1557	12	Nomen Iunii inscribitur in album academiae Bituricâ.
1558	13	Operam dat iurisprudentiae, ducibus Duareno et Donello.
1560	15	Byzantium abiturus Lugdunum proficiscitur ibique sistit gradum.
1562	17	Genevas mittitur, ubi vidit, visit et audivit Calvinum per duos fere annos.
1565	20	Medio mense Aprilis Genevensi scolae valedixit, Antverpiam vocatus, ut sacro ibi defungeretur ministerio.
1566	21	Per Belgiae urbes atque oppida Evangelium annuntiavit, continuae insectationi ut et vexationibus periculisque expositus.
1567	22	m. Aprilis, Heidelbergam vocatus Schonaviam mittitur ut exsulibus belgicis pastoris praestet officium.
1568	23	Matrem visit Biturigi: concionatoris militaris tituli principem Arausiae trans Mosam sequitur; reditque Schonaviam.
1573	28	Unâ cum Tremellio, sub Electoris auspiciis, Heidelbergam migratus, Sacrae scripturae latinitate donandae studium impendere coepit.
1578	33	Neostadii munus adit academicum.
1580	35	m. Novembr. Otterburgiam mittitur ut novam ibidem instituat modereturque ecclesiam. Per octodecem Otterburgiae commoratus menses.
1582	37	m. Maio, munus academicum Neostadii resumpsit. Lugdunum Batavorum ab Academiae Curatoribus sollicitus, repulsam iis misit.
1584	39	Pridie Kal. Dec. munus academicum inauspicatus est Heidelbergae.
1592	47	Pridie Kal. Aug., Lugdunum Batavorum advectus est, munus primarii in ordine theologorum professoris aditurus.
1602	57	VII Kalendis Novembris, misere eum necuit lamentabilis pestis exitiosa lues.

Ceterum lectorem ablegamus ad sequentia:

Autobiographia, cur. Merulae edita. — Epistolae hic illic dispersae. — GOMARI, *oratio in Obitum Junii* L. B. 1602. — MEURSII, *Athenae Batavae*, II. f. 149 en 163, et *Alma Acad. Leid.* p. 36. — VOSSIUS., *de hist. latin*, in praefatione; eiusdem *Ars historica*. Amst. 1699. passim. J. VERHEYDEN, *Imagines*, p. 157. — BRANDT, *Hist. der reformatie*, T. I et II, v. nomen in indice. — TRIGLAND, *Kerk. historiën*, p. 289 alibi. — BAYLE, *Dict. hist. et Crit.* T. III. 510—515. — SAXE, *Onomasticon*, III. 555. — ADAMUS, *vitae exterorum Theol.*, in voce. — FREHERUS, *theatrum virorum illustr.*, in voce. — NICION, *Mémoires*, T. XVI. p. 171. — SOERMANS, *Acad. register*, p. 34, 72. REGENBOGEN, *hist. der Remonstranten*, I. 63. — HOOGSTRATEN. *Woordenboek*, in voce. — KOK, *Vaderl. Woordenboek*, D. VI. p. 136. — VAN KAMPEN, *Gesch. d. Ned. lett. en wetensch.* D. I. p. 293. — YPEY en DERMOUT, *Gesch. der Ned. Herv. Kerk*, I. p. 173, 179, 305. *Aant.* n°. 106. — SIEGENBEEK, *Gesch. d. Leidsche Hoogeschool*, I. p. 54, 68, 72, 202. II. Bijl. p. 75. — DE CRANE, *Oratio de Vossiana et Juniorum familia*, Gron. 1821. 4o. p. 47, 8. — GLASIUS, *Godgel. Nederland*, II. 196—211. — HAAG, *la France protestante*, IV. 382—390. — HERZOG, *Real-Encycl.*, T. VII. p. 315. — JANSSEN, *Kerkhervorming te Brugge*, II. p. 253—5. — G. DE FÉLICE, *Histoire des Protestants de France*, Paris 1850. — MULLER, *Bekenntnisse merkwürdiger Männer*, II. 179—286. — TIELE. *Bibl. v. Pamfletten* n°. 876. — *De Navorscher*, IX. p. 130, 259, 272, 349. — FR. MULLER, *Catalogus van portretten*, in nomine. — H. C. ROGGE, CASPAR COOLHAAS, *et Cat. Bibl. Rem. Amst.* p. 16, 36, 42, 63, 64, 66, 83. — VAN DER AA, *Biogr. Woordenb. der Nederland.* IX. 258: et porro praeter epistolaria Scaligeri, Vossii, Grotii al., cum primis J. REITSMA, *Franciscus Iunius*, Een leveusbeeld uit den eersten tijd der Kerkhervorming, Groningen 1864.

VIII. Operum ipsius syllabum, non id quidem omnibus numeris expletam, attamen satis copiosam, reperies in dorso eius Autobiographiae, a Iunio ipso compilatam,

compilatam, et quae in editione Lugduno-Batava anni 1595 pagellas 69—72 huiusce libelli sortita est. Terminus in anno millesimo quingentissimo nonnagesimo tertio. Ulterioris aetatis scripta, ut res ipsa clamat, desunt. Contra etiam anecdota hic recensentur 1). Hac decurtatum, illâ autem parte pleniorem eius operum catalogum primus dedit MEURSIUS, in *Athenis Batavis*, II. 149, quem secutus est Verheydenius. Inferioris notae catalogum scripsit GLASIUS in *Godgel. Nederland*, in voce. Conspectus iam uberior reperitur in VAN DER AA, *Bibliogr. Woordenboek*, IX. 250. Veri nominis autem bibliographiam Iunii operum nemo hucusque molitus est praeter unum HAGIUM, in *la France protestante*, in voce (Tom. II, p. 338—390), opus laude dignius. Nec tamen propterea acu ille per omnia rem tetigit, quod facile mihi credet qui tenet, Hagium ne ipsius quidem Iunii conspectum unquam habuisse ob oculos. Idcirco pro virili errores quos etsi leviores commisit infra ipse iam expurgare conatus sum, ut tandem satis accurata nobis exstaret Iunii operum tabula.

---

1) Series operum et opusculorum, quae pro vitae brevitate, perturbatione et perpetua commutatione crebro mirum numero concinnavit Iunius, in dorso autobiographiae ipsius sic se habet in exemplari, quod etiamnunc conservat Bibl. Rem. Amst.:

»Anno cIↃ. IↃ. LXI. Ciceronis De legibus libros Gallicos feci, et auxi notis: sed ij in bellis civilibus Galliae, ut alia multa, perierunt.

Anno cIↃ. IↃ. LXIII. Epitomen scripsi Christianae Institutionis Ioannis Caluini: quam Michaëli Nigro seruo Dei dedi:. non exstat.

cIↃ. IↃ. LXV. Orationem scripsi Gallicè ad Regem Hispaniorum pro defensione Belgij.

cIↃ. IↃ. LXVI. Confessionem Belgicarum Ecclesiarum recognoui.

Breuem scripsi Confessionem ex Scripturae verbis concinnatam. Nobilitati Belgij apud Centronas exhibendam. non exstat.

Concionem habitam in campo Limburgensi ad altum Dei montem pagum: et defensionem illius adversus Leodiensium Franciscanorum clamores: non exstat.

Responsum ad fratres Zandwicenses in Anglia, de imagine Christi.

cIↃ. IↃ. LXVII. Breuem tractatum de ritibus in Ecclesia conformandis : et certa capita sive articulos de regimine Ecclesiae: quod scriptum Geneuae et in Helvetia quidam pro suo venditavit. non exstat.

Defensionem aduersus fratrem Natalem Christianum Iesuitam apud Limburgenseis. non exstat.

Narrationem breuissimam calamitatum Belgij. non exstat.

cIↃ. IↃ. LXIX. et sequentibus, Methodum analyticam in Psalmos, nescio cuius in manus venerit.

Commentarium in 10 capit. Genes. non exstat.

cIↃ. IↃ. LXX. Examen dialogist. De fide. non exstat.

cIↃ. IↃ. LXXII. Gramaticam linguae Gallicae. non exstat.

cIↃ. IↃ. LXXIII. Translationem veteris Testamenti coepi cum D. Immanuele Tremellio.

Anno cIↃ. IↃ. LXXVI. Acta Apostolorum transtuli ex Arabico.

cIↃ. IↃ. LXXVII. Epistolas Pauli ad Corinthios transtuli ex Arabico.

Confessionem fidei Frederici III Elect. Palatini feci Gallicam.

Primam Ioannis Epistolam transtuli ex Arabico. non exstat.

cIↃ. IC. LXXVIII. Orationem De lingua Hebraea.

I. Bodini Daemonomaniam Latinam feci. Germanorum Postulato.

cIↃ. IↃ. LXXIX. Apocryphos libros transtuli, et instruxi notis.

Joannem Tilium. De regibus et regno Gallorum Latinum feci, historiae studiosorum quorundam postulatione.

cIↃ. IↃ. LXXX. Grammaticam Hebraeae linguae edidi.

cIↃ. IC. LXXXI. Ecclesiasticum. Latinè et Galicè.

Specularium Immanuelis Tremellij aduersus Genebrardum.

cIↃ. IↃ. LXXXII. Orationes duas Francotaliae habitas ad lectionem veteris Testamenti.

cIↃ. IↃ. LXXXIII. Orationem. De vita et obitu Zachariae Ursini.

In

IX. Ad certas redacta classes auctaque iis quae aut omiserat Iunius aut posthac edidit, typographicis notis adspersis, ita fere octoginta octo Iunii opera sequuntur.

A. OPERA THEOLOGICA.

I. *Exegetici argumenti:*

1. Bibliorum pars prima id est quinque Libri Moschis latini recens ex hebraeo facti, brevibusqne scholiis illustrati ab Immanuele Tremellio et F. Junio, Francof., 1575, in-fol. — Pars II, id est Libri historici, Francof., 1576, in-fol. — Pars III, id est Libri poetici, Francof., 1579, in-fol. — Pars IV, id est Libri prophetici, Francof., 1579, in-fol. — Libri apocryphi sive appendix Testamenti veteris ad canonem priscae Ecclesiae adjecta, latinaque recens è graeco sermone facta, et notis brevibus illustrata per F. Junium. Francof., 1579, in-fol.

2. Acta Apostolorum et Epistolae duae S. Pauli ad Corinthios ex arabicâ translatione latinè reddita, cum notis Jean Mareschal, s. l., 1578, in-8o. Teste Lelongio, iterum prelo submissa Francf. 1596, in-8o, additis Epistolis ad Galatas et ad Hebraeos ex ejusdem versione.

3. In Epistolam S. Judae apostoli perbreves notae, Antv. 1584, in-8°; [Heidelbergae] Sancta Andrea, 1598. in-8°; insertae in eius *Opera omnia*. T. I, p. 1266. 4.

In anathematismum Gregorii XIII. aduersus Gebhardum Coloniensem Archiepiscopum.
In Epistolam Iudae Apostoli.
cIↄ. Iↄ. LXXXIV. Ad Apologiam Erfordiensem. non exstat.
cIↄ. Iↄ. LXXXV. Orationes quatuor ad lectionem veteris Testamenti.
Προκατάβλημα in quatuor primos Psalmos Dauidis.
De baptismo Christiano in dissentientibus Ecclesiis, tractatus. non exstat.
cIↄ. Iↄ. LXXXVI. Apologiam catholicam Latinam feci.
Lexicon Hebraicum coepi.
Grammaticae Hebraeae editionem secundam.
Indicem expurgatorium prodidi in lucem Admonitionem Christianam contra Ioannem Haren, Gallicè.
cIↄ Iↄ. LXXXVII. Academia.
Curopalates cum notis, Graecè et Latinè.
Epistolas duas Regis, et unam Plèssaei Latinam feci.
Ezechiel. Propheta cum commentario. non exstat.
cIↄ. Iↄ. LXXXVIII. Paralleli sacri. Praetexta pulla in obitum Principis Anhaltini.
cIↄ Ic. LXXXIX. Πρωτοκτισία, in 3. capita Geneseos.
Confutatio argumentorum in historiam creationis.
Notae in Apocalypsim.
cIↄ. Iↄ. XC. Bibliorum editio secunda.
Manilius cum castigationibus et notis.
Prima defensio doctrinae catholicae de Trinitate.
cIↄ Iↄ. XCI. Secunda et tertia defensio doctrinae [catholicae de Trinitate.
In Danielem commentarius.
La confession du Roi de France.
cIↄ. Iↄ. XCII. Libitina in obitum. Ioannis Casimiri Comitis Palatini.
In Psalmum 101. commentarius.
Exposition de l'Apocalypse.
In Ionam Prophetam commentarius.
Analysis in Genesin.
M. T. Ciceronis espistolae ad Atticum et Q. fratrem cum emendationibus et notis.
Defensio catholicae doctrinae de natura et gratia.
cIↄ. Ic. XCIII. Eirenicum.
Le paysible Chrestien.
De politiae Mosis obseruatione.
De Theologia.
Oratio in Iesuitas Latina facta.

Etiamnum hic catalogus reperitur in fine Iunii autobiographiae, qualis prodiit ao. CIↄIↄXCV Lugduni Batavorum ex officina Plantiniana, apud Franciscum Raphelengium, p. 60—72. Reperitur quoque in versione belgica huius autobiographiae, quam manuscriptam asservat Bibliotheca Remonstr. eccl. Rotterdam., nunc translata Amstelodamum.

4. Προκατάβλημα ad Veteris Testamenti interpretationem. Orationes de Testamento Veteri. De Psalmorum exegesi. Heidelb., 1585, in-4°.

5. Sacrorum parallelorum lib. III, id est, comparatio locorum Scripturae sacrae, qui ex Veteri Testamento in Novo adducuntur, summam utriusque in verbis convenientiam, in rebus consensum, in mutationibus fidem veritatemque, breviter ex fontibus Scripturae sacrae genuinâque linguarum hebraeae et graecae conformatione monstrans, Heidelb., 1588, in-4o. 1610, in-4o; et Londini 1588 in 8o. secundum Watt. Inserti in eius *Opera omnia*, T. I. p. 980. Liber tertius continet Epistolae ad Hebraeos justum et methodicum commentarium.

6. Grammatica hebraeae linguae, 1ª editio a. 1580; 2ª ed. a. 1586; 3ª. ed. a. 1590. in 8o. Haag nonnisi tertiam novit apertique evincitur erroris catalogo vitae Junii adiecta.

7. Apocalypsis methodicâ analysi notisque illustrata. Heidelb., 1599, in-8o; Basil., 1599 in 8o; *Opera*, Tom. I. p. 1306 gallica facta ab auctore, s. l. 1592; iterum edita 1598, in-12. et secundum Watt etiam Londini 1592, in-8o, Anglica versio huius opusculi edita Lond. 1592, in-4o; Camb. 1596, in-4o; Lond., 1616, in-8o.

8. Prophetae Danielis expositio, ex publicis praelectionibus excerpta, Heidelb., 1593. in-4o; Lugd. Bat., 1594, in-4o; *Opera*. T. I. p. 964.

9. Pentateuchi explicationes analyticae. [Heidelb.] Sanct Andrea 1594, 5 vol. in-4o; 1604, in-4°, et secundum Watt etiam, Genev., 1609, in-4o; Cf. *Opera* T. I. p. 122. Numerorum explicatio separatim Lugduni Batavorum typis expressa est aⁿ. 1600, in-4°.

10. Methodica quatuor Psalmorum I, II, III, IV explicatio. Praemittuntur in librum Psalmorum prolegomena, Heidelb., 1594, in-4°: Cf. *Opera*. Vol. I. p. 626.

11. Lectiones in Jonam, [Heidelb.] 1594, in-4o, Cf. *Opera* I. p. 940. Cum commentario in partes Geneseos et Exodi mixtus apparuit hic liber sub titulo *In tria priora capita Geneseos, Exodis et Jonae*. Sanct-Andreanus et Plantinus, 1594—1597—1603, in-4°. Recensetur in Cat. Bibl. Genevensis.

12. Expositio Exodi. Lugd. Bat., 1597, in-4°.

13. Méthode des lieux communs de la Sainte-Ecriture, disposez selon l'ordre des chapitres que Calvin a suivi en son Institution. Leyde, 1599, in fol.

14. Commentarius in Ezechielem prophetam, quem scripsit a°. 1587. Gen. 1609, in-fol.; 1610. in 8°. Cf. *Opera omnia* Voluminis III, p. 1.

15. Scripsit praeterea, quamvis non prodierint, Analytica expositio secundum Matthaeum et Marcum, et fortasse etiam, quod tamen minus constat, in Iohanem Evangelistam. Testantur hoc Meursius, cui fides haud dubie habenda, ut et Lelongius.

16. Observationes in Prophetas minores. non exstant. Teste Lelongio.

17. Lexicon hebraicum, testibus Meursio in *Athenis Batavis* et Adamo in *vitis ext. Theolog.* in voce. Asservatur hoc lexicon a littera א—ק in tabulario Oxfordiano, sub n°. 2372.

18 Methodus analytica in psalmos. Periit.

19. Oratio de linguae Hebraeae antiquitate ac praestantia Cf. *Opera* Vol. I. p. 1—13.

20. Oratio de adiunctis legis et partibus veteris Testamenti. Cf. *Opera*. Vol. I. p. 31—59.

II. *Scripta dogmatica.*

Argumenti generalis.

1. Libellus de theologiâ verâ, ortu, naturâ, formis, partibus et modo illius, Lugd. Bat., 1594, in 8°. Cf. *Opera*. Vol. I. p. 1370.

2. Examen enunciationum et argumentationum quas Gratianus Prosper adv. doctrinam de Deo, baptismo et aliis quibusdam capitibus pro exemplis logicis adduxit in suo libello an. 1586 impresso. Lugd. Bat., 1596, in-8°.

3. Theses Theologicae Leidenses, *Opera*. Tom. I. p. 1592.

4. Theses Theologicae Heidelbergenses. Ibidem.

5. Animadversiones ad controversiam primum christianae fidei, de verbo Dei scripto et non scripto, quam Rob. Bellarminus exaravit adv. hujus temporis haereticos, s. l., 1600, in 8°. Ad controversiam secundam, de Christo capite totius Ecclesiae, s. l., G. Raphelingius, [Lugduni Bat.] 1600, in-8°. Ad controversiam quartam, de conciliis et Ecclesiâ militante; de Ecclesiâ liber singularis, Sanct-Andreana [Heidelbergae] 1602, in 8°. — Ad controversiam quintum, de membris Ecclessiae militantis, s. l., [Heidelbergae] Commelin, 1602, in-8°. Ad controversiam sextam de purgatorio; item ad Appendicem controversiae tertiae, s. l. St.-Andrea 1603, [Heidelbergae] in-8°.— Ad

1603, [Heidelbergae] in-8°. — Ad controversiam septimam de Ecclesiâ triumphante; accedunt Orationes de linguae hebraicae antiquitate et praestantiâ promissione, foedere et adjunctis; item Specularius contrà Genebrardum, s. l., Commelin, [Heidelbergae] 1608, in-8°. Cf. *Opera*, Vol. II, p. 1 sqq. et Voluminis II appendicem.

6. Quaestiones Theologicae a D. F. v. Junio. M. S. exstant in Bibl. Genev., in convoluta 197ma. in-4°.

7. Epitomen I. Calvini Inst. rel. Christianae. non exstat.

8. Iudicium Facultatis Theol. Leidensis in causa Cornelis Wigeri, d. a° 1595; belgice versum et typis expressum a° 1612 Delphis apud J. Andries. Fr. Iunius primus signavit. Insertum quoque in TRIGLANDI, *Kerk. hist.*, p. 249—256.

De Deo et decretis.

1. Defensio catholicae doctrinae de S. Trinitate personarum in unitate essentiae Dei adv. Samosatenicos errores specie inanis philosophiae in Poloniâ exundantes, Heidelb., 1590, in-4°; 1592, in-4°. — Defensio secunda. Heidelb., 1591, in-4°. — Defensio tertìa, Heidelb., 1591, in-4°; Cf. *Opera*. Vol. II. p. 1.

2. De aeternâ Dei praedestinatione, Lugd. Bat., 1602, in-4°.

3. Disquisitio ad Petri Baronis Summam trium sententiarum de praedestinatione, simul cum Baronis tractatu edita. Hard. 1613, in-8°. Separata editio ex aminadversionibus adversus Bellarminum.

4. Epistola de Λόγῳ ad Bezam. M. S. exstat in Bibl. Genev. Coll. Lat. n°. 123.

De homine et peccato.

1. Πρωτοκτίσια seu creationis à Deo factae et prioris Adami ex creatione integri et ex lapsu corrupti historia, cum tabulâ chorographicâ Babyloniae. Item in tria capita prima Geneseos praelectiones. Item confutatio argumentorum XXII, quae olim à Simplicio in sacram Mosis historiam de creatione fuerunt proposita, Heidelb., 1589, in-4°; Cf. *Opera*. Vol. I. p. 1.

2. Catholicae doctrinae de naturâ hominis jacentis in peccato et gratiae Dei ex peccato evocantis omnes communiter, et suos excitantis singulariter, collatio cum doctrinâ libelli recens editi cui titulus: De Christi servatoris efficacitate in omnibus et singulis hominibus, Lugd. Bat., 1592, in-8°.

3. De peccato primo Adami et genere causae quâ ad peccandum adductus est. Lugd. Bat. 1595, in-8°; 1604. 4°; Cf. *Opera*. Vol. I. p. 1430.

De via salutis.

1. De justificatione hominis corâm Deo, Lugd. Bat., 1599 et 1602, in-4°.
2. De resipiscentiâ, Lugd. Bat., 1602, in-4°.
3. De sanctorum invocatione, Lugd. Bat., 1597, in 4°.
4. Examen dialogisticum de fide. non exstat.
5. Oratio de promissione et foedere gratioso Dei cum Ecclesia. Cf. *Opera*, Vol. I. p. 23.
6. De foedere et Testamento in veteri Ecclesia. Cf. *Opera*, Vol. I. p. 22.
7. Amica cum J. Arminio de praedestinatione per litteras habita collatio. Lugd. Bat. 1613. in-8°.

De Ecclesia.

1. Ecclesiastici, sive de naturâ et administrationibus Ecclesiae Dei lib. III, Francof., 1581, in-8°; 1596, in-8°. Cf. *Opera*, T. I. p. 535, gallice versa sub titulo: Ecclesiastic ou de l'état et des administrations de l'Eglise de Dieu. Francf., 1581, in-8°.

2. Εἰρηνικόν sive de pace Ecclesiae catholicae inter Christianos quamvis diversos sententiis religiosè procurandâ, colendâ atque continuandâ. Meditatio in Ps. CXXII et CXXIII, Gen., 1593, in-8°. Cf. *Opera*, T. I. p. 678; gallice ab ipso authore versa sub titulo: »le Paysible Chrétien", et edita Lugd. Bat. anno 1593. in-8°. Per compendium Belgice versa, at mutilate ac minus correcte, par J. de la Haye (Arminii fautorem) sub hoc titulo: *den vreedsamen Christen*, Amst. apud E. Cloppenburgh. a° 1612.

3. De ecclesiâ liber singularis, Gen., 1600, in-8°; inserta in eius scripto adversus Bellarminum; Cf. *Opera*, Vol. II. p. 997.

4. Disputationum theologicarum repetitarum quinquagesima quintas de ministerio ecclesiastieo, sub praesidio F. Iunii propugnanda, Lugd. Bat., 1600. in-4°.

5. Two Letters to the English church at Amsterdam, Lond., 160

6. De conciliis, synodis et synodalibus iudiciis, magistratûsque summi in talibus iure atque officio, Franeq., 1614. in-8°. Belgice versa prodiit Amst. a° 1610 sub titulo: *Verclaringhe van twee vraghen.*

7. De observatione politae Moysis, quid in populo Dei observari, quid non observari ex eâ oporteat. Lugd. Bat., 1593, in-8°; Gen., 1600, in 8°. Cf. *Opera*, T. I. p. 1474.

8. Animad-

8. Animadversiones ad R. Bellarminum, de translatione imperii romani ad Francos, s. l. Sanct-Andreana. 1602, in-8°. Cf. *Opera* VII. p. 879.
9. Brevis tractatus de ritibus in Ecclesia conformandis; et certa capita sive articuli regimine ecclesiae. non exstat.

De Sacramentis.

1. De sacramentis in genere, Lugd. Bat., 1601 et 1602, in-4°.
2. De baptismo Christiano in dissentientibus ecclesiis. non exstat.

De Novissimis.

1. De statu animae à corpore separatae post mortem, Lugd. Bat., 1598, in-4°.

B. OPERA PHILOLOGICA.

1. Ciceronis de Legibus libros gallicos fecit et auxit notis: perierunt.
2. Ciceronis epostolae ad Atticum et Q. Fratrem, cum emendationibus et notis.
3. Sapientissimi Georgii Codini Curopalatae de Officialibus palatii constantinopolitani et officiis magnae ecclesiae, graecè et latine, cum notis et indice, [Lugd. Bat.] 1588, in-8°; Heidelb., 1596, in 8°. Prior editio apparuit sub tecto nomine Nadabi Agmonii; Hebraica versio gallici nominis Du Jon. In secunda editione nomen suum reposuit.
4. Manilii astronomicôn lib. V, cum variis lectionibus et notis, Heidelb., 1590, in-8°.
5. Academia, ubi de academiarum ortu et honorum gradibus tractatur. Item academiarum totius Europae seu orbis christiani catalogus, Heidelb., 1587, in-4°.
6. Oratio panegyrica de ratione academiarum, Lugd. Bat., 1600, in-4°.
7. Tertulliani vita et notae in opera eius, Heidelb., 1593. in-fol.; Franeq., 1597, in-fol.
8. Psalmus CI seu principis christiani institutio, aperta analysi commodâque ad rationes nostrorum temporum commentatione illustrata, Heidelb., 1592, in-8°. Cf. *Opera*, Vol. I. p. 652.
9. Grammatica linguae Gallicae. non exstat.

C. OPERA ARGUMENTI HISTORICI.

1. Oratio gallica ad regem Hispaniarum pro defensione Belgii.
2. Recognitio Confessionis Belgicae.
3. Brevis Confessio ex Scripturae verbis concinnatam, nobilitati Belgii apud Centronas exhibenda. non exstat.
4. Concio habita in Campo Limburgensi ad Altum Dei Montem, et defensio illius adversum Leodiensium Franciscanorum clamores. non exstat.
5. Responsum ad fratres Zandwichenses, de imagine Christi.
6. Defensio adversus fratrem Natalem Christianum Iesuitam. non exstat.
7. Narratio brevissima calamitatum Belgii. non exstat.
8. Specularius Immanuelis Tremellii adversus Genebrardum. Apud Commelium Heidelbergae, 1608, in-8°; Cf. *Opera*, Vol. II. p. 1749.
9. Index expurgatorius. s. l. 1586. in 16°.
10. Admonitio Christiana contra Johannem Haren. Gallice.
11. Praetexta pulla in obitum Principis Anhaltini.
12. Libitina in obitum Ioannis Casimiri Comitis Palatini.
13. Amiable confrontation de la simple vérité de Dieu, comprise ès Ecritures saintes, avec les livres de M. Pierre Le Charron, parisien, qui sont intitulez, l'un: Les trois veritez, etc., l'autre: La réplique sur la réponse faite à sa troisième verité, Leyde, 1599, in-4°.
14. Vita Francisci Junii Bituricensis, ab ipso nuper conscripta et edita à Paulo Merulâ, Lugd. Bat., 1595 (non 1594 ut Haag opinatur) in-4°; Cf. *Opera*. Vol. I. ed. 1607, p. 1, c. 13 et Vol. II. ed. 1618, p. 1. Belgice versa a D. Bedrog, m. scripta exstat in bibl. rem. Amst. GERDESIUS Iunii vitam inseruit suo *scrin. antiq.*, Vol. I. p. 202; catalogo operum autem e Meursii catalogo variato.
15. Epistolae, Cf. Cat. Haenelii bibl. Basileensis. Aliae quaedam asservantur in collectione Dupuy, vid. n°. 103—105 et n°. 268; in coll. Harleiana, Mus. Brittanici, vid. n°. 7001, 7011, 7012, et in Ms.s. Burn. n°. 369 et 371.
16 In Anathematismum Gregorii XIII adversus Gebhardum Coloniensem Episcopum. Cf. GERDES, *Scr. ant.* I. 268.

17. Oratio

17. Oratio in funere Lucae Trelcatii. Leydensis theologi. In TRELCATII, *Opusculis theologicis*. Lugd. Bat. p. 1614.

D. OPERA ALIORUM AB EO LATINA FACTA.

1. Joannis Bodini de Magorum daemonomaniâ lib. IV, è gallico in latinum versi à Losario Philopono, Basil., 1581, in 4°; Francf. 1590, in-8°; Argent., 1638, in-8°.
2. Joannis Tillii commentariorum et disquisitionum de rebus gallicis lib. II, nunc primum latinè redditi Francf. 1579, in-fol.
3. Antonii Arnoldi, advocati parisiensis, actio pro academiâ parisiensi actricè contrà Jesuitus reos. Litterae regis de homicidio in ipsum attentato, et consultum iudicatum parliamenti contrà J. Castellum ex gallico, latinè, Paris, 1595, in-8°; *Opera.* Vol. II. p. 1723.
4. Confessionem fidei Frederici III Electoris Palatini fecit Gallicam 1577.
5. Primam Joannis epistolam ex Arabice transtulit. non exstat. 1577.
6. Apologiam catholicam Latinorem fecit. a. 1586.
7. Epistolas duas regis et unam Plessaei latinam fecit. a. 1587.

X. Ex parte haec opera, quoad theologici sint argumenti, congesserunt Caldorianae, quae tunc temporis Genevis florebat, typographiae moderatores. In lucem eorum editio emissa est anno MDCVII sub hoc titulo: „Francisci Iunii Biturigis, sacrarum litterarum in Academia Heidelbergensi et Lugduno Batava Professoris eruditissimi, opera theologica, duobis Tomis, ordine commodissimo, nempe exegetica primo, elenctica altero, comprehensa et nunc primum digesta. Praefixa est primo Tomo Vita auctoris. Subiuncti sunt denique ad calcem utriusque Tomi septem indices. Genevae, sumptibus Caldorianis MDCVII". Repetita est haec Genevensis editio a. MDCXIII. Continet Tomus prior columnas mille septingentas octoginta quinque, posterius volumen mille quingentas septuaginta quatuor. Usus sum exemplari Bibliothecae novi collegii Edinensis Ecclesiae Liberae Scoticae, liberalitate viri plurimum venerandi summâque mihi colendi observantia, Kennedii, qui dictae Bibliothecae praeest, in usum mihi tradito.

XI. Quod autem inprimis observandum est, secunda sive tertia, si ita vis, huisce eiusdem operis editio eaque haud ita paucis adaucta e typographia Sanct-Andreana iam anno sequenti, i. e. a° MDCVIII, Heidelbergae exierat, cuius ipse possideo exemplar Fert hunc titulum: „Opera Theologica Francisci Iunii Biturigii, sacrarum litterarum professoris eximii, quorum nonnulla nunc primum publicantur. Praefixa est vita auctoris. Omnia cum indicibus VII accuratissimis. In Officina Sanct-Andreana. MDCVIII". Commeliani et Bonutiani qui tunc Sanct-Andreanae typographiae praepositi erant, hanc secundam editionem „consecrandam" censuerunt Senatui Ecclesiastico Electoris Friderici IV. Data est illorum dedicatoria epistola Heidelbergae m. Martio MDCVIII, tota vero ex fraude et fallaciis constat. Etenim fraudulenter se gerunt Commeliani Bonutianique, eorum socii, quasi primi suis ipsi prelis, in urbe Heidelbergae, hanc Iunii operum collectionem submisissent. Simulant nempe novam prorsus editionem in lucem se edere; dolo Genevensem editionem prorsus reticent; sibique fucatam expostulant gloriam, se omnium primos eximii Theologi elucubrationes

brationes reipublicae litterarum in communiorem suppeditavisse usum; quum certo tamen certius constet, eorum Sanct-Andreanam editionem nihil prorsus aliud esse quam emissionem in Germania aliquot Genevensis editionis exemplarium, alio ornatorum titulo, adauctorumque quibusdam Iunii anecdotis. Scilicet non tantum similia, sed eadem prorsus est operum Iunii typis expressio. Non adulterina sive supposita, at fucosa omnino fallaxque editio. Eaedem quippe litterarum notae, tam minutae, quam maximae; eadem columnarum lineamentorumque incisio; nec differunt abbreviationes; neque diversa sunt Graecorum typorum aut Hebraïcorum compendia; imo, quod certius etiam fraudis Commelianos evincit, sphalmatum quoque in utraque editione eadem plane facies; ita ut et apiculorum levissimorum differentia, litterarum pinguior tenuiorve ductus, quin imo typorum detrimentum, obturatio, redundantia utrobique ne vel hilum ab altera editione recedat. Columnae 1—1785 prioris ut et columnae 1—1574 posterioris voluminis, quales in editione Genevensi reperiuntur, tales quoque ipsum corpus editionis Heidelbergensis constituunt. Quod interest inter utramque editionem huc redit: 1°. nova est in editione Heydelbergensi tituli pagina; 2°. praefixa est epistola dedicatoria; 3°. vita Iunii ex introitu voluminis prioris in propylaeum posterioris Tomi migravit; 4°. addita sunt, nova pagellorum serie, in introitu prioris voluminis quattuor orationes, quas Iunius habuit; *a*. de linguae Hebraeae antiquitate ac praestantia; *b*. de promissione et foedere gratioso Dei cum ecclesia; *c*. de foedere et testamento in veteri ecclesia; et *d*. de adiunctis legis et partibus veteris Testamenti; [in fine Tomi prioris iam adspersae erant Theses Heydelbergenses]. et 5°. ad calcem Tomi posterioris sub novo titulo tertium quoque annexum est volumen, eadem tamen paginarum serie procedens, cum suo typographiae emblemate et hanc portans inscriptionem: „Ex officina Sanct-Andreana MDCIX", quo continentur, *a*. Animadversiones in Roberti Bellarmini controversiam septimam, de ecclesia triumphanti, sive de gloria et cultu sanctorum, et *b*. Specularius contra Gebhardum. Notandum denique duobus hisce voluminibus et dimidio volumini a Commelianis eodem anno MDCIX adiectum fuisse tertium sive quartum, quamvis parvulum, volumen, hunc gerens titulum: „Francisci Iunii Biturigis commentaria in Jechezkelem Prophetam, nunc primum in lucem post auctoris obitum emissa; lemma Commeliana; in bibliopolio Commeliano MDCIX". Ordinibus Frisiae hunc commentarium dicavit Ioannes Casimirus Iunius, Francisci filius. Explet paginarum numerum trecentesimum nonagesimum.

XII. Quodsi quis post dicta etiamnunc haesitaret, Commelianos spuriam istam procurantes editionem in fraudis fallaciarumque vocare insimulationem, is inspiciat velim Iunii ad praelectiones in tria priora Geneseos capita praefationem. Scilicet in Genevensi editione haec praefatio, ut fas erat, in ipsarum praelectionum collocabatur introitu; ita ut, medium inter Iunii vitam Geneseosque praelectiones sortita locum, eidem impressa inveniatur scidae, quae Iunii exhibet

exhibet autobiographiam. Nunc autem lepidissimi isti praedestigiatores, omnem hanc praefationem coeca praetereuntes stupiditate, chartae scidam bis terque stulte ita absciderunt, ut praefationem in Genesin unâ cum vita Iunii in posterius migrare iusserint volumen; qua stoliditate factum, ut Iunii praelectiones in Genesin nunc sua careant praefatione, et praefatio in Genesin, veluti saxum erraticum, praecipitata sit media inter Iunii autobiographiam eiusdemque ad Bellarminum animadversiones. Exhilarans certo atque haud infacetum dementati falsarii documentum 1)!

XIII. E longa ac fere immensa hac serie nostrum volumen haec quinque exhibebit opuscula: 1°. Iunii *autobiographiam;* 2°. Tractatum de vera *theologia;* 3°. *Theses dogmaticas* Leidenses et Heidelbergenses; 4°. de *Politia Mosis*; et 5°. eius *Irenicum.* Rationes, cur missis ceteris ista quinque seligerimus opuscula, hae sunt. Ope*rum* editionem, quam perperam bibliopegus in tegumenti dorso signavit, prohibebant loci angustiae; quare opus*culis* editio erat finienda. Inter opuscula autem locum nullum sortiri poterant ea, quae litteras humaniores potius spectabant, quippe in volumine ecclesiae cumprimis destinato. E theologicis vero opusculis ea omnia absque ulla seposuimus haesitatione, quae operam navabant sive in interpretatione singulorum sacri Codicis librorum, sive in redarguendis adversariorum lucubrationibus; haec enim absque contrariorum, quibus opponuntur, lectione vix ac ne vix quidem intellegerentur, illa nonnisi scripturae interpretibus, sensu praegnanti ita dictis, destinata. E reliquis denique volumini nostro iam inseruimus eius *vitam*, ut vir virique pietas; *encyclopaediam* (tractatus de vera Theologia), ut viri pellucidi methodus; *dogmaticen* (Theses), ut eximii theologi orthodoxia; *politiam*, ut optimi civis de rei civilis fundamento opinio; et *irenicum*, ut placidus tunc temporis reformatoris animus, Tibi, candide lector, veluti *αὐτόπτῃ*, ex ipsis ultro affulgeret documentis.

XIV. Textum secutus sum ex Genevensi editione eius *Operum omnium*, quem a musco innumerabilium typrographorum errorum pro virili portione interpurgavi, praetereaque emendare conatus sum in locis sequentibus:

Emendavi p. 3. l. 20. tanti. tantis; p. 6. l. 11. committentur. comitantur; p. 9. l. 23. vita. vitae; p. 15. l. 42. N. Tullii. M. Tullii; p. 16. l. 15. coepta. coepto; p. 20. l. 31. me a deret. me auderet.; p. 35. l. 17. agnum. aegrum; p. 50. l. 41. nostrae. nostra; p. 65. l. 14. a. s. propletea. propterea. p. 67 l. 17 a. i. perfectis. imperfectis. p. 67 l. 14 a. i. sua. suae. p. 68 l. 1 a. s. opere. opera. p. 68 l. 9 a. s. fuissent principia. fuissent, non fuissent principia. p. 68 l. 2 a. i. communi. communia. p. 71 l. 5 a. s. ipse. ipsum. p. 72 l. 6 a. i. habet, mutationemque. habet naturam, mutationemque. p. 73 l. 18 a. i. modum. modus. p. 76 l. 3 a. s. praebendum utilitatem. praebendum in utilitatem. p. 82 l. 19 a. s. eius. eis. p. 89 l. 16 a. s.

---

1) Caldoriani suo marte poenas a Commelianis expetivisse videntur. Nimirum in Bibliotheca municipali Amstelodamensi exemplar Caldorianae exstat editionis, quo tum *Quatuor Iunii orationes*, tum *Animadversionum contra Bellarminum supplementum* in fine secundi tomi, e Commelianâ editione desumpta, lectori exhibentur. »Orationes" typographice nil prorsus a Commelianâ emissione differunt. »Animadversionum supplementum" contra diversum perolet prelum, uti videndum e. g. in ultima pagina, ubi vocabulum *finis*, quod deëst in editione Heidelbergensi, additum est; et sphalma foliorum numeri a dextrâ emendatum, rediit in numero columnae sinistrae.

a. s. vita. via. p. 89 l. 19 a. i. contemperata. contemperatam. p. 95 l. 18 a. s. Domino. Domini. p. 99 l. 4 a. i. quae quae. quae. p. 108 l. 20 a. s. iudicium. indicium. p. 108 l. 15 a. i. Trephaniae. Zephaniae. p. 117 l. 19 a. i. Canonum. Canonem. p. 117 l. 1 a. i. paterna. interna. p. 118 l. 21 a. s. θεοπνεύστον. θεόπνευστον. p. 120 l. 22 a. s. fidei. fidem. p. 121 l. 11 a. i. assequuntur. assequantur. p. 124 l. 5 a. s. θειοτης. θειότης. p. 133 l. 9 a. s. ad gloriam suam bonam bonus, bene. ad gloriam suam, bene. p. 143 l. 12 a. i. ne. nec. p. 151 l. 17 a. s. spacio. spatio. p. 153 l. 1 a. i. *indicatur. indicantur*. p. 156 l. 19 a. s. Christum. Christus. p. 156 l. 18 a. i. lucidissimum iincundissimum. lucidissimum iucundissimum. p. 156 l. 6 a. i. et fecerunt. defecerunt. p. 158 l. 9 a. i. uno. suo. p. 174 l. 9 a. s. amittimus. admittimus. p. 180 l. 27 a. s. si. hi. p. 180 l. 19 a. i. quam. quem. p. 180 l. 11 a. i. ciuitates. ciuitatis. p. 185 l. 20 a. i. pro. post. p. 186 l. 8 a. s. moriturus. meriturus. p. 186 l. 22 a. s. idololatria. idololatriae. p. 187 l. 13 a. i. hominis. homines. p. 189 l. 13 a. s. analogicae. analogicè. p. 194 l. 17 a. s. at. ad. p. 194 l. 2 a. i. θεαντρώπου. θεανθρώπου. p. 195 l. 19 a. s. meditationis. mediationis. p. 196 l. 3 a. s. meditationis. mediationis. p. 197 l. 5 a. i. est. et. p. 201 l. 5 a. s. intreatur. intricatur. p. 201 l. 12 a. s. *Kom. Kum.* p. 201 l. 13 a. s. *takats. iakats.* p. 201 l. 4 a. i. Dictum. dierum. p. 203 l. 16 a. i. Jesus. Jesu. p. 203 l. 16 a. i. more. mors. p. 204 l. 7 a. s. bonis. boni. p. 204 l. 4 a. i. quae. qua. p. 206 l. 3 a. s. affecta. effectu. p. 206 l. 15 a. s. qua. quam. p. 206 l. 20 a. i. λύθρο. λύτρον. p. 206 l. 6 a. i. gestus. gustus. p. 207 l. 20 a. s. *Aemunae. Aemunah.* p. 207 l. 20 a. s. *Omen. Aman.* p. 207 l. 23 a. s. acquiescentis. acquiescentia. p. 207 l. 1 a. i. *primus* Dei, quae. *primus* est gloria Dei, quae. p. 208 l. 6 a. s. *Effecta.* q. *Effecta.* p. 208 l. 10 a. s. nostrae, vt. nostrae natura, vt. p. 208 l. 15 a. i. qua. quia. p. 210 l. 22 a. s. Neccaesar. Naziant. p. 210 l. 3 a. i. patit. parit. p. 214 l. 17 a. i. φιλανθρωπία. φιλανθρωπίαι. p. 214 l. 15 a. i. apprehensam, Brevius. Oecumenius. Apprehensam. Brevius oecumenius p. 215 l. 7 a. i. ipsa. ipsam. d. 219 l. 2 a. i. qui. quia. p. 219 l. 1 a. i. alia. alio. p. 220 l. 8 a. s. et. est. p. 220 l. 20 a. s. appllicantur. applicaretur. p. 220 l. 24 a. i. *peccatoris. peccatores.* p. 221. l. 9 a. s. consistant. consistat. p. 222 l. 4. a. s. respicit. respiciunt. p. 222 l. 17 a. i. vel. ut. p. 226 l. 10 a. i. aeternam. externam. p. 227 l. 17 a. s. odorant. adorant. 6. 232 l. 18 a. s. Dei. Deo. p. 232 l. 10 a. i. imperandae. impetrandae. p. 233 l. 2 a. s. aut uno. aut abuno. p. 234 l. 6 a. i. desirantur. desiderantur. p. 237 l. 3 a. s. qua. quae. p. 237 l. 25 a. i. fui. fuit. p. 238 l. 11 a. i. probis. nobis. p. 238 l. 24 a. s. esset. esse. p. 239 l. 7 a. s. pancitate. pancitatem. p. 241 l. 14. a. i. efficia. efficacia. p. 248. l. 23 a. i. profligamus. profligemus. p. 249 l. 20 a. s. πανοπλία. πανοπλά. p. 253. l. 11 a. i. 2 Cor. 10. 1. Cor. 10 l. 9 a. i. separatum. sed separatum. p. 257 l. 10 a. i. oscula respuit. oscula non respuit. p. 258 l. 3 a. s. *fidei voluit. fidei uti voluit.* p 259 l. 4. a. i. 1. 2. p. 262 l. 3 a. s. internam, *Externa.* internam. *Externa.* p. 262 l. 24 a. i. sino. suo. p. 264 l. 9 a. s. necessum. necesse. p. 267 l. 14 a. s. qui foedere. qui in foedere. p. 269 l. 18 a. s. utranque. utramque. p. 274 l. 4 a. i. vitetur. vitentur. p. 276 l. a. i. Preto Ioannis. Presbyteri Ioannis. p. 278 l. 17 a. s. μιαιγαμίας. μλαιγαμίας. p. 279 l. 6 a. i. *Ephe.* 32. *Ephe.* 5. 32. p. 282 l. 19 a. s. *animae. anima.* p. 285 l. 12 a. s. affectionum. affectionis. ibid. actionum. actionis. p. 287 l. 16 a. s. caedem. eaedem. p. 287 l. 22 a. i. dogmata recipimus. dogmata non recipimus. p. 288 l. 2 a. i. animat. aninam. p. 293 l. 21 a. s. 20. 29. p. 294 l. 25 a. s. Eadem. Eodem. p. 300 l. 12 a. i. gloriae gratiae. gloriae ac gratiae. p. 304 l. 3 a. s. partialibus. partilibus. p. 304 l. 22 a. i. *Ecclesiae. Ecclesia.* p. 304 l. 14 a. i. declaramus. declaremus. p. 306 l. 16 a. s. depositariam. depositarium. p. 306 l. 19 a) i. se. sed. p. 312 l. 10 a. i. ne. nec. p. 319 l. 19 a. i. ob. ab. p. 327 l. 4 a. s. ab. ad. p. 331 l. 20 a. i. amoris. amores. p. 335 l. 5 a. s. vi. ut. p 337 11 a. i. nostaum. nostrum. p. 346 l. 17 a. s. positum. positam. p. 354 l. 5 a. s. pertinent. pertineant. p. 357 l. 12 a. i. Legislatoris. Legislatores. p. 357 l. 9 a. i. narrationis, rationis. p. 359 l. 18 a. i. Sic. Si. p. 360 l, 24 a. i. Thes. Thes. 1. 6. p. 370. l. 13 a. i. scandalo offensioni. scandalo & offensioni. p. 371 l. 13 a. i. pertinenti. pertinent. p. 371 l. 23 a. i. secundum. secundus. p. 372 l. 19 a. s. facere, possumus. facere possumus. p. 374 l. 12 a. i. rata. rara. p. 380 l. 1 a. i. *faces. facies.* p. 380 l. 11 a. s. su. fugae. p. 386 l. 12 a. i. particulari, iuri. particularis iuris; p. 396. l. 18. vestra. vestrae; p. 398. l. 5. miserationem. miserationum; p. 403. l. 6. defectu, defeetum; p. 419. l. 19. esset. essent; p. 460. l. 6. geniturae nostra, l. genituram nostram; et p. 492. l. 19. abiectissimae, l. abiectissima.

XV. Quod tandem superest, viris doctissimis Guilielmo van den Bergh apud reformatos Schaarsbergiae pastori, et Frederico Ludovico Abresch, Gymnasii Amstelodamensis praeceptori, qui in perlustrandis plagulis officiose

me

me sublevaverunt, gratias habeo atque honores; iamque tenues hasce bibliothecae reformatae nostrae primitias theologiae doctoribus, alumnis, ecclesiae reformatae fautoribus, ea qua par est humilitate offero deque meliore utpote nota committo confidenter. Quas si ecclesiae nostrae adoptant, mox deperditas olim suas obductasve, proh pudor! gemmas laete recuperaverint. Sin minus, nec institutum improbabit invidia temporum, nec proavorum gloriam corrodet occultus epigonum livor. Hoc unum pateret, nondum in reformata, sic ut iam in romana ut et lutheranorum ecclesia, delumbatam tantorum theologorum progeniem ad pristinam maiorum recreatam exsurrexisse virtutem.

XVI. Hoc tandem adicio, si quis, in scriptis saeculi sedecimi minus versatus, miretur forsan, Iunii *Irenicum*, nunc iam, post trium fere saeculorum silentium, meis quidem in lucem prodire curis, cuius pertinax neque facile interrumpenda iurum ecclesiae contra pseudo-*Irenicos* hodiernos defensio nec me pudore afficit, nec rite celanda est, huius memoriam excitare lubet ad id quod Iunius de suae aetatis haereticis et senserit et scripserit. Quod ad primum, Osterodum, qui in Confessione Trinitatis titubabat, nec domi ad disputationem recipere voluit Iunius nec commendare magistratui, chartamque cui libellus Osterodi impressa erat quasi contaminatam sordidaque commaculatam faece indignabundus profudit. *Scripsit* praeterea in primordio opusculi, quo alterum Operum editor inchoatus est volumen, „*se horruisse totum ex animo et vehementer fuisse adfectum gravissimis de causis*", simulatque Osterodi libellum inspexisset, inque fine eiusdem opusculi hisce fere adversarios obtestatur: „Misereatur tui summe misericors Deus, et quam diu in via erroris permanetis, animam tuam, *in exitium ruentem*, gratiâ tuâ amplectetur". Addo, unâ cum Gomaro, in causâ Wiggeri Iunium quoque viam stravisse, ad haeretici ministri condemnationem. Quantum denique moribundus iam de Arminio praemonuerit Academiam, Gomari testimonium monet omnes.

Quare sub fine praefationis, in affinis cum palmario viro spiritus communione, supplex Deum oro, ut omnes omnium fidelium Christi servorum in Ecclesia stabilienda conatus ad felicem gratiose perducere velit exitum, talesque collapsae ecclesiae suae largiri ipsi libeat doctores, quos nec pacis sincero amore Iunii *Irenicum*, neque inexpiabili haereseos odio Iunii de Osterodo iudicium longius quam par est egrediatur. Tunc iterum fratres se ut olim invicem adamabunt; veritas stabit; vapulabit mendacium; florebit ecclesia; et honos erit laus et gloria Domino nostro Christo Iesu, unâ cum Patre et Spiritu sancto collaudando in aeternum. Amen.

Nomine Ordinis theologorum Universitatis Liberae,

Dabam Amstelodami,
Pridie Kal. Ianuar. a. MDCCCLXXXII.

ABR. KUYPERUS,

Theologiae doctor et professor ordinarius.

I.

FRANCISCI JUNII AUTOBIOGRAPHIA, MERULAE CURIS EDITA.

VITA NOBILIS ET ERUDITI VIRI

FRANCISCI IVNII, S. THEOLOGIAE DOCTORIS, ET IN ACADEMIA LVGDVNENSI PROFESSORIS DIGNISSIMI:

Ab ipso conscripta, in lucem verò edita

AB

PAVLLO G. F. P. N. MERULA, IC.
Historiarum ibidem enarratore.

PAVLLVS G. F. P. N. MERVLA, I. C. ECCLESIIS PER BELGICAM GALLICANIS S. DICO.

SUBIIT non ita pridem animum meum cogitatio, viri Christianissimi, turpe esse & indignum homine, quem, cum aliis, tum iuuandae patriae, fecit Deus, res ab Romanis, Graecis, aliisque ante multa secula gestas ad vnguem scire: ea verò, quae domi & in patria proximis annis patrata, foedè non solùm ignorare, sed etiam insuper habere & auerso vultu contemnere. Ea macula ne viderer ego cum multis aliis adspersus, amorem cepi ante biennium omnia, quae ad hunc nostrae reip. statum, quaeque ad bellum, quod geritur, partim impressa scripta partim publicè priuatimque, vndique conquirendi: conquisita legendi: lecta in Annalium Codicem, ordine obseruato diligentissimè, carptim breuibúsque verbis, neruosis tamen, referendi: fine tantis sumptibus tantísque molestiis proposito, qui lapsu temporis, cum Deo, parebit. Natura autem (quod lubens fatcor, non enim hoc vitio dandum) ita mihi semper fuit comparatum, vt nunquam & nusquam meis votis atque coeptis satisfiat. Multa in multis (quorum numerus septem millium, & quod excurrebat) legeram: infinita ex tanta & Actorum & Auctorum copia enotaram: & iam obrutus immensa

iacebam

iacebam enotatorum mole: quum ipsissimos vndarum ciuilium, quibus tricesimum ferè annum immane quantum voluimur, fontes vixdum cognoscerem. Impulit haec me caussa, vt varios, quibus memineram initia haec ad amussim comperta, quósque singulari praeditos auctoritate in ea moliendo magnam. partem inaudieram fuisse, accesserim, consuluerim & quidquid primorum motuum notum iis esset, benignè mihi aperirent, rogarim. In horum numero facilè princeps (f. 1.) *fuit V. N. FRANCISCVS IVNIVS. Adstiterat enim hic, vt multi adfirmabant, ipsis turbarum fontibus, & accuratissimè notarat quantis tempestatibus, in quàm magno & procelloso pelago iactata fuerit nauis, qua tranquillè iam & parum abest extra discrimen omne, vehimur, sedente ad clauum Gubernatore peritissimo, cuiúsque oculi in omnia intenti. Adeo, compello, precor, quantum memoria suppeditabat, nonnihil illorum exponeret. Quod quaerebam, haud difficulter ab humanissimo viro & docendis aliis verè nato, sum adsequutus. Disserebat vir magnus fideliter & absque fuco de vera & principe grauissimi belli caussa: de inquisitionis in Hispania, quum Ferdinandus regnaret, natiuitate: de eiusdem, Sixti iiij. opera, incremento: de rigido in Libertatem, Priuilegia, Plebem, Proceres, Regem etiam ipsum imperio: de lata denique eius extra vastos Iberorum fines propagatione. Narrabat multa de immoderatâ Edictorum acerbitate aduersum eos, qui Reformatam religionem profitebantur: de illorum promulgatione, nullo expectato Ordinum adsensu: de crudeli Exsecutione, qua miserorum fortunae expilabantur, qua excruciabantur conscientiae, qua Ciuitates Priuilegiis suis fraudabantur, qua omnes omnium ordinum, habita vix aetatis, nulla autum sexus ratione, ad lanienam, tormenta, supplicia raptabantur: qua carcere, vinculis, equuleis, ferro, cruce, flamma, defossionibus, mersionibus, in vniuersos, indicta caussa, diebus omnibus, saepe etiam intempesta nocte, immanem in modum saeuiebatur. Commemorabat infinita de specioso conseruandae Religionis Catholicae velo, Nouorum Episcoporum, qui fidei Inquisitores agerent & Gladij potestatem occuparent, institutione, nesciente aut certè non animaduertente Rege, contra omnes Maiorum ritus & consuetudines, contra veterum Abbatiarum fundationes, contra reliquorum Episcopatuum iurisdictiones: infidis omnia Granuellani (qui nihil non volebat, nihil non poterat in Belgarum perniciem) artibus. Addebat, his omnibus tandem aliquando Proceres intercessisse, qui non obscuris indiciis videbant, nisi principiis occurreretur, & maturè prouideretur, plebem, quae alioqui patientissima erat & sui principis amantissima, non posse diutius in officio contineri, & cladem aliquam toti Belgicae certam instare: ab iis nihil vi, nihil malis artibus (quarum haud iure insimulabantur) tentatum: missum in Hispaniam Baronem à Montigni, Edictorum acerbitatem deprecaturum; eum paullo post, re infecta, obsesso ab Inquisitoribus & in ambiguum lacerato boni principis animo, rediisse: detestatus subinde perfidiam in Regem placidissimum, fraudem in Nobilitatem, contemtum & calumnias in liberas ciuitates, crudelitatem in obsequentem & imperij patientem Populum, coniurationem denique paucorum non solùm ad opprimendam Belgicam, verumetiam ad exstinguendas omnes reliqui orbis Christiani pacis & tranquillitatis reliquias. Adiiciebat, enitente magis magisque suum Nouorum Episcoporum foetum Granuellano, iterum in Hispaniam missum, consilio Gubernatricis & Optimatium*

Optimatium, Armenterum Hispanum, qui Principem doceret non posse diutius retineri plebem in officio, nolle etiam Proceres postilla suum in Rerum administratione locum tueri, nisi effraenis Granuellani audacia cohiberetur: hanc Legationem eas aiebat habuisse vires, vt homo, dolis consuendis admirabilis, à Principe fuerit ex Belgica reuocatus. Praedicabat viri, magnas tragoedias molientis, discessu nonnihil quidem respirasse Belgas: sed, vix paucis mensibus interiectis, iterum coactum fuisse optimum Principem, suis Inquisitionis iugum imperare: Episcopos, Edicta, Consilium etiam Tridentinum vrgere: atrocium suppliciorum genera, in eos, qui Euangelicae doctrinae erant addicti, decernere: in his praeuisam fuisse ab omnibus grauem aliquam populi seditionem, & extremam totius Belgicae cladem: cui auerruncandae ablegatum fuisse in Hispaniam, nomine Praefectae & Primorum, Comitem Egmondanum, operam daturum animo Principis placando, Edictorum acerbitati paulum leniendae, Inquisitioni denique tollendae. Principem per Egmondanum benignè respondisse: omnia Belgicae caussa fuisse pollicitum: negocium demandasse ipsi totius prouinciae Summatibus, vt sedulo, ne quid Resp. detrimenti caperet, viderent, & formulam aliquam praescriberent, qua posset iri obuiam tantis periculis salua Catholica Religione. Reuerso in Belgicam Egmondano, concreditam fuisse tribus Episcopis, totidem Theologis, tribus item Juris Canonici, totidémque Ciuilis peritis formulae concipiendae curam. Hic omnia fuisse turbata à Pontificis, Granuellani, Inquisi-(f. 2.) *torum factionibus: extortas Regi postremùm litteras, quibus suprema quasi voluntate imperabantur per totam Belgicam Inquisitio, Edictorum ad apicem obseruatio, Episcoporum in omnibus Ciuitatibus Inauguratio, Consilij Tridentini Decretorum edictio & promulgatio. Sermoni finem imponens, hinc ortas praecipuè tam multas adserebat lacrumas: ab hac maximè linea incepisse summam omnium consternationem, immensam singvlorum aegritudinem, & publicam Provinciarum moestitiam: hinc processisse varios Nobilium Conuentus, Confoederationes, Supplices Libellos, Bella denique haec funestissima, & plusquam ciuilia, Haec & alia, quae longum esset scribere, me admirante & oculis in eum defixis, recensebat. Roganti ecquid horum haberet in scriptis, subnegabat: innuebat tamen nonnihil notatum in breui quodam Commentariolo, quod M. AEmilium Scaurum magnósque antiquioris aeui viros sequutus de sua vita quondam scripserat. Quum cognosceret meum eius videndi & inspiciendi obiter desiderium, qua est humanitate, protulit, prolati exordium ita placuit, vt illud in paucos dies rogatum impetrarim. Legi, relegi, haud oscitanter omnia expendi: vnius hominis vitam ita variatam admiratus, Obstupebam dura tanti viri initia: tantis malis agitatam puerilem aetatem, transactam tam periculosè adolescentiam, ab Diabolo etiam ἀθεΐαν moliente impetitam: iuvenem foro ferè mancipatum, dicatum ab Deo & secretum suae Ecclesiae: virum iam in arenam vocatum; tam fideliter & praesenti animo sese gessisse, verae de Deo doctrinae notitia nouitios animos imbuendo, & omnium virtutum exemplis suis Auditoribus praelucendo: tandem verò durissima certamina eluctatum & mirificè saeuissimè multarum calamitatum oceano ereptum. Dolebam tantorum Dei beneficiorum, quae in vnum hominem collata, scientiam apud vnum delitescere, eadémque à tam multis ignorari. Scriptum à me redditum repetij, non alio fine, quàm vt aliis eius legendi facerem copiam: de Editione*

ne

ne verbum quidem communicans cum ipso suam vitam scribente: ne si abnuisset, iacturam hanc pati coacta fuisset Ecclesia Christiana, cuius maximè refert haec non ignorare: néve si adnuisset, propriam hic gloriam venatum virum optimum malevoli obiicerent. Certé docebuntur, inde varia varij. Deprehendent viri Principes, nostrorum corporum Tutores, rerùmque nostrarum Curatores, quantis cum periculis iacta fuerint fundamenta pulcherrimo huic aedificio, cui sarto tecto conseruando omnem adhibent diligentiam: deprehendent quanto fastigium emoliendum constiterit sanguine: deprehendent quanto studio omnia. ferè elementa in Fabrorum perniciem & exstirpationem fuerint concitata. Videbunt animarum Pastores quantis difficultatibus educentur Ecclesiae Ministri: videbunt quanta discrimina, quantae miseriae, quantae calumniae comitentur cum omnem, tum Ecclesiasticam gubernationem: videbunt hic tamquam in speculo praecipuam Ministrorum virtutem, Fidelitatem: huius quasi tres Gemmas, veram Dei Agnitionem, quae virtutum omnium fons & norma, Constantiam & Diligentiam in munere exsequendo, haec omnia iuuari ab summo Diuinae Gloriae zelo, & ardentissimo isti promovendae Desiderio. Intelligent Parentes quid sui officij in educandis Liberis: eos veram Religionem esse docendos, et ad divinum cultum ante omnia instruendos, ut et Religioni honorem habeant, & de Deo verba facere à primis annis discant: eos ab iurandi consuetudine continendos, ab verbis factisque obscoenis custodiendos, ab Malorum consortio arcendos, honestis moribus imbuendos esse Assuefaciendo, Admonendo, Exercendo, Exemplis: intelligent eorundem, quum prouectioris aetatis certo vitae generi erunt consecrandi, per tentanda diligenter Ingenia, cognoscendam Naturam & discernendam Indolem, quo magis illorum inclinent Animi: intelligent qua aetate pueri discendis Litteris adhibendi, quanto discendi labore grauandi, qualibus erudiendi Paedagogis & Magistris committendi. Discent hinc Liberi Amore quodam & Reuerentia Parentibus, eorùmque iudicio volentes sese subiicere: discent praestare iis Obedientiam & gratitudinem: discent patientia tolerandos eorum esse naevos & infirmitates. Cognoscent Praeceptores, eos, quos curae suae commendatos acceperunt, omni cura & amore prosequendos: opus esse, vt profundius & maiore cum fructu Doctrina rerúmque variarum cognitio tenellis ingeniis instilletur, ordine in Artibus tradendis: Repetitiones & Examina strictè seruanda, ut Iudicia illorum formentur & firmentur, Ingenia acuantur, Memoria iuuetur, studiorum cursus intra certas metas contineatur & assuefiant Discentes, omissis Inutilibus, Vtilia discere: cognoscent moderatè omnia esse exigenda, ne Studiorum pondere grauati corruant: cognoscent abstinendum esse ab inferendis Plagis: (f. 3.) *non esse excandescendum, non cum Orbilio saeuiendum, nimia enim (quae Culpae adsignari solet) saeuitia vitia Discipulorum indurari, virtutes languescere ac perire: seueriorem Disciplinam remouendam: Errata illorum, praesertim qui mansuctioris Ingenij: saepius dissimulanda, vel leniter emendanda, placidóque vultu corripienda, ne acrior reprehensio Litterarum amorem imminuat, & desperationem adferat adsequendi, quo egregia se Indoles attollebat, odiúmque eius, cujus summo antè amore flagrabat. Mutuabuntur ex hac quasi officina Discipuli Amorem Litterarum & Praeceptorum Diligentiam, Adsiduitatem, Laborem, Obedientiam, Gratitudinem denique in Praeceptores, quorum Opera & Fide facti Meliores, &*

Doctrinam

Doctrinam acceperunt. Conspiciuntur etiam hic Coniugum officia, Amor, Fides, Societas, & similia. Haurient, ut paucis dicam, hinc omnes exempla sibi virtutum maximarum, Pietatis, Iustitiae, Sedulitatis, Grauitatis, Modestiae, Gratitudinis, Patientiae, Fortitudinis, Candoris, Humanitatis, Castitatis, Pudoris, Temperantiae, Moderati Linguae vsus, Comitatis & ceterarum. Ex quibus omnibus videre licet, quantum intersit, vtrum eius edatur vita, qui priuatim semper egit: an verò, cui vel in Ecclesia, vel in Politia publicum munus imposuit Deus. Priorum nonnulli ita se gesserunt & gerunt, vt illorum Actiones sint dignae, quae ab multis noscantur: posteriores verò tales, vt quidquid ferè ab iis actum, sciri sit necesse: vel ad imitandum, si bonum, si retectum, si aequitati honestisque moribus consentaneum: vel ad fugiendum, si secus. Operatur Deus aliter in Priuatis, aliter in Publicis, quorum Acta pertinere vult ad omnes. Et vtinam plura eiusmodi scripta in lucem prodirent, maiora certè videremus diuinae in Ecclesiam Benignitatis indicia, quae tamen nusquam non conspicimus maxima. Ad vos autem mitto, viri Christianissimi, qui vester, qui apud vos natus, qui vobis, quum summè periclitabamini Dux fuit & Pastor, cuius operam fecit claram & illustrem magnus ille Pastor in Ecclesia reformanda, & ab omni humana faece purganda. Vos boni consulite, Deòque precibus vestris obferte eum, qui mittitur, & qui mittit. Valete.

Lugduni Batauorum Eid. Decembr.

cIↃ. IↃ. x civ. (f. 4.)

FRANCISCI JUNII VITA.

Miserationes Domini narrabo, quum rationes narrabo miserae vitae meae, vt glorificetur Dominus in me, qui fecit me. Tu autem, Domine, aperi labia mea, vt os meum annunciet laudem tuam: dirige spiritum meum, vt hîc & in tota vita mea testatam faciam fidem & veritatem tuam. De me dicam, Domine, coram te; ac potius de te dicam, Domine, agente in me, & enunciabo veritatem, quam singulari gubernatione tua voluisti explicatam in me pro misericordia infinita tua, vt & amici rogantes videant, & liberi quos dedisti mihi recordentur praestitam illam erga me veritatem tuam, & omnes pij implorantes illam misericordiam tuam, qua affecisti me, deducantur mecum in adyta veritatis tuae. Pertexam inde à maioribus ortum vitae meae: & ad stamen vsque praesentis horae continuabo tramam illius, te vidente qui omnia vides, vt singulare apud filios tuos exstet à me benignitatis & gloriae tuae argumentum.

Auus mihi fuit Guilhelmus Ioannis F. Guilhelmi N. Dominus Boffardineriae ad Vxellodunum (Issoldunum Sigebertus vocat, quemadmodum & vulgus) qui in custodia & equili Christianissimi Francorum Regis Ludouici xii. ministrauit, & bello Nauarreno ante annos lxxxi. nauiter operam dedit, quum Ferdinandus Hispaniae Rex, fretus anathemate publici illius incendiarij Iulij II. Pontificis ereptam Ioanni Albretano ditionem Nauarricam bona ex parte occupasset: quorum officiorum nomine collatus à Rege in avum familiámque ipsius nobilitatis honor. Auitae autem expeditionis illius puer adhuc monimenta vidi, posita in summo Vxellodunensi templo (quod S. Cyri nominant) donaria. Tres huic fuerunt filij, & filiae duae. Filiorum natu maximus, Ioannes, vitae militari, quam non feliciter admodum exercuit: secundus, Franciscus, Ecclesiasticae: tertius, Dionysius litterarum studiis politiaeque dicatus est: quemadmodum per illud tempus in amplis familiis maiores filiis suis plurimûm solebant consulere. Dionysius mihi pater fuit: qui per celebreis Galliae Academias, Biturigibus, Pictauij, Tholosae Iuris studio operam dabat, libenter quidem, sed indiligenter tamen, aliena culpa. Nam vt homo erat inuictus animo, corpore firmus, manu promptissimus, vix vlla erat inter iuuenes controuersia, quò non raperetur imprudens, aut etiam inuitus; quum modò hi, modò illi socium illum sibi ad suas pugnas adiungerent: qua de iniuria saepe grauitérque audiui querentem patrem. Hinc ab auo solennis litterarum, quas Dionysio filio mittebat, & salsa inscriptio, *Dionysio dilecto filio*, *misso ad studendum*, pro eo, quod alij vulgo inscribunt, *studenti.* Tandem Licentiae (vt vocant) gradum Tholosae adeptus pater, vbi reuertisset domum, ad ciuileis honores imprudens, sed prouidentia Dei mirificentissima traductus est.

Occasionem

Occasionem rei narrabo, prouidentiae diuinae testem, quae patrem hac occasione afflixit pariter, & commendauit maximè.

Est Vxelloduni (hoc nomen secundarij apud Biturigas opidi vino lanitióque celebris) in suburbio coenobium Franciscanorum: cui pater Gardianus (vt appellatur vulgò) praeerat quidam frater Tossanus, vir impurissimi oris & corporis, & ad omne flagitium paratissimus. Iste autem de Nauarrena Regina Margarita, sorore Francisci primi Regis (quae dux erat quoque Biturigum) palam concionari non dubitauerat, Lutheranam eam esse, dignam quae obuoluta sacco in profluentem iaceretur, & alia id genus. Haec quum diutius Gardianus iste, quamuis monitus, pergeret pronunciare, non potuit magistratus loci bona fide dissimulare factum. Quaestio habetur: audiuntur testes: ad Regem perscribitur. Hîc Rex indignari: hominem ad supplicium, cui sororem addixerat, planè deposcere: rescribere Magistratui, vt comprehendatur & quamprimùm adducatur ad se. Regina pro sua clementia intercessit, suppliciúmque lenius in hominem pessimè de se meritum statui procurauit. Sed qui eum de regno illo claustrali auderet ad Regem rapere, praesertim opidana plebe furenter monachi insaniam approbante, non inueniebatur quisquam. Saepius itaque frustra appellato per stipatores Regios & diplomata grauia Magistratu; pater (qui fortè sub illud tempus aderat nouus è scholis aduena, nec rudis armorum, nec rerum ante à se gestarum immemor) stipatoribus confidenter spondet se rem certò effecturum, si decretum Regis nominatim mittatur ad se. Quod vbi relatum est, fit in eam sententiam perscriptio: Vxellodunum mittitur: in Coenobium venitur: Franciscanus ille comprehenditur, & vix extra plebis insanae manus, tumultus & lapidationem importunissimè excitantis, abducitur, vt biennium remigio daret in mari mediterraneo ex decreto Regis.

Atque haec quidem prima fuit actio, quae in gratiam Regis, sororísque Reginae insinuauit patrem; sed apud illam inconsultam plebeculam & Franciscanorum ordinem odia perpetua conciliauit; indignissimásque calumnias, minas, criminationes, persecutiones, damna, cruentam denique caedem patri apportauit: felicius certè vtiliusque politicos honores gesturo & remp. administraturo, si post tam forte ausum, honesta & cauta migratione (quam saepe fieri Nauarrena Regina & nonnulli proceres cupiuerunt, vt alibi reip. inseruiret pater) sibi prospexisset.

Vxorem duxit Iacobam Hugaldam: honesta familia, virginem honestissimam, compositissimo ad pacem ingenio foeminam: ex qua liberos nouenos sustulit, filios quatuor & filias quinque. Duas quum sustulisset filias, fructum audacis illius facti percepit iniucundissimum: nam & Franciscanorum arte, & plebis imprudentia odióque maximo pressus est sub religionis specie & Lutheranismi (vt tum vocabant) accusatus, subornata ad eam rem ancilla, quae domi seruiuerat. Ea patrem à se visum, quum diebus vetitis carnes ederet, pro testimonio dicebat falso; vt matrem saepe audiui confirmantem. Quo nomine profugit pater, ne ex carcere caussam dicere, omnibus adeò infestis, cogeretur; & à Regina illa Nauarrena ad annum ferè sustentatus est. Interea in bona paterna inuolant: praesertim ex agnatis quidam, specie pecuniolae, quam fugienti suppeditauerant; rem faciunt diligentissimè, anteuertentes fiscum, magno suo, nullo patris commodo. (f. 6.) Dum abest exacto biennio, à mari Franciscanus redit: summa acclamatione & applausu ordinis & plebis excipitur: & prae foribus paternae domus accurritur: affligitur afflicta mater, grauidáque; praesertim quum in aures illius certatim clamarent multi, *Rediit sanctus ille vir*, *rediit: diabolus sceleratos*, *qui contra ibant*, *exportauit:* & id genus alia. Accedebat alterum incommodum, quod vrgebat matrem non mediocriter. Nam profugus pater clam ad matrem semel redierat: hinc grauida facta mater proscindebatur à vulgo, tamquam

tamquam si prostituta fuisset pudicitia illius. Vtroque hoc incommodo sanctae illius foeminae animus oppugnabatur, obiicientibus malignè quam plurimis tum Franciscani illius reuersionem, tum grauiditatem (vt aiebant) impudicam matris.

Tandem filium enixa est Februario mense, cui nomen Ioannis impositum; quo tempore interuentu Reginae illius Nauarrenae apud Franciscum primum Regem procurabantur res patris. Liberatus ab accusatione pater auctoritate Regis, patrium solum repetit, atque immigrat in Biturigum metropolin, vbi cum laude ad exitum vsque vitae Consiliarij Regij & pro Tribuno militum honoribus à Rege collatis defunctus est: praeter alia commoda honoraria, quae à Regina sorore illius & Biturigum Duce acceperat.

His parentibus genitus, in illa celebri Biturigum vrbe primùm in hanc lucem veni, ipsis Kalendis Maiis, sub horam septimam vespertinam, anno cIↃ. IↃ. XLV. aegra matre aeger partus, de cuius vita vel ad horae spatium spes nulla esse videbatur. Itaque statim ac tumultuariè de baptismo infantis (vt opinio erat) moribundi actum. Repentè σύντεκνοι (quos vulgò dicunt Compatres) qui me ad sacrum baptisma sisterent, aduocantur duo; Franciscus Albaspineus, qui pro singulari in meos parentes amicitia id sibi depoposcerat iamdiu, & Franciscus Behaldus Chantillius: quorum alter vitam suam traduxit in amplissimis Regni Gallici honoribus, donec moerore post illam infamem lanienam anni cIↃ. IↃ. LXXII. exstinctus est, vt alij boni quamplurimi: alter in otio & quiete honestissima apud nostrates vitam vixit iucundissimam. His ego testibus sponsoribúsque fui in aede, quam S. Medardi vocant, eodem vespere baptizatus.

Prouehentem me puerulum vari plurimùm afflixerunt: qui quum me tertia vice tam grauiter infestassent, vt perdiu nec aures, nec oculi officium facerent, omniúmque rerum fastidium ex diuturno cubatu mihi attulissent, tum intempestiuè praeposteram erga me damnosámque misericordiam exercuerunt ancillulae. Durantibus enim adhuc exanthematis, me in caelum liberius exportarunt: quo factum est, vt repressis & repercussis aëre frigefaciente varis, defluxus gravis in sinistrum pedem incumberet. Ex eo defluxu malignum vicus enatum media tibia vix semianni spatio curatum est: & postmodum reliquo vitae curriculo, si quod me inuasit malum, id in eundem plerumque pedem exundauit.

Elementa coepi discere, vt primùm excessi quinquennium blandissimè docente patre, quoties vacabat reuerso peregrè, vt infirmitati meae consuleret, nam eram admodum valetudinarius. Sexennis coepi scribere, & inclinationes naturae meae ingeniíque modum plurimùm ostendere. Inerat mihi à natura iucunditas festiua quaedam, cuius dictis puer saepenumeró recreabam patrem ab occupationibus seriis abludentem: sed hanc educatio, occupationum moles, conversatio & studia retuderunt planè, adeò vt, si quid nunc à me festiuum proficisci oporteat, ipse mihi videar indignè repuerascere. Inerat incredibilis honoris appetentia: animus ad iracundiam praeceps: iudicium pro illa aetate graue; quod interdum ferens iniquè mater per ludum obiiciebat, me sapientem Socratem alterum esse velle: voracitas nimia, credenti (quod famuli nonnumquam persuadebant) ingesto cibo curatum iri infirmitatem corporis mei: pudor summus, qui me ad hanc vsque aetatem sic pressit, vt rusticus magis ad omnia, quàm vrbanus meritò haberi possim. Nam & publicis & priuatis in rebus, etiam iis qae inter familiareis exerceri solent familiarissimè, pudor ille meus aequè mihi atque aliis molestus est; méq. ab officiis praestandis non raró deterret, qui ad ea praestanda solet acuere. Hoc immoderato pudore ita sum affectus puer, vt numquam vel erga matrem familiaris esse potuerim, quin pudentiore quadam reuerentia semper eam compellarem. Quod indignata mater, postquam saepius prolatis fratrum

& sororum

& sororum exemplis curare voluisset frustra, tandem eò adducta est, vt se à me non amari aliquandiu crediderit, donec postremo congressu meo (qui fuit anno CIↃ. IↃ. LXVII) ita esse animaduertit naturam meam, & infirmitatem istam meam (cuius me tam pudet, quàm alium quemquam) excusauit condemnauítque. Quid dicam? nisi impudentem fermè pudorem esse, qui me tantopere impeditum distinet, ut vix sine pudore uxori res vulgareis enunciem, vix iam domi seruitio imperem. Ex pudore haec consequuta sunt inde à puero, quòd mihi semper sim diffisus; quòd aliorum factis audiendis, sermonibus obseruandis, & aduertendis in vsum meum studuerim; plus in audiendis aliis fructus perceperim quàm in dicendo aliis attulerim; tardus ad loquendum certo consilio, nisi me inconsulta abriperet animi perturbatio; denique licet honoris appetens, aliis tamen semper & libente animo primas honoris in dicendo aut rebus gerendis concesserim: quae res ad peritiam quantum mihi praebuerit adiumenti, iudicari per alios malim, quàm ineptè à me praedicari. Hoc autem eo libentius praedico de infirmitate mea, vt iuuentus ab exemplo meo praeceptum hauriat ταπεινοφροσύνης atque modestiae, vt certum fructum peritiae certo iudicio assequatur. Id enim testor, nihil mihi secundum benedictionem Dei tam commodauisse in rebus omnibus, quàm illam de me ipso diffidentiam ex conscientia infirmitatis & pudoris mei, & studiosam aliorum, quibuscunque adfui, obseruantiam. Praeceptoribus vsus sum cùm in litterario ludo communibus, tum priuatis semper domi & singularibus, donec annum aetatis duodecimum excessissem, quo tempore lectionibus publicis incepi dare operam. In ludo litterario hi praeceptores mihi fuerunt plurimúm, quibus gratiam referri aequum est à disciplo non ingrato, Ioannes (f. 7.) Popardinus, Ioannes Morellus, & Henricus Pampulfurius natione Germanus, vir singulari humanitate, & gratia in docendo maxima, domi, Petrus Galerandus, Dionysius Burgensis, quem pòst Canonicum factum fuisse audio, & Petrus Barba, qui commendatione patris, post quam à nobis discessisset, Aduoctus Regius apud Molinnas Borboniorum effectus est. His praeceptoribus aliísque ego & frater natu maior cui nomen Ioanni, fuimus instituti: felicitérque beneficio Dei ad litterarum studia prouectus sum, cùm fidem in docendo praestantibus illis tum natura me puerum ad honoris & laudis appetentiam plus satis accedente. Sic enim mala radix illa τ' φιλοτιμίας in me germinabat, vt nec alienam laudem ista aetate aequo animo ferre possem miser, nec in mea existimatione illa conquiescere, quam mihi conciliabam pertinacissima diligentia. Atque his malis seminibus Deus prouidentissimè ad bonum vsus est, misertus mei. Accedebant ad communia illa domi forisque studia frequentes admodùm à patre grauissimo & summi iudicij viro, occupationes, quibus me ad rerum humanarum peritiam cum studiorum cultu coniungendam, tenella adhuc aetate informabat. Nam quotiescunque me contingebat vacare à studiis, operam meam in reis audiendis, quaestionibus perscribendis, formandis capitalibus sententiis, consiliis coram cognoscendis, & obseruando rerum cùm aliarum omnium, tum verò capitalium ordine adhibebat: & me in arcanis actionibus scriba vtebatur, nequid emanaret foras. Ego verò fidem & diligentiam meam in studiis rebúsque procurandis laetabar maximè probari patri: & ab aliis viris magnis quum audirem commendari, assentabar ipse mihi, & ad maiora in dies contendebam vehementissimè, Sed huic instituto meorum studiorum cursui duo impedimenta aduersata sunt maximè: hinc durissima praeceptorum quorumdam iniquiorum in me acerbitas, illinc spes amplissimorum honorum in Gallia consequendorum plus satis ostensa. Etenim ambitiosos illos innatos in me igniculos sic ante oculos multorum excitatos adaugebat procerum aliquot opinio, qui per illud tempus in regno Galliae poterant gratia & auctoritate plurimùm. Hi enim apud patrem instabant saepenumerò, vt me rebus maioribus addiceret, atque ad eas aetate ista sineret praeformari. In iis principes erant tres fratres

Albaspinei

Albaspinei, familiae nostrae amantissimi, & cum parentibus meis coniunctissimi: qui honorum amplissimorum spem ostentabant & faciebant certam, si consilio ipsorum importunissimo acquieuisset pater. Semel paratus fui illis auctoribus, vt in Germaniam venirem puer, sermonis addiscendi caussa: semel in Rhoetiam: bis accinctus, vt Constantinopolim proficiscerer, & in honorario Legati Regij comitatu agerem, qua de re saepius interpellauit patrem: saepius admonitus, vt in aulicum ministerium aliquod aut in rationes regni discendas & cognoscendas me darem, & Cameram (prout appellatur vulgò) auratam, quae Lutetiae est, frequentàrem. Inter caetera consiliorum istorum argumenta memini hoc aliquando à Francisco Albaspineo me audiente, adduci, quod vulgò in Gallia dici solet, *viam scholae esse longissimam*: quem sermonem ille sic interpretabatur, vt alias artes, scientias, occupationes omnes breui spatio disci & teneri posse à iuuentute ostenderet: in studiis verò plurimos antè consenescere, aut etiam immori quàm fructum aliquem optatum studiorum aut ipsi caperent, aut in alios (vt par est) transfunderent. Hic verò pater nutare, assentiri, dissentiri, magnorúmque virorum auctoritati, consiliis, promissis modò cedere, modò renuere: donec tandem, explorato naturali pudore meo & rusticiore illo ingenio simplicitatem colente, vitámque aulicam & politicas strophas auersante, constituit planè faciendum, ne ab illo instituto meorum studiorum cursu (qui perplacebat ipsi) abducerer. Sed quantum me istae res ad curanda magis prouehendaque studia, contrà quàm putabant illi, invitarent sollicitaréntque, est incredibile. Etenim honestam vitam cum otio negotiorum illorum molibus anteponi ducebam oportere, conscius naturae & infirmitatis meae. Natura simplicitatem amabat, fucum & fallaciam oderat quae res in omnibus fermè humanis consiliis, quibus interfui, ingratum me atque inuisum reddidit; quum, abiecta omni προσωποληψία, παῤῥησίαν simplicem statuerem esse fidei meae in consiliis testem oportere. Infirmitas verò pudore illo quem antè dixi, constricta, à Sole aulico sibi iam tum, vt cùm maximè, metuebat. Atque hoc consilium meum adiuuabat vehementissimè patris (quem reuerebar plurimùm) auctoritas. Nam ex quo statutum habuit de me in studiis inceptis fouendo, & auocamentis omnibus, vtcumque ampla & speciosa essent, negligendis: non destitit (dum domi erat) me & maiorem fratrem monitis grauissimis, rationibus, exemplis, auctoritate, minis ad capessenda studia diligentissimè adhortari. Solebat ille acumbens ad mensam pro re nata adstantes nos officij commonefacere: praesertim si quid contra ius rationèmque in administratione publica commissum animaduerteret, cuius nos capaces arbitraretur fore. Docebat prophetico fermè (vt nunc mihi quidem videtur) spiritu Galliam injustitia confertam esse: non posse eos, qui jus & aequitatem bona conscientia cupiunt colere, in Gallia deinceps honores capessere; vniuersalem esse quandam pestem atque (vt ille indignans loquebatur) phthiriasin foedissimam, qua regnum consumatur: fieri non posse, quin grauissima acerbissimaque Dei flagella superueniant. Quapropter non esse, cur aut nobis confideremus à bonorum copia, quam nobis paraturus esset in ea regione, cuius horendas calamitates animo praeuidebat; nec esse, cur de ineundis in ea honoribus cogitaremus: à quibus, si bonitatem conscientiae integrae seruatam cuperemus, fugere me & fratrem quàm longissimè oporteret: Monere se, vt rationem planè diuersam ineamus: haereditatem scientiae vt comparemus, nobis videndum esse: quae firma futura sit, & certissima honestissimáqúe vitae nostrae dux & magistra: hac haereditate instructos quocunque libuerit, nos liberè ac sine impedimento profecturos esse: si qua apud Principem vllum aut rempub. conditio non placebit nobis, facilem nobis atque expeditum (f. 8.) aliò receptum fore, peregrinante nobiscum haereditate nostra, cum honore & gratia apud omnes bonos. De his rebus grauiter disserentem patrem vix vnquam sine lacrymis audiebam: ita me vehementer

afficiebat

afficiebat rei argumentum, & dicentis auctoritas. Atque haec quidem omnia ad studia litterarum stimulabant valdè animum meum, honesti otij & tranquillitatis amantem quam proponebat pater. Sed me in diuersum paenè retrahebat incredibilis quorundam praeceptorum durities & insolens carnificina (quorum nominibus parco) méque à studiorum deterrebat instituto. Id enim persaepe vno & eodem die frangebat animum meum, litterarúmque amorem minuebat; quum meum immerentis corpus conscindi flagris septies aut octies in dies singulos, contundi baculis, & nudum in terra distrahi Scythico more, indignarer. Quoties coactum mendaciter confiteri factum, cuius mihi ne in mentem quidem venerat, poenas mendacij me oportuit luere, dicente, & vere tum dicente Orbilio, à se non eò me caedi, quòd fecissem, sed quòd mentitus essem; Quoties figurae argumentorum in Dialectica Trapezuntij positae, fuerunt tyrannicae illius impotentiae argumenta: Si B erat, indicabat me in mensa plus satis bibisse; in schola batuisse, id est cum altero sodali pugnauisse: si C, me clamores excitauisse: si D, me hoc aut illud dixisse: ita insanae stultitiae hominis poenas dare oportebat simplicitatem meam. Innumera in hunc modum fuerunt commenta, quibus dies & noctes miserum corpus meum fiebat ludus & pila homini, corpus suum exercitanti in meo corpore, & animum pascenti indignissimè malo meo. Haec fratris mei ingenium adeò fregerunt, vt semel extra se raptus sit miserrimè; postea in vniuersum studiis renunciauerit. Haec eadem transversum quoque me abripuissent, nisi certa Dei reuerentia inhibuisset me, & patris, cuius afficiebat me maximè auctoritas. Eluctabar itaque per Dei gratiam durissima illa certamina, quanta vix vlli puero memoria nostra crediderim oblata esse; & constanter dissimulans dolorem meum, ne matri quidem indulgentissimae aut amantissimae sorori aperiebam verbo aut significatione vlla. Videant parentes, quorum fidei committant liberos: videant praeceptores, quo studio, qua arte, qua aequitate & moderatione animi iuuentutem sibi creditam informent: equidem nunquam tot periculis circumsideri pueritiam tenerámque aetatem illam pvtauissem, nisi me imprudentem atque immerentem exercuissent saeuissimè.

Agens tertium & decimum aetatis annum, me ad degustandam iuris scientiam contuli, quum vindemialibus feriis Hugo Donellus studiosae iuventutis caussa ex Institutionibus Iustinianeis titulum de actionibus interpretandum suscepisset: quem ante paucos annos in lucem edidit. Non displicebat studium; vt qui ex priuatis scholis nihil aut perparum fructus ad me sentirem peruenire; ad illius autem studij aditum eo mihi faciliorem patere viam, quòd domesticam exercitationem & προγύμνασμα quoddam annos ampliùs quinque à patre in politicis capitalibúsque caussis consequutus essem. Itaque biennium fermè in eo studio comsumpsi, quum in Academia docerent Franciscus Duarenus, Hugo Donellus, & huius ἐφάμιλλος Antonius Concius, Ludouicus Russardus, & i ij magni in sua professione viri.

Tandem apud me cogitari coepi, quàm multa adhuc me in litterarum humaniorum, linguarum, & historiae maximè cognitione deficerent: quas res cùm ad veram iuris, tum ad aliorum quoque studiorum intelligentiam videbam pertinere. Reputante me ista, ecce nouus nuncius ad patrem Lugduno, de noua Legatione à Rege Constantinopolin ad Turcam profectura: opus esse, vt quam primùm Lugduni adsim, cum Legato mei amante profecturus. Instabat maximè literis vir doctus, patris necessitudine, Legato familiaritate summa coniunctissimus, Bartholemaeus Anulus qui tum vrbis Gymnasio praeerat. Tum de sententia patris Lugdunum peto; seriùs tamen Legati illius, & Anuli, & patris expectatione: iam nempe iter in Italiam fecerat. Itaque Lugduni iubeor subsistere, dum se aliqua iusta commoditas ad profectionem offerat. Is autem mihi liber secessus fuit ad quaedam studia opportunissimus, & iucunda commoratio;

ratio; vbi & librorum copia abundabam & varia illa studia, quorum desiderio flagrabat animus, citra impedimentum excolebam. Ibi quum ad variam multiplicémq. lectionem insaturabili animo attenderem, optimè sanè atque témpestiué (quod dictum adolescentiae volo) eruditus ille vir obseruato ingenio meo consuluit mihi de studiorum meorum tota ratione, dicens videre se quàm multas & varias lectiones instituerem sine modo & sine fine: expertum se magno malo suo, mihi auctorem esse, vt id ne facerem: nòn nempe iuuari hoc pacto, sed perturbari studia, & ingenia obrui: id mihi potius curandum esse, vt certum aliquem studiorum meorum scopum ante oculos ponerem ipse mihi, in quem vnicè & semper collimarem; cùm omnibus simul studiis nec vita, nec mens humana queat sufficere: alia verò studia & alterius argumenti libros sic tractarem, vt ancillaturos mihi ad scopum meum contendenti. Hoc ego documentum reipsa comperi in tota vita perutile. Sed in his tamen principiis duo grauissimi periculosissimiq. scopuli offenderunt adolescentiam meám: quorum altero perualdè exercitatus sum, altero penè oppressus. Nam (vt maxima est illius vrbis & incredibilis plane licentia) faeminae & puellae aliquot, τῇ ἀναιδεία litantes, ruebant certatim in me, vt meam aetatem corrumperent:ídq.eorum ipsorum consilio, à quibus mihi optimè consultum iri confidebat pater. In horum numero facilè princeps quidam nihil dissimulans, impudenter obiurgabat me quotidie, affirmans nunquam me comem aut vrbanum fore, donec operam dare coepissem (vt aiebat ille) amoribus, & multis sermonibus, artibúsque in perditionem animam meam sollicitans. Itaque dies & noctes appetebant canes illae promiscuè, nescium quid sibi vellent, & grauitatis honestatísque illius, quam in domo paterna videram, subinde recordantem. Neque id seorsim tentabant singulae, verumetiam ternae aut quaternae simul consertis manibus in me irruebant immodestissimè, vt perducto ad suam impuritatem animo meo de spoliis pudoris mei triumpharent. Tandem verò adeò me puduit illarum impudentiae, vt quum vna multis spectantibus me amatoriè esset adorsa palpo, ego contrà colaphum grauem ei impegerim:quem illa addubitans vtram in par(f. 9.)tem acciperet, defixis oculis attenta respexit ad me, aliquantisper obseruans aliquam mei animi significationem: vt autem rem seriam à me esse vidit, tum illa vociferationibus & eiulatib. impleuit domum, omniúmque risum imprudens in sese, stultorum odia in me concitauit. Atque hae quidem tentationes crebrae ita me exercuerunt, vt de me clanculum subducendo insalutatis hospitibus persaepe cogitauerim, & recipiendo in paternam domum. Sed aliae ex aduerso me cogitationes inuitum detinebant: praesertim quòd reputatis & subductis cum animo meo rationibus fore statuerem, vt illi ipsi hospites (qui gratia apud patrem, vnus etiam auctoritate valebat plurimùm) malefacta sua mille artibus excusantes adducerent me in odium patris, qui illorum iudicio magis esset crediturus quàm aetati meae, aut alieniorem certé animum ipsius efficerent. Inuictus ab ista peste adolescentiae per Dei gratiam, alteri malo succubui planè, atque in eo iacui, donec misertus est mei optimus ille caelestis Pater, qui me elegit in Christo ab aeterno secundum beneplacitum voluntatis suae. Illud malum est ἀθεότης, malum grauissimum, in cuius consensionem & approbationem sensim perductus sum aliena audacia, & imprudentia mea. Memini, quum libros M. Tullij de legibus per illud tempus, auctore & suasore Anulo (de quo antè dixi) expenderem, & notas quasdam in eos animaduersionésque colligerem, venire hominem ad me, & illa Epicuri verba quae libro primo exstant, nihil curare Deum nec sui, nec alieni, multis quam diligentissimè confirmare: ad quae ego non ratione iudicióque certo respondebam: sed assensionem paulatim adhibéns, sentiebam venenum serpens, quod imbiberam, confirmari in me: & cum auctoritate hominis, tum argutiis dictorum eius praeceps eó deferebar, vt meus animus in isto malo haerens occallesceret, totúsque fieret ἀναισθητός. Recordatus

es,

es, Domine Deus mi, serui tui, & pereuntem miserè facto meo, servasti gratiosé misericordia tua. Ista horribili impietate constrata erat quotidie mensa, personabat domus, circumstrepebant omnia aureis meas, adeò vt iamque ad alia omnia obsurdescerem. Nam quum omnibus horis aliquid atrociter fieri videmus, aut audimus, (inquit Tullius) etiam qui natura mitissimi sumus, assiduitate molestiarum sensum omnem humanitatis ex animis amittimus: quum impiè fieri aut dici, pietatis sensum. Ex isto autem immani perditionis barathro mirificè me eripuit Deus, postquam amplius annum his perditissimis luxuriassem deliciis. Nam quum excitato Lugduni tumultu ad S. Nicasij, die festo (vocant) corporis Domini siue Sacramenti, strages passim atque promiscua in altervrbis parte, quae interfluenta Rhodani Ararissita est, ederentur: coepit furibunda plebs hos illos etiam domo rapere, & domum ipsam in qua tum agebam circumsidere arctissimè, commota Sacrificuli ποπανοφόρου verbis: qui praedicabat falsò, e domo eadem exiuisse hominem qui vim ipsi attulerat, & Sacramenti sui delubrum effregerat. Tegebat autem sacrificus hac defensione imprudentiam suam: id enim ipse fecerat, quum attonitus eorum numeris qui ex tumultu alibi coepto obuiam accurrebant ad arma, eósque inimicos ratus, se in domum quam primam apertam vidit proripuisset, suúmque delubrum vel sacrarium, quod gestabat manibus, ad portam domus impetu magno allusisset. Atque hoc mendacium multis permagno constitit: B. Anulo érepta vita, & aliis aliquot: Anuli vxor parum abfuit quin à plebe in Ararim proiiceretur, nisi interuentu Catharini Ioannis Praefecti & Angariorum equorum epistatae liberata fuisset abductáque in carcerem: domus nostra armatis circumclusa, & pressa, tamquam in hostico. Prospectans quidam è muro molitor minatur mihi:me à se notum praedicat: non effugiturum è suis manibus pronunciat: de summo pariete cui instabat contatur hastâ, vtrùm commodè in aream cum hastae suae fulmento insilire posset: ita exarserat in me, vt exspectare non posset dum ad se apportarentur scalae. Ego, qui iam ter antica & postica porta fueram conatus effugere, vt vidi insanum hominem in me cogitare infestum irruere, adeo ad anticam portam, quam tum furiosi illi minimè obseruabant, confidentes armatorum ordinibus, qui totius illius vici (novum appellant) latera tegebant confertissimi: eáque porta effugio: per medios numeros armatorum currens, verberatus, pulsus, ex priuatis aliquot aedibus, ex curia eiectus, tandem trans Ararim venio in alteram partem oppidi, vbi silebant omnia, tumultu vacua atque clamoribus. Aberat tum ab vrbe vir optimus Leonardus Pornasus Piemantae Dominus, ad quem certis de causis recipere me consilium erat. Qui gerebat negotia illius dubitans, re cognita, vtrum ipsis aut mihi statio illa per illud tempus tuta futura esset, commodato me pallio instruit: ad Curionem S.Irenaei, honestum & humanum virum, me deduci curat:vbi me iubet ad horam vnam aut alteram subsistere:inde extra oppidum abducor à quodam paedagogo, cui Georgio Colino nomen & circumspicio vtrum ex amicis quemquam ruri inuenturus essem. Postquam verò ieiunus plus satis oberrassem frustrà, in aedes rustici cuiusdam venio, non procul ab insula quae in Arari supra Lugdunum est: cibarii aliquid peto opponi nobis:rusticus ille excipit humanissimè. Hîc(ô sapientiam Dei admirabilem) optimam scholam Christianitatis Dominus meus mihi parauerat. Rogat rusticus, quid rerum agatur Lugduni:narramus. caussam sciscitatur istorum motuum: religionem dicimus, quaestiones de religione & controuersias. Ille tum animo attentissimo percunctatur de nobis, atque examinat, quid dicant ad haec Pontificij, quid Hugonoti regerant. Ad singula respondebam vtcunque poteram: prout sciebam ex aliis, non ex animo sentiebam. Sic effecit Deus admirabiliter, vt bonus rusticus sanctissimum zelum, quem habebat, operante Domino, mihi quasi instillaret: ego verò malus Christianus, siquidem Christianus, ei scientia praelucerem. Vna & eadem hora suam gratiam in vtroque

vtroque explicauit & ostendit Deus: à me scientiam rustico, ab illo zeli semina quaedam mihi ingenerans. Ita mutati in melius alter ab altero aliquo pacto discessimus. Etsi ne eo quidem ipso tempore in me sic praeualuit zelus, vt multum proficere aut praestare in religionis causa adhuc cogitarem: sed haerebat tamen in mente fixa mirabilis rustici illius recordatio & visa pietas illius me ab impietate diu hausta persaepe reuocabat, donec reuerso ad parentes domum Deus occasionem nouam (f. 10.) obtulisset. Lugdunum reuersus eo ipso die res meas recipio quascunque manus furum integras mihi reliquerant: & salutatis amicis, post aliquot hebdomadas, rebúsque conuasatis reuenio domum. Euenerat autem, idque mirifica Dei prouidentia, vt ante menses aliquot pater regia auctoritate compulsus nobiles quosdam viros ex Burgundici Ducatus agro comprehensos Lutetiam deduceret: ex quibus, prout sermones vltro citroque in expeditione illa habebantur, pater cognouerat illorum ἀθεότητα deploratissimam, quibus adolescentiam meam commiserat: quae res sollicitum eum efficiebat & cruciabat plurimùm. Laborabat enim maximè de ratione certa, qua & me ex pestilente illo consortio honestè eximeret, & animum meum à mortifero illorum veneno, si quid fortè infudissent illi artificio suo, liberaret. Prius ergo postquam Dominus praestitisset, méque reduxisset domum; dabat pater operam, si qua ratione obtineri posset, vt tum mentem meam in pietatis & religionis causa ac sensum cognosceret, tum curaret, leniter & imprudente me, siquid haesisset mihi de ista lue perniciosissima. Visitabat libros, studia recognoscebat, consortia obseruabat: aliorum quos mihi familiares putabat fore, operam adhibebat, vt de meo sensu per illos fieret certior, cùm praesertim cerneret me natiuo illo pudore detineri, ne quid praesente aut audiente ipso liberiùs dicerem. Tandem eò deuenit, vt me ad παῤῥησίαν aliquam prouocaret vltrò. Ducebat me iam ea aetate esse, qua de isto pudore inurbano decidi aliquid oporteret: si qui in mensa sermones habebantur, tempus esse vt interdum aliquid de meis studiis & obseruationibus modestè conferrem in medium, neque ad omnia obmutescerem: si fecero, ipsi & aliis de studiorum meorum profectu constiturum, & me habitum meliorem in dies mihi ad iustum illorum studiorum vsum actionésque, in quibus laus virtutis consistit, paraturum. Crebris & amantissimis monitis adductus confirmaui ipse me, vt interdum mensam paternam sermone aliquo, sed paucissimo, aspergerem. Breui assequutus est quod volebat pater: non enim diu continui me, quin specie inanis scientiae sermonem aliquem de foetidissima illa ἀθεότητος faece euomerem. Hîc verò, Deus bone, qua gratia, qua auctoritate inconsideratum meum sermonem repressit pater, non obiurgans aut inuehens in me, non de re disputans; sed piè, sanctè, doctè, lenitérque docens τὸ ἐπέχειν in iis rebus quae nondum satis mihi cognitae aut exploratae essent, & doctorum hominum iudicia antè audienda quàm prodendam temerè inscientiam; ita me grauiter compressit, vt ex eo tempore legem ἐποχῆς mihi fermè semper indixerim sermonibus iudicíisq. omnibus, donec rem cognouissem penitus. Demosthenem narrant, quum adolescens quidam inter pocula nugaretur multis & tacere nollet, dixisse percommodè, Heus tu adolescens, quomodo non didicisti ab eo tacere, à quo didicisti loqui? Vtrumque me optimè hoc pacto docebat pater. Sed iam alter illi & grauior restabat labor, vt grauissimum istud retectum in me & compertum curaret malum. De curatione cogitantem diligentissimè, aliud agente me, leuauit modo extraordinario Deus. Nam cùm eodem anno publicae conciones haberi coepissent in Gallia, accidit vt magnus ille Iurisconsultus Iacobus Cuiacius (ad cuius lectionem audiendam de more properaueram) die quodam praepeditus certis occupationibus à lectione ordinaria abstineret. Erat autem mihi è scholis redeunti domum faciendum iter ad aedes illas in quibus erat plurimum concio: ingressus concionem, perfunctoriè

 audio,

audio, nec inde proficio nihilum. Regredior domum, incertus quid agam, quid legam, quo studio occuper. In nouum Testamentum imprudens incido, quod pater legebat frequens, & in conclaue illud subiecerat oculis meis legendum (si fortè gratiam Deus hoc modo faceret) prudentissimè mentem suam de me & animum suum dissimulans, ex quo letalia impietatis illius semina, quae antè radices egerant in me, animaduerterat. Sciebat enim vir sapientissimus, non intrudi pietatem, sed instillari mentibus: non impingi, sed infundi: non imperari, sed doceri: non cogi, sed suaderi velle: ac propterea cum silentio & dissimulatione incredibili procurabat omneis vias quibus me ad verum castae religionis sensum & pium cultum adduceret. Hic ergo nouum illud testamentum diuinitus oblatum aperio: aliud agenti exhibet se mihi aspectu primo augustissimum illud caput Ioannis Euangelistae & Apostoli, In principio erat Verbum, &c. Lego partem capitis, & ita commoueor legens, vt repente diuinitatem argumenti, & scripti maiestatem auctoritatemque senserim longo interuallo omnibus eloquentiae humanae fluminibus praeeuntem. Horrebat corpus, stupebat animus, & totum illum diem sic afficiebar, vt qui essem, ipse mihi incertus viderer esse. Recordatus es mihi, Domine Deus mi, pro immensa misericordia tua, ouemque perditam in gregem tuum recepisti. Ex eo tempore, quum in me Deus tam potenter Spiritus sui virtute irruisset alia frigidiùs negligentiùs legere & tractare coepi: de his verò quae ad pietatem pertinent cogitare ampliùs, & ardentiùs in eis versari. Atque hoc quidem studium vt animaduertit pater non mediocrem ex eo voluptatem cepit: tantum de meo regressu ad pietatem sibi gratulatus, quantum ex discessu transfugiòque ad impietatem doluerat. Sed tamen vir bonus res humanas spirabat semper, & me ad eas adspirare in hoc meo literarum studio cupiebat. ostendi per amicos, quorum interuentu explorandae voluntati meae vtebatur pater, mihi animum esse ad linguarum & aliorum adiumentorum studia, antequàm me totum vlli studio grauiori transdarem. Placuit consilium: datur mihi à patre optio, vtrum Lutetiam Geneuámne proficiscerer: & in hac deliberatione aliquid temporis consumitur, illo rem iudicio meo permittente: me totum iudicium illi, vt debui, deferente. In vtramuis partem multi suasores mihi & hortatores aderant, quorum hi huius, illi autem illius stationis commoditates quàm diligentissimè praedicabant. Lutetiana commoratio duabus maximè de causis tum mihi commendata est: vna, quòd expedita ad notitiam, existimationem, & honores via munita mihi esse videretur: altera, quòd ibi essent frequentia literariae scientiae lumina, viri longè doctissimi, quorum auditione & consuetudine suauissima (fol. 11.) amplius excoli animus meus posset, quàm aut Geneuae aut alibi vsquam. In hoc consilio fermè erat princeps D. Ludouicus Russardus IC. quo vtebar familiarissimè. Commouebat me interdum, quum tam multa celeberrimorum virorum nomina recenseret, & ἐριστικοὺς ἀγῶνας, quibus tum feruebant literati Lutetiae, exponeret: Lutetiam esse τ' οἰκουμένης ἐπιτομήν, literatos illos & magnos viros esse illius sidera; eorum verò certamina esse perpetuos doctrinae reconditioris imbres, quibus iuuentus cum vtilitate summa imbuitur. Geneuensis commoratio ab aliis quidem laudabatur; sed nec ea arte, nec adeò frequentium commodorum & adiumentorum accumulatione locupletabantur sermones qui apud me de ea habebantur. Dum haec geruntur domi, patre cupiente cognoscere consilium meum, méque acquiescere voluntati patris; priuatis de causis repentè pater celeribus equis Lutetiam petit: postquam in mandatis dedisset matri, vt me sineret in vtramuis partem proficisci, prout animus futurus esset. Itaque ineunte Martio, commodum rebus meis comitatum nactus antè domo Geneuam quàm Lutetiam proficiscendi, annuente matre & probante, reliqui paternam domum, vt Geneuae linguas (quarum incredibili studio flagraueram inde à puero) discendi facultas esset. Discedenti mater non amplius fermè quàm viaticum dederat, propediem

diem futurum dicens, vt domum reuersus pater tantum ad me pecuniae transmitteret quantum ex vsu ipsi videretur. Vt autem primum Lugdunum veni, iam typis expressam offendi primam protestationem Principis Condensis foederatorumque illius arma conclamantium, & de iniusta vi armata caedibusque atrocissimis, quas Guisiana factio iamque patrauerat, conquerentium vehementissimè. Quae res aliquantisper ita me commouit, vt parum abfuerit quin ab instituta profectione illa retraheret. Perrexi tamen auctore & duce Domino, & die XVII. Martij veni Geneuam incolumis. De hospitio & victu quum mihi prospectum esset, libros in vniuersum quatuor mihi comparaui (plures enim tum non poteram, impeditus pecuniolae meae angustia) de aliis emendis insuper tum demum statui, quum regressus domum Lutetia pater iustam pecuniam ad me transmisisset. Hoc autem Deus ille opt. max. & sapientissimus pater ad meum commodum ordinauerat prouidentia infinita sua: qui in librorum copia fuissem euagaturus promiscuè, in copia autem pecuniae etiam librorum copiam sine iudicio certo procurassem: fecit autem pecuniae inopia, vt illis solum quatuor libris, ac non alio vllo, amplius annum vterer diligentissimè. Tum momento vno bellici furores Gallia tota inarserunt, occupatae vrbes, obsessa itinera, nuncij intercepti, patratae caedes, vastati agri, cruentata omnia. Quamobrem noui quidem rumores Geneuam quotidie adferebantur, sed paucissimi ex eis certi, pecunia planè nulla: ac ne mandata quidem à parentibus aut amicis vlla, quibus pecunia mihi curaretur. Hoc pacto me ad sinistram tentatio pergrauis, vrgens duris in rebus egestas, aggressa est, postquam dextrorsum tam variae tentationes, quas antè exposui, irruissent. Hanc egestatem meam duo imprudenti auxerunt incommoda: vnum, quòd intempestiuè illo tam calamitoso funestóque tempore ab honestis adolescentibus alijs quibuscum versabar, appellatus atque adductus sum, vt Heluetici tractus inuisendi causa me sibi comitem adiungerem, quum iam penè exhaustus essem: alterum, quòd pro ea amicitia quae mihi fraterna intercedebat cum Delphinate quodam, cui à S. Ferreolo nomen, optimo viro & pietate instructissimo, communicaui cum eo liberalissimè quicquid in aere fuit, donec coronatus vnus aut alter restitisset. Inuitus annui, et profectionem Helueticam suscepi: pudebat recusare, praesertim quum illi contubernales mei omnem operam, fidem, auxilium in rebus omnibus sponderent quam humanissimè. Hebdomadas q uasi tres in profectione illa suscepta consumpsimus: & Musculum, Hallerumque Bernae: Martyrem, Bullingerum, Gualterum Tiguri: Neocomi Farellum, alios alibi salutauimus, quo tempore de Turonum, Pictauiíque deditione, & obsidione ciuitatis meae nuncij adferebantur. Posteà ad hospitem nostrum desiderio summo reuersi sumus, pertaesi itineris & sumptuum, quos opinione maiores feceramus. Hîc quatuor illis lucernis meis, id est, libris illustro tenebras meas & solor egestatem meam, legens & expendens qua poteram diligentia: Biblia perlegi aliquoties: Institutionem Caluini consimiliter cum lectionibus & concionibus eiusdem aliquoties contuli: de Institutione excerpsi ad vsum meum secundò aduersaria, tertiò epitomen quamdam, quam post illud tempus D. Michaeli Nigro fideli seruo Dei (quem nunc in Heluetia agere audio) dono dedi a nobis discessuro. Confessionem Bezae, velut indicem ad Caluini opus frequenter adhibebam: in Grammaticam Hebraeam Ceuallerij meo Marte incumbebam, dum praeceptor defuit: tum enim aliud publicè docebat Ceuallerius. pòst verò priuatim Philippus Bignoneus, natione Aremoricus (qui nunc Rupellae viuit) cum aliis candidatis Hebraeae linguae me coepit instituere. Quaerens in his studiis fallere tempus, & deuorare taedium egestatis meae, calamitatis publicae, & priuatae sollicitudinis de parentibus familiáque vniuersa nostra, tandem eò deueni angustiae, vt mihi Octobri mense (qui tum frigidus admodum exstitit) nec vestium, nec pecuniae commodis instructo, in vniuerso aere nihil, praeterquam

praeterquam solidi septemdecim Geneuenses, fierent reliqui, & viderentur praeclusae omnes emergendi viae. Pudebat quemquam in illa inopia mea accersere: ignotos nunquam ausus fuissem pulsare ignotus: eos qui & noti & amici erant parentibus meis, adire taedebat magis, vel eo nomine quòd à nonnullis refugi animaduerterem congressum meum. Exeuntem enim è templo rogabat nonnunquam vnus aut alter, numquid de patre? aut à patre? Neganti ad me fuisse allatum quicquam, Rem miram, inquiebat ille, & in turbam se proripiebat, silente me, nec de rerum mearum difficultatibus per significationem vocis aut gestus, ne minimam quidem, conquerente. Vt ita vidi fieri saepius, & me frigore vehementissimo non posse durare sensi, vestitum lineo thorace solùm, & brevi pallio circumtectum, certum deliberatumque erat hebdomade proximè sequutura, omissis humanis illis (f. 12.) auxiliis (quae ex huiusmodi signis arbitrabar tacitè negata esse) alternos dies in egerenda terra ad fossam vrbis, & in studiis operam consumere Cleanthis exemplo, ut leuarem inopiam meam. Sed respiciens ad me & meam infirmitatem Deus prouidentissimè, ex improviso submisit curatorem fidelissimum vitae meae; cuius opera omnes rationes consiliáque mea in diuersum planè mutata sunt. Is fuit iuuenis optimus, cui Guilhelmo Burdoni nomen. Erat hic Burdo Biturix, ciuis meus, parentibus tenuissimis ortus, cuius mater iam olim vidua & onusta numerosa prole, in angiportu quodam secundúm paternam domum habitabat, vt & aliae aliquot; ad quas mater faemina religiosissima & humanissima, de quotidiano prandio solebat iuris aliquid, vel offae, panis, & carnium, prout res erant, missitare, tenuitatémq. viduarum istarum paruulorúmque subleuare commodis de domo. Sartoriam puer didicerat, & Geneuae quasi biennium operam suam ad opificium illud locauerat. Orto in Gallia ciuili bello, militiam iuuenis eodem anno petiuerat: quae quum ad Matisconem Burgundiae opidum Arari fluuio impositum: infeliciter ei successisset, ille se ex ea clade Geneuam iterum ad stationem pristinam receperat. Dum itaque cum animo meo consilia illa agitarem, singulari Dei prouidentia haud dubiè accidit, vt Guilhelmus iste mihi è concione per posticulam aedis, quam S. Petri vocant, exituro, insperatus insperato veniret obviam. Hic ego agnoui statim de facie iuuenem; non autem ille me, quamuis defixis in me oculis respiceret. Quapropter obstupefactus ille praesentia mea, & incertus vtrùm me auderet pro eo qui eram compellare, sine mora reflexit iter, & ad alteram eiusdem loci posticulam reuertit quàm velocissimè, vt mihi posset in os occurrere, & iudicium de me ab aspectu facere certius. Sic iterum mihi factus est obuiam, accedit, aggreditur coràm; & aliquid excusationis praefatus, videri sibi dixit me ab se aliquando visum. At pudebat me illius egestatis & nuditatis meae: ideóque hominem circumducebam, vt poteram, sermonibus, ne indicarem quis aut vnde essem. Diutius tergiuersante & dissimulante me, nomen meum enunciat, rogat an non is sim cui hoc nomen impositum, quem Biturigibus cognouerit. Annui. Tum ille miratus plurimúm miseram conditionem meam, quam adhuc apud omneis pudore nimio dissimulaueram, omne officium mihi spondet defértque liberalissimè pecuniam, quam praesentem habebat, pollicetur curandis vestibus, operam victui procurando, & communem secum habitationem, vt minoribus sumptibus posset leuare difficultates meas, & minore suo incommodo. Ego constanter recusare ac pertinaciter: ille constantiùs ac pertinaciùs instare, ostendere se ad vtrumque nostrum frugaliter & parcé alendum lucri facturum satis, agnoscere officium suum erga me pro meritis familiae nostrae, scire se futurum vt omnia per me refundantur sibi. Acquieui pudens opportunissimae flagitationi ipsius, méq. cum leuiore sarcinula rerum mearum ad ipsum contuli; ad filium viduae memorem beneficij, quem mihi Dominus hospitem praeparauerat. Sic ad menses fermè septem illius opera fui educatus; donec pace in Galliis constituta,

constituta, pecunia ipsi per me, quam pater curauerat, refusa esset. Dum haec ab illo tam fideli & laboriosa cura erga me gererentur, variae me torquebant angustiae, quas dissimulabam cùm apud omneis, tum apud hunc meum hospitem diligentissimè: aduersa valetudo, συγκοίτου cuiusdam prae sordibus non admodùm grati consuetudo, loci incommoditas ad studia & meditationes sacras, & alia multa, quae consultò praestat reticeri. Sed omnium maximè animum meum sollicitudo isthaec cruciabat, ne grauius hospiti meo tam studioso & liberali erga me, onus importarem. Quum itaque de hoc metu pudentissimo, & de commoda studiorum meorum ratione saepe multúmque cogitassem, vltro ad menses quatuor ieiunium ipse indixi mihi, & horám prandij in ambulatione, legens & memoriam colens, meditans, orans occupaui: vespere autem coena frugali vsus sum, plurimùm sorbens bina oua, & mediocrem vini cyathum hauriens. Sed ex diuturna ista & peruicace inedia paulatim me inuasit tabes, & ita exedit grauiter, vt vires omnes exhaustum corpus deficerent. Quod malum tum demum sensi, quum instantibus amicis & tabem meam ex vultu recognoscentibus, ad maiorem cibi copiam sumendam veni, & viuere institui liberaliùs: nam vel indusij solius onere praegrauati mihi esse humeri videbántur. Sed confirmans me Deus post illud tempus, lentè restituit valetudinem, quam tabe lenta imprudens afflixeram. Intereà metuens pater ne ad literarum sacrarum studia animum planè adiicerem, confecta pace in regno Galliae & publicis rebus vtcumque constitutis, pecuniam mihi Geneuae numerari iubet, certisque literis imperat, vt dissoluto aere alieno res meas comportem, & quamprimùm ad se reuertar domum, propterea pècuniam reliquam ad viaticum solùm numerari mihi voluisse. Erat quidem pergratum patri, vt pietatem haberem apud me: sed me eam docere, & vocatione certa profiteri, viuus non fuisset passus, quemadmodum posteà ex matre didici: praesertim quòd diceret, si quod munus subirem eiusmodi, se nihil vnquam voluptatis ex me percepturum. Ego autem, cuius animum diuina manus antegressis rebus malitiam huius seculi, contemptum mundi, & crucis Euangelicae Christianarum mentium συντρόφου vtilitatem docuerat, in sententia eram planè diuersa à sententia patris. sed quid agerem? hinc iussus & imperium patris, illinc studium & conscientia quaedam voluntatis Dei me quasi diuersum distrahebant: nec via facilè aperiebatur mihi, qua studio meo satisfacerem, & mandato patris. Commodè autem per illud tempus D. Claudius Preuotius, vir doctissimus & patri iam olim familiaris, in patriam proficiscebatur, Vxelloduni functurus ministerio verbi: hunc ego literis instruxi ad patrem, quibus me à commoditate studiorum meorum excusabam patri, rogans ne diuturniorem meam commorationem Geneuae ferret iniquiùs, sed illud rationi studiorum meorum & postulato meo pernecessario indulgeret: cuius rei D. Preuotium testem fore locupletissimum. Ecce autem, profectus inde Preuotius antequam fines Biturigum destrinxisset, pater cruenta morte occiderat. (f. 13.) Caedis haec fuit occasio. Vxelloduni quo die celebrabatur festum corporis Domini (vt vocant) post supplicationem publicam (vulgo Processionem dicunt) animus quorundam Pontificiorum malè feriatorum exarsit adeò, vt tumultu iniquè praeter pacis recentis leges excitato in Ecclesiasterium siue proseucham nostrorum irruerent, ferróque & flamma grassarentur promiscuè. Hoc facinore ad Regem perlato, placuit consilio quaesitionem haberi & cognosci de eo per patrem iudiciúmque de auctoribus ad exemplum statui plena potestate & auctoritate regia. Diploma accipit pater in hanc sententiam. Ille consilium suum dissimulans, ac ne matri quidem metuenti & sollicitae de hac re explicans, cum suo comitatu Vxellodunum venit, vt saepe fecerat. Satellites extra opidum huc illuc ablegat, tamquam aliud agens: ipse in hospitio velut responsum exspectans subsistit, tribus solùm de comitatu asseruatis. Hic plebs repente exsurgere: curiam, fora, portas opidi occupare: hospitium

hospitium obsidere: in quod tertio die mendaciter intromissi trucidarunt indignissimè patrem sicarij, & corpus semianime per fenestram deiectum toto opido diuexarunt, laniandum canibus obiecerunt, & sepeliri interdixerunt publicè. Etsi hoc postremum humanitatis officium, quod vir nullus audebat, foemina procurauit, & collectum corpus de nocte sacello familiari condidit, quod in coemiterio Franciscanorum est de nostro nomine. Haec caedes consilium Regis commouit plurimum; & decretum de labefactandis muris totius opidi in eo factum, propter atrocitatem sceleris, & periculosissimum exemplum illius. Sed postea conuersa est factionibus tota ratio consilij; tum propter Sipierrij Gubernatoris & nonnullorum ex nobilitate procerum inueterata odia, tum propter religionis Pontificae zelum, cuius odio indesinenter flagrauisse inde ab annis amplius viginti quatuor criminabantur patrem. Itaque caedem illam necesse habuit mater in Regis consilio persequi ex eo tempore: quo facto, cùm ipsa in se multorum concitauit odia, tum omnia fermè commoda quae ex bellica licentia, furtis, rapinis, grassationibúsque restabant ipsi, in hac persecutione occupauit. Hoc autem tristi accepto nuncio, ab antecedente illa quam dixi sollicitudine sic fui liberatus, vt aliae grauiores animum meum incesserent. Tum verò indignatus propè ingratae patriae renunciaui, & animum abieci reuisendae illius, quae bonos exederet, & sinu foueret malos. Statui cum animo meo prospicere, ne matri molestus essem, quando optimè atque ex veritate perpendebam quantum onus afflicta mater in se reciperet, & quàm multos sumptus factura esset. Itaque pedem Geneuae fixi, matrem rogaui literis ne de me laboraret, docendaeque iuuentuti operam malui priuatim dare, quàm à loco & ab incoeptis studiis discedere. Hac condicione apud virum pietate & doctrina praestantem D. Ludouicum Enocum Ministrum verbi fidelissimum ad menses viginti duos habitaui, Latinè, Graecè, & Hebraicè plerumque docens diebus singulis, & me in studio sacrarum literarum linguarúmque exercui diligentia quàm potui maxima. Agebat tum in iisdem aedibus mecum Stephanus Grossius Geneuensis, iuuentutem docens, quicum mihi suauissima erat consuetudo, tum propter pietatem & simplicitatem ἄδολον ingenij, tum propter incredibilem & indelassatam eius in studiis diligentiam. Memini tum inter nos pacisci, vt Muséo communi de nocte vteremur alternis: ille à vespera ad mediam vsque noctem, aut horam primam proximè sequentem peruigil esset in studiis, ego verò illi cubile petituro ad studia mea succederem, quum mihi lampada tradidisset. Id nos familiari sermone nostro Castorem & Pollucem agere dicebamus. In hac conuentione nostra constanter perseuerauimus, donec hyems illa grauissima superuenit, quae cessationem ab illis peruigiliis imperauit. Quamquam me iniuria illius frigoris non potuit deterrere ab instituto meo; qui ad noctem intempestam vigilans sic curaui animum & auxi studiis, vt corpus neglectum vernante coelo in multa incommoda inciderit. Ego iuuentutem exemplo meo laborem doceri velim, si cupit fructum verum illius: sed improbitatem laboris improbo: ex qua corpori meo καχεξία, animo συντονία quaedam ad labores ingenerata est, aliis morosa, & mihi ipsi, quotiescunque ad me respicio, molestissima. Sed adeò à teneris assuescere multum est, imò verò mihi totum. Accidit autem sub illud tempus, vt Gymnasiarchus Geneuensis scholae de vita decederet. Huic quum alter suffectus esset qui in Nosocomio Geneuensi defunctus erat ministerio, honorificè per D. Enocum hospitem meum agi mecum Ministri & Synedri Ecclesiae curauerunt, vt habita praesentis difficultatis ratione, in ministerio illo Nosocomij succederem ad spatium sex hebdomadum, donec de certo homine commodè prospectum esset. Egi gratias pro eo honore & iudicio ipsorum, causatus institutum studiorum meorum cursum, quem antè cuperem absoluere. Etsi reuera altera causa suberat: id enim cogitabam, non modò aditum, sed potius

potiùs nexum & obligationem fore ad suscipiendam in eo tractu functionem ministerij, quam semel ingressus non possem referre pedem. Ego autem quicquid mihi contrahebam mali peruicacissimo labore meo, id totum coelo Geneuensi, velut aduersanti naturae meae, imputabam, non facto meo: ideóque migrare è loco rebus meis confectis statueram. Post illud tempus ex Belgio aduénit nuncius Aprili mense, vt Ministrum aliquem diuini verbi, ad Ecclesiam Gallicam, quae tum Antuerpiae erat, impetraret. Narrabat ille, καὶ μάλα παθητικῶς, quanta raritas & inopia Ministrorum hac lingua vtentium esset in tanta regione, tanta frequentia bonorum, tantóque studio. Accedebant ad haec monitores optimi, Ioannes Crispinus, Stephanus Mermerius, & alij boni. Commouit me tum illa necessitas, vt operam meam Ecclesiae Antuerpianae sermone Gallico vtenti condicerem ad necessitatem illam (quam grauissimam audiebam esse) alleuandam, si à conuentu fidelium seruorum Dei, qui in vrbe erat, idoneus iudicarer. Placuit: confecta res est. Salutatis bonis Geneua discedimus, ego Antuerpiae, & Peregrinus Grangaeus Delphinas (qui peregrinationem huius vitae sanctissimo martyrio terminauit) Valentianis administraturus sacrosanctum Dei verbum in clan(f. 14.)destinis (vt tum erant tempora) Ecclesiis. Hactenus me, Domine Deus mi, diuersissimis modis fabricasti prouidentia tua, vt me ad fabricam domus tuae infirmo seruo pro sapientia tua & gratia singulari erga me vtereris. In transcursu Metensem Ecclesiam salutauimus, ordinémque illius vidimus libentissimè, quem fideles Dei serui Ioannes Garnerius, Ioannes Taffinus, Petrus Colonius, & alij pietate doctrináq. insignes viri obseruabant religiosissimè. Eò tum fortè venerat nuncius Malmedirio (hic pagus est Arduennas) rogans piorum incolarum nomine, vt Metenses fratres aliquem de suo numero ablegarent eò, qui praedicatione verbi consolaretur ipsos, & coetum aliquem ad puriora Christi Iesu signa colligeret. Hîc fratres Metenses paucitate eorum qui Ecclesiae suae inseruiebant exposita, rogauerunt nos, vt Malmedirio iter faceremus, quandoquidem non procul a loco transeundum nobis esse cognouerant, & populo loci illius sitienti Euangelicae praedicationis, prout ex vsu videretur fore, ferremus opem. Eò quum primùm venimus, excepti humanissimè, instante vehementer populo, conciones duas palàm in priuatis aedibus habuimus, vnam sub vesperam, alteram meridiano postero; adacti à circumstrepente & conueniente certatim populo, quamuis dissuadentibus nobis & de periculo inde euenturo praemonentibus diligentissimè. Atque haec paulo pòst, prout eis praedixeramus, ita omnino acciderunt, Abbate & Domino loci miseros populareis eam ob causam infestante: vnde colonia primùm in coenobium Palatinatus, quod S. Lamberti dicunt, non procul Neostathmo in montanis situm, transmigrauit. Leodium praetergressi, incolumes Dei beneficio Antuerpiam venimus, quo tempore soluebat classis Lusitaniam petitura, & sponsam nouam ad Alexandrum Farnesium Principem Parmensem adductura. Erant autem per idem tempus in Brabantia Flandriáque hilaria & festiua omnia, animis in spem optimam rerum suarum excitatis, recente aduentu Comitis Egmondani; quem in Hispaniam ablegatum, Rex amantissimè exceperat, omnibus postulatis fecerat satis quám prolixissimè, eumque & omnes Principes (qui antè Cardinalem Granuellanum hominem versutissimum conuenerant) amplissimis magnificentissimísque promissis impleuerat, summísque beneuolentiae & gratiae significationibus exsaturauerat; quos nempe commodiùs suo tempore, vt aues altiles è saginario, conficeret. Simulatque Antuerpiam venimus, varij me labores & grauissimi exceperunt. Nam primùm haerebat plerisque in animo bellorum aduersus Gallos iam olim gestorum recordatio: quae imperitos homines ita affligebat, vt me, quamuis ad sanctum ministerium bono ipsorum missum & συςατικοῖς idoneis instructum, non secus obseruarent quàm si venissem exploraturus, aut nullas planè syllabas (vt Imp. vocat) aut testimonia

testimonia perscripta ab Ecclesia certa habuissem. Quapropter saepe, omissa quauis defensione gentis, quam audiebam interdum culpari vehementiùs sine vllo merito meo, coactus sum in haec verba erumpere παθητικώτερον: »Rem profecto mirandam! tantum potuisse Satanam in mentibus hominum, vt per insaniam Regum ac principum odia tam aspera indere eis potuerit; nunc verò, quum omnes conuocamur vnà ad Euangelij salutis praedicationem, non posse tantum apud nos illum sanguinem Christi, qui mundat nos ab omni peccato, vt ista odia eximat, & nos compingat in sanctam spiritus vnitatem!" Ita acquiescebant omnes sermoni meo, efficiebátque Dominus, vt illud malum de quo mihi constabat ex significationibus & oratione multorum, patientia & fide superarem. Hoc malum necdum confectum erat, quum alia onera succcesserunt, quae in me à collegis amantissimis Carolo Nielio & Stephano Mermerio, & horum postulatu ab Ecclesia ipsa, tum à finitimis quoque Ecclesiis, alíisque deuoluta sunt: quae ego tum mei conscientia tum probationum antecedentium recordatione abnuebam, & refugiebam diligentissimè: sed vicit numerus sententiarum, qui me laboribus iis scripturarum & responsionum faciendarum damnauit, à quibus antè excusatum habuerat. Septembri mense accessit temporum iniquitas, quum aduentu Lusitanae illius sponsae magnus Inquisitorum numerus ab Hispania, & diplomata Philippi Regis de stabilienda ἀπαραιτήτως in Belgio Inquisitione simul aduecta essent: quo facto commoti vehementissimè & vulnerati fuerunt animi omnium, ad securitatem suam libertatémque ab Inquisitionis iugo contendentium. Ante omneis verò ex Nobilitate pauculi de causa religionis & bono publico solliciti diem inter se dixerunt, qua consilium commune de re tota capturi essent. Fuit autem dies illa Octobri ineunte, qua die Parmensis Principis nuptiae cum Lusitana celebrandae erant. Ad illam ipsam diem Bruxellas vocor Antuerpia: in conuentum venio perexiguum, vbi viginti ad summum nobilia capita: concionem habeo & concipio preces: res à precatione in consilium mittitur: de federibus domi forísque decernitur contra violentam istam atque barbaricam Inquisitionis tyrannidem ineundis, tacente & audiente me. Haec in aedibus Cullemburgicis ad forum equarium Bruxellis contra Inquisitionem primum fundamenta iacta, propter quae post biennium truncati capite fuerunt duo fratres Cokij nobiles viri, qui incolebant domum, tota domus aequata solo, & area eius sale cum diris exsecrationibus conspersa ad Ducis Albani imperium. Post triduum reuerti Antuerpiam, me communicationibus illis defunctum gratulans, in quas nescius deueneram. Sed ex eo tempore longe majores curae fugientem me oppresserunt. Nam & multae ad Ecclesiam literae atque etiam ad me adferebantur in dies singulos, & praeter responsa prodibant à me perscriptiones multae, prout ex vsu esse videbatur, quarum perscriptionum ego solus plerumque conscius (nam erant manu mea) & alter mecum Antuerpianus ciuis, nomine Ioannes de Lalbois, qui Trelonus ab origine dicebatur vulgo, cuius viri optimi fidem in quàm plurimis & grauissimis rebus expertus sum. In perscriptionum istarum numero fuerunt aliquot monita politica, rationibus humanis & exemplis ab historia sumptis confirmata, quae Bruxellas transmissa curabamus in Curiam & summum consilium clanculùm subiici, vt Principes (f. 15.) qui in Consilio erant, de rebus ad pacem & tranquillitatem reipub. spectantibus cogitarent, sublata animorum & conscientiarum peruestigatione, qua tranquillitas publica funditus euertitur. Probabant omnes summopere, & afficiebantur hoc scriptorum genere: & ille ipse quem antè dixi, Comes Egmontanus laudabat, donec me, id est, Gallum auctorem esse cognouisset. Qua propter saepe à Magistratu quaesitus, saepe edicto appellatus sum, saepe praeconis voce denuntiationes in me Antuerpiae pro Curia factae, saepe creata pericula, à quibus me sola Dei prouidentia, suos optimè ac fidelissimè curans, vindicabat. Mandatum aliquoties audiente me,

me, & ante Curiam promulgatum, vt quisquis auctorem breuis vnius scripti, quod mea manu erat, cognouisset, indicium faceret Magistratui: & pro indicio hoc floreni trecenti, quadringenti pronunciabantur. Tandem verò per exploratores & emissarios consilium istud procuratum. Venerat sub finem anni Ludouicus Comes Nassauius Antuerpiam, & de oratione quadam per me scripta ad Hispaniarum Regem pro libertate publica & abrogatione Inquisitorij edicti nobiscum clanculum contulerat. Id emissarij canes odorati, commodissimam rationem excogitauerunt, vt de me certò cognoscerent. Submissus enim est quidam Bruxellensis pictor, qui studium religionis per bellè simulans, veniret Antuerpiam, & sese nostris adiungeret. Hic suis partibus quàm diligentissimè defunctus est. Nam & conuentibus aliquot me vidit, obseruauítque diligentia summa, & vestigia mea tam accuratè insequutus est, vt de habitatione mea cognouerit. Tum imago mea per hominem illum Bruxellas ad Margaritam Parmensem, quae Belgio praefecta erat, & ad consilium delata est, & inde ad Marchionem Antuerpianum missa, vt me comprehenderet. Res Praetori demandatur, qui rem exploraturus certò ancillam domus in qua habitabam accersit ad se: nam ea Praetori non ita pridem ministrauerat. Nec blanditiis, nec promissionibus, nec minis ex ea expiscatus est quicquam. Facturus itaque quod in mandatis acceperat, veniam à Consule (vt priuilegiis cauetur loci) consequitur ad domum ciuis perscrutandam, méque apud ciuem illum quaerit vbi hospitabar. Sed anteuerterat hominem illa Dei opt. max. prouidentia, mihi & meo hospiti consulens opportunissimè. Fecit enim, vt ego excederem domo, Ecclesiam Bredanam inuisurus, ante semihoram fermè quàm aduentaret Praetor ad lustrandam domum: itémque vt hospes meus statim à discessu meo per quemdam amicum de vniuerso consilio fieret certior, & rebus meis abdendis aut deportandis, non sine difficultate prospiceret. Quum autem per celebrem illam nobilitatis Belgicae coronam libellus supplex cum postulatis & causarum enarratione ad Regem mittendus antepaschali tempore oblatus esset, tum grauiores motus negotiáque difficilora in dies oborta sunt, quibus me iactari praeter alios in Belgio oportuit: vnam ob causam maximè, quòd non essem indigena. Aliis enim fratribus, Dei seruis & Ministris Euangelij licebat tutiùs versari, & agere quaecunque ad ministerium sacrum pertinebant; sed in meum caput Parmensem illam Gubernatricem scripta antecedentia semper excitabant, dum priuatae conciones fuerunt habitae. Quamobrem etiam nouus in me Insulis (Flandriae est opidum celebre) consutus dolus. Fuerat enim plebs Flandriae vicis quamplurimis diu antè ausa conciones habere palam frequentia maxima, quàm in Brabantia fieret; siue freta numero, siue feruentibus animis ad conciones accurreret non accersita, vt Antuerpiae quoq.experti sumus. Hac occasione fuit inuenta ratio vt in publicum imprudenter productus comprehenderer. Praeerat vrbi nobilis quidam de Rassenguien, qui Egmontano Comiti ministrauerat. Hic agens cum altero quodam nobili in vicinia versanti, cui Caubekio nomen, bellissimè se velle simulat de religione nostra cognoscere, colloquium audire Ministri alicuius cum suo Sacrificulo, ad veritatem optima fide attendere: qua cognita, fore vt nulla auctoritate, ne regia quidem, ab eo colenda abducatur; & similia multa. Hîc Caubekius spem aliquam de eo conciciiens, se curaturum spondet. Statim nuncius cum literis aduolat Antuerpiam; eo quòd Ecclesia illa prae caeteris commoditate Ministrorum abundare videretur. Re in consilium missa, Ecclesiae placuit vt eò proficiscerer, quamuis praemonente me (vt euénit) rem istam non sic abituram. Intereà Rassenguianus certior factus omnia comparat; & specie infantis quem habebat baptizandum, Tornacessem Episcopum accersit ad se, vt eo solennior esset disputatio. Simulac Insulas veni, dux itineris me in quoddam oenopolium ducit causa simulationis, prout exteri aduenae solent sese ex itineris labore reficere. Nondum

 attigeramus

attigeramus vinum, quum hospes à foribus aduolat, certiores nos facit sex lictores in propinquo esse venientes ad nos, postico iubet migrare aliò, & nostrae saluti con sulere. Ita huc illuc de domo in domum fui circumductus, vt fraudes istorum hominvm & vim iniustam effugerem. Haec sub Pentecosten gesta, quum adhuc in tota fermè Brabantia conciones nostri haberent clanculum, multis reclamantibus, & ignauiam, inuidentiam boni publici, inanem metum, diffidentiam Christiano quouis indignam criminantibus. Sed cum auctore maximè & artifice Viglio Zvvichemo Consilij Burgundici praeside, post illam nobilitatis Belgicae postulationem, cuius antè meminimus, nouae leges in religiosos & pios homines veritatis amantes cuderentur, specioso Moderationis nomine exornandae, quae tamen nihil de atrocitate planè nisi in speciem remittebant, tum grauissimo piorum adeóque Ecclesiarum vniuersè periculo cognito, & conuentibus aliquot expenso (quibus etiam bis per illud tempus Antuerpiae Philippus Marnixius S. Aldegondius interfuit) visum est necessarium ad praeuertenda grauiora Ecclesiarum incommoda, vt quemadmodum Flandri iamdiu fecerant, ita nos publicè Ecclesiam colligeremus, concionésque in propatulo haberemus, cùm Antuerpiae tum vbicumque futura esset colligendarum Ecclesiarum per Euangelium Christi commoditas. Quo tempore Confessionem Belgicarum Ecclesiarum de Synodi, quae ineunte Maio habita fuerat, sententia recognitam ad fratres Geneuenses misi, vt à se probatam excudi (f. 16.) sinerent, si videretur vtile, & institutum illud nostrum Deo precibus commendarent. Sic & Moderationis illius consilium Iunio mense euersum est, & Ecclesiae ad miraculum coeptae propagari. Etsi autem reliquorum fratrum qui in Belgio seruiebant Domino, secura tum ab hostium telis vita & functio tota videbatur, mihi tamen infida omnia:quia Gubernatrix illa Parmensis omnia per Ecclesiam Gallicam, quae tum erat Antuerpiae, Ecclesiam per me commoueri arbitrabatur falsò. Nam etiam quum nouo commento publicos coetus nostros cupiens dissoluere, promissis & minis sollicitaret Ecclesias, vt saltem ad hebdomadas sex omitterentur conuentus, dum mitigato Regis animo aliquid boni responsi ex Hispania adferretur, Antuerpiam mittebat ad nos, futurum rata, vt quicquid per nos fieret, in eo alij acquiescerent sine controuersia. Quam ad legationem plurimùm opera Francisci de Hames, viri non illiterati, periti, & in dicendo grauissimi, aliquoties abusa est. Huic persequutioni contra me institutae species erat & dabatur titulus, mea peregrinitas. Sic vbiq. fermè periclitatus sum, Antuerpiae, Gandaui, Brugis, & aliquot praetereà locis. In Iulio Gandaui fui postulante Ecclesia loci, quo tempore Iconoclastae nobis incogniti praeter sententiam nostram, ab imprudentibus (opinor) aut etiam maleuolis per vicos & pagos Flandriae submissi, in templa & signa templorum omnia irruebant. Testes appello eos qui tum versabantur in summo Consilio (vt vocant) Flandriae, quam fidem rebus gerendis adhibuerim, quum auctoritate & mandato illius Consilij ad Iconoclastas illos compellandos & cognoscendum de instituto ipsorum viri aliquot ex numero nostro fuimus ablegati. Nunquam mihi profectò violenta eiusmodi et ἄτακτα consilia placuerunt:nec puto vnquam apud me fuisse quemquam, cui istiusmodi actiones vel minima significatione placere mihi ostenderim. Hoc testimonio & meam ipsius & piorum collegarum meorum (nam ἀτακτοῦντας αὐτοκράτορας nihil moror) fidem publicè testatam volo. Post Antuerpiam redij, vbi Synodus sub finem mensis eiusdem habebatur. In ea breui scripto de fide ex disertis Scripturae verbis exarato, placuit vt duo ex nobis Centronum opidum (S. Trudonis vocant) peteremus, vbi principum aliquot ac Nobilitatis Belgicae conuentus indictus. Ego, & sanctissima illa placidissimáq. anima, Peregrinus Grangaeus, recusantes & inuiti delegati sumus. Venimus, vidimus, nihil effecimus, importuna cuiusdam intercessione: cui ignoscat Dominus. Antuerpiam regresso vix pedem licuit in loco figere, quum à Gandauensibus fratribus repetor.

repetor. Ad eos vt primùm veni, ecce repentè nuncius Antuerpia adfertur ad nos, signa omnia in templis opidi fuisse corrupta; & totam noctem tubis organicis Antuerpia allatis plateae personabant. conuenit aliquot plebeiorum manus, & de imaginibus tollendis consilium capit tumultuariè. Locus ad coitionem dicitur in sequentem diem, piscarium forum, ex quo lustrandis singulis templis & decutiendis signis certo ordine occupentur. Dum haec geruntur, tertia forte hora antequam ferueret opus, aduenit ad me Leuinus ille, cuius in Martyrologio Gallico facta est mentio, & consilium sciscitatur, vtrum Gandauensi plebe ad Antuerpianorum exemplum signa corrumpente ipse operam suam quoque adhibiturus esset ad eam rem, néc ne. Respondi ex tempore, nihil nisi ex vocatione à nobis faciendum esse: non esse ipsi voçationem ordinariam, vt qui non magistratus esset, nec vlla auctoritate ordinaria instructus: non esse quoque extraordinariam, vt qui ex me consilium peteret, séque eo ipso facto non esse vocatum extra ordinem ad hanc rem ostenderet. Dissuasi itaque homini: & ille acquiescens responsioni meae, dum malum nescio quod publicum voluit praecauere, seipsum perdidit. Omnino tamen ab omnibus propè aduersariis, quamuis dehortarer publicè ab ipsis actionibus populum, nec sine offensione ipsius, earum habebar & dicebar auctor: quemamodum in os mihi post quatriduum quàm disiectae fuerant è templis imagines, Gandauensis quidam sacrificulus, argenteum maius sigillum Capitularium S. Ioannis ex me impudenter repetens, non dubitauit obiicere. Itaque partim gentis & functionis odio, partímque falsis de me suspicionibus & criminationibus obruebar; frequentia intendebantur mihi pericula, & in me tamquam ex condicto irruebant omnia: praesertim ex quo nobilis ille apud Centronas conuentus obiiciente Gubernatrice consenserat, nequis extraneus Minister in Belgio perferretur. Quam in rem nisi consensissent, metus erat certissimus, vt conuenisse cum extero, maximè verò cum Gallo, odiosissimo iam olim (vt illi aiebant) hoste dicerentur. Scilicet tanquam si aut ego consiliis de repub. adhiberer à Principibus exteris (quae consilia semper refugi memor vocationis meae diligentissime) & emissarius atque incendiarius in Belgium immitterer, aut illi ex vnici capitis mei defensione potuissent euinci illius criminis. Sed ita discindit Satan etiam bonos, vt coagmentationem Christi soluat inter omneis pios ex quauis gente procurandam: quam fraudem plerumque non animaduertimus stollidi, aut etiam inuidi. Tum summus Praefectus Flandriae, Dominus de VVackenheim, semel hospitium meum vespere ingressus est, vt me clam comprehenderet, quum vix ante horam Bruxellas discessurus exiuissem loco. Semel quum de prehendendo me extra coetum & frequentiam populi Praefectus idem cogitaret, promulgari iussit, nequis nauigio ad Carthusianos (hic suburbanus locus, vbi conciones haberi solitae) exiret, speciosam occasionem causatus interdicti, ne fortè hoc praetextu arma exportarentur in concionum locum. Id autem insolente hora fuit promulgatum, quo tempore apud Petrum de Rijck Gandauensem Aduocatum sumebamus prandium. Parato ad profectionem nauigio, aliquid nobis de interdicto significatum est: hîc bonus vir negare, hanc. n. pronunciandis interdictis horam insolentem esse. Hac itaq. fiducia receptae apud Gandauenses consuetudinis, iubeor nauigium conscendere. Prouehimur ad fossam vrbis vsque, aream Carthusianorum petituri. Interea ad portam opidi obseruabat de ponte Praefectus ille, armato satellitio & numeroso instructus: qui è longinquo videns ad ripam occurrit nobis. Hac re perculsi omnes nostri de me mus(f. 17.)sant, quid me misero futurum esset, quid fieri à se oporteat: ego verò ope Dei fretus iubeo vt bono animo sint, quae imperabuntur faciant, nihil laborent de me, nec ad me respiciat quisquam; denique ita se gerant singuli vt si abessem loco. Vt propius aduenimus, Praefectus magna voce contendens rogat, annon de interdicto audiuerimus? cur ergo nauigio deuehamur?

deuehamur? momentóque vt exscendamus imperat. Eximus omnes (eramus autem ad capita viginti quinque) & ego meo ordine quasi medius per satellitium transeo, salutato Praefecto, dum ille ex equo, cui insidebat, demittens sese perualde obseruabat in omneis partes diligentissimè, num quis porrò in eo nauigio (nam tectum erat) latitaret. Confidite prouidentiae Domini, qui ministratis Domino, & in certissima illius veritate ac fide conquiescite: nam fidelis est Dominus, custos Israëlis. Quid Brugis accidit? festiuum est quod narraturus sum de rebus meis, quum Brugas inuitus postulante Brugensi Ecclesiâ, suadente & hortante Gandensi, transiuissem. Venerat Brugis Gandauum fidelis Dei seruus Ioannes Muntensis, quem paulo antè Hispani aliquot Brugarum incolae à concione abreptum miserè diuexauerant: & spectactor auditórque fuerat in conuentu quodam suburbano à Gandauensibus fratribus habito, quum vulnus pergraue Ecclesiae Gandauensi per imprudentiam factum Deus aliquo pacto, ope, consilio, & opera nostra curari voluisset. Hic exposita rerum Brugensium difficultate rogabat sibi aliquem adiungi, qui Ecclesiam Gallicam Brugis solaretur verbo, & opere adiuuaret. Gandauensibus ab inopia Ministrorum se excusantibus, & me reuersionem ad Antuerpianos vrgente, vtrique institerunt, vt Brugas iter facerem, & dierum aliquot vsuram Ecclesiae illi tribuerem. Negaui facturum. Muntensis ex tempore nescio qua auctoritate armatus ita me compellauit, vt insolentem hominis sermonem admirarer, & me vltro subiicerem voluntati ipsorum. Sic Brugensem Ecclesiam visitauimus. Concionem ad vrbem duo habuimus: alter sermone Flandro, & ego Gallico. Erat opinio ciuium, non autem mea, vespere nos in vrbem facilè regressuros: & Angli aliquot, qui mihi aderant, futurum pro certo confirmabant. Redituris in vrbe ciuibus, Magistratus ad portam venit: ciues intromittit: collegam, quem certo consilio praeire iusseram, sistit, pedémque referre iubet: ego quum id è longinquo vidissem (nam vir erat adeò procerus, vt omneis fermè toto capite superaret) valedixi Anglis aliquot qui me prosequuti fuerant proximè, ac non accessi ad vrbem propius. Tum duces nobis dantur qui praeirent iter, & de statione nocturna prospicerent in propinquo: maximè cûm sequens dies esset Dominicus, quo die iterum in loco habenda concio. Vtcunque autem de hospitio fuit ab illis laboratum, nos lucente Luna amplius dimidium noctis oberrauimus, eo quòd singuli nos excipere hospitio metuerent, reliquam partem noctis, tuguriolum precario nacti quieuimus. Postero die, concionibus ad vrbem habitis, de communi Ecclesiae Brugensis consilio in propinquum opidum abducimur, cui nomen est Dam, nescio qua crucifixi (vt vocant) historia iam olim celebratum; vbi ad biduum quieuimus, & honestè excepti sumus. Erat autem die altero Comes Egmontanus Gubernator Flandriae aduenturus Brugas, vt ea in vrbe componeret, quae religionis causa scissa videbantur: quapropter in antecessum pridie (is dies erat Lunae) Brugis edictum est mandato illius in caput meum promulgatum, si quis me viuum traderet, ei florenos 800. sin mortuum, 400. (si bene memini) numeratum iri. Egmontani in vrbem aduentu coeperunt laborare nostri, incerti quid qua ratione cum illo agerent, eo quòd nemo tum aderat, cuius operam in hac re cum fructu (vt putabant ipsi) occupare possent. Capto itaque cum Gandauensibus consilio, quos in pari causa ante dies pauculos adiuueram, placuit omnibus me in vrbem, si qua ratione fieri posset, reuocari ad se: nuncius ablegatur. Intereà dum haec gererentur Brugis, Dammensis Magistratus nos accersit ad se in Curiam. Ex collega primùm, qui & cuias esset, sciscitantur: cognito Brabantinum esse, dimittunt liberum. De me percunctantur plurima; ad omnia simpliciter, ex veritate rerum & sensu meo respondi. Tum illi capitibus diu inter se collatis, honestissimè alloquuti sunt me in hanc sententiam: nolle se vt in periculum facto ipsorum incidam: & se vicissim confidere, non alium fore

fore mihi erga ipsos rémque ipsorum publicam & ciuitatem animum: celare non posse, edictum pridie fuisse Brugis in sua metropoli aduersum me auctoritate regia pronunciatum: se, tamquam viros mei & publicae quoque vtilitatis studiosos, mihi auctores esse, vt intra eum diem de loco discederem: postridie edictum illud se esse promulgaturos: quòd si consilium Brugense tarditatem increpet ipsorum, excusaturos edictum seriùs ad se perlatum esse, ac propterea fieri non potuisse vt ediceretur temporiùs. Spopondi eis me cessurum loco, & gratias egi humanitatis illius nomine. Sed torquebatur animus in eo loco vehementissimè, cùm nec linguam callerem, nec ducem haberem itineris in solo incognito: adeò vt iam deliberatum esset noctem in palude proxima vbi pridie fueram, transigere. Haec cogitante me, ecce Brugensis ille nuncius aduenit, rogans communi Ecclesiae nomine in vrbem veniam, & exponens postulati causas. At ego contrà de alia via aliqua consulebam, ne mihi Brugas eundum esset. Amplius instante nuncio, & per Deum auctorem vocationis huius obsecrante, victus importunitate hominis, respondi me scire periculum, quod ille negabat constantissimè: si qua tamen commoda ratio inueniretur dissimulandi mei & vrbis ineundae, me potiùs in iter daturum esse, quàm commissurum vt causa publica propter absentiam meam deserta esset. Ille exhilaratus promisso rimabatur omnia, & modò huc, modò illuc sese conuertebat, vt viam aliquam, si forte, aperiret. Tandem cum caementario structore, qui in propinquo caedebat lapides, paciscitur, me vestes meas in loco relicturum apud hospitem, & commodato vestibus ipsius abusurum. Ita ornatus, cum illo duce itineris, excurri Brugas diligentissimè (nam ingruebat vespera) & intromissus in vrbem portula pertransiui vtramque custodiam, seruiturus structurae templi Domini. Commodissimè verò inter custodias illas Deus prospex erat de (f. 18.) artifice quodam (vt opinor) Brugensi ciue: qui viam sternebat imprudens, vt citra quaestionem aut controuersiam per eas transmitterer. Ille enim alterum me esse ratus, vicinum credo, aut plebeium sibi familiariter notum, Flandro sermone voce maxima acclamauit, *bonam vesperam*, *compater:* & falsus opinione imprudénsque fefellit custodias, magno Ecclesiae commodo. Ita superueni fratribus haerentibus mei exspectatione, & rebus ipsorum consului, prout gratiam nobis est largitus Deus. Apud Brugas diebus aliquot consumptis, salutaui fratres, & Antuerpiam euersus sum: vbi praeter opinionem me exclusum comperi ab Ecclesiae illius ministerio. Nam cùm inde ab Augusto mense, quo Iconoclastae passim irruperant, seditionum & pugnarum metus impendéret, fuerat Gubernatoribus singulis mandatum, vt commoda transactione tranquillitati publicae consulerent. Hoc consilio Aurasiorum princeps, Burggrauius (vt vocant) seu Vicecomes Antuerpianus, certa capita conuentionis inter ciues vtrimque fieri curauerat, transactionémque statui, cujus transactionis habetur exemplum integrum in Gallico Martyrologio. Nam ex eo tempore nôn licebat Ecclesiae Antuerpianae nostrae plures duobus Ministros habere, eosque indigenas, aut ciuitate donatos aliqua in Belgio, & qui stipulanti Principi dedissent fidem: qua lege ij qui tum in loco aderant, prius quàm reuertissem Brugis, vocati ad Principem, iusiurandum fidei in transactionis leges iurauerant. Quum itaque dies aliquot in loco otiosus vixissem, neque moram in otio (quod rogabant illi) ferre bona fide possem; Ecclesia postulante ne saltem ex regione Belgica, vt metus erat, excederem, in agrum Limburgensem veni Octobri mense, de Antuerpianorum fratrum sententia, tota mea supellectile libraria ac vestiaria apud illos asseruata: ex quo deinde factum, vt vniuersam illam amitterem. Dies agebatur Octobris decimusquartus, quum Antverpia profectus sum: postridie in agrum Limburgensem veni, vbi me varij fluctus exceperunt. Nam primum vt pedem Heruae posuimus (is pagus est laude caseorum in Belgio & Germania celebris) tumultus in vico exortus est: sed continui me ab eo

eo tumultu, & omneis qui domi erant compescui. Postridie Limburgum abductus sum, vbi Magistratus operam meam se auctore negauit occupandam. Indignantibus bonis, in pagum remeo qui dicitur Summanium. Die Veneris, qui dies erat Octobris XVIII. primam apud Limburgenses concionem habui in campo non procul Herua, quà itur Leodium, satis magna frequentia: vbi vir quidam adstitit à tergo mihi, qui armatus venabulo antè iurauerat me à se occisum iri, si vel ad longitudinem sui venabuli me posset accedere. Hominem fregit Deus integro venabulo, adeò vt tranquillè mente composita sermonem ipsius audiuerit. A concione Heruam pransuri venimus, quasi 130 viri: eodemque Limburgensis Legatus aduólat cum satellitio, vt me comprehendat, si pote: signúmque dari ex aede iubet, arma publicè conclamari, plebem accurere ex propinquis pagis. Ieiuni adhuc procedunt nostri, mensa relicta, ad quam coeperamus accumbere: strepitus editur: in armis stant prae foribus & omneis aditus circummuniunt, ne quam vim paterer, aut pateretur domus. Ego verò bonos, qui ad me vicissim aduentabant intrò, nonnullos moneo, si qua alia ratio inueniri potest, prouideant diligentissimè, vt à pugna abstineatur grauissimis malis omneis affectura: id potiùs dent operam, vt honestè de loco abeamus antè, quàm veniatur ad manus. Placuit res vni, & item alteri: qui postico egressi abrumpunt sepem, & nobis egressis alios inclamant accinctos pugnae: ostendunt nos rectà Limburgum proficisci: consultius fore, vt me frequentes prosequantur. Itaque sequuntur omnes illicò, méque Limburgum deducunt incolumem, vbi in templo die Dominico, qui XX, erat Octobris, conciones habere coepi, demirantibus Pontificiis, & Anabaptistis quoque (hi enim permultas pias animas in loco turbauerant) ringentibus. Post concionem manè in templo habitam, sine mora ad duo ferme milliaria ab vrbe proficiscor in locum qui vulgo Altus Dei mons appellatur, Leodium versus, vt ibi iterum concio haberetur. Indictus autem fuerat ille concionis locus ad diem illum temerè, inconsulto me atque improbante factum. Sed quia populus ex regione tota conuenturus frequentia maxima (vt fecit) dicebatur, quamuis de periculo factus impendente certior, nolui desiderari officium meum, aut aspergi mihi labem ignauiae, in ministerium Euangelij, quod mihi concreditum est, recasuram. Habentibus itaque concionem nobis, vniuersus populus se bis in fugam dedit, licet reuocarem eum seriò: bis à me recollectus est, quum fuisset primùm concitatus incerto rumore ac nuncio puerulo, deinde verò adspectu conterritus, quòd equitatum satis numerosum (nam quasi 80. fuisse dicuntur) in armis à Leodiensi Episcopo submissum ad comprehendendum me, & iam descendentem in vallem subiectam ad nos animaduerterent. Plurimùm die illo me Deus, plurimùm populi illius animum, ad me immotum respicientis, confirmauit: adeò vt quum eques ad tergum meum secundùm spem accessisset, illi contrà in armis obstarent ad sepem restituri, quibuscunque fuerunt arma. Etiam lapidationem faeminae multae minabantur (nam iter erat angustum equitatui & praeceps) & fuissent facturae, nisi vnius aut alterius viri nobilis, qui tum adfuit, detinuisset auctoritas. Sic illi re infecta abiuerunt à nobis, & ego réveni domum ad hospitem meum Limburgensem, vbi maxima cum voluptate quasi semiannum aedificaui domum Domini. Huic verò confirmationi sancti ministerij post hebdomadas quasi duas alterum quoque signaculum adhibuit Deus, admirabili prouidentia. Erat in pago Leodiensis (opinor) agri cui á valle Dionysiana nomen, faemina quaedam anus, habens numerosam prolem, quae cum desperatione grauissima conflictabatur, se & liberos suos à Deo esse damnatos in maledictionem aeternam praedicans. In hac autem desperatione iam ad annos amplius treis & decem immersa fuerat: ideòque saepius exorcismis & baptisteriis velut daemoniaca per Sacrificulos tentata, saepe vinculis per vicinos verberibúsque cruciata. Vagabatur illa cum feris per siluas, & congressum (f. 19.) omnium fugiebat: vincula

vincula perrumpebat: denique ita se gerebat, vt omnibus persuasum esset eam à daemone grauissimè agitari. Quum autem vespere quodam viri aliquot boni ex Ververiano vico Limburgum venturi foeminam vidissent latitantem, appellant eam blandis verbis, & ita demulcent commodè, vt se ad me adduci pateretur. Admissa, primùm mussabat fremens, & mihi ad postulata non respondebat quicquam; sed in eos qui adstabant circumiiciebat oculos silentio. Id vbi obseruassem, exsurgens monui in aurem vnum aut alterum astantium, me nihil ex foemina coram testibus adeò multis exoraturum esse: rogare itaque vt alij post alios discedant de loco, post horam vnam aut alteram iterum ad nos reuersuri. Dictum, factum. Tum illa cum spatio animum colligens quaerenti respondet se iam annos amplius tredecim ita afflictam esse: in causa fuisse vicinarum circumstrepentium sermones, quae ipsam increpabant olim, & damnatam esse confirmabant, quum illa recens viduata viro in nouenis suis liberis curandis, iisque omnibus paruulis, sic distineretur, vt non vacaret seruire Deo: id autem est (aiebat illa) officio Missae, vt vocant, interesse. De liberis idem à se quoque iudicium fieri: nam ex serpentibus serpentes generari: ideóque horrere se ab aspectu illorum. Hîc ego re cognita, & tentata vt potui diligentissimè, foeminam institui paucis: non illud Dei seruitium (vt loquuntur) esse quod illae vicinae putauerant; sed ipsam verè Deo atque ex voluntate illius seruiuisse piam seruitutem, quum suos orphanos curauisset mater, prout veram religionem Iacobus descripserat. Acquieuit illa breui, eodémque vespere animo tranquillato à nobis abiit, Deo gratias agentibus & admirantibus singulis. Atque ex eo tempore verbo Dei reuerentia maior in tractu habita, auctáq. Ecclesiae celebritas; adeò vt multi ad me, quamuis contra docentem atq. obiurgantem inscientiae nomine, sanandos aegrotos adducerent magno dolore meo. Duo mihi per illud tempus impedimenta remorantia cursum Euangelicae praedicationes obtigerunt, Anabaptistae & Pontificij. Anabaptistas imprudenteis accessi aliquoties, & amice cum eis contuli: qua ratione optatos ipsorum & iamiam certos progessus inhibuit Deus, minuens numerum, auctoritatem, & gratiam ipsorum. A Pontificiis primùm vanae in absentem vociferationes, pòst speciosae aggressiones extiterunt. Vociferationibus templa vrbis Leodiensis personabant: sed quibus magis excitarent quàm minuerent auditorium meum. Vnus Franciscanus, qui apud Veruerianos concionabatur, nostrorum importunitate adductus, recepit se in condictum locum ad disputationem publicè venturum esse: postquàm verò se in iter dederat, excusauit se alicuius rei obliuione, pedémque retulit domum. Ridiculum est quod dicam; sed tamen indicium horum simplicitatis, & mendacissimae illorum impudentiae. Quum in campo essemus, Franciscani illius adventum exspectantes, vir quidam senex frequentiam illam maximam quae tum aderat perrumpens, copiam sibi fieri videndi mei postulauit. Audito strepitu rogabam, quid rei esset. Cognito hominem esse mei videndi cupientem, monui vt daretur homini ad veniendum locus. Tum ille demisso vultu inde à pedibus ad verticem vsq. obseruans diligentissime constitutionem meam, erupit in haec verba: eho, iamiam video non esse id verum, quod mihi de te fuerat enunciatum. Me autem dicente, quid ergo illud est? tibi, inquit, pedes fissos esse. Postquam verò infecta re ex loco excessimus, alterum quoq. ridiculum factum est à quodam superstitioso homine consecutum, quod cespitem seu glebam effodit illius soli, in quo pedes mei Franciscanum expectantis ad disputationem constiterant. Sed vbi perdiu longinquas illas vociferationes suas nihil efficere cognouerunt, tum certo ordine duo me ex Pontificiis aggressi sunt, praesertim cum audirent Sacramentum Coenae Domini post dies pauculos administrari in Limburgensi Ecclesia oportere: Franciscanus vnus, & alter Iesuita. Hi communicatis consiliis & condicta die sub vesperam Limburgum aduenerunt, vt me postridiè ad disputationem suis conditionibus,

bus, id est iniquis prouocarent. Postera igitur luce Legatus, qui arci praeerat, in curiam aduenit. Consilio exponit paratos illos venisse ad colloquium habendum in religionis causa. Consilium de me vocando in curiam egit. Legatus restitit, volens vt de Consilio aliquis potius ad me allegaretur. Praetor mihi rem exponit coràm: respondi placere mihi, nec refugiturum esse: de loco, tempore & modo ipsi dispicerent. Responderunt per Legatum duo antagonistae, & se facturos, si modò in arce habeatur inter nos disputatio. Super hac conditione roganti Magistratui ostendi me palàm docuisse; velle me, & omneis exspectare, vt eam doctrinam quam palàm docui, defendam palàm: & tandem expensis omnibus respondit Magistratus vrbis, me in arcem auctore se non esse ingressurum. Obiicientibus à populo sibi periculum futurum esse, spopondi me vltrò, si quis in ipsos tentaret quicquam, corpus meum ante ipsorum corpora stiturum esse excipiendis populi iniuriis. Tandem postulauerunt, vt campo ad quintum à Leodio lapidem institueretur colloquium: quibus id vnum responsi dedi, cùm iam in loco essent & sibi commodo, iniquè de loco altero & incommodo laborari. Ita reuersi sunt vterq. Franciscanus & Iesuita in stationes suas, & nunciauerunt suis me euictum ab ipsis profugisse, vt periculum capitis, cui me praefidenter subieceram ipse, effugerem. Atque hic rumor vbi percrebruit (nam in partes diuersas iuerant) multo plures quàm anté concurrerunt ad conciones Limburgum, & mendacio illorum viso zelum sanctum ad amplectendam Dei veritatem in Christo induerunt. Quum autem Aprili ineunte & antepaschali hebdomade illius, nonnullae equestres copiae ex Gubernatricis Parmensis auctoritate submissae cis Traiectum ad Mosam essent, quae me interciperent & Limburgensem populum infestarent; visum est magistratui, vtilius fore cùm mihi tum reipub. si loco cederem opportuné, quàm si importunè pertinacitérque subsisterem. Consilio in eam sententiam habito, vnus è Scabinis sub vesperam me familiariter compellat ambulans, & rem totam aperit. Itaque eadem nocte, quum fermè vndecima esset, cum bona Magistratus venia ex vrbe exeo, imbre vehementissimo; extraque fines agri Limburgensis abducor, vt me in Germaniam liberè aut quocunque animus esset, reciperem. Pòst iumento commodo in agrum Comitis à Geroldstein ad me per Limburgenseis misso, Heidelbergam veni: vbi gratiosè a Fri(f. 20.)derico Comite Palatino exceptus aliquantisper haesi, & Scoenouiensem Ecclesiam, quae ad Heidelbergam in montanis collecta est, libentissimè salutaui. Inde proficiscenti ad matrem Biturigas Scoenouiensis Ecclesia, me imprudente inuitóq. submisit comitem, cum mandatis vt me reduceret. Ille vt in mandatis acceperat, nolentem me domum prosequutus est: quapropter illi de equo prospexi, & sumptus maiores in iter facere coactus sum. Biturigibus apud matrem haesi ad mensem sesquialterum: à matre Lutetiam profectus Franciscum illum Albaspineum (cuius ante memini) Silvanectum, vel Samlisium (vt vocant) inuisi. Lutetia petiui Sedanum, Sedano Metim, vbi ad menses propè duos substiti, quum frater minor natu, quem studiorum causa mecum abduxeram, ex peste obiuisset. Heidelbergam reuersus, apud Scoenouienses functus sum ministerio Euangelij inde ab Octobri mense. Postero anno grauiter Ecclesiam illam florentissimam afflixit pestilentia: quo tempore inuitum & obnitentem me subtraxit loco Fridericus Elector, & in castra misit Aurasiorum Principis, quum funestam illam expeditionem (qua vix vllam miseriorem hoc nostro seculo fuisse arbitror) in Belgium instituit. Erant proditiones intus: foris calamitosa & aduersa omnia. Fugiebant omnes à copiarum nostrarum aduentu: commeatus nullus aderat: interuertebatur omnis moletrinarum commoditas; hostis mutilabat observans è propinquo, & nunquam praelij faciens potestatem; frigus inediáq. enecabant: corrumpebant pluviae. Hîc ego penè triduum sine pane & cibario vixi, tertia demum vespera herba

herba virente pastus: in Campania congelui frigore: in Lotharingia ereptus equus, quem per militem curabam duci ne discalceatum diutius offenderem: omnia deniq. circumuenerunt me incommoda. Quapropter omnino constitueram ex castris excedere, & me quocunq. periculo in Germaniam proripere. Sed parantem abitum detinuit Aurasiorum Princeps, vt sibi à concionibus essem: perinuitus substiti, donec in Germaniam cum copiis appulissem. Reuersum Argentinam benigne excepit me Elizabetha de Merode vidua Baronis Malbergij, & quae mihi opus erant curari voluit diligentissimè: nam exhaustus & nudus veneram. Sed nolui abuti illius benignitate: quin potiùs vbi ex sermonibus illius difficultates aliquas didicissem, in quas Ecclesia Scoenouiensis à meo discessu inciderat, in viam statim me conieci vltrò, insalutato Aurasiorum Principe (nam ad Bipontinum Tabernas montanas iuerat) vt laboranti illi Ecclesiae succurrerem. Fecit gratiam illi Ecclesiae Deus, vt rixae conquiescerent aduentu meo, quae corpus illud me absente cruciauerant. Tum ab Electore aliquoties accersitus, reuerti iubeor ad Aurasiorum Principem; nec audiuntur excusationes meae, aut querimoniae. Prospexit Deus, méque à reuisendo bello excusauit. Nam quum postremò ad Principem excusaturus Scoenouia accurrerem, canis mihi grauiter admordit dexterum pedem, non procul ab Heidelbergensi ponte. Sic me Deus ille Pater sapientissimus, praeter opinionem omnium, & Principis illius optimi voluntatem, Palatinatui ad annum vsque 1592. vindicauit. In eo primùm Scoenouiensem Ecclesiam docui ad annum vsque cIↃ. IↃ. LXXIII. Quo anno, ex auctoritate Friderici Electoris Heidelbergam migraui, cum D. Immanuele Tremellio versurus Testamentum vetus. Anno cIↃ.IↃ LXXVIII. me excepit Neostathmus, vbi & in Lambertano docui ad menses quatuordecim. Inde Otterburgum mandato Principis ablegatus ad nouam coloniam eo in loco statuendam, Ecclesiae Otterburgensi inseruiui annum sesquialterum. Ineunte Maio Neostathmum ad professionem reuocatus in Schola docui, donec me Palatinus Comes Ioannes Casimirus Tutor & Administrator Electoralis Palatinatus euocasset Heidelbergam, vt operam darem Academiae: in ea statione, quam mihi Dominus commiserat, permansi, donec reuisendae Galliae obiiceretur mihi necessitas. Eam Ducis Bullonij aduentus attulit: qui gratia & auctoritate effecit vt secum in Galliam abducerer inuitissimus: quia & recente dilectissimae vxoris obitu, & valetudine aduersa, & liberorum paruulorum cura, & meae stationis publicaeque aedificationis studio (quam inter arma negligi sum expertus iamdiu) afficiebar plurimùm. Inuisi tamen, & salutaui Regem, mandatóque eius quum in Germaniam reuertissem, acquiescente Principe, Academiae renunciaui, & cessi Palatinatu, altera patria mea: cui vt optimè cupio, ita faciat Dominus optime. Profecturus ad Regem iter facere Belgio constitueram, duabus de causis: tum quia res liberorum ita postulabant, tum quia certior & commodior esse via mihi videbatur, aut transeundi ad Regem, aut de voluntate illius quamprimúm cognoscendi. Post mensem itaque quàm Heidelberga profectus eram, Lugdunum Batauorum cum familia veni die 20. Iulij, & benignè à Magistratu, Academia, atque amicis acceptus sum. Rogantibus autem illis, vt pedem hîc figerem operámque meam Academiae addicerem. Quod res erat respondi: me ex Germania discessisse mandato Regis, & transeundi in Galliam animo, quia sic in mandatis esset: gratias me agere de honore quem mihi aliquoties antè habuerint, & adhuc habeant: oportere, ne quid contra honestatem officiumque facerem, ante ex Legato Regis qui in his partibus versatur ediscere, siquid fortè in mandatis à Rege haberet de me: & si nihil haberet, iudicium ipsius de rebus meis cognoscere. Probauerunt omnes, & cum Legato egerunt de postulatione sua, itémque ego de officio meo. Ita consentientibus illorum omnium iudiciis substiti in hac Lugdunensi Academia: cui benedicat Dominus, & mihi pro tenui facultate mea commodis publicis in ea seruienti.

Restat vt duo seorsim explicem, de coniugiis, & de scriptis meis, quorum recensionem ex me aliquot boni petiuerunt. In coniugiis variè me duriterque exercuit Dominus. Nam quatuor vxores duxi hactenus: adeo me (qui priùs propter canum impiarum scelera à faeminis abhorrebam, & functionis meae studio coniugium refugiebam peruicacissimè) castigauit Dominus, praeposterum iudicium meum tacitè exprobrauit, & periucunda optimarum fidelissimarúmque coniugum consuetudine euicit peccatum, indignámque de sexu foemineo toto opinionem meam. Primae vxori nomen fuit Agne, natae Guilhelmo Champion Actuario vrbis Leodiensis, Consulari viro: secundae Elisabethae Ioanne Corputio natae Actua(f. 21.)rio Bredano & Consule: tertiae, Ioannae natae Simone Lermita Domino in Betinsart, Antuerpianae reipublicae Scabino: quartae Mariae, natae Ioanne Glasero, qui olim gemmarius Antuerpiae fuit percelebris. Harum primam iniuria obstetricis è vita sustulit, quum ita corruptus in obstetricatu fuisset illius vterus, vt annos amplius septem indesinente sanguinis profluuio afflicta sit atque exhausta, incredibili cruciatu ipsius, & labore meo. Secundam, febris ardens die quinto, grauidam: tertiam hydrops. Hae tres sanctissimè obdormiuerunt in Domino, & sanctissimam sui recordationem superstiti reliquerunt. Ex prima gemelli vix viderunt lucem: ex secunda liberi quaterni fuerunt in lucem editi, è quibus superstites Ioannes Casimirus filius, & filiae duae, Maria, Elisabethaque: ex tertia bini, Ioanna & Franciscus.

Recordare mei, Domine Deus mi; pro misericordia tua, & gressus meos dirige in veritate tua, vt doceam & faciam quod iubes, & aedificetur Ecclesia tua per tenue ministerium nostrum amplissima benedictione tua in Christo Iesu Domino nostro.

SEQUITUR BREVIS NARRATIO DE MORBO ET PLACIDO. D. FR. JUNII OBITU 1).

Quid felicius esse potest homini Christiano, quàm vt pia vita, ad piam migrationem, quocunque tandem casu aut morbo pertingat? *Omnibus* enim *est eadem lethi via, non tamen vnus est vitae cunctis exitiique modus.* Et vt varij variis temporibus morbi grassantur, notum est, proh dolor! quàm longè latéque pestis contagio vbiq. serpat ac saeuiat, quàm improuiso & vehementer quosuis inuadat: qua Deus Optimus Maximus & impios ferit, vt iustè affligat; & pios exercet, vt aut corrigat, aut (punita mundi ingratitudine, malisque ingruentibus ereptos) ad meliorem vitam traducat. Ac vix quenquam ex indigenis aut incolis (Lugduno-Batauis) esse arbitror, quin iacturam aliquam ab hac contagione in se, aut in suis sentiat: ita ut eorum temporum, quibus Cyprianus vixit, & multa piorum millia hac lue absumpta sunt, expressam comperiamus imaginem. Hoc etiam morbo, non mirum (quo & Dauid & Ezechias olim fuerunt tacti) correpta prius, quam fallacis huius mali speciem senserit, honestissima matronavxor

1) Desumpta e funebri Oratione D. Franc. Gomari quam habuit d. VII Kal. Novembris anno CIↃ IↃC II in auditorio publico Leydensi.

matrona vxor Junij charissima, quámq. ob pietatem, prudentiam & in se ac suos amorem singularem maximi semper fecit. Hinc, *vt ignota & neglecta solent incendia sumere vires*, contagio morbi maritum prius inuasit, quam periculi magnitudinem satis cognosceret, & post biduum sub meridiem diei Octobris (nouo stilo) vigesimi, qui fuit Dominicus; tanquam caelestis Domini nutu & nuntio, ad Domini sui requiem clarius fuit inuitatus. Sensit imperterritus clementem Domini manum; & vt constanter vxoris dilectissimae morbum tulit, ita suum pertulit animi robore solito & inuicto. Nam, vt ciuem ac vicinum honestissimum Fabianum & me, qui pro amore & officio Iunium eodem die inuisimus, praetermittam, id norunt honorandi Domini collegae, doctores Vorstius, Bontius, Pauius: quorum humanitatem ac fidem in aduersis, vt grato animo aegrum praedicantem audiui & coniugem; ita silentio praeterire nec possum, nec debeo. Iuuat me etiam recordatio constantiae illius, qua, quum meam συμπαθείαν illi, praesente Iohanne Casimiro filio, cognato meo charissimo, explicarem, sedato & leni vultu; *Vtile est*, ait, *vt grato animo Dei patris ferulae manum submittamus: videt ille & curat, quod nobis est salutare.* Altero die, qui fuit Lunae, morbus, qui pridie se bubone patefecerat, intus & foris ardore & languore acrius instare coepit, adeò vt aegrum iam prostratum lecto fortius affixerit; sed animum illius, fidei & spei anchora fultum, non deiecit nec imminuit; sed (vt gubernatorem tempestas & militem acies probat) fortem & inuictum demonstrauit. Norunt id domistici & alij qui accesserunt. Nam mane & vesperi adeuntem me & concurrentem symmystam charissimum D. Trelcatium, morbi importunitas exclusit: vnde vnà ad reuerendum senem & Ecclesiae pastorem D. Thomam Spranchusium (nunc quidem beatum in caelis, sed tunc cum eodem morbo conflictantem) inuisendum, deflexímus. Norunt, inquam, domestici & alij nonnulli, quanta tranquillitate, neglecta rerum terrenarum cura, sese totum illo die composuerit ad vitam caelestem. Norunt, vt nostrates sileam, illius populares, iuuenes ornatissimi, qui ex vniuersa Gallia, Iunij fama & amore accensi, frequentes in hanc Academiam, tanquam ad bonarum literarum mercatum, confluxerunt, & vt parentem alterum colentes, obseruantiam ac fidem suam consolatione ac praesentia sua comprobarunt. Porrò die Martis grauius etiam morbo saeuiente laborare coepit atq. amplius affligi, luis vehementia omnem medicinae opem pertinaciter respuente, attamen fortissimus noster athleta in hoc duro conflictu non victus, sed probatus, nullis vsus querimoniis aut motu, rupis instar indomitus, fractis morbi fluctibus, in Deo & Seruatore suo acquieuit. Nam quum sub meridiem ipsum salutarem & paucis consolarer, respondit: *se in Deo acquiéscere; Deum quod esset salutare, clementer perfecturum ad gloriam suam.* Sciebat enim aureum illud antiqui ac pij doctoris dictum esse verissimum, *Mortalitas ista, vt Iudaeis, Gentilibus & Christi hostibus pestis est; ita Dei seruis salutaris excessus est.* Sciebat, pro sua sapientia & pietate singulari, nihil esse stultius, nihil indignius, quàm ad praemia caelestia non obsequio voluntatis adcurrere, sed necessitatis vinculo inuitum trahi. Quamobrem eadem vsus animi tranquillitate ac fidei constantia ad posterum diem Mercurij in caloribus illis perdurauit, morbo magis magísq. inualescente. Aduersus quem insomnis partim verbi diuini gladio (quem ex sacro Psalmorum & primae ad Corinthios epistolae armario, per ornatissimum & fidelissimum iuuenem Samuelem Riuerium curauit depromi), partim pio precum ardore; quem manibus iunctis, vultu ad caelum sublato & coniunctis suspiriis testatus est; tota illa nocte concertauit. Illud mihi tunc incommodi acciderat, quod (quum pridie diei Martis, intempesta nocte, rogatu coniugis illius afflictae, ad eam, licet in fide & spe constantem, amplius saeuiente mor(f. 22.)bo consolatione subleuándam, essem accitus) cogerer, nocturna caeli intemperie offensus, sumpta postmodum medicina, die Mercurij, domi me continere.

me continere. Ne tamen officio deessem, vocaui ad me, pro familiaritate nostra, D. Lucam Trelcatium, ac rogaui, vt pro sua constantia ac beneuolentia, meas apud affinem grauiter aegrotantem partes subiret, & vltimum illud viro eximio optiméque de Gallica Ecclesia merito praestaret officium. Non grauatus annuit, & vltro quoq. eo propendens adiit; sed (partim, quod aeger quietis amans consolatoris fidelis ac pij adhuc praesentis sermonibus detineretur; partim quòd & ille & coniunx hoc sedulò semper curarunt ne non necessaria visitatione contagio serperet latius, praesertim in uiros Ecclesiae adeo necessarios) monitus est non esse opportunum. Hoc nuncio ad me perlato, officij conscientia & amore accensus, malui me caeli inclementis ac procellosi iniuriis exponere, quám vt summum virum & affinem optimè de me meritum, cognito periculo, in extremo desererem. Accessi igitur, & à filio intromissus, vacuum à salutantibus & vultu constanti praeditum reperi; sed viribus prostratis. Monui, non opus esse multis verbis, quòd scirem ipsum reconditum et instructissimum habere apud sese consolationum penu: inde, quae aliis toties exposuerat, sibi apponeret, iísque in aduersis sese confirmaret. Meminisset se Deum habere propitium in caelis patrem, Christum Seruatorem, caelum patriam & haereditatem, arrhabonem illius in corde Spiritum sanctum, mortem ad caelum & vitam immortalem esse viam. Hac fide, hac spe se sustentaret. Ibi vir constantissimus respondit, *eorum quae alios docuisset probè esse mèmorem & obseruantem: in Dei gratia se omnino acquiescere: Deum quae ipsi essent salutaria perfecturum.* Ita lubenter & iisdem consolationum capitibus, diuersis temporibus repetitis, se ad mortem, imò ad vitam meliorem comparauit. Rogatus à me, num quid vellet de liberis aut aliis rebus significare ac mandare? excepit, *se de rebus caducis eo tempore minimè cogitare. Vnum tantum velle monere, se sua omnia studia ad bonum publicum direxisse: videre laboraturam grauissimè facultatem nostram; officium facerem diligenter ac fideliter: & si in consilium ab illustribus Dominis Ordinibus aut Dominis Curatoribus adhiberer, aut eos compellandi esset occasio, sincerè ac sanctè iudicium exponerem, ac rogarem, vt, ad maximam vtilitatem & honorem Academiae, facultati nostrae & Academiae prospiceretur. Reliqua diuinae prouidentiae committerem.* Ita, ne in vitae quidem termino, reipublicae amantissimus, Academiae curam abiecit. Vt meritò, si verum est illud Comici, τοῦτ᾽ ἐστὶ τὸ ζεῖν οὐχ ἑαυτῷ ζεῖν μόνον, Iunium, dum vixit, verè vixisse dici possit. Hisce absolutis, & promisso officio, obseruantia erga maiores & fide erga publicum, arrepta languente & iam frigida manu, moestus (quod venenum ad intima cordis penetralia se recipere persentiscerem) ac sumpta medicina domum retractus, valedixi sub meridiem. Paulò post spiritu bis terue leniter attracto, anno aetatis quinquagesimo septimo animam placidissimè efflauit, & in Dei, ad requiem suam aeternam euocantis, manus libens reddidit. *Haec D. F. Gomarus.* Migrauit D. Iunius ad Christum, die XIII. Octobris, anno 1602.

II.

FRANCISCI JUNII DE VERA THEOLOGIA TRACTATUS.

DE THEOLOGIA VERA

ORTU, NATVRA, FORMIS, PARTIBVS, ET MODO ILLIVS,

LIBELLVS: QVO OMNES CHRISTIANI, DE SVA DIGNITATE; ET THEOLOGI DE GRAVITATE SVI MINISTERII secundùm Deum admonentur.

Editio secunda, ab ipso Autore, ante Obitum suum, recognita & emendata.

Nobilissimis & Amplissimis viris,

DOMINIS

CVRATORIBVS ACADEMIAE, ET CONSVLIBVS CIVITATIS LVGDVNENSIS APUD BATAVOS

FR. IVNIVS S. P.

Biennium est ipsum, Nobilissimi & Amplissimi viri, Domini obseruandi, quum me Deus Opt. Max. aliud agentem, & aliò ex superioris potestatis voluntate & iussu cogitantem, stitit admirabili consilio suo in hanc florentissimam vestram Academiam, & operam meam in ipsa voluit occupari. Ad illud consilium accessit eodem tempore Illustrium Ordinum auctoritas, & voluntas vestra: qui me ἐν παρόδῳ stringere cogitantem fines regionis vestrae, pedem iussistis figere quem tollebam migraturus, & in hoc portu conquiescere ad mare, quo me iactari cum familia iamiam oportebat. Hoc Dei consilium sapientissimum, hanc gratiosissimam Ordinum vestrámque erga me voluntatem agnosco certè ac praedico lubens meritòque: & si quod à me officium in hac mortali vita proficisci potest, quo gratias aliquas vobis omnibus referre possim, dabo operam vt labores mei, tanquam foetus animi illius mei, exspectationi vestrae, aut certe of(f. 1369.)*ficio meo & facultati respondeant. Non sum nescius multa interdum frustra*

frustra in exspectatione hominum esse, & opinionem ingenerari facilè cum aliorum persuasione simplice, tum vana Thrasonum & ἀφεταλόγων *multorum arrogantia. De me, neutrum amaturus sum, nec amaui vnquam. Iniuriam faciunt, qui sibi de me spondent quod non est penes me; & mihi tacitè, dum bene sentire putant, exprobrant inscientiam & infirmitatem meam. Quòd si ego multa assumens mihi praedicauero, grauiorem mihi ipsi & vobis iniuriam fecero, tanquam si nesciam me ipsum metiri modulo ac pede meo aut rationem mei officij erga dignitates vestras explorare. Fecit tamen opinio vestra de me, fecit aliena (vndecunque ea sit) persuasio, vt meam absentis operam desideraretis, & ea praesentis vteremini. Humanam illam vestram in opinione de me concipienda, bonámque facilitatem, excepit mea in acquiescendo facilitas. Non quo mihi confiderem me exspectationem desiderij illius vestri explere posse: sed potius ita cum ani*(f. 1370.)*mo meo statuebam, meum obsequium (vtvt tenue) testem esse animi & voluntatis meae oportere; quamuis ab opinione iudicióque praecepto vestro absit longissimè. Itaque in hac celeberrima vestra florentissimáque Academia constitutus de sententia vestra, cum priuatis studiis scriptionibúsque, tum lectionibus & exercitamentis publicis non cessaui Spartam colere, quam nactus sum voluntate Dei judicióque vestro: qua in Sparta eo me libentius occupo, quo alias occupationes inde à multis annis didici fugere diligentius. Horret animus occupationes alias: praesertim conscius me ad has, non ad alias vocatum esse; ac fortè etiam ingenium ad has esse quàm ad illas aptius. Huius rei vos appello testes, testem Academiam, testem iuuentutem, quae meis lectionibus adhuc non infrequens interfuit. Quid plura? hunc ipsum libellum ad vos allego testem, reus promittendi factus iam biennium fermè totum, bonorum quorumdam & amantissimorum collegarum meorum postulatione. In hoc enim libello quid Theologia sit (cuius nos sacerdotes sumus) & quid Theologus, eo ordine explico, eáque via persequor, vt non possim quin exclamem, dum argumentum eius dignitatémque recolo, Et ad haec quis idoneus? Hic communis dignitas Chris*(f. 1371.)*stianorum omnium, hic singularis dignitas administrorum diuinae sapientiae, hic rerum diuinarum maiestas exposita, quam Deus in vasculorum* χοϊκῶν *testarúmque infirmitate voluit depositam. Christianis omnibus constare cupio de dignitate sua in Christo Iesu; Theologis verò & administris omnibus, de sui muneris gravitate: vt illi ad suam dignitatem contendant, hi attendant ad dispensationem sibi concreditam, ab aliis rebus velut scopulis periculosissimis Syrtibúsque caueant, & in his dies noctésque coram Domino (qui haec per spiritum consulentes ac relegentes docet) versentur religiòsissimè. Vos oro, Nobilissimi & Amplissimi viri, prout mihi huius rei tradendae in hac vestra Academia principes & auctores fuistis, ita hoc principium disciplinae meae in eadem traditum & vobis oblatum accipiatis aequo animo, tanquam fidei meae pignus, & studij propensissimi erga vos vestrámque Academiam (cuius me partem voluistis esse) documentum. Valete Nobilissimi & Amplissimi viri, & veram pietatem, Academiam pietatis* ἀσκητήριον, *me & literatos omneis, pietatis, veritatis, & humanitatis alumnos, amare pergite. Lugduni Batauorum,* XIIII. *Kal. Sextil.* CIↃ IↃ XCIV.

THESES XXXIX HOC TRACTATU ILLUSTRATAE.

Theologia aut sermonem Dei ipsius, aut de diuinitate sermonem rationémue significat, vt Augustini vtamur verbis, lib. 8. *de Ciuit. Dei, cap.* I. *Nos de posteriore significatu dicturi sumus. Cap.* I.

2 *Esse autem Theologiam res ipsae, & consensus omnium populorum docent: Res; nam & Deus est, & idem principium est omnis boni in rerum natura, & loquitur, & agit Deus. Consensus; nam omnes ita esse agnoscunt naturae luce.*

3 *Etsi autem ab omnibus creditur esse Theologiam, in vulgo tamen* ὁμωνύμως *dicitur: est enim haec vera, illa falsa & opinabilis.*

4 *Falsa Theologia est duplex; vna vulgaris, altera philosophica: Vulgaris, quae in principiis naturae nostrae imperfectis subsidens non assurgit altiùs ratiocinatione: Philosophica, quae ratiocinationis errore in falsas conclusiones diffluxit, & fabulosam, naturalem, ciuilemque ex principiis illis procreauit.*

5 *Theologia est sapientia rerum diuinarum Cap.* II.

6 *Haec aut est* ἀρχέτυπος, *nimirum Dei ipsius sapientia; aut est* ἔκτυπος, *à Deo informata. Cap.* III.

7 *Theologia* ἀρχέτυπος *est diuinarum rerum diuina sapientia. Hanc verò nos adoramus, ac non inuestigamus. Cap.* IV.

8 *Theologia* ἔκτυπος, *siue simpliciter (ut vocant) siue secundum quid considerata, est sapientia diuinarum rerum à Deo ex archetypo ipsius informata*(f. 1371.) *per communicationem gratiae ad gloriam ipsius. Cap.* V.

9 *Atque haec quidem Theologia simpliciter dicta, est tota sapientia rerum diuinarum cum re creata communicabilis pro communicantis modo.*

10 *Theologia verò secundùm quid, est sapientia rerum diuinarum cum creaturis communicata pro modo ipsarum. Communicatur autem vnione, uisione, aut reuelatione.*

11 *Theologia quam vnionis appellamus, est tota sapientia rerum diuinarum, communicata cum Christo* θεανθρώπῳ, *id est, quà Sermo caro factus est, secundùm humanitatem eius. Cap.* VI.

12 *Theologia visionis est, quae communicata est cum Angelis, & spiritibus sanctorum consecratorum, seu perfectorum in caelo. Cap.* VII.

13 *Theologia*

13 *Theologia reuelationis est, quae hic communicatur cum humano genere: quam etiam non incommodè Theologiam nostram appellaueris. Cap.* VIII.

14 *Est autem duplex Theologiae communicandae modus, natura & gratia: illa, velut internum principium communicationis: haec, velut principium externum illius. Ex quo fit, vt Theologia vna dicatur naturalis, & supernaturalis altera. Cap* IX.

15 *Theologia naturalis est, quae procedit ex principiis secundum se notis naturali intellectus humani lumine, pro rationis humanae modo. Cap.* X.

16 *Huius Theologiae naturalis in intellectu humano notio versatur in rebus communibus, & obscura, & imperfecta est: eoque necesse habet à supernaturali suscipere perfectionem suam* (f. 1372.)

17 *Haec conditio fuit Theologiae naturalis in Adamo, natura integra: quam ex principiis communibus, obscuris, & imperfectis coli & augeri oportebat ratiocinatione, & gratia perfici.*

18 *Postquam vero natura haec corrupta fuit, illa quidem ipsa principia in singulis permanserunt, communia, obscura, atque imperfecta; sed in sese corruptissima, & inter se conturbatissima, tanquam rudera naturae nostrae, vitiositate nostra.*

19 *Itaque haec Theologia nihil omnino ad perfectionem potest perducere, nec perducit vnquam: ac ne perfectionis quidem est per seipsam capax superuenientis à gratia.*

20 *Quapropter superuenire homini oportuit illam Theologiam inspiratam; quam ab ortu eius supernaturalem appellamus; & Theologiam reuelationis, à communicationis modo. Cap.* XI.

21 *Est autem Theologia supernaturalis sapientia rerum diuinarum, quae procedit ex principiis secundum se notis superioris scientiae lumine, supra humanae rationis modum.*

22 *Huius Theologiae supernaturalis duplex est ratio: nam aut absoluta est & secundùm se, pro modo communicantis; aut secundùm quid, pro modulo eorum ad quos peruenit communicatio.*

23 *Theologia nostra absolutè dicta, est sapientia rerum diuinarum secundùm veritatem diuinam à Deo inspirata, & per enunciatiuum sermonem in Christo commissa seruis eius, atque in testamento vetere & nouo per Prophetas, Apostolos & Euangelistas consignata, quantum eius hic nobis expedit reuelari ad gloriam ipsius & electorum bonum. Cap.* XII.

24 *Materia Theologiae est, diuinarum rerum: nimirum Deus, & quaecunque ad Deum ordinata sunt; prout disciplinam Dei de natura, operibus & iure ipsius tradi oportuit. Cap.* XIII.

25 *Forma Theologiae est diuina veritas: quae in Theologia bifariam consideratur. Nam aut tota, vel pars totius aliqua simpliciter in sese; aut partes aliae cum aliis inter se considerantur iusta comparatione. Cap.* XIV.

26 *Haec veritas sancta, iusta, atque perfecta est: quippe quae nihil profani, iniusti, imperfecti docet, nihilque sancti, iusti, perfecti non docet; vt ad sanctimoniam in nobis, iustitiam erga omneis, & perfectionem per omnia quam perfectissimè dirigamur.*

27 *Itaque haec Theologia vna est, & aeterna, & immutabilis: nam quod verum est necessariò, idem est necessariò vnum: quod iustum, & sanctum, id iustum & sanctum*

sanctum nunquam esse non potest: quod denique perfectum secundùm Deum, idem est omnino ac semper immutabile. (f. 1373.)

28 *Caussa efficiens nostrae Theologiae duplex à nobis ponitur: vna principalis, & instrumentalis altera. Cap.* XV.

29 *Principalis caussa efficiens & absoluta nostrae Theologia, est Deus Pater in Filio per Spiritum suum inspirans eam: vt qui unicus est, auctor, & effector summus ac perfectissimus sapientiae huius in seruis suis.*

30 *Instrumentalis caussa est huius sapientiae, λόγος προφορικὸς, vel sermo enunciatiuus Dei: tum spiritualiter, tum corporalis, corporaliter.*

31 *Finis duplex est Theologiae: nam vnus remotus est vel summus: alter verò propinquus & secundarius ab eo, ac subordinatus (vt loquuntur) ei. Cap.* XVI.

32 *Primarius finis vel summus Theologiae, est gloria Dei: hanc enim Theologia omnibus spectandam exhibet, & omnes etiam boni vsu sapientiae huius legitimo eam testatam faciunt, prout sapientia iustificatur à filiis suis.*

33 *Secundarius finis Theologiae nostrae vel subordinatus, est electorum bonum praesens & futurum: nam horum pietati factae sunt promissiones huius & venturae vitae: haec autem Theologia est pietatis verae sapientia.*

34 *Theologia nostra secundùm quid, siue Theologia in subiecto dicta, est illa eadem sapientia rerum diuinarum, modificata pro ratione eorum hominum quibus inest, & ex qua Theologi appellantur. Cap.* XVII.

35 *Hujus Theologiae in subiecto modus circumscribi non potest: quia & in vnoquoque variat, & inter omneis est diuersissimus.*

36 *In vnoquoque uariat: quia inest vnicuique principium duplex natura & gratia: quarum illam diminui, hanc augeri necesse est de gloria in gloriam virtute spiritus & efficace Theologiae communicatione.*

37 *Inter omneis variat: quia plus in his quàm in illis natura minuitur, & inualescit gratia: etsi hic nemo ex omnibus totam formam nostrae Theologiae perfectè per omnia comprehendit.*

38 *Etenim totam quidem perfectamque formam huius Theologiae perceperunt Prophetae & Apostoli, at non perfectè in sese: eamque totam tradiderunt singulari virtute spiritus reliqui omnes: nec totam, nec perfectè.*

39 *Itaque forma Theologiae nostrae in se quidem vna est, vt antè diximus, sed in nobis modo est multiplex, atque futura est, donec concurrentes in vnitatem fidei & cognitionis Filij Dei, fiamus vir perfectus, euehamurque vnà ad mensuram staturae Ecclesiae, quae est complementum Christi. Cap.* XVIII. (f. 1374.)

TRACTATUS
DE VERA THEOLOGIA.

CAPVT I.

An sit Theologia.

DICTVRI de Theologia, communi thesauro diuinae & salutaris Sapientiae, primùm Deum optimum maximum, à quo omnis Sapientia & donatio bona proficiscitur, oramus supplices, vt in sanctissimo hoc argumento praelucere dignetur nobis aeterni Spiritus sui luce, & nos in omnem veritatem deducere, ex promissione sua in Christo Iesu: Deinde verò, vt si quid per Dei benedictionem in hac causa adferimus salutaris & boni, eamdem benedictionem suam omnibus iis qui lucubrationem hanc nostram lecturi sunt, exhibeat salutarem: quò gloria ipsius in nobis omnibus stabiliri, & nos in ipso possimus augescere, donec assurrexerimus in staturam illam iustam viri perfecti, & assequuti fuerimus complementum Christi.

Quia verò in omni re quae agitur primùm videndum est vt definiantur voces rerum & res vocibus significatae, ne fortè ab instituto consilio temerè discedatur; vtrumque paucis in hoc capite facturi sumus, antequam de re ipsa instituamus dicere: nam hac via veluti strata, & patefacto aditu commodo ad eas res de quibus dicturi sumus, omnia Lectori longe euidentiora fore confidimus.

De nomine itaque Theologiae hoc modo statuimus: *Thes.* 1. *Theologia aut sermonem Dei ipsius*, *aut de Diuinitate sermonem rationemque significat*, *vt Augustini vtamur verbis*, *lib.* 8. *de ciuit. Dei*, *cap.* 1. *nos de posteriore significato dicturi sumus.* Duplex igitur est huius nominis significatio, si ad etymon ipsius attendamus; vtraque recepta consuetudine sermonis Graeci. Vt enim *θεοπρόπιον* oraculum est quod enunciat Deus; & *θεοσημεία*, significatio quam Deus exhibet, sic etiam Theologia sermo est quem Deus ipse in rebus creatis enunciat. Verúmtamen altera illa significatio ex vsu magis fuisse videtur semper sermonis Graeci; vt sermonem ipsum qui de Deo enunciatur, aut rationem rerum diuinarum intelligamus Theologiae appellatione: quemadmodum etiam orthodoxis Patribus, *Θεοσοφία* Sapientia rerum diuinarum fuit appellata. Atque haec quidem duo ad iustam Naturam Theologiae non solum conuenire possunt, verumetiam conuenire per se & simul *ἀχωρίστως* esse necesse est. Sed quia non potest proprie vtraque interpretatio huic nomini eodem in loco tribui & contineri vi (vt appellant) vocis; posteriorem significationem deinceps instituimus explicare: praesertim cum multa etiam locutus sit antehac, aut loqui possit in posterum Deus, quae ad substantiam

stantiam Theologiae minime pertinent. Est enim Theologia, vt scientia omnis, rerum communium, Dei autem sermo in rebus etiam particularibus non raro occupatur.

De hac igitur Theologia, prima haec quaestio videtur nobis expedienda esse, An aliqua sit ea quae Theologia à nobis vulgo nominatur. nam cum eorum quae nominantur sermone nostro, alia sint, & alia non sint in Natura rerum; alia sciri possint & alia non possint; frustra de ea re à nobis ageretur, quae nec esset ipsa, nec ab homine sciri posset. *Thes.* II. *Esse autem Theologiam Res ipsae & consensus omnium populorum docent; Res: nam & Deus est, & idem principium est omnis boni in rerum Natura, & loquitur, & agit vt Deus: Consensus; nam omnes ita esse agnoscunt Naturae luce.* Pluribus quidem argumentis rerum, eisque luculentissimis, demonstrari posset Theologiam illam esse ex veritate, cuius significationem modo circumscripsimus. Sed haec duo in praesentia posse videntur ad sermonem institutum nobis sufficere; reliqua in aliud tempus (si Deus volet) reiecturis. Prius (f. 1375.) argumentum est *res ipsae*. i. subiectum ipsius Theologiae: Posterius *consensus populorum omnium*, & scientia Naturalis illius subiecti, quatenus illud subiectum in cognitionem hominum venire potest. Non est autem dubium, quin eorum quae sunt habeatur aliqua scientia: & Scientia eorum sit in ijs qui sciunt, pro modo & captu ipsorum. Si ergo *Deus est*, & sciens est, Deum certe scientem sui ipsius esse dicamus pro modo ipsius necesse est; Id est autem, infinitum, ac scientem sui infinita & plane diuina scientia. Si Deus *principium est omnis boni in Natura rerum*, optimè ex eo concludimus, omnes creaturas, quae bonum intellectus atque scientiae ab illo principio vniuersali obtinent, aliqua saltem Dei & Theologiae scientia esse praeditas, qua agnoscant singulae illud principium suum vnde processerunt. Si Deus *loquitur*, & loquitur non res solùm particulares, sed & communes ad veram ipsius cognitionem pertinentes: Si denique *agit vt Deus* erga creaturas omnes, quarum his obscura vestigia maiestatis suae, illis certam imaginem impressit in natura ipsarum omnino Theologiam oportet esse, quam & res creatae percipiant communicatione, & Deus possideat in sese tanta perfectione, vt neque apprehendi, neque enarrari possit pro dignitate ipsius, sed destringi solùm pro modulo infirmitatis nostrae. Quemadmodum autem argumentum subiecti illius admirabilis Theologiam esse confirmamus, sic etiam argumento nostri ipsorum & naturae nostrae omnes Theologiam aliquam esse agnoscimus. Nam siue Naturam secundùm rationem communem spectes vniuersitatis istius, haec profectò enarrat gloriam Dei, & quasi proclamat voce, exsertoque digito commonstrat sermonem illum rationemque de diuinitate, quam Theologiam appellamus: siue Naturam communem spectes humani generis: tanta est in eo *naturae lux*, & communis adeò ingenerata notio, ut omnes homines tam docuerit esse Theologiam aliquam Diuinamque sapientiam, quàm docet esse Deum: Siue denique nos ipsos récognoscamus singuli, & quasi peruestigemus penitiùs tortuosa illa penetralia & abditissimos recessus mentis nostrae, Nihil in nobis futurum est quod non ostendat Theologiam esse, & contradicentes euincat manifestissimè. Tanta est Naturae vis, Tanta veritatis.

Atque haec quidem sic in communi nota sunt, & singulis à Deo exposita, vt nemo homo, quamuis rudis aut ferus & ab omni humanitate alienus, ignorare possit, illam, de qua dicimus, Theologiam exsistere. Sed quae in communi docemur insita Naturae luce, ea particularis Naturae in singulis caecitate & infirmitate obscurantur, & praestinguitur quodammodo acies mentis nostrae, ne id ipsum quod Natura communis docet, rectè percipiat particularis in vnoquoque nostrûm. ex quo fit, vt Veritatis aliquid tamquam per vmbram è longinquo videamus: sed per tenebras innatas & circumstantes nos, non nisi falsò videamus illam ipsam, quam videmus, veritatem Dei. Id nos enunciamus in hunc modum, *Thes.* III. *Etsi autem ab omnibus creditur esse*

esse Theologiam, in vulgo tamen ὁμωνύμως *dicitur. Est enim haec vera, Illa falsa & opinabilis.* Aequiuocationem istam, quam hic statuimus, efficit rei Veritas cum falso corruptoque nostro iudicio & sensu comparata. Nam ex rei Veritate quidem est, vt sit sapientia rerum diuinarum, qualiscunque illa tandem & cuiuscunque sit, etiamque vera dicatur esse: ex iudicij verò nostri deprauatione, & quasi pituita sensum spiritualis gustus mentibus nostris adimente est, quòd in hac quoque (vt in caeteris) causa grauissima falsum pro vero amplectamur. Ita(f. 1376.)que secundum Veritatem rei, dicitur aliqua omnino *vera* esse Theologia, vniuoce appellata; secundum verò opinionem; quam deprauato & obstupefacto iudicio nostro concepimus, est & Theologia dicta aequiuoce, quam *falsam & opinabilem* appellamus: falsam, quia toto coelo (quod aiunt) abest à Veritate subiecti propriè ad Theologiam pertinentis: Opinabilem verò, quia opinione solum consistit (si quidem illud est consistere) in mente & imaginatione nostra, somnia mera atque ludibria pro veritate, & idola atque tragelaphos pro Deo vero confingente. Ac de falsa quidem Theologia & opinabili non est consilij nostri vt dicamus multis; quandoquidem in vera assequenda labor est perutilis, & periculosus error; in falsa perscrutanda labor inutilis, & error à periculo graui alienissimus. sed tamen vt strictim aliquid de ea dicamus, quantum ad istius hononymiae demonstrationem pertinet, Ita statuimus; *Thes.* IIII. *Falsa Theologia est duplex: Vna vulgaris, Altera Philosophica: Vulgaris, quae in principiis Naturae nostrae imperfectis subsidens non assurgit altius ratiocinatione: Philosophica, quae ratiocinationis errore in falsas conclusiones diffluxit, & fabulosam, naturalem, ciuilemque ex principiis illis procreauit.* His paucis, tum vnum veluti corpus falsae Theologiae circumscribi putamus posse; tum singulas partes ac membra ipsius seorsim demonstrari. Etenim falsae Theologiae istius radix (ut ita dicamus) & caput illud est, quod *Theologiam vulgarem* appellamus: Corpus situm est in *philosophica*, quae exinde in tres ramos luxuriata est amplissimos, & siluescentes plurimum. Vulgarem Theologiam appellamus eam, quae communis est omnium, ut sunt principia eius notionesque & praeceptiones communes in mentibus nostris adumbratae: & quae nec ratiocinationis cultura subigitur (vt ita dicamus) nec superueniente aliunde adiumento augescit; sed in illa sua conditione notionibusque imperfectis conquiescit, & tanquam in faece imperfectionis & corruptionis suae naturalis desidet. Philosophicam vero dicimus eam, quae cultura & accessionibus intus & foris ad illam Vulgarem adjectis, ratiocinationis errore & quasi maeandro mentis nostrae extollit sese ad conclusiones de diuinis rebus omnino falsas, ac proinde tum à veritate illarum, tum ab officio pietatis in Deum nostrae alienas. Ex quo autem hic truncus quasi à radice illa vulgaris Theologiae coepit procedere, statim diffusa est haec philosophica in tres ramos illos, quos suis nominibus ante distinximus, *fabulosam* puta, *Naturalem atque ciuilem* Theologiam; Quemadmodum ex Varrone & Seneca Augustinus lib. 6. de ciuit. Dei, cap. 5. explicauit. Mythicum siue fabulosum dixerunt illi, quo maxime vtuntur poetae ad theatricam voluptatem: Naturale vel physicum genus Theologiae, quo philosophi ad mundi interpretationem & veri naturalis peruestigationem, in suis diaetis atque encycliis: politicum denique vel ciuile, quod potentiores adhibuerunt, vt ciuitatum rerumque publicarum leges quaedam Religionis auctoritate stabilirent; primum, Voluptas: secundum, studium Naturale: tertium, publica peperit vtilitas in societate hominum posita. Atque haec tria genera incredibile est, quantis & quàm variis erroribus omni tempore & loco diffluxerint, donec Veritatem suam gratiosè aperuit Deus. sed quia hoc loco minimè statuimus de falso agere, ac nobis potiùs exponere est animus salutaris illius Theologiae Veritatem: praesertim cum totam illam siluam falsae Theologiae auctores quam plurimi putauerint diligentissimè; & tribus libris,

libris, sexto, septimo, octauo, de ciuit. Dei Augustinus sanctissimè & diligentissimè subuerterit: omisso sermone de falsa Theologia, quae nihil aliud est quam opinio & vmbra Sapientiae aliud quiduis pro rebus diuinis prehendentis, igitur omisso falso ad Veri definitionem & inuestigationem Deo auctore, transibimus.

CAPVT II.

Quid sit Theologia.

Vera igitur Theologia, cùm sapientia summa sit, summae amplitudinis & dignitatis in se, summaeque in nobis vtilitatis, si modò cum humilitate mentis & conscientia tenuitatis nostrae percipiamus ipsam à Domino, varijs modis (vt fecerunt multi) definiri potest. Sed quoniam ex tam multis definitionibus ea demum maximè probanda videtur es(f. 1375.)se, quae totam rationem & Naturam rei simplicissimis legibus artis ex veritate exprimit: nobis hic Theologiam definiri placet secundùm genus & differentiam ipsius, verbis numero quidem paucissimis, (si fieri potest) sed tamen significantissimis argumento. Cùm enim omni quaestioni simplici quae agitur, propriam suam definitionem optimi auctores iubeant adhiberi, secundùm genus & differentiam (vt vocant) specificam ipsius; hoc vtrumque conuenientissimè tradi in hunc modum iudicamus posse; *Thes.* v. *Theologia*, *est sapientia rerum diuinarum.* Est enim *sapientia*, verum genus verae Theologiae. Differentiam verò statuimus rerum Diuinarum, quae quidem verè diuinae sunt, appellatione. Ac primùm quidem Theologiam *sapientiam* eò appellamus, quòd omnes omnino proprietates ad intellectum, scientiam, & vsum salutarem pertinentes, ex Natura & supra Naturam, modo planè excellentissimo in sese complectitur; velut certissima principiorum index, amplissima scientiarum omnium εωρητικῶν καὶ πρακτικῶν princeps, & sapientissima omnium actionum rationumque arbitra, omni exceptione maior. Haec enim simplicia quaeuis principia nobis siue ingenerata â Natura, siue per Dei gratiam inspirata, & quidem immediata (vt dicuntur vulgò) immota, atque necessaria docet nos apprehendere: Haec eadem apprehensa componere atque dividere: Haec item ex compositis & diuisis ratiocinari diuino modo: Haec ratiocinationibus ad scientiam ipsam assurgere summe necessariam, certissimam, & sola Veritatis aeternae immutabilis & constantissimae contemplatione contentam. Cur enim Sapiens non acquiesceret diuina illa certitudine, quae inest cum rebus ipsis, quas Theologia tradit ut sunt: tum ipsi animo scientis, prout sunt diuinitus ab eo per Theologiam cognitae? Atque hae virtutes omnes, quas modo diximus, in Intelligentia positae, scientiis illis fere aptari solent, quae contemplativae vulgo dicuntur. Haec eadem ostendit optime modum necessarium verae sanctitatis & iustitiae nostrae modum (inquam) certum καὶ αὐταρκέστατον: Haec finem summum cum in Natura, tum supra Naturam rerum exponit in oculis nostris: qui finis supernaturalis verè solus est Naturae propositus; aut (si fortè alios insuper fines placeret apponere) Finis longe praestantissimus dicendus est: quibus in rebus omnis laus scientiarum consistit, quae actiuae nominari solent. Haec denique germana illa scientiarum mater atque regina est, quae quidem verè scientiae sunt atque appellantur; & principiorum, et ratiocinationum, & conclusionum ex eis, & scientiarum, & vsus, & actionum, & iudiciorum omnium, & totius rationis ad haec omnia pertinentis summa perfectio, quaecunque ab intellectu, & ratione, & scientia sunt, perfectissime iudicans, & ordinans sapientissime. Quapropter iniuriam faciunt verae Theologiae

Theologiae quicunque intellectus solum, aut scientiae, aut artis nomine eam definiunt: cum intellectus in principiis duntaxat positus rationem fundat, & opus ipsum rationis, quod appellamus ratiocinationem, exerceat: Scientia ex principiis ratione iusta suas conclusiones faciat: Ars vero ab intellectu scientiaque proficiscens in aliquo opere terminetur. At haec omnia simul Theologia nostra comprehendit; principiorum intellectum, conclusionum determinationumque scientiam, & operis nostri, quatenus ad Deum contendimus, artem saluberrimam: quae omnia nihil planè, praeterquam sapientia, iudicare certò potest, aut commode ordinare, aut praestare salutariter. Quae cum ita sint, non potest Theologiae statui vllum aliud genus, quam sapientia, de principiis scientiarum in Intellectu, & de conclusionibus earum iudicans, & omnia vi sua complectens quae ad perfectionem omnis boni sunt necessaria, & iis omnibus vtens sapientissimè.

Huic autem generi differentiam suam & propriissimam (vt ita dicamus) certe videmur adhibere, quum eam dicimus esse *Diuinarum rerum* sapientiam. Diuinas res quum appellamus, triplicem (vt ita dicamus) virtutem conditionemque admirabilem in eis complectimur. Primum, quod obiectum diuinum est, circa quod versatur Theologia: Deinde, quod modus sapientiae illius diuinus est: Tum denique, quod finis etiam diuinus est ac perfectissimus. quas tres virtutes siue conditiones simul in rationem iustam cum scientiarum omnium θεωρητικῶν καὶ πρακτικῶν, tum sapientiae huius, earum omnium facile principis, opus est concurrere. Nam sive ad obiectum materiamve huius sapientiae respexeris, Deus est, & quicquid Dei est, & quicquid à Deo est, atque ad Deum ordinatur: siue ad modum illius, divinus est principio, actione, ac effectu suo; non humana solùm omnia transcendens (f. 1376.) in infinitum, sed & Naturam hanc vniuersam quam longissimè praeteruolans: sive ad finem ipsum, Deus finis illius est, & salutaris illa atque gloriosa Dei ipsius visio, ad quam hac sapientia duce contendimus. Ad hunc finem, quotquot promissionis spiritu obsignati sumus per Dei gratiam, ita currimus vt non in incertum curramus; Ita pugilatu exercemus lacertos nostros, ut aërem non caedamus: 1. *Cor*. 9. 26. Denique obliuiscentes ea quae à tergo sunt, & pertendentes seriò ad ea quae ante nos sunt, scopum versus indesinenter ferimur ad praemium supernae vocationis Dei in Christo Iesu seruatore nostro. *Philip*. 3. 14.

CAPVT III.

Quotuplex sit Theologia.

Etsi ex iis quae modò ostendimus, informata esse videtur ὥσπερ ἐν τύπῳ, ratio verae Theologiae, de qua instituimus hoc loco dicere: tamen nomini illi augustissimo Theologiae, eiusque definitioni, qua modò vsi sumus, quaedam accidit aequiuocatio; quae distinguatur antè necesse est, quàm ad Theologiae huius quae agitur fusiorem explicationem veniamus. Tanta enim est amplitudo eius, vt neque eadem voce res adeò differentes commodè satis denotari possint, neque vno genere eae disparatae res comprehendi, quas vna voce significauimus. Quapropter vt res quae Theologiae nomine exponuntur, secundùm Naturam & conditionem suam genere toto differunt, sed analogia quadam inter se aptè communicant: Ita & vocis statuenda est homonymia, siue (vt vulgò loquuntur) aequiuocatio. Quamuis aequiucationem ipsam priùs quoque à nobis distingui hoc loco necesse est; quia haec non pura est aequiuocatio, sed analogica,

prout in scholis appellatur vulgò. Æquiuocationem puram nominamus eam, in qua earum rerum, quae dicuntur aequiuocè, ratio planè & totaliter diuersa est: sic enim liceat dicere scholasticorum modo. Analogicam verò, in qua earum rerum, quae dicuntur aequiuocè, ratio ex parte vel secundùm quid eadem, atque ex parte simul diuersa est: cuiusmodi aequiuocatio in enunciandis rerum diuinarum humanarúmque nominibus plurimùm solet accidere.

Secundum hanc ergo homonymiam, quam analogicam dicimus, duplex Theologiae modus à nobis statuitur, his verbis; *Haec aut est ἀρχέτυπος nimirum Dei ipsius sapientia, aut est ἔκτυπος, à Deo informata.* Huius diuisionis analogicae primùm sententia nobis exponenda est, deinde verò mónstranda ipsius necessitas. Sententia haec est: Theologiam, quae dicitur sermone nostro, vnam esse οὐσιώδη καὶ ἄκτιστον, id est, essentialem atque increatam, quam nos docendi causa deinceps hoc libello nostro ἀρχέτυπον siue πρωτότυπον dicturi sumus: Alteram verò, συμβεβηκυῖαν καὶ κτιστήν id est, accidentariam & creatam, siue habitualem, quam ἔκτυπον etiam commode dixeris, velut expressam quamdam ac potiùs adumbratam formalis illius Theologicae diuinae & essentialis imaginem. Ac mihi quidem videtur ἀρχέτυπος illa Theologia ab orthodoxis Patribus exemplaris olim appellata; ad cuius exemplar diuinum & immutabile, altera haec conformata est à Deo pro creaturarum captu: recentiores vero illám Theologiam secundum se, hanc Theologiam secundum quid appellarunt. Est autem illa Theologia, eadem ipsa infinita Sapientia, quam Deus de seipso habet rebusque omnibus, vt sunt ad ipsum necessario, proprie, & per se relatione perpetua ordinatae, secundum rationem infinitam ipsius: Haec verò Theologia, illa est sapientia, quam Creaturae de Deo habent pro modo ipsarum, deque rebus ad Deum ordinatis, per communicationem ipsius.

Atque haec quidem genera duo Theologiae ita disparata sunt, vt ad vnum aliquod certum caput & genus commune ex Veritate referri non possint. Illa nempe Theologia, quam diuinam & πρωτότυπον appellamus, nec generis huius est, nec vero vllius. Non esse communis generis cum hac creata Theologia natura docet huius, & illius. Illa enim Theologia ἀρχέτυπος essentialis est naturae Dei, & pars (vt ita dicamus) scientiae illius infinitae, quae in Deo essentialis est: quicquid autem essentiale est, id propriè contribui eidem generi constat cum essentia ipsa cuius id essentiale est, vt partem toti, & membrum corpori dicimus ὁμογενὲς, & genere communicans: Deus (f. 1377) autem supra omne genus, οὐσία ὑπερούσιος, vt Sancti Patres optimè appellarunt. Haec verò Theologia non est essentialis eorum ad quos pertinet; sed iis accidit tanquam habitus, essentiam eorum quasi circumvestiens: ac proinde ab illa tantum abest (vt cum vulgo dicam) ὅσον οὐρανὸς ἔστ' ἀπὸ γαιής. Non esse illam vllius generis (quod secundo loco dicebamus) Natura ipsa & ratio demonstrant luculentissime. Etenim si essentialis est, vt est, eoque Naturae Dei ὁμογενής, eadem certè illius ratio ac Diuinae essentiae futura est. Cùm autem illa Diuina siue essentia, siue Natura verè sit ὑπερούσιος, nulloque communi cum re vlla genere propriè aut impropriè, simpliciter aut per reductionem concludatur, optimè certè hanc Theologiam ὑπερούσιον esse praedicamus. Haec verò creata nostra Theologia & communicata illius ἀποῤῥοή, cum nihil sit aliud quàm sigillaris imago quaedam impressa ab essentiali illa, non est profecto communi cum illa genere, nec eo concludi potest; sed aliquam solum habet ab illa & cum illa analogiam: quemadmodum imago picta hominis non est homini ὁμογενῆς, sed ratione tantum analogica appellationem hominis obtinet aequiuoce. Quapropter recte Apostolus hanc cum illa comparans 1. Cor. 3. Nullus seipsum seducat, inquit: si quis sibi videtur esse sapiens in hoc seculo, stultus fiat vt fiat sapiens. Sapientia enim mundi huius, stultitia est apud Deum: nam scriptum est, Carpit sapientes in versutia ipsorum: & rursum, Dominus nouit cogitationes sapientum

sapientum esse vanas. Stat igitur illud necessario quod antè diximus, non nisi aequiuocatione, quam vocant ἀνάλογον vtramque simul Theologiam à nobis appellari.

CAPVT IIII.

De Theologia archetypa.

Postquam ab illa Theologiae Sacrae homonymia nos expediuimus, Nunc demum de vtraque seorsim tradi à nobis oportet ea quae sunt instituti nostri. Ac primùm quidem de Theologia archetypa dicturi sumus paucis, quae huius loci videntur esse: Deinde verò liberius diffundemus alterius Theologiae ἐκτύπου explicationem. De archetypa autem Theologia dicturi, quid dici à nobis possit, & quid item non possit, breuiter thesi VII. comprehendimus: *Theologia archetypa est diuinarum rerum diuina Sapientia. hanc verò nos adoramus, ac non inuestigamus.* Priore membro, quid díci à nobis de ea possit; Posteriore, quid non possit, religiosè discludimus.

Quid ergo de hac dici possit, propria descriptione (nam Infinitum definiri profectò non potest) vtcunque demonstramus, rerum communium quas Natura & scriptura docet enunciatione, quum archetypam siue πρωτότυπον Theologiam nihil esse aliud dicimus, quàm *diuinarum rerum diuinam Sapientiam:* Quibus verbis non definitionem statuimus: sed quasi definitionem, siue descriptionem quandam analogam ex rerum nostrarum exemplo, & sermonis nostri conformatione aliqua ad res diuinas applicata. Nam huius Theologiae non est genus *sapientia*, sed quasi genus ponitur docendi causa: nisi fortè (vt placet scholasticis, idque omnino rectissimè) sapientiam praedicari de Deo dicamus vniuoce, de nobis verò aequiuocè. Hac autem ratione sapientia non genus est, sed adaequatum (vt vocant) proprium, summè propriè Deo attributum; quod inde ad res creatas nostro sermone transfertur aequiuocè. Similiter quod nobis est differentiae loco, id in Deo nec est, nec facit differentiam: nam quomodo simplicissimae illi essentiae & ab omni compositione quam alienissimae differentia tribui posset? cùm differentia constituat rationem suae speciei, vt forma rationem materiae suae: Deus verò essentia simplicissimus vsque adeo sit, vt nec per cogitationem quidem probabilem compositio vlla ipsi attribui possit: Non materiae & formae, non partium, non essentiae & esse, non subiecti & accidentium; quia in Deo quicquid est, Deus est.

Atque haec causa est, cur restrictionis causa, siue loco (vt vulgo appellatur) specificae differentiae, Sapientiam hanc *diuinam* esse adiecimus, vt essentialem Dei, supereminentem, & extra supraque omne genus euectam sapientiam hic agi à nobis doceremus. Non enim est sapientia, prout sapientiae genus Philosophi distinxerunt (f. 1378.) Nam sapientia illa humana ortum habet aliunde, velut accidentaria: Habitus est: principiis gignitur; intellectu componente & diuidente alitur; rationes conserit: conclusiones ex eis nectit: scientiam efficit: arbitra est & iudex istorum omnium: & partes constituit ordinemque partium, quae sapientiae humanae subiectae sunt. Haec verò sapientia aeterna est, essentialis, adeoque essentia Dei: cui omnia non ex vllis principiis, compositione, & diuisione intellectus, ratiocinatione, conclusionibus, scientia, iudicatione, & ordinatione sunt praesentissima: sed simplicissimè, vnico omnium simul intuitu, ac non successiue, vt fit creatis rebus: haec principia gignit ex se,

ex se, non ex eis gignitur: haec Intellectum, rationem, conclusiones, scientias, sapientiam ipsam in aliis efficit, in se immutabilis & inuariata permanens: haec denique in aliis extra se omnia, partibus, ordine, & successione varians, tanquam vniuersale immotumque principium principiorum, intellectuum, rationum, conclusionum, & scientiarum omnium est, sapientia mater omnis sapientiae. De qua verissimè cum Iobo dixeris cap. 28. Est quidem argento eductio, & locus auro quod liquant metallarij: ferrum è puluere sumitur, & lapide funditur aes, &c. At illa sapientia vnde inueniretur? & vbinam esset locus intelligentiae? Non nouit mortalis aestimationem eius, neque inuenitur in terra viuentium. Abyssus dicit, non est in me: & mare dicit, non est penes me; &c. Solus Deus intelligit viam eius, & ipse scit locum eius. Nam ipse in extremitates terrae intuetur, sub omnibus coelis videt, & quae sequuntur. Hinc si ad differentiam venturi sumus (si quidem differentia potest appellari) non solum obiecto, modo, ac fine ipsius res diuinas sciri, iudicari, atque ordinari hac sapientia animaduertemus: verum etiam subiecto ipso (liceat enim Deum nobis, quamuis simplicissimum, docendi causa subiectum dicere) sapientiam diuinam esse, quae res omnes diuinas & singulas indesinenter capit vnà, vnico intuitu atque infinito, sine partibus rerum, sine ordine partium, sine motu & successione temporum (vt scholasticorum sermone vtar) Totum simul, atque totaliter. Nam propterea etiam Diuinam pronunciamus esse hanc sapientiam, propria ac non figurata significatione, vt extra supraque omnes res humanas, & temporarias, & creatas animos nostros semper attollamus: quum de hac sapientia habetur sermo.

Id autem vt melius possit intelligi, agedum, attributa quaedam huius Theologiae adferamus, ex quibus discrimen ipsius internoscatur à creata nostra. Est igitur ἀρχέτυπος haec Theologia, sapientia increata, formalis, absoluta, infinita, tota simul; incommunicabilis, & sui imagines aut etiam vestigia cum rebus creatis solum communicans. Increata est: nam principium ab vllo non habet, aut vllum principij vel creationis modum, imo ne speciem quidem vllam habet principij: nam principium ipsum principiorum est, pertingens à fine vno ad alterum fortiter, & disponens omnia vtiliter, Sapient. 8. Formalis est: nam essentialis est formae diuinae, siue Deitatis, adeoque ipsa essentia Dei: prout Deus est omnibus numeris simplicissimus, cuius esse, & sapere, & scire idem est, quamuis secundum rationem in mentibus nostris ea distinguamus. Absoluta est & perfectissima, nihil deficiens, nihil redundans, nihil varium continens, sed omnis in sese defectus, profectus, aut incrementi, & mutationis expers. Infinita est: Nam ad omnia pertendit vniuersè & singulariter, vt principium omnium: nec quicquam est (vt verbis vtamur Apostoli *Hebr.* 4: 13.) quod sit occultum ab ipsa, omnia nuda & manifesta sunt ante oculos illius. Tota simul est, pro ratione spiritualis illius συνεχέιας siue continuitatis, quam ipse quoque Aristoteles lib. 2. de anima nominauit. Nam neque per partes, neque successiuè inest Deo, aut in sese variat: sed pro modo ipsius Dei est: cuius cum essentia sit tota simul, ἀμέριστος καὶ ἀναλλοίωτος, eadem plana ratione expers est partium, & successionis, & motus omnis aeterna illius sapientia. Incommunicabilis est: nam Deitatis propria: ac proinde cum nulla re creata communicari potest: aut cum vllo ex facto communicata est, quod aliud sit è Deo. Nam profecto horum neutrum fieri vnquam potest, vt aut Deus ipse alteri cedat hanc gloriam suam, quemadmodum per Prophetas olim suos est loquutus, aut alius eam assumat, habeatque sibi. Postremo communicatiua est non sui ipsius propriè, sed cum maximè suae duntaxat imaginis. Nam illius inacessae, infinitae, & ἀκαταλήπτου sapientiae (quam sustinere nulla creatura, ne(f. 1379.)dum capere potest) illius, inquam, imago ad res creatas transmittitur, atque in eis imprimitur, ἀποῤῥοὴ deriuatur, refulget ἀπαύγασμα, & quasi ἀποσπασμάτιον ad illustrationem ipsarum deciditur; verumtamen illo exemplari summo, & fonte, & sole, & trunco (vt ita

(vt ita dicamus) seu corpore integro permanente. Nam penes Deum (inquit Iob. *cap.* 12 *v.* 13.) est sapientia, & fortitudo; illius est consilium & intelligentia. De hac ergo infinita & admirabili sapientia Dei, quid porrò dicturi sumus? cum ante diximus vno verbo, hanc non peruestigari à nobis, sed potiùs adorari. Quicquid dicere de ea possumus, prae ea nihil est: quicquid illa est, infinitum est, quod dici non potest; in se admirabile, & suspiciendum à nobis Religione summa: quo argumento Sapiens testatur honorem Dei in eo positum esse, quod abscondat rem, & tenuitatem nostram eo ipso argumento testatam faciat; quia gratiosus pater eam liberis abscondendo consulit imbecilitati nostrae. *Proueb.* 25. 2. Quapropter raptus in sapientiae huius admirationem Apostolus, exclamabat vehementissimè: ô profunditatem diuitiarum sapientiae, & cognitionis vel scientiae Dei *Rom.* 11. 33. & nos quoque πτοηθέντες hic gradum sistimus. nam quia abyssus illa est sapientiae, praestat iam ad riuos per eam communicatos, & ex ea profluentes veniamus; ne tenuitatem nostram, si nos demus in istud pelagus, amplitudo eius absorbeat.

CAPVT V.

Quid sit Theologia ἔκτυπος, & *quotuplex.*

Primariae illius Theologiae, quam adorari, non inuestigari à nobis opus est, vt ante diximus, foetus est secundaria illa Theologia, quam ἔκτυπον appellamus: Cuius latissimum vberrimumque campum, quam breuissimè fieri poterit, circumdatis cancellis certis decurremus. Huius definitionem commodè sic tradi posse iudicamus, *Thes.* VIII. *Theologia* ἔκτυπος *siue simpliciter (vt vocant) siue secundum quid considerata, est sapientia diuinarum rerum à Deo ex archetypo ipsius informata per communicationem Gratiae ad gloriam ipsius.* Nam hac definitione cum antecedens genus & differentia, tum causae ipsae exponuntur ad iustam constitutionem Theologiae pertinentes. Genus enim est *sapientia*, qua principia omnia cum naturalia, tum supernaturalia, & ratiocinationem ipsam componentem atque diuidentem, & conclusiones determinationesque exinde procedentes, & earum rerum omnium scientiam, & vsum iudicio ac ordinatione temperatum vnà complectimur. Differentia quoque & species eius, *rerum diuinarum* appellatione, vt ante, constituitur. Rerum autem diuinarum appellatione tum Veritatem eorum quae sunt atque scienda sunt, tum ius eorum quae facienda & fugienda sunt complectimur. Cum enim scientia haec omnibus numeris in se perfecta sit; ad iustam autem perfectionem bonitatemque huius diuinae imaginis vtrumque sit opus, quod verum, & quod iustum: omnino in hac sapientia vtrumque statui oportuit, τὸ θεωρητικὸν, καὶ τὸ πρακτικὸν, vnum in veri contemplatione, alterum in scientia iusti & iniusti vtili positum, quae nihil habeat cum falso & iniusto commune, aut habere possit. Atque has quidem res omnes, prout in Theologia explicantur, diuinas esse agnoscimus, non solum obiecto & modo, quibus in rebus scientiae hominum contemplatiuae videntur repere; verum etiam fine & vsu ipsarum, quae duo in actiuo scientiarum genere à Sapientibus solent obseruari, prout antè capite 2. demonstravimus. Atque haec de genere differentiaque communi Theologiae. Nunc ad causas definitione expressas veniamus. Principem ergo causarum locum in nostra definitione obtinet, quod *à Deo informatam* esse hanc Theologiam praedicamus.

mus. Est enim Deus ipse solus, non autem res creata vlla, efficiens causa istius habitus, quem Theologiam appellamus. Etenim cùm Deus solus sit vera Lux & substistens per se, nec tenebrae sint in ipso, vt S. Ioannes loquitur appositissimé; 1. *Ioan.* 1. 5. denique cum Deus ipse, sit αὐτοφώης, vt eleganter orthodoxi Patres apud Graecos enunciauerunt; ridiculum fuerit, si quis rebus creatis aliunde lucem, quam ab eo qui ipse est αὐτοφὼς, credat accidere. Quemadmodum igitur Sol Lunae foeneratur lucem; sic Deum in quo est lux, eaque lux vera (f. 1380.) illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, *Ioan.* 1. 9. luci esse rebus creatis, & suam lucem cum eis communicare, notamque facere in coelo & terra πολυποίκιλον sapientiam suam, certò ex verbis Apostolorum eius statuimus. *Ephes.* 3. 10. *Iacob.* 1. 18. Cum hac efficiente causa & altera coniungenda est, quam finalem vulgo appellamus. hanc verò in definitione illa expressimus, dicentes Id à Deo fieri *ad gloriam ipsius.* Vt enim Deus ipse principium est & causa efficiens potentissima, ita etiam est αὐταρκιστάτη. Ex quo fit, ut finem consiliorum actionumque suarum in rerum natura, aut in Gratiae suae dispensatione, extra se nunquam statuat; cum nullius rei indigeat extra se; sed omnia ad ipsum, tanquam indiga ipsius, ordinentur. Nam ex eo, & per eum, & in ipsum quoque sunt omnia, inquit Apostolus: Ipsi gloria sit in secula. Amen. *Rom.* 11. 36. Materiam verò istius sapientiae satis pro instituto paulo antè declaravimus, quum *Diuina*, siue *res diuinas*, in quibus versatur Theologia, traderemus. Restat ergo locus grauissimus de forma & modo illius: quae duo in definitione nostra distincte paucis destrinximus, dicentes esse Theologiam *ex archetypo illa informatam per communicationem Gratiae.* Nam forma proprie, a quocunque fiat artifice, duplex statuitur: Vna mente artificis; Altera, in opere. Ac proinde quemadmodum actus internus & externus in rebus nostris consideratur, ita & forma duplex, interna & externa. Internam appellamus illum veluti conceptum aeternum diuinae voluntatis & Gratiae in ipso Deo consideratum. Externam verò, illius aeterni conceptus, vt ita dicamus, factam suo tempore in alia influentiam. Vtroque modo informat Deus, intus Consilio sapientissimo, foris opere potentissimo hanc Sapientiam. Sed quia duplex haec forma est, in Deo, tanquam in fonte, subsistens; in alia, tanquam in lacus, deriuata: hinc illud consequutum est, quod recte & conuenienter duplex huius sapientiae ratio à doctis semper est obseruata: Vna, absolutė, siue in fonte ipso sapientiae, quam vulgus scholasticorum Theologiam simpliciter; Altera, relatè, siue tanquam in lacubus & conceptaculis ipsius residens, quam Theologiam secundum quid nuncaparunt. Quae quidem distinctio in omni disciplina diligentissimè est obseruanda: sed in hac maximè, in qua aberrare à vero periculosissimum. Nos autem in hac quaestione non tam Theologiae illius simpliciter dictae, quam Theologiae secundum quid rationem habituri sumus: quia haec nostra est maximè Theologia, cuius communicatione omnes haurimus de plenitudine Dei in Christo Iesu. *Ioan.* 1. 16. Nam si de Theologia illa simpliciter dicta, quae quidem ectypa est, quisquam rogauerit quaenam illa sit Theologia, huic omnino responsurus sum vestigia sequendo illius antegressae definitionis. *Thes.* IX. *Atque haec quidem Theologia simpliciter dicta*, *est tota Sapientia rerum Diuinarum cum re creata communicabilis pro communicantis modo.* Hanc Theologiam quis homo capere mente, aut sermone describere possit? cum haec quodammodo proximè respondeat illi archetypae, quam cap. 4. descripsimus: & nihil planè sit aliud quam illa tota interna forma & conceptus, quem Deus habet in sese de communicanda sapientia sua, non pro modo creaturae huius aut illius; sed pro modo communicantis Dei, & formam modumque suae communicationis gratiosa voluntate sua praescribentis de sua plenitudine. Atque haec causa est, cur definientes hanc Theologiam, potius communicabilem, quam communicatam diximus: quia hoc nomine volumus

volumus comprehendi non solum quicquid iam ex facto cum rebus creatis communicatum est: sed etiam quicquid vnquam communicari potest cum rebus creatis, in hoc & in venturo seculo. Ne plura, illa Theologia *ἀρχέτυπος*, est totius diuinae tam communicabilis, quam propriae & incommunicabilis sapientiae infinitas: Haec Theologia est tamquam penus plenissima, de infinitate ipsius apud Deum recondita, omnis spiritualis Sapientiae & Inlligentiae: ex qua penu ac plenitudine promuntur thesauri cum creaturis à Deo communicandi per gratiam: Qui thesauri dum in penu sunt, communicabiles: dum in creaturis sunt, communicati appellantur. Quapropter in eumdem quoque modum Theologiam secundùm quid definiri à nobis necesse est. *Thes.* x. *Est enim haec Theologia Sapientia rerum diuinarum cum creaturis communicata pro modo ipsarum. Communicatur autem vnione, visione, & reuelatione.* In hac autem definitione primum non addo, *totam;* quia partialis est (vt loquuntur) semper haec Theologia, praeterquam in Christo Seruatore nostro. Praeterea (f. 1383.) non dico, vt ante, *communicabilem*, sed actu, *communicatam:* quia tum demum fit illius secundum quid determinatio, quum est communicata à Domino. Postremò nec illud subiicio, *pro communicantis modo;* sed tantum, *pro ipsarum creaturarum modo*, quae communicationem percipiunt illius. & hic modus quantulus est, obsecro, si cum illa infinitate non dico ipsius Deitatis & *ἀρχετύπου* illius Theologiae, sed etiam diuinae illius penus, quam modo attingebamus, comparetur? Atque haec duo genera deinceps euidentiae caussa certis nominibus designabimus: Prius quidem, Theologiam in se; Posterius verò, Theologiam in subiecto nuncupantes.

His omnibus commune illud est, quod *Sapientiam esse diuinitus siue communicabilem siue communicatam* agnoscimus: quibus verbis principium eius in Deo, ortum à Deo, educationemque in suis subiectis contemplamur, secundum communicationem diuinae Gratiae. Hanc enim Sapientiam Natura subiecti nec fundit actualiter (vt more scholasticorum loquar) nec habet virtualiter (quanto minus formaliter?) Nec capit potentialiter suo naturali lumine: sed Deus ipse indit & inspirat lumine suo supernaturali, & gratia educat ad gloriam suam: Denique ortum, & progressus, & complementum ipsius integrum sibi vindicat, vt quisquis gloriatur, glorietur in Domino. 1. *Corinth.* 1. 31. Attributa autem huius Theologiae maximè ab iis diuersa sunt, quae ante Theologiae illi archetypae assignauimus. Haec enim creata est; habitualis est; nec nisi suo modo absoluta, finita, discreta, communicata diuinitus; tamquam vera certaque imago illius, quam increatam, essentialem siue formalem, absolutissimam, infinitam, simul totam, & incommunicabilem esse docuimus. Creata est: nam non est Creatoris in ipso; sed à Creatore est in subiecto, quod creauit ipse. Habitualis est: nam integro subiecto potest accedere per Dei Gratiam, & de eodem discedere per uacuitatem Gratiae. Similiter Absoluta est secundùm se, & eius cui inest subiecti modum, non autem absoluta secundùm illam perfectionem Dei longissimè omnia per omnia superantem: quandoquidem sapientia, cognitio, & scientia omnis vlli cognoscenti & scienti non inest aliter, quam pro ipsius cognoscentis & scientis modo. Finita est: cùm non aequè ac diuina illa omnino protendatur ad omnia, eaque pertingat; sed optimè suis finibus sit limitibusque circumscripta. Nec tota simul est, sed & partibus distincta, & successionibus rerum quasi per vices vltro citroque commeantium infesta, & mutationibus ac motui obnoxia. Ac proinde (quod postremo loco diximus) Tota per partes est communicabilis, & ex facto etiam per partes communicata, prout lucem gratiosam suam in rebus creatis suis vult Deus membratim, successiue mutabiliterque accendere.

Cognito quid sit in genere ectypa haec Theologia: iam quotuplex eadem sit, videamus. Etsi antequam istud exponimus, meminisse velimus Lectores probè distinctionis

tionis illius quam paulò antè posuimus: Duplicem esse rationem in contemplanda hac Theologia adhibendam: Nam & Theologiam in se considerari & Theologiam in subiecto, quasi determinatam, & modificatam pro modo subiecti, cui inest haec Sapientia. De Theologia in se non addemus plura: ad Theologiam in subiecto sequentia pertinebunt. Hanc ergo Theologiam pro ratione siue subiectorum, siue modi communis atque singularis, quo Deus cum subiectis eam communicat, in tria genera distinguimus. Primum est Theologia Christi θεανθρώπου & Mediatoris nostri: Secundum, Theologia spirituum in coelis: Tertium denique, hominum in terris Theologia, quae tria genera, pro conditione modi in communicando ab auctore omnis sapientiae vsurpati, appellantur quoque aliis tribus nominibus adaequata significatione: Primum enim, Theologia vnionis: Secundum, Theologia visionis, Tertium, Theologia reuelationis fuit à nonnullis dictum. Prima Theologia summa omnium ac plenissima est, de qua haurimus omnes: *Ioan.* 1. 16. estque in Christo secundùm humanitatem eius. Secunda, plena, qua spiritus beati gloriosam Dei visionem obtinent in coelis, & nos Deum sicuti est visuri sumus: 1. *Ioan.* 3. 2. Tertia denique non est plena re ipsa, sed potius per reuelationem Fidei, sic instructa principiis eiusdem Veritatis, vt plena respectu nostri commodè dici & perfecta possit: quamuis imperfecta, si cum illa coelesti quam speramus, comparetur, vt Apostolus Corinthios docuit. 1. *Cor.* 13. 12. Atque haec nostra demum est Theologia. De his itaque deinceps ordine dicturi sumus. (f. 1384.)

CAPVT VI.

De Theologia vnionis in Christo.

Primum genus ectypae illius Theologiae, quod singulare est Iesu Christi Domini & Seruatoris nostri, plenissimum est ac perfectissimum omnium quae in rem creatam venire possunt. Nam & conditione sua hoc genus proximum est illi ἀρχετύπῳ, ac coniunctissimum in vnitate subiecti, id est personae Christi; & in illo subsistit velut principio suo inseparabili. Est autem haec (*Thes.* XI.) *Theologia, quam vnionis appellamus, tota sapientia rerum diuinarum communicata cum Christo θεανθρώπῳ, id est, qua sermo Caro factus est, secundùm humanitatem eius.* Atque hanc quidem Theologiam esse in Christo Iesu Mediatore nostro, & discerni ab illa archetypa Theologia oportere, quae inest ipsi communiter cum Patre & Spiritu sancto secundùm naturam diuinam ipsius in vnitate essentiae, tribus argumentis demonstrari potest: Ratione vtriusque naturae in persona Christi, Vnionis personalis earum in Christo, & salutis nostrae. Etenim si ad naturam diuinam respexeris, quae est simplicissima, idem est scire Naturae diuinae quod esse: Quòd autem nos ea distinguimus, ratione solum distinguimus, quae sunt vnum reipsa ac simplicissime. Esse autem eius, est plane incommunicabile: Et scire igitur eius incommunicabile dicamus necesse est. Hoc verò diuinum scire, quo Deus res diuinas nouit diuinitus, vel secundum modum infinitae perfectionis suae; hoc (inquam) scire, est illa ipsa Theologia essentialis atque prototypa, de qua antè dicebamus. Praeterea si ad naturam humanam transiueris, haec certè non magis est in seipsa capax diuinae illius scientiae, quam diuini esse. Capitur autem illa à diuino esse; non autem esse infinitum capit: quia est angusta in se, nec finiti ad infinitum dari proportio potest. Ergo diuinam illam scientiam atque archetypam natura humana non capit in sese: cum & diuinae perfectionis sit, non posse communicari;

communicari; & humanae tenuitatis, non posse ea capere quae perfectionis diuinae sunt. Tum ipsa quoque personalis vnio Naturarum duarum in Christo rem ita sese habere euincit necessitate absoluta. Non enim personalis vnio aut confusionem efficit, aut transfusionem proprietatum ad hanc aut illam Naturam pertinentium; sed saluas vtriusque Naturae proprietates seruari praecipit in communi supposito & operationibus istius. Itaque in homine mens intelligit, non corpus: Corpus ministrat menti instrumentaliter, ac non mens corpori: Communiter verò, & intelligenter simul & instrumentaliter agit suppositum illud ex corpore & mente constitutum, quod hominem appellamus. Quòd si mentis proprietas integra menti permanet, nec corporis esse potest, eademque; proprietatum corporearum ratio (iam enim si contra statueretur, non foret proprietas), quid de diuinate, aut ea scientia formali, quae summè propria diuinae essentiae est, aut alia quauis proprietate, statuamus? Postremò non potest aliter id ipsum poni, si integram constare volumus rationem salutis nostrae. Nam salus nulla homini potest à Christo Iesu contingere, nisi ponatur illa voluntaria dispensatio, secundùm quam Christus (vt in rebus vtamur Apostoli *Philip.* 2. 7. *Heb.* 2. 14. & 4. 15.) ipse inaniuit sese, forma serui accepta, similis hominibus factus, etiam per omnia fratribus similis & tentatus in omnibus similiter, sed absque peccato. Quòd si per omnia similis: ergo & per scientiam, quamuis alioqui disparem & longe superiorem nostra scientia omnium, similis nobis dicendus est. Quid plura? quicunque scientiam Christi qua homo, non putant distinguendam ab eiusdem scientia quà Deus, ij profecto paulatim licet imprudentes, in Apollinaris castra delabuntur. Vt enim personae diuinae substantia non tollit animae humanae in Seruatore nostro veritatem (quod Apollinari videbatur) sic diuina illa scientia, quae essentialis est proprietas Deitatis in persona Christi, non perimit scientiam, quae proprietas humanitatis est; Sed concurrit vtraque in vnitatem suppositi, & seruat vtraque in eodem Christo veritatem suam. Scientia diuina est in Christo incommunicabilis; sed sui tamen ἀπαυγάσματος communicatiua. Quod ἀπαύγασμα siue resplendentia inest naturae humanae Christi plenissimè & perfectissimè. Quapropter omnis plenitudo Deitatis habitare dicitur in ipso corporaliter; & ex ea plenitudine consequi gravissimè prae(f. 1385)dicat Apostolus, quòd sumus in eo completi, qui est caput omnis imperij & potestatis &c. *Colos.* 1. vs. 12. Est igitur in Christo haec Theologia, quam Vnionis appellamus. Quid sit autem, ex antecedentibus est fermè cognitum, quoad eius in hac nostra infirmitate cognosci potest. Est enim haec Theologia omnino adaequata illi, quam proximè praecedente capite diximus Theologiam simpliciter vel in se appellari; quam latè patet Theologia simpliciter dicta, creata (inquam) & communicata seu participata illa, tam latè patet Christi seruatoris nostri Theologia secundùm humanitatem ipsius: Nihil est in rebus creatis, nisi ab hac Theologia Christi, ratione vlla θεολόγον. Hanc ille Theologiam accepit à Patre propter nos, & nos ab illo: Plenus gratiae & veritatis est, & nos omnes accipimus de eius plenitudine. *Ioan.* 1. 16. Demonstrat illud quod dicimus, iusta comparatio vtriusque Theologiae secundùm definitionem ipsarum. Nam de illa diximus praecedente capite, *Theologia simpliciter dicta est tota Sapientia rerum diuinarum cum re creata communicabilis pro communicantis modo.* Iam ad hanc oculos & cogitationem conuerte; omnia eadem planè esse in vtraque videbis, si determinationem actus, & subiecti exceperis; quum dicimus, *Theologia Vnionis est Sapientia tota rerum diuinarum, communicata cum Christo* θεανθρώπῳ, *id est, qua Sermo Caro factus est, secundùm humanitatem eius.* Nam pro eo quod illa *communicabilis* dicebatur, nimirum potentia (vt ita dicamus) indeterminatè, hic determinato actu *communicata* dicitur. Tum pro eo quod subiectum nullum aderat in definitione illius, eo quod simpliciter & in se considerabatur; hic subiectum amplissimum & incomparabile adhibetur, dicendo hanc *cum Christo* θεανθρώπῳ *communicatam* esse:

 Quod

Quod perinde est atque si dixeris, Theologiam illam in potentia simpliciter consideratam, eamdem totam in Christo demum actu esse terminatam. Verumtamen si quis fortè aliter desideret, age, Theologiam hanc Vnionis tentemus secundùm causas definire. Est igitur haec Theologia, *Sapientia rerum diuinarum, in spiritu Dei sine mensura cum homine communicata diuinitus, ad eorum omnium qui secundum imaginem Dei creati sunt, illustrationem.* Haec est illa Theologia in se: quae si in subiecto (prout opus est) cernitur, eadem est Theologia solius Christi Seruatoris nostri, secundùm humanitatem ipsius: non Angeli vllius in caelis, aut hominis cuiusquam alterius. Cùm enim scientia diuinitatis sit fons inaccessus & abyssus magna: Sapientiam certè humanitati, quam assumsit Deus, subministrari oportuit, velut riuum abundantissimum, sed rebus creatis commodum, vnde hauriemus omnes: quemadmodum aquam á fonte inaccesso manantem, de castello aut lacu hauriendam praebent sitientibus aquileges. In hac autem definitione Genus est, vt antè, *Sapientia:* per causas ponuntur differentiae. Materia *rerum diuinarum* est, nempe quatenus communicari possunt, & nobis omnibus exponi opus est in Christo. Forma est *Spiritus Dei sine mensura datus.* Etenim (vt suis respondebat Ioannes, *Ioan.* 3 : 34.) filius quem misit Deus, verba Dei loquitur; non enim huic Spiritum admetitur Deus: Pater diligit filium, & omnia dedit ei in manum. Efficiens est *Diuina communicatio:* tum qua Deus Pater communicat cum filio Spiritum exinanito secundùm humanitatem diuinam ipsius, cum Spiritum communicat cum humanitate sua per vnionis gratiam vt appellant Scholastici, & efficacitatem illius. Idem enim Christus vngens & vnctus est: Vngens, secundùm diuinitatem: vnctus secundùm humanitatem suam, in vnitate personae. Finis est, *illustratio eorum qui secundùm imaginem Dei creati sunt.* Hanc enim illustrationem percipiunt in coelis Angeli & beati, praesente visione Dei; hic verò in terris fideles, eiusdem reuelatione, velut absentes à Domino. Quanquam non longè abest ab vnoquoque nostrûm, vt optimè demonstrat Paulus: *Actor.* 17 : 27. Sed tamen dum hic commoramur in corpore, peregrè absentes à Domino, singuli per fidem, non per aspectum incedimus. 2. *Cor.* 5 : 7. In Christo itaque Redemptore nostro duplex est Sapientiae Theologicae modus: Vnus diuinus, secundùm Deitatem: Alter quasi diuinus secundùm humanitatem eius. Hic autem quasi diuinus modus, tum diuinus est in aeterno principio suo, aeternumque permanens in vnitate personae; tum quasi diuinus vel proximè diuinum, secundùm modum ipsius. Nam vtrumque simul in Christo mediatore nostro esse oportuit: vt diuina hoc pacto consociaret adunaretque humanis, Deum conciliaret hominibus, hominesque ad Deum adduceret: Vnicus nimirum Emanuel, Verbum caro factum & Deus factus in carne perspicuus, in quo (f. 1386) sunt omnes thesauri Sapientiae & scientiae absconditi, & qui nobis factus est à Deo Sapientia, vt docet Apostolus. *Isaiae* 17 : 14. *Ioan.* 1 : 14. 1 *Timoth.* 3 : 16. *Colos.* 2 : 9. 1 *Corinth.* 1 : 30. Atque haec Theologia, prout in Christo ipso consideratur absolutissima, distinguitur etiam ab illa Theologia archetypa, de qua primùm diximus, iis ipsis modis quos capite 4. constituimus. Nam etsi vnum est commune vtriusque subiectum siue suppositum, vt vocant, scilicet persona Christi: illa tamen archetypa Theologia ab aeterno est increata: essentialis siue formalis, vna eademque Patris, Filij, & Spiritus sancti: in sese absolutissima, vt quae habeat in se omnia de suo lumine: infinita: simul tota, atque incommunicabilis. Haec verò ectypa Theologia creata est, & coepit in tempore: habitualis est: absolutissima secundùm naturae creatae modum, vt quae habeat in persona de lumine naturae alterius personaliter adunatae, velut simplicissimo & absolutissimo principio suo: Eadem quasi infinita est & infinitae proxima, adeò vt diuerso respectu infinitam & finitam non incommodè dixeris: Infinitam si cum mensurata & exigua scientia nostra: finitam, si cum illa essentiali & infinita

infinita Dei sapientia comparaueris. Nec tota simul est haec, sed vicium mutationumque & successionis particeps: nec incommunicabilis est, cum rebus creatis, & ex facto communicato secundùm demensum donationum eius. Atque haec de Theologia Vnionis in Christo Seruatore nostro ad salutem omnium exposita.

CAPVT VII.

De Theologia visionis in Caelis.

Qvemadmodum creatae illius sapientiae & habitualis Christi, quam Vnionis Theologiam appellamus, licet modo planè singulari, tamen commune principium est illa prototypa & essentialis Dei sapientia, quam primo loco posuimus: sic etiam ectypa illa Theologia Vnionis in Christo Seruatore nostro, commune est principium reliquae Theologiae, quae tum à beatis illis Spiritibus in coelo, tum hic in terra ab hominibus miseris percipitur. Illa archetypa matrix est omnium: haec verò ectypa in Christo est reliquarum mater: Illa fons omnium: haec commune quasi castellum seu conceptaculum. De huius autem salutaris conceptaculi diuina plenitudine res creatae duobus modis hauriunt: Vnae visione coram: Alterae reuelatione, absentes videlicet ac peregrinantes à Domino. 2. *Corint.* 5: 6, 7. Ex his duobus modis reliqua illa duo Theologiae ectypae genera processerunt: quorum alterum Theologiam beatorum, Alterum viatorum orthodoxi Patres appellabant. Itaque secunda forma Theologiae ectypae, Theologia beatorum seu excelsa: Tertia, viatorum, siue humilis dici à nobis potest. Atque hanc vtramque formam Theologiae Christus sanctificauit in persona sua: quandoquidem cùm humili Theologia vsus est in humilitate carnis: tum excelsa vtitur in illa exaltatione sua, qua nunc exaltatus est supra omne nomen: videlicet vt commune principium vtriusque Theologiae sibi inesse ostenderet. *Thes.* XII. *Est autem Theologia visionis, quae communicata est cum Angelis* & *Spiritibus Sanctorum consecratorum seu perfectorum in coelo.* In hac definitione certo consilio genus & differentiam communem omisimus, quia vtrumque idem est quod in proxima superiore Thesi fuit expositum: nempe hanc esse *diuinarum rerum Sapientiam.* Restat itaque vt de propria differentia, atque (vt vocant) specifica huius Theologiae videamus. Eam verò determinauimus his verbis definitionis nostrae, quibus *communicatam esse cum Angelis* & *Spiritibus iustorum consecratorum, seu perfectorum in coelo* pronunciauimus. Nam hisce verbis paucissimis singularem Theologiae huius circumscriptionem statuimus, triplici argumento: Primum est, respectu modi, quod *Visione* communicatam dicimus: Secundum, respectu subiecti, quòd communicatam *cum Angelis Spiritibusque iustorum:* Tertium denique, respectu circumstantiarum, ac praecipuè loci, quòd communicatam *in coelo.* quibus rebus haec Theologia tum ab antecedente, quam Vnionis appellamus, tum à sequente quam reuelationis, distinguitur euidentissimè. Ac primum quidem in modo communicationis maxima sita est differentia, quod *Visione* communicata dicitur haec Theologia. Etenim cum rerum Spiritalium non possit esse communicatio nisi spiritalis, nec spi(f. 1387)ritalia à spiritalibus nisi spiritali modo videri possint, quia res spiritales sua ipsarum essentia, potentia, operibus, & perpessionibus omnino sunt simplicissimae; propterea hunc modum Theologicae communicationis spiritalem esse statuimus,

statuimus, ac simplicissimum. ex quo sequitur hanc Theologiam esse lumen intellectuale, permanens, & perfectum, per modum infusi habitus communicatum, quo lumine caelestes illae creaturae vident creatorem suum, sicuti est, Visione cum ipsis communicata de Christi plenitudine, quam praecedente capite breuiter perstrinximus. Etsi nulla ratione haec Theologia cum antecedente potest comparari: quia Theologia Christi est habitus intellectualis luminis permanens & perfectus à se & in se, qua est persona eius θεάνθρωπος, subsistit in illa archetypa diuinaque Theologia, estque plenitudo habitualis de plenitudine illa infinita & essentialis Deitatis, quae carnem assumpsit in vnitatem personae. Haec autem Theologia etsi habitus est intellectualis luminis permanens, & suo modo perfectus; tamen nec permanet, nec perfectus est, ac ne ortum quidem habet à se ipsa; sed principium ortus & naturae totius suae à Christo habet Seruatore nostro: nec aliunde, quam vi Christi Seruatoris nostri, habet sui conseruationem. Quod autem subiecta duo Theologiae huius praedicantur, *Angeli* & *Spiritus Iustorum*, id sententiam nostram confirmat vehementissimè. nam neq. Angelis sua est in coelo Theologia, neque spriritibus qui cum Angelis in gloriam recepti sunt; nisi secundum illum communicationis modum, quem paulo antè circumscripsimus. Nec obstat, quod Angeli simplice visione lumen illud diuinum assequuti sunt; homines verò quasi per ambages & anfractus multos principiorum, ratiocinationum, conclusionum, & scientiae multiplicis, tandem eò prouecti sunt. Id enim nihil ad rei differentiam pertinet, quia in vtrisque habitus est intellectualis permanens, & suo modo perfectus, gratiae & gloriae communicatione facta a Domino. Non enim hic de modo rei imperfectae & contendentis ad perfectionem agimus (hoc enim de ratione est Theologiae in subiecto consideratae, de qua suo ordine dicturi sumus;) sed de conditione perfecta eius: quemadmodum perfectam esse demonstrat loci ipsius circumstantia: quandoquidem quae in coelo sunt, ea perfectionem suo modo singula obtinent, suntque ab omni imperfectione alienissima: Quapropter etiam Apostolus ad Hebraeos spiritus iustorum τετελειωμένων appellauit, id est, consecratorum, vt vulgo exponitur, siue (quod fortasse magis conuenerit) ad perfectionem euectorum beneficio Dei. *Hebrae.* 12: 23. Id enim Graeca voce commodè significatum est. Quod verò hanc Theologiam in coelo demum, ac non in terris esse statuimus, id dignitatem illius optimè demonstrat. Est enim coelum domicilium Dei patris nostri, & Filiorum eius haereditas. Tantisper dum hic sumus, à patre absumus, siue (vt ait Paulus) peregrè absumus à Domino; per fidem, non per adspectum ambulamus, & ad locum haereditatis nostrae contendimus. 2 *Corinth.* 5: 6, 7. Vt igitur longè praestat illius conditio, qui apud patrem in deliciis est & perfruitur domicilio ac haereditate sua, & cognitio eiusdem maior, quam eius qui longissimè abest, & sola imaginatione aut cogitatione animi fermè res illas comprehendit: Ita in diuinis illis rebus & spiritalibus, Theologia quae in coelo est, huic Theologiae quae in terris, anteponenda est. Quod si quis ampliorem huius Theologiae definitionem cupiat, nunc alteram quoque secundùm causas adferemus in hunc modum: *Theologia beatorum siue excelsa, est Sapientia rerum diuinarum in spiritu Dei communicata ex demenso Christi cum iis qui in coelo degunt, secundùm quam visione Dei aeterna, gratiosa, & gloriosa perfruuntur ad gloriam illius.* Hic causas omnes ad huius Theologiae definitionem pertinentes breuiter coniunximus. Ac tria quidem ista sunt communia cum antecedente illa Christi Theologia; quòd haec *Sapientia*, quòd *rerum diuinarum*, & quòd *communicata* est: prout vniuersè capite quinto statuimus. Sed alia omnia modificata angustius constituunt speciem huius Theologiae. Nam efficientem causam non obscurè annotauimus, dicentes Communicari hanc *in Spiritu Dei*, id est, virtute Spiritus aeterni, spiritualia dona cum electis communicante: & huius efficientis causae effectum manifestissimum,

manifestissimum, sed longè inferiorem sua causa, ac minimè adaequatum ei expressimus, dicentes hanc esse communicatam *ex demenso Christi*: huic enim Deus non admetitur spiritum secundum mensuram: *Ioan.* 3: 34. sed Christus nobis dispensat pro mensura donationis suae, & quid, cui, quando, quantum vult, largi(f. 1388.)tur gratiosè. *Ephes.* 4. 16. Materialis causa, siue (vt in rebus spiritualibus obseruari solet) subiectum huius Theologiae indicatur his verbis, *cum iis qui in coelo degunt*, puta siue Angelis, siue hominibus, eò subuectis per gratiam, vt praecedente nostra definitione distinximus. Forma verò sequentibus verbis exponitur, quando subijcimus *secundùm hanc sapientiam aeterna Dei visione & gloriosa coelestes animas perfrui.* Id autem est, vt commodè ad intelligentiam enunciemus: Essentialis forma huius Theologiae est in relatione posita, siue ordinatione & applicatione rerum coelestium ad Deum, tamquam principium & exemplar suum absolutissimum; à quo tota lux, gratia, & gloria in res creatas diffunditur, & qui idem quoque finis ipsorum est, & rei creatae omnis: quem finem solum perstrinximus in definitione, dicentes *Ad gloriam illius.* Haec igitur illa est Theologia visionis, quam speramus, quam credimus, in qua per fidem conquiescimus, & tamen ad eam contendimus, cupientes dissolui & viuere cum Christo, qui lux est, vita, gloriaque nostra: & cum quo, vbi patefactus fuerit secundo aduentu suo, patefiemus nos quoque in gloria absolutissimè.

CAPVT VIII.

De Theologia Reuelationis in hac vita.

Hactenus de intellectuali Theologiae lumine diximus, permanente perfectoque in singulis iis quorum est Theologia. Nam & permanens atque perfecta est perfectione infinita essentialis illa Theologia Dei, quam archetypam appellauimus: & permanens item atque perfecta est perfectione quasi infinita, Christi Theologia habitualis, illa quam vnionis appellamus: & perfecta denique ac permanens illa Theologia visionis, quam Angeli in coelo & spiritus iustorum obtinent, perfectione amplissima secundùm modum ipsorum. Expositis itaque illis permanentibus Theologiae verae formis, nunc ad veram Theologiam, quamuis non permanentem, veniamus opus est; vt modum Sapientiae nostrae aliqua circumscriptione melius possimus assequi. Rectissimè enim ad Corinthios scribens Apostolus, *Prophetiae*, inquit, *reddentur inutiles*, & *linguae*, *cessabunt*, & *cognitio ipsa: Ex parte enim cognoscimus*, & *ex parte prophetamus*, *postquam autem aduenerit quod est perfectum*, *tunc quod ex parte est abolebitur. Quum essem infans*, *vt infans loquebar*, *vt infans cogitabam*, *vt infans sentiebam*: *postquam autem factus sum vir*, *vt inutilia sustuli*, *quae infantis erant: cernimus enim nunc per speculum* & *aenigma*, *tunc autem in os cernemus coram*: *nunc cognosco ex parte*, *tunc verò cognoscam prout etiam sum agnitus*, 1. *Cor*. 13. 8. 9. &c. Non quod Theologiam hanc nostram, de qua deinceps dicturi sumus, ex vlla imperfectione secundum seipsam iudicemus laborare: nam in eo ipso quod habet, quicquid habet, est perfectissimum. Sed perfectio eius cum nostra tenuitate & imperfectione contemperata est: quia principia solùm perfectissimae illius in coelo Theologiae comprehendit; quibus principiis perfectis quidem in se ipsis, sed imperfectis secundum quendam modum, ad perfectionem coelestem euehimur. Quemadmodum enim naturae nostrae principia insunt,

quae

quae procedente tempore rationis cultura assurgunt ad conclusiones & determinationes iustae scientiae pro naturae humanae modo: sic etiam in opere gratiae, Deus naturae ordinem imitatus à principiis gratiae & sapientiae illius exorditur; quae principia nobis in vita hac per gratiam infusa irrigantur & augescunt eadem virtute, donec complementum gloriosa Dei visione & communione in coelis obtineamus. Sunt igitur principia haec, siue semina: argumentum Theologiae illius, quam Theologiam reuelationis appellamus. *Thess.* XIII. *Est autêm Theologia reuelationis quae hic communicatur cum humano genere: quam etiam non incommodè Theologiam nostram appellaueris.* Quum reuelationis Theologiam dicimus, non obscurè idem ostendimus quod paulò antè dicebamus. Nam homini in hac vita solet accidere respectu salutaris gratiae, prout aciei oculorum nostrorum in rebus cernendis accidit. Res longinquissimas, quamuis amplissimas, oculus non videt, quia debilitatur hebescitque vis illa oculorum nimio rerum interuallo: propius accedentibus res videntur obscurae, ac non internoscuntur; proximè verò admotae & pro conditione visus nostri, cognoscuntur planè. Eadem ratio est in comtemplatione & communicatione gratiae: etenim gratiam illam lucemque re(f. 1389.)rum diuinarum, velut quam longissimè supra nos & res omnes positam, videre nemo nostrûm potest; praesertim cùm caecitas mentis nostrae eo accesserit, qua impedimur in contemplandis diuinis rebus, etiamsi per se possent eae percipi contemplatione nostra. Quum autem Deo visum est res illas supernaturales admouere propius oculis mentis nostrae per Theologiam hanc, quam reuelationis appellamus, tum quasi è longinquo videntur illa beneficia gratiae, & videtur Deus tantorum beneficiorum auctor: sed ita tamen vt communiter adhuc, & obscurè, & imperfectè videamus, vt qui paulatim accedunt propius ad rem oculis suis expositam videre solent. Sed vbi curriculum vitae istius, in qua peregrinamur à Domino, emensi fuerimus, idque praelucente reuelationis face, quam docet haec Theologia: tum cominus visuri sumus, & perfectionem cognitionis in Christo adepturi, quae Theologia visionis appellatur. Hanc verò Theologiam reuelationis, quae etiam nostra dicitur, eodem planè ordine definimus quo antecedentem fecimus. Sunt enim genus & differentia communis eius, *Sapiéntia rerum diuinarum*: quas voces ideò non expressimus, quia ex praecedentibus apertè intelliguntur. Singularem verò differentiam huius Theologiae ab aliis illis, quas antè adumbrauimus, his verbis demonstrauimus: *quae hic communicata cum humano genere.* Modus est *communicationis*: Subiectum ad quam haec communicatio pertinet *humanum genus* statuitur: locus & tempus definiuntur voce, *hic*, id est, in hac statione & praesente seculo. Quibus ex rebus conficitur illud necessariò, quod antè perstrinximus: nimirum lumen intellectuale huius Theologiae non permanens, sed transiens: non perfectum simpliciter, sed tantùm perfectum & absolutum secundùm quid appellari posse. Nam siue modum communicationis spectemus, *reuelatio* est, qua Deus non totum obiectum Theologiae, prout est, aperit: sed prout ab homine in hac statione & infirmitate eius comprehendi potest: Siue subíectum ipsum respexeris, nihil certè hoc ad infinitam obiecti illius amplitudinem, de qua ne per somnium quidem in mentem homini venire potest: Siue denique animo & cogitatione contempleris hanc stationem nostram longissimè à Deo dissitam, & breuitatem vanitatemque istius aeui nostri, fieri profectò non potest, quin tenuitatem horum principiorum agnoscamus à summa perfectione coelestis illius Theologiae plurimùm dissitam: Vt eò religiosius per haec tenuia diuinae gratiae documenta contendamus ad summa illa, enitamurque singuli diligentissimè. Quod si quis tamen alteram huius Theologiae definitionem per causas postulauerit, vt antehac fecimus in persimili argumento, haud scio an haec commoda sit futura: *Theologia nostra est Sapientia rerum diuinarum, reuelatione per Spiritum Dei communicata naturae huius aut gratiae beneficio cum iis*

qui in

qui in terra degunt; secundum quam lumine intellectuali, ratione tamen transeunte atque imperfecta, contemplantur Deum & res diuinas ipsius per sua incrementa, donec perfectam visionem eius consequantur ad gloriam ipsius. In hac definitione exposito communi genere & differentia ad definitionem iustam pertinente, singulae causae eodem ordine traduntur, quem ante sequuti sumus. Nam primum causa efficiens nominatur *Deus per spiritum reuelatione* communicans, & quidem *naturae huius nostrae aut gratiae beneficio* erga eos homines qui in terra degunt, vocati Sancti & promissionum salutarium haeredes in Christo Iesu. Tum materia ostenditur, siue obiectum, quod Theologia nobis sistit apprehendendum fide: nempe *Deus & res diuinae ipsius.* Deinde forma exponitur, quod *secundum hanc Sapientiam lumine intellectuali per gratiam* naturalem aut supernaturalem accenso in nobis *contemplamur* illud obiectum nostrum, sed *transeunte tamen lumine atque imperfecto*: ac proinde (vt Paulus loquitur) tum temporis demum abolendo, quum id quod est perfectum aduenerit. quam quidem perfectionem exspectantes adolescunt pij per sua incrementa in virum perfectum ad mensuram staturae adulti Christi, assurguntque ad perfectam visionem eius, *Ephes.* 4. 13. Postremò finis totius huius Sapientiae *Gloria Dei*, hic primum fidei nostrae, id est, credentium exposita; pòst autem in coelis quam perfectissimè perfruenda in Deo Patre & Domino Iesu Christo.

CAPVT IX.

Quotuplex sit Theologiae communicandae modus.

Ex iis quae antè dicta sunt, vniuersam Theologiam distingui duobus modis animaduertimus(f. 1390.); nam vna infinita, altera finita dicenda est. Ac infinitam quidem propriè simpliciterque eam esse credimus, quae ἀρχέτυπος & Dei essentialis est; infinitam verò secundùm quid (vt loquuntur) & respectu nostri, habitualem illam sapientiam Christi, omnes thesauros Sapientiae & cognitionis salutaris complectentem: finitam consimiliter eam Theologiam propriè simpliciterque appellari, quae cum rebus creatis communicata est; siue perfectè in caelesti gloria, siue imperfectè in hoc terrestri stadio, in quo lumine gratiae suae nobis praelucet Christus Dominus & Seruator noster. Sed quia haec nostra Theologia, quemadmodum & coelestis illa ad creaturas pertinens, certa via & ratione à Deo communicata est: antequam de reuelatione Theologiae dicamus accuratiùs, videndum nobis est, vt modos communicandae cum rebus creatis Theologiae, quàm euidentissimè fieri poterit, distinguamus. *Thes.* XIV. *Est igitur duplex Theologiae communicandae modus, Natura & gratia: illa, velut internum principium communicationis; haec, velut principium externum illius, ex quo fit vt Theologia vna dicatur naturalis,* & *Supernaturalis altera.* Hanc communicationis distinguendae viam tam apertè nobis aperuit Paulus quum ad Romanos scriberet, cap. I. vt negari à nemine sapiente possit. Nam quum omnes homines imbutos aliqua Dei & sui ipsorum cognitione pronunciat, primùm quidem naturae luce, deinde verò auctoritate scripturae; ex quibus testimoniis vel vnum sufficit ad praeripiendam omnem peccatoribus excusationem peccati sui; omnino duplicem constituit modum communicationis, qua Theologiae huius effecti sumus participes. Est igitur duplex principium communicationis illius, ex quo duplex item procedit communicationis

municationis modus. horum principiorum vnum est, quod naturam; alterum, quod gratiam appellamus. Ac naturae quidem, aequè vt gratiae, commune principium est Deus, omnis boni auctor in natura rerum; siue secundùm naturam, siue supra naturam exstiterit. Sed quia gratiosè visum est Domino, in ipso creationis tempore nonnullas de creaturis suis donare naturali aliqua Theologia, eiusque principia in earum intellectu conserere; hanc certè gratiam, quamuis naturalem, si omiserimus, ingrati in Deum futuri sumus. Etsi hanc gratiam, eo ipso quod naturalis est, meminerimus oportet esse illi reuelationis gratiae oppositam, ex qua Theologia nostra reuelationis appellatur. Ab hoc principio communi principium illud internum & singulare natura ingeneratum est: quod imaginem Dei appellamus; secundùm quam imaginem in hac vita constitutus Adam respexit ad Deum, tanquam ad exemplar suum, proprio & interno motu, cuius motus Deus in natura eius singulari, & natura communi omnium, principium commune ingenerauerat. Ad hoc autem principium internum in natura hominis constitutum (quod naturalem gratiam appellamus) alterum Theologiae communicandae modum semper oportet accedere; quem patres orthodoxi nuncupabant supernaturalem gratiam: quia naturale illud principium tum demum in nobis stetit, quum supernaturali principio & externo illi adhaereret: quum autem primùm ab eo auertit sese, corruptum fuit atque miserrimum. Hinc ergo factum est, vt Theologia duplex analogicè statuatur: quarum vna dicitur naturalis, & supernaturalis altera. Naturalem quum dicimus, hoc in loco nolumus accipi ea significatione, quam ex Varrone & Augustino suprà capite primo ostendimus: sed proprio sensu atque simpliciter, vt mox (si Deus volet) definituri sumus. Hanc autem analogicè in diuisione nostra supernaturali illi Theologiae & reuelatae opponimus, non autem propriè: quia reuerà toto genere inter se differunt. Quemadmodum enim supernaturale illud principium Deus cum naturali principio, id est, intellectu nostro, in commune aliquod genus includi non potest, sic etiam actiones propriè ex vtroque principio profluentes non cogi in aliquod commune genus à nobis possunt, sed disparatae sunt planè, & toto (quod aiunt) coelo differentes. Quae autem ita se habent inter se, ea non possunt ἀντιδιῃρημένως diuidi; cùm alterum sit altero superius omnibus numeris: nec ratione generis vllius communis, nec ratione speciei cum altero aequari possit.

CAPVT X.

De Theologia naturali, *Thes.* XV.

Theologia naturalis est, *quae procedit ex principiis secundùm se notis*, *naturali intellectus humani lumine* (f. 1391.) *pro rationis humanae modo.* In hac definitione nostra non genus ponimus, non differentiam; ne fortè haec Theologia communicare genere aut differentia cum antecedentibus videretur. Neq. enim haec Theologia secundùm genus appellari potest Sapientia, nisi aequiuocè; nec res diuinae, ex quibus differentiam constitui necesse est huius Theologiae, propriè simpliciterque huic Theologiae attribui possunt, sed pari homonymia. scientiam fortasse, aut etiam (si ita videbitur) conscientiam generis loco posueris; at sapientiam minimè omnium. res verò diuinae, quarum ratio constituit differentiam verae Theologiae, hic partim propriè, partimque impropriè & ex opinatione appellantur. Dicatur tamen scientia rerum diuinarum

diuinarum per me licet, vt aliquod genus huius Theologiae, quamuis aequiuocum, inter omnes constare possit. Singularis verò Theologiae istius circumscriptio secundùm causas à nobis posita est in antecedente illa definitione nostra. Nam causa efficiens huius Theologiae est natura ipsa, *& lumen naturale intellectus nostri*: materialis, rerum diuinarum *principia secundùm se nota*, in quibus Theologia haec naturalis consistit atque occupatur: forma est, quòd *ex illis principiis procedit* haec Theologia *pro rationis humanae modo.* De fine adhibendo non laborauimus, quia natura docente certus est, & tamen non magnopere ad definitionem hanc nostram visus est pertinere. Est igitur causa efficiens huius Theologiae, non ars, non casus, aut quiduis aliud; sed natura ipsa, quam Philosophi principium & causam motus & quietis eius in quo est, primo ac per se, esse tradiderunt. hoc principium commune, à quo naturalis haec Theologia singulariter in vnoquoque homine impressa est. sed quia commune principium istud ita in singulis agit, vt ad singulas functiones suas certa quaedam adhibeat instrumenta, ac velut partes naturae toti ministrantes; propterea intellectus humanus, velut subiectum proprium huius Theologiae, substernitur; cuius luce naturali tum principia cernuntur, tum etiam processiones ex principiis consequuntur iusto naturae ordine. Principia appellamus, quae per se nota sunt naturae luce, quae immediatè nota sunt, & quae immota siue immutabilia, vt ex iis tandem certa scientia consequatur. Ex his principiis certos processus, tanquam ex fontibus riuos, deducit ratiocinatio; principia naturae comparat cum rerum veritate, aut ea inter se disparat; causas cum effectis iungit, atque ex iis concludit; res communes & singulares determinat; denique sic omnia ordinat, vt scientiam adipiscatur earum rerum omnium quas ratio hominis inuestigare & consequi potest. Sed quia perangustus est rationis humanae modus, propter debilitatem intellectus nostri, qui ad res naturae manifestissimas non secus se habet, quàm oculus noctuae ad lumen solis, vt praeclarus ille Philosophus Aristoteles in metaphysicis agnoscebat; idcircò formam totius huius cognitionis visum est his verbis circumscribere, *pro rationis humanae modo.* Etenim ex eo illud necessariò conficimus, si humana ratio in rebus non solùm humanis, verùm etiam naturalibus adeò infirma est, multo magis angustos fines ratiocinationis nostrae in rebus, quae suprà naturam sunt, ponendos esse: ne fortè in rebus tam arduis, quarum occultatione gloria Dei emicat luculentissimè (vt olim docebat Sapiens) naturalis homo sibi indulgere & assentari audeat. Atque hoc quidem vniuersè dictum, nemo vel mediocri ratione praeditus infitiabitur: quia & notiones communes à natura progeneratae id docent, & omnium seculorum hominumq. euincit experientia. verumtamen vt commodiùs rem ante oculos ponamus omnium, tria nobis in quaestione hac videntur ordine explicanda. Primùm enim videndum nobis est, quae & cuiusmodi principia illa sint quae nobis à natura haerent: Deinde verò, quaenam sit naturae huius ratio, in qua, tanquam in subiecto suo, principia ista ingenerata sunt: postremò autem, quod opus & quae effecta naturae illius principiorumque sint, aut esse praetereà possint, cùm in rerum humanarum & naturalium, tùm in diuinarum inuestigatione & comprehensione, humanae rationis nostrae adiumento.

Principiorum igitur quae in nobis sunt, commoditatem his paucis verbis describimus, *Thes.* XVI. *Huius Theologiae naturalis intellectu humano notio versatur in rebus communibus, & obscura, & imperfecta est: ideoque necesse habet à supernaturali suam perfectionem suscipere.* Etsi autem pro ratione argumenti, quod instituimus in hoc loco explicandum, propriè agimus de rationis nostrae ad res diuinas secundùm naturae vim ordinatione: tamen ea quae (f. 1392.) hic de principiis naturae nostrae praedicantur, communiter etiam quodammodo ad res omnes humanas, praesertim verò morales accommodari possunt: vt hac via cognitionem naturae nostrae, quantum quidem ad hoc argumentum

gumentum pertinet, consequamur. Principia itaque illa, de quibus agimus, denotamus notionis voce; quemadmodum à Tullio quàm plurimis locis appellantur: Graeci ἐννοίας & καταλήψεις dixerunt. Recte id quidem: nam cùm intellectus mentis nostrae, prout à Physicis rationi opponitur, sit pura puta principiorum naturalium sedes, quae principia in vniuscuiusque intellectu sic haerent, vt simpliciter in eo sint citra rerum quae foris sunt, contemplationem: rectè (inquam) haec principia notiones seu praeceptiones appellantur. nam haec notitia simplex intellectus nostri, sic intus à natura est, vt aliam omnem notitiam soleat anteuertere; adeóque notitiae cuiuis, velut fundamentum commune, substernatur. Huius verò notionis, horúmque principiorum commoditas tribus modis circumscripta est, verbis illis nostris; cùm notiones illas *communes*, & *obscuras*, & *imperfectas* appellamus in Theologiae argumento. Tria enim ad iustam rerum comprehensionem, opus sunt: vt subiectum quod agitur verè comprehendamus, vt perspicuè, vt plenè. Nam si pro subiecto vero respiciamus ad falsum aut opinabile; quemadmodum ferè fit, vt verum quidem in communi agnoscamus, in particulari autem à vero aberremus, falsa est principiorum accommodatio. si ex principiorum luce non satis subiectum aut actiones eò pertinentes videamus, notio obscura est. sin autem eas res quas spectare opus est, non nisi ex parte possumus intueri, notio imperfecta est. exempli causa, principium naturale est, ius suum cuique tribui oportere. hic tribus modis in vtendo principio hoc plerumque fallimur. nam quod natura dictat communiter de vnoquoque, nos refringimus exceptionibus, & principia illa notionesque communes singularibus nostris conclusionibus, obscuritate mediorum, & imperfectione iudicij nostri velamus. Denique (vt in quaestione ipsa, quam instituimus, figamus pedem) dictat principium naturale cuiuis, Deum colendum esse: Sed hoc principium & commune in vnoquoque, & obscurum, & imperfectum est. commune, quia Deum non docet singulariter, tanquam si digito indicaret hunc Deum ipsum esse: obscurum, quia id ipsum quod nobis indicat, non tamen ostendit perspicue: Imperfectum denique, quia non ostendit plenè. Id autem ita se habere luculentissimè demonstrat Apostolus, quum Lystrensibus diceret sacrificare volentibus ipsi, *cur ista facitis? nos quoque sumus homines, iisdem quibus vos obnoxii affectionibus, annunciantes vt à vanis istis rebus conuertatis vos ad Deum illum viuum, qui fecit coelum, & terram, & mare, & omnia quae in iis sunt; quique praeteritis aetatibus siuit omnes gentes suis ipsarum viis incedere: quanquam non passus est expertem se esse testimonii, bona tribuendo, dans nobis coelitus pluuias, ac tempora fructibus edendis apta, implens cibo & laetitia corda nostra. Actor.* 14 *v.* 15, 16, 17. Nam communem fuisse notionem illis omnibus de Deo impressam; ac non singularem illam qua hunc verum Deum esse cognoscerent, Lystrenses ipsi demonstrant facto & Paulus arguit. Obscuram esse demonstrant argumenta illius; cùm nihil Apostolus nisi naturae testimonia, aut res in natura à Deo gestas, adferat, vt declaret Dei illius summè adorandi veritatem: Haec autem tenuissima vestigia sunt duntaxat veri illius & viuentis Dei, quae non id quod Deus humano generi inde à principio est, sed quod Dei est, potiùs testificata sunt. Eadem quoque ratione principia haec imperfecta sunt; quae si quid de Deo testantur (vt profecto faciunt) testantur imperfectissimè, & à perfectione illius absunt longissimè. Eiusdem generis illud est quod enunciabat Apostolus, quum Athenienses ab idololatria reuocaret: *pertransiens, inquit, & contemplans sacra vestra, inueni etiam aram, cui inscriptum erat, Ignoto Deo: quem ergo ignorantes colitis, hunc ego vobis annuncio. Deus ille qui fecit mundum, & omnia quae in eo sunt, cùm sit coeli & terrae Dominus, in manufactis templis non habitat, &c. Actor.* 17. 23, 24. Quibus conditionem principiorum illorum naturalium declarat luculentissimè; cùm nec Deum singulariter nouerint, quem principia communia docent colendum communiter;

communiter; nec euidenter nouerint, vt qui in temporibus ignorantiae dissimulatis vixissent: nec denique nouerint perfecte, cùm Deus dicatur omnibus vitam dare, & halitum, & omnia, fecissetque ex vno sanguine totam gentem hominum, vt videlicet quaererent Dominum, si fortè palpando eum inuenturi essent: & caetera, quae illic grauissimè à Paulo afferuntur. Quapropter optimè idem Apostolus affirmat *Retegi iram Dei è coelo aduersus omnem impietatem & iniustitiam hominum*, *vt qui* (f. 1393.) *veritatem iniustè detineant; quoniam id quod de Deo cognosci potest* naturae facultate & ordine, *manifestum est in ipsis*: *Deus enim eum manifestum fecit. nam inuisibilia ipsius iam inde à condito mundo ex rebus factis intellecta peruidentur*, *aeterna videlicet eius potentia atque diuinitas*, nempe communi illo ex ipsis principiis naturae, & obscuro, & imperfecto modo. *Rom.* 1. 19, 20. Quemadmodum autem communis haec principiorum, & obscura, & imperfecta ratio in peruestiganda rerum veritate, diuinarum maximè, cognoscitur, adeò vt si quid veritatis de Deo per rationem inuestigatur, id à paucis tantùm, & per longum tempus, & cum errorum plurimorum mistura homini proueniat: Ita etiam in eo iure peruestigando accidit, quod Apostolus ibidem τὸ δικαίωμα τοῦ θεοῦ appellauit. Nam siue ius ordinationemque diuinam de omnibus rebus in se & inter se factam contempleris, siue ius morale ad creaturas pertinens, quas fecit ad suam imaginem; nihil est omnino, quod non facilè eadem ratione euinci possit istius incommodi. Quapropter omnibus expensis optimè concludimus, nec perfectionem his principiis & notionibus inesse capacem rerum diuinarum, nec habilitatem aut potentiam vllam vllo modo, ad peruestigationem rerum illarum suscipiendam, sed eam necesse habere planè, vt à supernaturali gratia, tum perfectionem suscipiat (si quam susceptura est) tum potentiam δεκτικὴν, id est, aptam ad suscipiendam perfectionem illius: vsque adeò inepta est totius huius naturae nostrae acies ad peruidenda & percipienda ea, quae supra naturam sunt à Deo posita.

Diximus de principiis. Iam de natura ipsa tota, in qua, velut in subiecto suo, ingenerata sunt principia ista, videamus. Naturae igitur nostrae, in qua principia haec, & notiones communes insunt, ratio duplex est à nobis obseruanda. Nam aut secundùm se consideratur natura haec, prout à Deo creata fuit, aut secundum accidens illi peccatum & corruptionem consequutam ex primorum parentum lapsu. De priore modo & conditione naturae primigeniae nostrae, principiorùmque inditorum ipsi, statuimus in hunc modum. *Thes.* 17. *Haec conditio fuit Theologiae naturalis in Adamo natura integra*, *quam ex principiis communibus*, *obscuris*, *& imperfectis coli & augeri ratiocinatione oportebat*, *& gratia perfici.* Non sum quidem nescius id nouum permultis & inauditum videri quod modò dicimus; naturam integram, prout in Adamo à creatione fuit, his quasi finibus Theologiae suae fuisse praeditam, nec vlteriùs secundùm naturam processisse. verumtamen desinent mirari, (opinor) quicumque haec duo, quae iam dicturi sumus, eadem opera expenderint. Vnum est, eo ipso quòd Theologia naturalis dicitur, excludi supernaturalem sapientiam, velut toto genere differentem: nec posse alteram confundi cum altera, quin statuatur oppositum in opposito (vt Scholastici loquuntur) & manifestissima duorum membrorum inter se contractio: quod ab omni scientia est alienissimum. Alterum est, non propterea tolli rationem incrementi, quod homo natura integra ex principiis fuisset assequuturus, donec perficeretur supernaturali gratia; & ad fastigium illius euectus esset. Nam cùm natura hominis ita comparata sit, vt principia quidem in se habeat, progressum veró ratiocinatione & studio assequatur, donec ad iustam scientiam peruenerit; nemini dubium esse potest, quin communis etiam in Adamo fuerit naturae ratio; & in posteris ipsius fuisset futura, si in illa integritate primigenia sibi constitissent. Habuit ergo Adam principia incorrupta, prout naturae sunt: tum ex horum principiorum cum rebus & signis

signis comparatione potuit successiuè ratiocinationis opera componere, diuidere, concludere, & determinare, etiam secundùm naturam, quicquid facultate illius in rebus diuinis assequutura natura fuit; denique scientiam aliquam rerum diuinarum comparare secundùm integrae naturae modum. sed supra naturam non potuit transcendere, quia suus fuit & singularis modus facultatibus singulis ipsius; extra quem modum fuerat quidem assurrecturus Adam; sed supernaturalis gratiae beneficio, non autem virtute naturae suae. Nam erant integra & incorrupta in illo omnia; sed contenta naturae finibus, non supra naturam euagantia. Erant igitur principia in ipso communia: si enim singularia fuissent, non fuissent principia, sed conclusiones & determinationes rationis ad veram iustámque scientiam pertinentis. Erant eadem in ipso obscura: si enim fuissent clara & euidentia planè, non iam principia fuissent solùm, aut etiam meritò dicerentur; sed media quoque infuissent ei: Quae media propriè non ad intellectum, velut principiorum sedem perpetuam, sed ad rationem consensu omnium pertinent. Erant denique eadem imperfecta, non perfectione vitiosa, aut imper(f. 1394.)fectione naturae (nam imperfectionem naturae ex creatione obtinebat) sed imperfectione secundùm quid (vt vocant) id est, comparatè ad illam infinitam perfectionem Dei, rerúmque diuinarum: ad quam perfectionem nulla res creata potest vi naturae suae attingere, quam nulla per se comprehendere. Haec autem principia & quasi semina in aruo intellectus humani deposita, coli & augeri oportuit similiter, naturae opera principiis accedente. Naturae verò operaria est ratio in homine ad imaginem Dei condito; cuius rationis cultura prouehi principia illa oportuit, à communitate ipsorum ad opera singularia, ab obscuritate in lucem, ab imperfectione in aliquam perfectionem secundùm naturalis facultatis modum: vt conficeretur ex principiorum semine & rationis cultura in mente hominis scientia. Quid ergo? scientiane potuit rerum diuinarum in homine integro perfici his naturae velut instrumentis? minimè verò. Nam ratio ipsa non potuit non laborare ex obscuritate & imperfectione, cùm materiam non aliunde quàm ex principiis ad scientiam gignendam habuerit: quandoquidem in principiis (vt recentiores Philosophi loqui solent) omnia insunt virtute communiter, quae ratione & scientia hominum comprehenduntur singulariter. Ex quo id continuò sequitur, non potuisse, ne in natura quidem hominis integra, rationem, ad amplius humanae scientiae fastigium ascendere, quàm superstruere posset principiis, & ex principiis ipsius. His positis, rectè concludimus, etiam in ipsa natura hominis integra non potuisse Theologiam perfectam esse, secundum perfectionem naturae humanae simpliciter; sed eam Theologiam gratia supernaturali Dei fuisse perficiendam, vel potiùs perfectione ingressa in locum ipsius quasi abolendam; vt Theologia supernaturali homo locupletatus permaneret, & supernaturali virtute ad beatam illam conditionem transmitteretur per gratiam, in cuius spem viuam regeniti sumus à Domino. 1 *Petr.* 1 : 3. Neque est cur miretur quisquam, quòd Theologiam naturalem abolendam fuisse supernaturali dicimus. Nam ita nos docet Apostolus dicendum esse, quum de Theologia hac nostra, & illa futura in coelis loquitur: *Ex parte enim cognoscimus*, inquit, *& ex parte prophetamus: quum autem venerit perfectio, tunc quod ex parte est abolebitur*, *&c.* 1 *Corinth.* 13 : 9. Illa ἐπεισαγωγὴ formae non modò alterius, verùm etiam alterius generis & perfectissimi, hanc formam Theologiae nostrae quasi absorptura est, & vindicatura in perfectionem illius.

Atque haec de conditione Theologiae naturalis in natura hominis incorrupta satis: de conditione illius, ex quo vitiositate corrupta est natura videamus, *Thes.* XVIII. *Postquam verò natura haec corrupta fuit, illa quidem ipsa principia in singulis permanserunt, communia, obscura, atque imperfecta: sed in sese corruptissima, inter se conturbatissima, tanquam rudera naturae nostrae vitiositate nostra.* Non est hic consilij nostri,

nostri, vt de corruptione naturae nostrae agamus singulariter, aut de ortu & modo corruptionis illius: id tantùm in praesentia agemus, vt modum seu conditionem naturalis illius Theologiae, ex quo in peccatum homo miserè lapsus est, cognoscamus. Notum autem est illud in vulgo (quod optimè orthodoxi Patres, & Scholastici vestigia illorum sequuti, tradiderunt) nempe naturalia dona corrupta esse, & supernaturalia amissa. Ex hoc dicto ita statuimus Theologiam supernaturalem, velut abdicatam & repulsam indignissimè peccato hominis, hinc se in coelos recepisse: Theologiam verò naturalem, vt caetera omnia quae ex natura sunt, fuisse corruptam. Etenim quomodo incorrupta potuisset in subiecto corrupto omni ex parte permanere? Istius verò corruptionis modus bifariam obseruandus est: primùm in constitutione subiecti ipsius singulariúmque partium illius: Secundo in subiecti & partium eius inter se atque ad alia omnia ordinatione. In subiecto igitur (vt antè dicebamus) inerant ista: in intellectu principia, & in mente ratio, vnde scientiam aliquam naturalis homo potuit acquirere. Sed cùm ea principia in natura hominis integra ex incommodis suis laborauerint, itemque pro conditione principiorum non fuerit mutabilitatis expers humana ratio; certè haec incommoda non potuit curare superueniens hominis corruptio, non seruare in eodem statu; non denique à diminutione vlla ipsorum defendere. Itaque si antè communia fuerunt in singulis, etiam communia permanserunt, sed infestante vitio: si obscura fuerant, etiam longè obscuriora effecta sunt: si denique im(f. 1395.)perfecta, omnino in grauiorem multo imperfectionem corruerunt; ac proinde non potuit ratio hominis in peius non ferri, & grauissimè turpissimeque vitiari. Quapropter verissime illud de natura hominis praedicari potest, vt naturam totam, sic etiam principia eius omnia fuisse in seipsis corruptissima; praesertim verò quae ad Theologiam spectauerunt, cuius subiectum supra totam naturam est rerum creatarum omnium; nec à natura ipsa integra aliter prehendi potest; quàm pró naturae ipsius modo. Neque solùm ipsa in sese fuerunt corruptissima, sed (quod amplius est) ab omni iusto ordine & relatione conueniente inter se alienissima: nam quid magis ἄτακτον seu inordinatum cogitari potest, quàm si quis nec cum toto suo, nec cum partibus totius illius sui, nec cum aliis extra totum suum, ordinem debitum obseruauerit? Eiusmodi autem in homine lapso illa ipsa principia statim comperta sunt: manserunt principia eadem fundamento, sed modo diuersissima: cùm nec in se ipsa, nec inter se, aut cum aliis potuerint tenere modum. Atque haec causa est, cur ipsa inter se fuisse dicimus conturbatissima, tanquam rudera naturae iacentis, & miserè prostratae graui casu nostro. Quemadmodum enim domus elegantis, si grauissimo casu deturbabitur, & vi maiore aliqua corruet momento vno, omnis forma disperit; & partes, quamuis affabre factae, supraque modum speciosae, afflictae, corruptaeque iacent, & latent sepultae in aceruis ruderum: Ita etiam quicquid in natura humana fuit elegans, abiit, & tanquam in mole indigesta & incomposita vitiositatis nostrae sepultum est. Iam postremum restat, vt de opere effectisque naturae illius & principiorum naturalium in ea videamus. Certè si principiorum & naturae totius nostrae iam vsque adeò exile opus est, etiam in iis rebus ad quas natura potest assurgere; multò magis in Theologia naturali infirmitas & imbecillitas naturae principiorumque illius tenenda est: cùm subiectum Theologiae à natura hac non possit comprehendi; sed naturam totam, ac non solùm hominis cuiusque infinitum superet.

De Theologia itaque naturali, si ad opus ipsius effectaque respiciamus, ex antecedentibus ita concludimus. *Thes.* XIX. *Itaque haec Theologia nihil omnino ad perfectionem potest perducere, nec perducit vnquam: ac ne perfectionis quidem est per se ipsam capax, superuenientis à gratia.* Tria sunt breuiter hoc loco de Theologia naturali à nobis enunciata; prout periti scientiarum secundùm essentiam rerum de quibus agitur,

agitur, tria expendi praeceperunt δύναμιν, ἔργον, καὶ πάθος, potentiam, actionem, perpessionemque ipsarum. De potentia igitur huius Theologiae dicuntur ista: *Haec Theologia nihil omnino ad perfectionem potest perducere.* nec mirum, cùm ipsa ad perfectionem venire non possit, alios quomodo prouehat ad perfectionem iustam? De opere siue actione, dicimus hanc *non perducere* vnquam ad perfectionem quicquam: quae res apud omnes ratione iudicioque praeditos extra controuersiam omnem futura est; praesertim si cogitauerint ex causa imperfecta, adeoque imperfectissima, non posse effectus alios quam imperfectos exsistere: alioquin enim (quod est absurdissimum) perfectos fructus arbor imperfecta proferre diceretur. Tertius verò locus, quem de naturali hac Theologia affirmamus, fortassè nonnullis grauior & difficilior creditu esse videbitur, qui non possunt ferre, vt naturae nostrae derogentur omnia, & gloriosae Dei gratiae arrogentur. dicimus enim naturalem hanc Theologiam *per seipsam ne perfectionis quidem sibi superuenientis à gratia, capacem esse:* Id est, nullam per se natura aut virtute sua affectionem, aut relationem ordinatam, aut dispositionem (vt vocant) habere, qua suscipiat illam perfectionem, quae superfunditur coelesti gratia. Proinde vt quiduis in natura & à natura suscipiat secundùm genus illud potentiae, quod passiuum vocant, ex habilitate & dispositione naturae nostrae: tamen si ad fructum perceptionemque respexeris coelestium illorum spiritualiumque donorum, quae Deus reuelatione singulari cum hominibus communicat, huic Theologiae nulla est potentia passiua per se, nulla susceptiua, nulla obedientialis (vt vocant Scholastici) nulla denique dispositio, qua naturalis Theologia supernaturali communicet. Est quidem commune vtrique subiectum, circa quod versatur: Sed vtraque haec Sapientia inter se differunt (vt ita loquamur) totalitate naturae suae. Neque enim scientias facit congeneres subiecti eiusdem communicatio, sed modus ipsarum: quemadmodum in numeris communiter occupantur Musicus & Arithmeticus, sed tractationis mo(f. 1396.)do inter se differunt. Demonstratur istud vel vno comparationis inter haec ipsa argumento: Natura enim non nisi ex materia prius existente dispositionem elicit, Spiritus autem Dei omnia in omnibus operatur. Itaque ad Theologiam naturalem, natura & intellectum adhibet, & principiorum semina ad dispositionem illius occupat: Ad illam verò supernaturalem, Spiritus Dei omnes partes sibi omnino vindicat, vt omni iure supernaturalis appelletur.

CAPVT XI.

De Theologia supernaturali.

Exposita infirmitate huius naturae nostrae, ex qua Theologiae naturalis modus certò deprehendi potest; Nunc nobis videndum est, quid sit quod natura appetat, & vnde modus assequendae rei eius, quam appetit, possit contingere. Naturam igitur nostram, siue communem spectes, quà omnes bonum appetunt communiter, siue etiam singularem, qua singuli ad hoc aut illud appetendum pro conditione ipsorum traducuntur, videmus eò semper ferri, vt bona sua assequatur, & fugiat contraria. Atque hoc naturae studium tantopere in rebus etiam leuissimis emicare solet, vt nemo vel imperitissimus non sentiat, natura duce bonum appetendum esse. Cùm autem in rebus omnibus nihil tantae necessitatis, vtilitatis, dignitatísque esse videatur, quàm vt homo in hac vniuersitate rerum princeps constitutus, ad bonum suum euehatur,

hatur, quò nec facultate naturae, nec arte humana, nec rei creatae vllius adiumentis, potest assurgere: Propterea necesse fuit, aut hominem ipsum investigare modis omnibus, sicundè viam rationémque boni istius obtinere posset, aut eius qui conferre potest beneficio ad cognitionem apprehensionémque viae illius perduci, qua assequeretur bonum. Vt autem homo ipsum auctorem sui illius boni, viámque ad illum, & boni percipiendi modum viribus naturae suae, aut arte vlla subsidióve rei creatae cognosceret; nunquam profectò fieri potuisset: nam quomodo perdita in se creatura & ab auctore boni sui iusto iudicio abiudicata, ad eum fuisset peruentura? quomodo caeca visura inuisibilem? quomodo mortua apprehensura & institutura viam, qua ad bonum (quod quidem verè sit bonum) queat contendere?

Thes. 20. *Quapropter superuenire homini oportuit illam Theologiam inspiratam, quam ab ortu eius supernaturalem appellamus*, & *Theologiam reuelationis à gratioso communicationis modo.* Alioquin nunquam fuisset futurum, vt mens hominis ex sensu mali sui emergens, ad spem certam apprehensionémque boni deueniret. Auctorem itaque boni ad miserum abiectúmque hominem oportuit accedere, cùm nulla ratione homo potuerit ad illum conscendere. Accedit autem Deus, auctor omnis boni, variè ad homines pro vario operationis modo: sed si vlla nobis salutaris est, dum in hac vita degimus, donum certè cogitationis est, qua Deum, prout sumus ab ipso cogniti, discimus cognoscere. Hoc illud bonum est, quod *Theologiam inspiratam* appellamus: nam inspiratione nos cognoscit, vel potiùs cognitos sibi esse testatur Deus; Theologia verò, quam inspirat nobis, cognoscimus Deum, prout ab ipso fuimus cogniti. Hanc verò salutarem Dei inspirationem cognitionémque communicatam beneficio eius, eò *superuenire* dicimus, quia nec in nobis, nec penes nos, nec penes ea quae circumstant nos, nec in tota rerum vniuersitate principium vllum, aut semen istius boni exstare potest ad salutem hominum efficax; sed Deum illum auctorem boni, qui in omnibus est, & per omnia, & supra omnia superfundere salutarem illam gratiam necesse est, éamque inde superuenire nobis; vt possimus credere dicenti coelestia, qui ne terrena quidem dicenti credebamus. Ortum, naturam, modum totius huius mysterij supernè effici oportuit: Hinc illud natum est, quòd hanc Theologiam inspiratam, *ab ortu supernaturalem; à gratioso modo, reuelationis Theologiam appellauimus*: quandoquidem ortu, & na(f. 1397.)tura sua, & communicationis modo demonstrat potentissimè, nihil in hac re à Deo non peruenire; & virtute diuina perfici. Id tamen obseruandum est, quum haec Theologia reuelationis appellatur, dici κατ' ἐξοχὴν, & angustiore significatu, quàm capite octauo & nono fuit proposita. Illic enim Theologiam reuelationis dicebamus eam, quam Deus hîc cum homine communicat, siue naturali, siue supernaturali gratia: Hîc verò reuelationem supernaturalis gratiae cum natura & bonis naturae comparantes, & statuentes earum inter se oppositionem de supernaturali solùm reuelatione, & gratioso modo communicationis instituimus dicere.

Thes. 21. *Est autem Theologia supernaturalis, sapientia rerum diuinarum, quae procedit ex principiis secundùm se notis, superioris scientiae lumine, supra humanae rationis modum.* His verbis sequentes vestigia definitionis, quam de naturali Theologia antè tradidimus, paucis Theologiam supernaturalem definimus. Ac genus quidem & differentiam huius Theologiae ex antecedentibus omnes facile intelligunt. Est enim genus, *Sapientia*: non illa quidem archetypa, de qua principio dicebamus, (nam haec principium vniuersale est, ideóque nullo genere concludi potest) sed sapientia aequiuocè dicta, ex vniuersali illo principio defluens per Christum Iesum, in quo omnes thesauri sapientiae & intelligentiae sunt absconditi. Differentia per causas certo ordine exponitur: nam causa efficiens huius Theologiae est Deus infundens *superioris illius scientiae lumen;*

Materialis

Materialis est, *principiorum secundùm se notorum* in rebus diuinis: Formalis deniq.; quòd ex illis principiis lumine illo superiore *proceditur supra humanae rationis modum*. Ac Deum quidem infundentem lumen illud superioris scientiae vel Sapientiae ad haec principia, velut efficientem causam, hoc loco ponimus: Quia (vt antè dicebamus) in hac gratiae communicatione vnus est demum Spiritus, qui omnia operatur in omnibus prout vult, luménque superioris illius & coelestis scientiae, illustratione virtutis suae, communicat. Nam cùm omnes scientiae ita comparatae sint, vt lumen suum per se à natura habeant, aut ex alia superiore scientia mutuentur; haec autem scientia, alias omnes quae sciuntur, quaeque sciri possunt, omnibus in numeris superet; Propterea superiorem scientiam comparatè visum est appellare, vt ostenderemus hanc scientiam caelestem esse, superiorem omni terrae huius aut mundi totius scientia; aut (si ita placet) supremam omnium, quae vnquam sciri ab homine & apprehendi possunt. Quid? quod hac ipsa appellatione admirabilem hanc scientiam non solùm superiorem aliis scientiis, verùm etiam nobis ipsis, & natura nostra, & ipsa vniuersitate rerum, praedicamus? Ita fit vt quam longissime abducti ab harum rerum consuetudine & cognitione, praetercurramus omnia quae sunt in rebus creatis, & sursum ad lumen illud inextinguibile, nullísque mutationibus aut vmbraculis infestum, id est, ad Deum ipsum transuolemus. Ex hcc igitur lumine, quod singulari gratia nobiscum Deus communicatum voluit, id nobis contingit, vt materiam supernaturalis Theologiae comprehendamus, nimirum *res diuinas*, hoc est, Deum ipsum, & quaecunque sunt, quà ad Deum ordinata sunt: prehendamus, inquam, pro iustissimo sanctissimóque subiecto huius sapientiae, & intus principia illa caelestia per se nota, quibus illustrauit nos hîc Deus, pro instrumentis habeamus, ad comprehensionem diuinarum rerum necessariis. Hinc forma sequitur huius Theologiae, diuinaeque Sapientiae, posita in actu cognitionis illius nostrae, quum statuimus procedere Theologiam hanc supernaturalem in cognitione rerum diuinarum, ex principiis diuinitus inditis, supra humanae rationis, adeóque omnis creatae intelligentiae modum. Enimuerò si à Deo lumen est superioris scientiae, si principia illius luminis, si progressus luminis; etiam progressum vel processionem nostram in apprehensione rerum diuinarum supra captum rationis nostrae, acceptum eidem ferri necesse est.

Thes. 22. *Huius Theologiae supernaturalis duplex est ratio: nam aut absoluta est, & secundum se, pro modo communicantis; aut secundum quid, pro modulo eorum, ad quos peruenit communicatio.* Quod dicimus hoc modo se habet, quaecunque scientia aut sapientia in quaestionem venit, ea consideratur aut prout est natura & genere suo, simpliciter; aut prout non est natura & genere suo, simpliciter, aut prout non est natura & genere, sed quodam concreto modo, compositè. (f. 1398.) Id quod est natura, & quod est in genere, abstractum appellatur: quod secus, concretum. Verbi gratia: Iustitia esse natura dicitur: Iustum, in quo iustitia cum subiecto haeret, non esse natura: quia non est vnum quid propriè & per se. Omne autem quod est, eo ipso quod est, vnum est. Id autem quod est natura, & in genere, praestantius est eo, quod concretum est: quia natura sunt, & in genere sunt quaecumque pura & absoluta sua natura constant, nec quicquam habent commixtum & concretum, dispar sui atque dissimile. Iustitia enim semper est vna & eadem, in nullis personis, temporibus, locis mutabilis: Iustus mutabilem habet naturam, mutationémque suscipit, cuius est iustitia expers. In hunc modum de Theologia dicturos opus est circumspicere, ne forma Theologiae secundùm naturam & genus ipsius, prout est integerrima & corruptissima, admixtione vllius rei concretae deformetur adulteretúrque, aut fiat (ut ita dicamus) ὑπόχαλκος. Nam si id quod subiecti est, aut secundùm subiectum illius, cum sanctissima illa & intemerata matre & indice salutis nostrae (si ita appellare licet) confuderis, neutrum horum profectò rectè assequuturus

assequuturus es, nec dignitatem Theologiae, nec veritatem subiecti, quod haec Theologia generat, & quîcum à Deo communicata est. Omnino itaque duplicem Theologiae rationem constitui à nobis necesse est, quandoquidem ipsa in se ex natura essentiáque sua aliter obseruatur, quàm in subiecto illo tenui infirmóque hominum, qui ex perceptione & comprehensione illius Theologi appellantur. Priorem modum Theologiae cùm nominibus ipsius, tum certa determinatione circumscribimus, dicentes, *esse absolutam hanc Theologiam, & Theologiam secundùm se, pro communicantis modo.* Absolutam enim quum dicimus, consilium nostrum esse ostendimus agere de Theologia absolutè simplicitérque considerata, citra admistionem rei alterius, siue subiecti, siue aliarum, vndecunque sint, ad eam accedentium. Quapropter eiam haec Theologia secundum appellari solet, id est, secundum naturalem conditionem, propriámque essentiam (vt vocant) ipsius: Ita vt nihil alienum in ea sit, & nihil suum non sit in ea, prout est à Deo informata. Huius verò determinatio pauculis illis verbis à nobis posita est, *pro modo communicantis.* Nam cùm earum rerum quae ab aliena virtute & efficacia procedunt, modus ab effectore sit: Theologia autem, argumentum in rebus creatis, & supra res omnes creatas, dignissimum, non possit casu aut temerè ad nos delata esse: rectè omnino faciunt atque sapienter, quicunque ab effectore ipsius percipiunt ipsius modum. Est autem earum rerum, quasvis aliena efficit, duplex modus: Unus adaequatus virtuti efficientis causae, quemadmodum homo ab homine generatur: Alter, inferior ac minimè adaequatus, vt fit in rebus quam plurimis. Neque enim opera artificum adaequantur suis artificibus, neque externa opera internis operibus, quae artificis voluntate consilióque in animo informantur. Est autem nostrae Theologiae auctor & effector Deus, qui ipsam gratiosè cùm genere humano communicat, ídque pro modo suo: verumtamen non illo adaequato, id est, pro modo essentiae suae, quae infinita est, sed modo non adaequato, id est pro modo voluntatis suae, reuelatioues suas temperantis ad commoditatem conditionis nostrae. nam Sapientia adaequata ea est quam Theologiam archetypam siue prototypam appellauimus, ad quam proximè accedit Theologia vnionis in Christo Iesu: secundùm hanc Theologia visionis in Sanctis caelestibus: tertium denique locum haec nostra Theologia obtinet. quae si cum Theologia sanctorum in coelis minimè est comparanda, longè profectò iniquius futurum esset, si quis eam cum Theologia vnionis, iniquissimum si cum Theologia illa archetypa & essentiali vellet committere. Est igitur modus absolutae huius Theologiae à communicante datus, pro modo sapientiae & bonitatis ipsius, certa voluntate consilioque eius, quo revelationes suas contemperauit conditioni nostrae, & sese accommodauit vltro ad rationem hominum, salutémque Ecclesiae suae.

Haec illa est absoluta Theologia, totam rationem perfectam perfectè comprehendens, quam Deo placuit reuelare in commune, ad laudem gratiae gloriosae suae in Christo Iesu. Ex hac autem diuina planè perfectáq. Theologia communitati hominum per Dei gratiam exposita, profluxit altera illa ratio Theologiae, quam secundùm quid appellamus. Etsi non est cogitandum, quum (f. 1399.) modificari Theologiam illam diuinam praedicamus, nos de veritate illius quacunque de causa velle detrahere: nam Theologiam illam veneramur, colimúsque religiosissimè, & lugemus potius infirmitatem nostram & angustias mentis nostrae, quàm vt de sanctissima illa, & perfectissima Theologia tantulum detrahamus. Sed quia virtutes omnes (vt antè diximus) à natura longè sunt praestantiores in seipsis, quàm in subiecto vllo suo, quemadmodum aliud est iustitia in se, aliud iustitia hominis cum restrictione dicta: eò fit vt Theologiam secundùm quid appellamus eam, quae in homine est, & secundùm hominem, cuius forma simplex, Theologia absoluta à nobis dicta est. Est igitur Theologia illa absoluta, velut forma purissima: Theologia verò secundùm quid, velut forma

materiae superaddita, & pro conditione materiae suae determinata angustius, finitáque facta. Constat autem, quo angustior & indignior materia illa est, eo angustiorem effici formam, quae illi accesserit. Cùm itaque subiectum huius Theologiae homo sit, qui ex comprehensione eius Theologus appellatur, atque hoc subiectum summopere vanitate & infirmitate circumfluat, Theologiam certè secundùm quid à Theologia absoluta distingui accuratissimè interest plurimùm, tum veritatis diuinae, tum institutionis nostrae. Est enim Theologia absoluta, conceptus quidam purus à Deo oblatus: Theologia verò secundùm quid, est conceptus ab homine apprehensus, sed impuratus conditione illius, & imperfectus redditus. Quo magis iniqui videntur esse in Ecclesiam Dei, quicunque in hoc tempore non aliam nouerunt Theologiam, quàmquae secundùm homines, & ab hominibus est, & qui ab hominum iudicio atque auctoritate in hac causa perinde pendent, ac si purus ille conceptus formáque diuina Theologiae, quam absolutam appellamus, aut euanuisset planè, aut in manus potestatémque hominum mancipij lege deuenisset. Est enim illa forma, est ille conceptus permanens, non autem ad voluntatem hominum mutabilis, cui omneis homines oportet credere, non autem illam hominibus ignorantibus & infirmis cedere. Huius verò Theologiae, quam secundùm quid nominamus, determinatio, (vt vocant) vel circumscriptio his verbis à nobis expressa est, *pro modulo eorum, ad quos peruenit communicatio.* Alius est dantis, alius accipientis modus: nam qui dat & subministrat Theologiam, Deus est, nos subministratam à Deo percipimus. Qui dat, sapientissimè donum suum, id est, Theologiam nostram absolutam ita contemperauit, vt quicquid necesse est in commune Ecclesiae suae, profuderit gratiosissimè, & communi hominum exposuerit: sed qui accipiunt, hi ab eo percipiendo quod Deus in commune confert, absunt longissimè. Nam & vnicuique suus est modulus, & toti Ecclesiae in vnaquaque aetate suus, & pro ignorantia, infirmitate, ac tenuitate omnium, imperfectissimus. Quapropter insignis est, & intoleranda eorum hominum in Deum contumelia, & iniuria in Ecclesiam eius atrocior, qui in vasis tam infirmis & ineptis plenitudinem incredibilis istius thesauri, in hac misera & mortali vita, residere posse arbitrantur. Atque haec in genere de Theologia supernaturali satis. Nunc ad definitionem & singularem expositionem eius, Deo auctore, transeamus.

CAPVT XII.

Quid sit Theologia absolutè dicta. Thes. XXIII.

THEOLOGIA *nostra, absolutè dicta, est Sapientia rerum diuinarum, secundùm veritatem diuinam à Deo inspirata, & per enuntiatiuum sermonem in Christo commissa seruis eius, atque in Testamento vetere & nouo per Prophetas, Apostolos, & Euangelistas consignata, quantum eius hic nobis expedit reuelari ad gloriam ipsius, & electorum bonum.* Etsi aliqua nostrae Theologiae absolutè dictae ex antecedentibus definitio haberi potuit, tamen visum est hoc loco necessarium paulo ampliorem & accuratiorem adhiberi, vt de singulis rebus ad essentiam eius, verámque naturam pertinentibus commodior exstet dicendi locus. Nam quemadmodùm iusta definitione essentiam rei, quae agitur, opus est contineri: ita etiam à definitione iusta, singula quasi (f. 1400.) semina definitae rei petenda sunt, ex quibus sigillatim loci definitiones explicentur. Antequam verò de partibus huius definitionis dicere instituimus, ordinis causa

causa exponi necesse est, quibus veluti cancellis haec Theologia nostra absolutè dicta, discludatur ab illa altera, quam Theologiam secundùm quid diximus appellari: vt hac ratione & via constituta, de vtraque deinceps suo ordine videamus, prout natura huius & illius postulauerit. Vtriusq. ergo Theologiae terminos, breuitatis causa, ponemus binos, ex quibus naturam illarum quodammodo saltem cognoscamus. Nam Theologiae absolutè dictae (quam Deus generi humano offert donum purissimum atque incorruptissimum, & tradit Ecclesiae suae) termini propriè duo sunt: Vnus est subiecti, de quo agitur hac nostra Theologia; alter est modi ad Theologiam hanc & sapientiam diuinam pertinentis pro captu naturae & ratione salutis nostrae. His duobus expositis, ad terminos quoque Theologiae secundùm quid dictae statuendos venturi sumus. Subiectum ergo, de quo Theologiae huius nostrae documentis homines instituuntur, vnum est amplissimum, adeóque infinitum Deus: qui vniuersale principium est, & exemplar, & finis rerum omnium quae fuerunt adhuc, aut sunt in hoc tempore, aut vnquam futurae sunt: Infinitus in se, suámque infinitatem in rebus omnibus testificans, amplissimis essentiae, virtutis & operationum communium singulariúmque argumentis; quae nulla planè ac ne caelestis quidem creatura potest opere ipso ad perfectionem, ex facto percipere, aut sermone exprimere, aut complecti intelligentia. Quapropter cùm infinitae illius essentiae, maiestatisque comprehendendae, ac velut definiendae per mentis, sermonis, naturaeque huius angustias, ratio nulla inueniri à rebus creatis aut excogitari possit: nulla profectò Dei illius nostri (vt infinitus est) scientia aut comprehensio aliqua in rebus creatis exstitisset, nisi Deus ille optimus maximus sese, quamuis infinitum, aliquo pacto finiuisset vltro: vt scientia eius & sapientia certa de ipso ad res creatas perueniret. Sic prospexit Deus, primum vt à Christo seruatore nostro in gratia vnionis secundùm naturam humanam ipsius comprehenderetur, quantum quidem potest natura creata ad summum & incomparabile sapientiae fastigium euecta capere per singularem illam Theologiam, quam vnionis propterea appellauimus. Sic eadem prouidentia effecit amplius, vt ab Angelis & spiritalibus intelligentiis, praesens á praesentibus, visione quadam perciperetur, pro eo ac essentiae illae caelestes visione Dei praesentis gloriosa frui potuerunt: vnde Theologia visionis item appellata. Sic denique eadem quoque prouidentia, sed per amplissimam & nunquam satis laudatam misericordiam, prouidit atque praestituit ille sapientissimus miserationum Pater, vt in oculis generis humani singulare quoddam exstaret speculum & singularis forma à Deo communicata: qua ipse, quamuis infinitus per omnia, quasi finito modo, se creaturis inferioribus spectandum, cognoscendum, sciendum, & sapiendum (vt ita dicamus) exhiberet per Theologiam reuelationis, quam & nostram appellamus. Quapropter cùm subiecti illius modus, prout infinitum est, capi à quoquam non possit, de modo Theologiae, id est, Sapientiae illius, qua se infinitus quasi definitum extare voluit, videndum est. Ac modum quidem huius sapientiae, quam Theologiam nostram siue reuelationis appellamus, minimè adaequatum esse subiecto, aut esse vnquam ex facto posse, ratio ipsa docet, & nostra natura postulat. Quid enim magis ex ratione est, quàm vt intelligamus vnum infinitum esse: & cum eo vno quod infinitum est, nihil comparari aut adaequari posse? Alioquin perire naturam vtriusque ex illo quasí concursu ipsorum oporteret, infinitúmque esse desinere, quia alterum altero finiatur. Naturam verò nostram non ita comparatam esse, vt Deum infinitum aut res etiam infinito proximas comprehendat, quisquis nescit, naturam communem nescit, & seipsum nescit, Praesertim verò, si id cogitemus, Deum sapientiam suam bonitatémque cum humano genere communicatam voluisse: cuius rei perficiendae nulla vnquam exstitura fuisset ratio, nisi modum contemperatum modulo naturae & conditionis nostrae, Ecclesiaeque suae, eadem

eadem sapientia & bonitate praestitisset: certè nemo homo futurus est, qui non statuat modum sapientia illius & bonitate communicatum longè inferiorem ac minimè adaequatum infinitati illius, fuisse praebendum nobis in vtilitatem nostram. Atque haec causa est, & cur illam communicationem sapien(f. 1401.)tiae suae re ipsa & modo constituit captui hominum electorúmque suorum, & Ecclesiae suae commodissimam. Etenim re, quaecunque sunt opus cognitu, declarauit: quaecunque verò, aut non opus esse vidit, aut communicari vtiliter nobiscum non posse, ea dissimulauit sapientissimè. In modo verò illustrem gratiam suam effecit, quum res diuinas, spiritales, & caelestes, modo humano, corporeo, & terrestri circumuestiuit (vt ita dicamus) ne quid nos fugeret earum rerum quas nostra scire interfuit. In primis autem singulare illud est in huius diuinae communicationis modo, quòd disciplinam illam gratiae salutaris ordini naturalium scientiarum, disciplinarúmque conformauit, naturaeque nostrae accommodauit doctrinam gratiae. Quemadmodum enim ad perceptionem humanae cuiusque disciplinae, principiis opus est, ratiocinatione tanquam medio ex principiis exsurgente & conclusionibus determinationibúsque ad iustam scientiam disciplinarum, quae inter homines sunt, pertinentibus: Ita etiam in caelesti illa disciplina cum humano genere communicanda, prouidit Deus Opt. Max. de principiis ex superiore gratiae illius lumine, tanquam caelesti face, institutis: ex quibus mentes nostras ratiocinatione diuina imbueret, viámque aperiret ad conclusiones & determinationes caelesti scientiae conuenientes, & pro conditione Ecclesiae electae ipsius sapientiam illam coelestem in terris adumbrantes salutariter. Id quidem verum est, rerum illarum coelestium, quas docet haec sapientia, perfectionem infinitam esse, neque fieri potuisse vt perfectionem rerum assequeretur verborum, quaecunque tandem ea sint, perfectio: sed tamen gratiosissimè sapientissiméque effecit Deus, vt nihil perfectum quod quidem scitu nobis opus esse, non exprimeretur, & nihil inesset imperfectum in Theologiae illius communicatae, per Dei gratiam, veritate. Perfectionem, inquam, rerum, quas Deus praeparauit timentibus ipsum (quod quidem satis esset) exhibuit Deus Theologiae huius communicatione, prouidens sapientissimè, vt rei perfectissimae singula capita necessaria communicatione Theologiae diuinae perfectissima haberentur. Perfectissimum igitur subiectum, sed perfectione infinitum: sapientia perfectissima, sed perfectione finita: Modus denique sapientiae perfectissisimus, sed perfectione analoga cum veritate illius Sapientiae, quam Theologiam nostram absoluté appellamus.

Atque haec quidem ipsa quibus Theologiam absolutè disclusam esse demonstrauimus, secundùm rationem communia sunt reuera cum altero illo genere Theologiae, quam Theologiam secundum quid appellamus. subiectum enim commune, & modus sapientiae, scientiaeque illius, est in substantia idem: nam Theologia plus vna esse non potest, secundum essentiam ipsius, & rei in se veritatem. sed quia Theologia illa altera, quam secundùm quid appellamus, nescio quid permixtum & coniunctum habet, idque (si propriè loqui volumus) quasi materiatum in subiecto suo, propterea ad rationem Theologiae illius secundùm quid appellatae duo consimiliter accessere termini, sine quibus nunquam Theologia secundùm quid commodè tradi potest, aut percipi salutariter. Nam illa Theologia absolutè dicta, verè forma essentialis est, ad Dei Ecclesiam pertinens communicatione diuina: haec verò secundùm quid veluti materiale est, cui forma illa non potest sine obseruatione terminorum istorum adhaerescere. Prior terminus est subiecti, in quo haec Theologia residet communicatione diuina: posterior est modi, cuius agglutinatione diuina Theologia absolutè dicta, cum subiecto hoc quamuis ineptissimo per se, compingitur. Subiectum est (ne diu haereamus) homo, animal donis quidem naturae ornatum amplissimis beneficio Dei, sed corruptis

corruptis vitiositate ipsius, quae tamen dona (etiam in statu integritatis illius) nunquam, nisi efficiente singulari Dei & supernaturali gratia, ad fastigium salutis & gloriae coelestis hominem extulissent. fuerunt itaque in isto subiecto secundùm naturam ipsius sua instrumenta, ad disciplinas percipiendas commoda, sed quae nunquam non subsíderent de rebus naturalibus, atque in eis consisterent: fuerunt principia partim sensu percepta foris, partímque intellectui nostro intus adhaerentia atque ingenita: fuit ratiocinatio ex illis principiis cogitationes colligens, comparans, constituénsque: fuerunt conclusiones & determinationes ex principiis certa ratiocinatione erutae: fuit denique scientia; sed naturalis, terrena, carnalis, & naturalibus (f. 1402.) modis imperfectissimis ita constituta, vt ad nihil supernaturale, nihílque perfectum assurgeret; ac ne sensu quidem vllo afficeretur supernaturalium & perfectarum rerum. Etenim, vt inquit Apostolus, animalis homo non est capax eorum, quae sunt spiritus Dei: sunt enim ei stultitia, nec potest ea cognoscere. 1 *Cor.* 2. 14. Quamobrem, quid huic termino longissimè à rebus diuinis dissito cum sanctissima illa Theologia absolutè dicta? aut quid castissimae illi Theologiae cum homine impurissimo & ineptissimo, nisi optimus ille & coelestis Pater, qui modum communicandae Theologiae illius absolutè dictae suppeditauerat, idem gratiosissimè modum applicandae Theologiae secundùm quid nobis concinnasset?

Atque hic est terminus alter ad percipiendam Theologiam secundùm quid necessarius, quem antè statuimus; nimirum modus applicandae vtiliter illius scientiae, ad infirmum illud miserúmque subiectum, de quo breuiter modò agebamus. Modum itaque applicandae illius scientiae perfectissimae ad subiectum istud imperfectissimum constituens Deus, pro infinita illa sua misericordia diuinum lumen coelestis gratiae praebuit hominibus, quo per virtutem Spiritus omnia in omnibus perficeret, quae ad salutarem hanc applicationem praestationémque sunt necessaria. Ac propterea quicquid in natura humana est ad perceptionem rerum ingeneratum, id Deus virtute Spiritus sui ita occupauit, vt cum singulis naturae bonis dona gratiae, quae respondent ipsis, coniunxerit. Nam principiis in intellectu à natura positis agglutinauit principia gratiae: rationi ex principiis assurgenti incrementa luminis sui diuini superstruxit: conclusionibus & determinationibus, quas ratio consequuta est imperfectissima naturae luce, demonstrationes supernaturales et perfectissimas superaddidit, ex quibus scientia coelestis in mente piorum constitueretur: denique tum obiecta caelestia proposuit sentienda menti & voluntati nostrae coelesti modo, tum eamdem voluntatem ad apprehensionem obiectorum illorum excitauit. Hi ergo duo illi sunt modi, quos singulariter adhibendos esse sapientia Dei iudicauit, praeter eas res quas de Theologia absolutè dicta exposuimus; vt Theologia altera haec, quam secundùm quid appellamus, commodé apud homines versari posset, vtilitérque ab iis percipi. Alioquin nec subiectum adeò alienum vt homo est, fuisset futurum sapientiae illius coelestis capax; nec sapientia coelestis vestigio vel tenuissimo ad homines tam ineptos vnquam peruentura. His positis, quae ad rationem huius Theologiae ab illa discernendam pertinent; videndum nobis est, vt deinceps ordine de vtraque pro instituto nostro dicamus, quae ad rem praesentem videntur pertinere. Theologiae igitur nostrae absolutè dictae definitionem principio capitis expressimus, genus illius (vt in antecedentibus) & differentiam per caussas exponentes. Est nempe genus *sapientia*; & vere quidem sapientia, non autem καταχρηστικῶς, aut ex opinione hominum (vt fit plurimum) appellata. Causarum verò ad differentiam Theologiae pertinentium singuli loci communi ordine percurruntur. Nam primùm efficientem causam, & quaecunque ad eam pertinent, declarauimus, dicentes hanc Theologiam *à Deo inspiratam esse, & per enunciatiuum sermonem in Christo commissam seruis euis atque in testamento vetere*

vetere & nouo per Prophetas, Apostolos, & Euangelistas consignatam. Materiam, *rerum diuinarum* appellatione conclusimus; formam, *Veritatis;* finem denique *quantum eius nobis hîc expedit reuelari ad gloriam eius, & electorum bonum.* Itaque & locum hunc concludamus paucis, genus & differentia communis est huius Theologiae quae rerum diuiuarum dicitur (vt 'ante) sapientia: singularis verò differentia per causas sequentibus explicatur. Quamobrem de illis, agedum, ordine eodem videamus, & omisso genere differentiáque communi, aggrediamur causarum eíus explicationem.

CAPVT XIII.

De caussa materiali nostrae Theologiae.

Etsi omnes causas quae ad iustam definitionem Theologiae nostrae absolutè dictae sunt opus, certo & vulgari ordine naturae in definitione collocauimus; placuit tamen, ad commoditatem docendi priùs de causis internis & essentialibus Theologiae dicere, quàm de iis quae fo(f. 1403.)ris siue extrinsecus cum ea coniunctae sunt. Internas causas appellamus eas, quae essentiam rei constituunt illius de qua habetur sermo; cuiusmodi sunt in rebus omnibus materia & forma: Externas verò, quaecunque, tanquam externa quaedam, rei constitutae adhaerescunt, siue ad generationem ipsius, vt efficiens causa; siue ad operationem & effectum, vt finis. Hunc ordinem ratio disciplinae magis postulat; illum obseruat natura. Quapropter internas causas priore loco aggressuri sumus; externas verò in posteriorem reiecturi. Vt ergo de materia primùm videamus sacrae Theologiae; materiam eius, vestigiis scripturae, naturae quoque ipsius insistentes, exponimus in hunc modum, *Thes.* 24. *Materia Theologiae est diuinarum rerum: nimirum Deus, & quaecunque ad Deum ordinata sunt, prout disciplinam Dei de natura, operibus, & iure ipsius tradi oportuit.* Hanc ergo siue materiam, siue subiectum, siue obiectum appellemus, prout, respectu vario nomina haec de argumento Theologiae praedicari possunt, definimus *rerum diuinarum* appellatione. Res autem diuinas hoc loco volumus accipi, quae quidem aut verè diuinae sunt; aut, si ad rerum naturam pertinent, ad Deum tamen aliquo pacto ordinantur. quam rem nonnulli ex orthodoxis patribus volentes exprimere, materiam Theologiae sic definiuerunt, vt id totum in materia Theologiae habendum praedicarent, quod aut Deus est recto casu (ut loquuntur Grammatici) aut quod obliquo casu Dei, Deo, ad Deum, aut à Deo esse dici potest; quod denique secundùm omneis casus (ut Grammaticis appellantur) suam certam ad Deum habet relationem ordinationémque. Ac propriè quidem simplicitérque Deus subiectum, seu materia est Theologiae; quemadmodum vniuscuiusque scientiae, siue disciplinae vnum aliquod certum definitúmque subiectum, siue materiam haberi necesse est. Perinde enim subiectum in vnaquaque scientia se ad scientiam habet, vt obiectum se habet ad potentiam naturalem vel habitum nostrum. Constat autem propriè illud obiectum potentiae siue habitus humani assignari sub cuius ratione omnia ad suam potentiam siue habitum referuntur: quemadmodum (exempli causa) sermo articulatus & fragor referuntur ad auditum, qua sonora sunt; quia sonus vel res sonora quà sonora est, proprium est obiectum auditus nostri: similitérque homo & bestia referuntur ad visum, qua colorata sunt; quia color vel res colorata est objectum visus nostri. Sed omnia tamen in Sacra hac Theologia tractantur sub ratione Dei, tanquam propriae materiae, quae agitur in Theologia:

Theologia: quia aut Deus ipse est de quo agitur, aut res sunt ad Deum ordinatae, vt ad principium vniuersale, & finem ipsarum. Atque hanc ipsam quoque rationem sancti Apostoli, aut proximi tempora illorum viri Apostolici in sancto symbolo obseruarunt, quum subiectum principiorum, in quibus tota scientia virtute continetur, posuerunt Deum esse; & articulis de Deo, certa capita de Ecclesia, diuinis erga eam beneficiis subiecerunt; vt principia priore loco posita, id quod subiectum est per se, Theologiae nostrae ostenderent; posteriore verò, quae ad subiectum singulari modo se habent, & affecta sunt, tenerentur.

Harum autem rerum, quae diuinae appellantur, duplicem ordinem, ex iis quae modò diximus, constitui sequitur oportere: Vnum de Deo, quo nos oportet frui; Alterum de rebus Dei, quibus nos oportet vti secundùm Deum: vt Augustinus lib. I. de doctrina Christiana copiosè explicauit. Ad locum autem de Deo simpliciter haec duo pertinent; ratio naturae, & ratio voluntatis eius. Naturae; siue secundùm essentiam in tribus personis subsistentem; siue secundùm distinctionem personarum spectes in unitate essentiae. Voluntatis autem; tum eius quae vniuersè ad res omnes creatas fertur quodammodo: tum illius quae communis est, communitérque exposita in genere humano: tum denique huius, quae singulari ratione gratiae in Ecclesia ipsius exponitur. Ad alterum verò locum de rebus ad Deum ordinatis, tria fermè pertinent in scripturis sacris exposita: Nempe rerum natura, quà ad Deum ordinata est: opera Dei in illis; & ius illis à Deo assignatum. Naturam autem rerum disciplina Theologiae Sacrae dicimus explicari, non quidem simpliciter quà sunt (hoc enim scrupulosè vestigare, & recognoscere, & tradere, physicorum, medicorum, & philosophorum est, sese in perscrutandis & recognoscendis naturae operibus sine modo & fine immergentium); sed tantùm secundùm id, quod (f. 1404.) suam relationem suúmque respectum ad Deum habent necessitate naturae, & Deus ad illas libertate voluntatis suae. Etenim nec Angelorum naturam docet Theologia, vt faciunt Metaphysici; nec animantium aut rerum elementarium, vt Physici; nec τὴν ἐξ ἀφαιρέσεως, vt mathematici: sed naturam conditionémque tradunt singulorum quae ad hanc disciplinam pertinent; pro vt ad Deum referuntur, suáque affectione ad ipsum ordinantur solum. De operibus quoque, iudicium idem: Etenim opera Dei in rebus creatis omnibus, praelucente Theologiae diuinae face, ita obseruantur; vt non ea simpliciter in rationem veniant atque vniuersè, quae praestat in eis Deus; sed tantummodò ea quae secundum hanc ordinationem quam modò expressimus, aut Deus agit in illis, aut illae agunt secundùm Deum. Agit autem Deus liberrimè liberrima voluntate sua, aut vniuersè, cùm ordinariè secundùm naturam, tum extra ordinem secundùm prouidentiam ipsius: aut communiter, secundùm vocationem communem salutaris gratiae omnibus expositae; aut denique singulariter, secundùm vocationem singularem salutaris gratiae electis ipsius inditae per spiritum sanctificationis ad vitam aeternam. E diuerso autem illae agunt ministrantes ordinationi Dei, aut vniuersè, naturae vniuersalis instinctu, & communi lege obsequentes naturae & prouidentiae illius; aut communiter respicientes ad communem illam vocationem omnibus expositam communi modo: aut denique singulariter, multiplicem & admirabilem sapientiam eius ad salutem ipsarum efficacissimam omni honore & obsequio, vt par est, prosequentes.

Sed quia omnis laus virtutis in actione consistit, vt aiebat Tullius; ea autem demum vera laus est, quae non ab hominibus iudicio falsis, studiòque instabilibus; sed à Deo ipso proficiscitur: Propterea euidentissimus materiae locus, in quo Theologia Sacra solet insistere, is est, quem Paulus aliquoties τὸ δικαίωμα τοῦ θεοῦ appellauit *Rom.* I. 32. Nam ius certum est náturae à Deo impositum, & ius certum gratiae; quod ius cùm principiis naturae hic, tùm verò supernè principiis gratiae à Deo

Deo communicatis asseritur. Est enim rectitudo duplex, siue κατόρθωμα & officium a Deo generi humano constitutum: vnum, commune, bona ex parte cum rebus caeteris quae in hac vniuersitate sunt; nempe ius naturae, quod docemur instinctu illius: Alterum, singulare humani generis, vtpotè quod solùm ad imaginem Dei creatum est; ius morum, seu morale dictum. Ex illo iure bona & mala secundùm naturam, ex hoc bona & mala secundùm mores, id est, virtutes vitiáque censentur: Illa à principio communi, quod naturae instinctum aut voluntatem naturalem vocant; haec à principio singulari internòque, quod mentem, id est, rationis voluntatisque fontem dicunt, proficiscentia. Hoc verò ius morum, quo homines ad Deum oportet accedere, & sacrae voluntati eius, quàm maximè fieri potest, conformari, Sacra Theologia exponit perfectissimè; naturalia principia vitiositate nostra in nobis obrura, quasi refodiens & perfectione donans; gloriamque supernaturalem tanta luce, fide & virtute exponens ante oculos nostros, vt nihil ad hanc sapientiam caeterae. Haec igitur certissima est materia, in qua Theologia nostra Deo auctore & duce occupatur, & in qua, si nos occupabimus, vere fururum est, vt retecta facie gloriam Domini tanquam in speculo intuentes, in eamdem imaginem, tamquam à Domino spiritu transformemur. 2 *Cor*. 3. 18.

CAPVT XIIII

De causa formali Theologiae nostrae.

POSTQVAM inter nos de Theologiae nostrae materia conuenit, ad causam alteram internam eius recognoscendam veniamus necesse est, vt essentialem constitutionem eius certò teneamus. Ea autem est forma, sine qua omnis materia quasi infinita est, & ἀκατάληπτος, & per quam materiae superadditam rei natura tùm in se ipsa constituitur, tum verò percipitur intellectu nostro. Formam igitur Theologiae absolutè dictae paucis verbis circumscribimus in hunc modum, *Thes*. XXV. *Forma Theologiae est veritas diuina; quae in Theologia bifariam consideratur: nam aut tota, vel pars totius aliqua simpliciter in sese, aut partes aliae cum aliis inter se considerantur iusta comparatione*. His au(f. 1405.)tem verbis duo breuiter à nobis exponuntur, in hoc instituto maximopere necessaria: Vnum est, quaenam sit in seipsa formae huius ratio: Alterum, quae ratio eiusdem nobis exponendae, & percipiendae, secundùm illam disciplinam salutarem quam Deus per gratiam in homines collatam voluit. Rationem igitur huius essentialis formae definimus dicentes, *forma est diuina veritas:* alterum locum sequentibus verbis exponimus. Ac veritatem quidem Theologiae absoluté dictae formam essentialem esse, nemo vir pius est dubitaturus: si quidem Christo summo prophetae & Doctori nostro crediderit dicenti, *Sanctifica eos veritate tua: Verbum tuum est veritas. Ioan*. 17. 17. Sed quia veritatis nomen, quod in vulgo promiscuè dicitur, non tam fermé intelligitur mente quàm circumfertur in ore omnium, declarationem eius in hoc tempore paucis adferemus. Veritatem igitur optimè veteres cum Ente, (vt vocant) id est, cum eo quod est, conuerti & aequiparari pronunciauerunt: nam quicquid est, eo ipso quod est, verum est: & contra quicquid verum est, eo ipso est, quo verum est. Haec ita necessario semper inter se cohaerent, reciprocantúrque, & inter se commeant, vt nihil planè in rerum natura, aut supra naturam adferri

adferri possit, quod non vtraque hac lege communi teneatur. Sed tamen etsi hae duae leges in omnibus sunt perpetuae, & ad omnia perpetuo adhibendae: tamen diuersa ratione vtrumque dicitur. nam si quid esse dicimus, id in re contemplamur, sin autem verum esse praedicamus, contemplamur id quod est in intellectu nostro. Est igitur veritas tum eorum quae sunt, tum etiam signorum quibus ea quae sunt dicuntur esse: siue (vt breuiùs dicamus, ac forte euidentiùs,) veritas est rerum, aut orationis de rebus enunciatae. Earum verò rerum quae sunt, duplex est ratio: nam aliae in re sunt, aliae in intellectu. In re sunt τὰ καθ' ἕκαςα, id est, singularia & indiuidua, pro vt ea sunt quae percipiuntur sensu: in intellectu verò, sunt formae, cùm earum rerum quas sigillatim sensu percepimus, tum aliarum omnium, quas alio quocunque modo. Ac proinde veritas rerum (vt vocantur vulgo) intelligibilium, siue quae cadunt in intellectum nostrum, longè dignior atque amplior est, quam earum rerum sit veritas, quae in re percipiuntur foris. Nam & eò amplior est, quòd singularia aequè ac communia in se complectitur: & eò dignior est, quo res communes digniores singularibus, & formae à materia abstractae atque depuratae digniores materiatis rebus, quarum generatio & constitutio ex differentibus principiis inter se composita, manifestò clamat, non esse penes eas res propriè & per se veritatem.

Etsi autem ita se habet veritas, quae humano intellectu prehendi potest, tamen longissimè supra veritatem hanc, quam omneis natura docet, extollit sese veritas illa, quam *diuinam* appellamus. Nam singulari hac appellatione veritatem formalem Theologiae vindicamus ab omni mutatione & mutabilitate naturae, & supra naturam huius vniuersitatis rerúmque omnium, quae in vniuersitate sunt, eam efferimus. Est enim *diuina veritas*, non ea solùm quae ortum à Deo veritatis habet (nam etiam veritas naturae intellectúsque naturalis à Deo orta est) sed ea demum veritas diuina suo quodam, proprio ac singulari iure à nobis appellatur, quae reipsa, & ratione sui, & modis omnibus, in se & in partibus suis omnibus, & in qualibet ordinatione ipsius, diuina est. Cum autem diuina veritas duobus modis se habeat: infinitè, quà in Deo essentialis est, & finitè, quà cum rebus creatis à Deo communicata est, vtrumque à nobis diligentissimè in Theologia nostra absolutè dicta opus est obseruari. Nam & veritatem infinitam, vt archetypum immutabile, formámque primam veritatis in ea recognoscimus, & veritatem communicatam, velut speculum, expressamque imaginem illius archetypae colimus religiosissime. Quapropter in Theologiae huius definitione non fuit simpliciter à nobis dictum Theologiam sapientiam esse rerum diuinarum, aut sapientiam diuinae veritatis; sed coniunctim vtrumque expressimus, *hanc sapientiam esse rerum diuinarum secundùm veritatem diuinam à Deo inspiratam*, *&c.* Hac enim ratione relationem quamdam necessariam expressimus, quae inter veritatem sese exprimentem, & veritatem expressam intervenit. Veritas sese exprimens, est conceptus ille formáque immutabilis in Deo, quàm piè adoramùs: Veritas autem expressa nihil aliud est, quàm imago quaedam & speculum primae illius atque aeternae veritatis, quod, quale, quantum, quo denique modo communi(f. 1406.)cauit nobiscum Deus, ad testificandam laudem gratiae gloriosae suae, & exponendam salutem nostram. Haec veritas secundùm illam est, perfectus riuus de perfecto fonte, perfectúsque radiùs de perfecto sole veritatis, perfecta denique imago expressa in speculo verbi veritatis, quae imago tantisper micatura est, dum peruenerimus omnes ad principium illud veritatis in coelis.

Quod autem de ratione veritatis huius dicebamus, eam bifariam considerari in Theologia nostra, id per se est manifestissimum. Etenim ita comparati sumus à nàtura nostra, vt, quocunque se mens nostra & cogitatio conuertit, obiectum intellectus nostri, id est, veritatem, aut vniuersè in toto aliquo contemplemur simpliciter, aut comparationem huius totius cum illo instituamus. Quemadmodum si-quis, exempli

 causa,

causa, Ecclesiam vniuersalem consideret absolutè, aut eam cum mundo reliquo comparet, aut si quis totam veritatem diuinam nostra hac Theologia expressam seorsim in se velit expendere, vel cum veritate naturae nostrae ad sui institutionem & amplificationem diuinae gratiae committere. Rursum verò eius ipsius rei, cuius in solidum consideratur veritas, partes eodem modo nobis exponuntur, & expositae a nobis explorantur, tanquam si vnaquaeque totius pars totum aliquod per se constitueret: quemadmodum si quis Ecclesiam Corinthiorum aut Philippensium, aut aliam quamlibet in particulari (vt loquuntur) considerandam susciperet. Cúm autem partium, quae considerantur intellectu nostro, comparatio fiat exploretúrque à nobis inter se secundùm rationem totius vnici, aut etiam diuersorum, propterea harum quoque rerum inter se comparandarum veritas iustáque ratio Theologiâ eadem ostenditur, ne quis à veritate diuina, quae sola salutaris est ac certa veritas, aberrare possit. quemadmodum si quis, verbi gratia, beneficium creationis cum prouidentia in natura rerum, aut beneficia naturalia cum beneficiis á gratia profisciscentibus comparet, ad inuestigandam & assequendam magis magisque veritatem. Huius autem veritàtis diuinitus expressae in Theologia nostra, certa quaedam attributa sunt, quae propriè in ipsa obsignauit Deus, vt eam à consortio reliquae veritatis, quae in natura rerum obseruatur, potentissimè vindicaret. Etsi verò istius generis quam plurima adferri possunt, ex eis tamen praecipua quaedam & summa capita vna aut altera Thesi complexi sumus, ex quibus piae & prudentes animae alia id genus, si qua sunt, ex Dei doctrina perfacilè assequentur. Sic enim statuimus paucis, *Thes.* XXVI. *Haec Veritas sancta, iusta, atque perfecta est, quippe quae nihil profani, iniusti, imperfecti docet, nihilque sancti, iusti, perfecti non docet, vt ad sanctimonium in nobis, iustitiam erga omnes, & perfectionem per omnia quam perfectissime dirigamur.*

His paucis verbis essentiales aliquot proprietates diuinae veritatis visum est exponere, antequam de virtutibus eiusdem veritatis exinde consequentibus diceremus, quod Thesi proximè sequente facturi sumus. tria igitur attributa sunt, quae de veritate hac à nobis praedicantur: nimirum quòd *sancta*, *iusta*, *atque perfecta* est. Etenim si rectam alicuius doctrinae constitutionem rectè placebit explorare, omnino tria haec oportet obseruari: Vnum, vt in se bona sit: Alterum, vt erga alios: Tertium, vt per omnia sit bona. Nam si quid horum desiderabitur in doctrina vlla, non potest meritò recta pronunciari illius constitutio. Ad haec igitur officia respicientes, totidem attributa veritati diuinae arrogauimus, quum eam sanctam in sese, iustam erga omnes, & perfectam esse per omnia diceremus. Etenim quid sanctum, iustvm, & perfectum in rebus humanis aut creatis vllis affirmari posset, obsecro, prae illa veritate, quae à Deo, & secundùm Deum est? nam siue archetypam veritatem spectes, fons est perennis sanctimoniae, perfectionisque: siue communicatam illam à Deo veritatem & humano generi expositam, sanctissimum est, iustissimum, & perfectissimum (vt cum artificibus loquar) castellum fontis illius, siue conceptaculum & caput aquae salutaris, vnde hauriamus omnes sanctimoniae, iustitiae, perfectionísque doctrinam certissimam, cui nos religiosè conformemus, exspectantes praemium fidei nostrae, id est, salutem animarum nostrarum. 1 *Petr.* 1. 9. Horum verò attributorum, quae iure meritissimo veritati diuinae tribuimus, modus à nobis dupliciter ostenditur, & comprehenditur, nempè substantia, & effectu veritatis illius. Ad substantiam diuinae veritatis secundum haec attributa inter (f. 1407) homines demonstrandam duo sunt opus: Vnum quicquid his attributis aduersatur, planè remoueri: Alterum, quicquid de ratione horum est attributorum, id de veritate diuina plane confirmari. Prius his verbis expressimus, *diuina veritate nihil prophani, iniusti, & imperfecti doceri*: posterius illis, *nihil sancti iusti perfecti*, quod quidem sit διδακτὸν καὶ μαθητὸν, id est, quod doceri, disci, atque sciri possit, ea

non

non doceri. Atque hae quidem virtutes ita doctrinae veritatis insunt, vt nihil planè in rebus creatis & quae intellectu percipi ab eis possunt, cum hac veritate comparari possit. Nam si ad sanctimoniam doctrinae vllius in se respexeris, quae tandem sanctimonia à rebus prophanis? si ad iustitiam, quae iustitia à rebus iniustis? sin ad perfectionem, quae perfectio à rebus imperfectissimis proficisci possit? quemadmodum in libro Iobi legimus: quis edat mundum ex immundo? ne vnus quidem. *Iob.* 14. 4. Causarum certè singularum natura propria ex qualitate virtutis, virtus ex effectionibus ipsarum cognoscitur: nec fieri vnquam potest, vt causae a suis effectis superentur, nisi aliae superiores causae insuper accesserint, quarum effectus impropriè solùm causis inferioribus tribuitur. Cùm autem omnis humana doctrina ab homine prophano, & iniusto, & imperfecto sit, meritò doctrinam quamque aliam his attributis carere iudicamus. Sola haec doctrina, quae Deum sanctissimum, iustissimum, perfectissimúmque auctorem habet, his elogiis exornatur. Aliae doctrinae omnes, etsi à Deo sunt, tamen ab instrumentis sunt aliqua prophanitatis, iniustitiae, & imperfectionis labe inquinatis: Imò nihil tam sancti, iusti, aut perfecti docent, quin vitium aliquod ipsis semper ab auctore, á natura doctrinae, à ratione, aut modo illius adhaerescat. Haec autem doctrina veritatis, sanctitatem à Deo habet: eamque sic in Deo docet, vt ab omnibus rebus creatis, adeóque ab ipso homine eam abiudicans, in Deo solo demonstret obtineri. Iustitiam verò, qua suum cuique redditur, Deo secundùm pietatem, hominibus secundum naturam & iura communia, ac singularia ipsorum, nulla doctrina sic docet ab hominibus tradita, quin de iure Dei officióque in illum deminuatur plurimum, & (quacunque specie id accidat) à recta ratione humani iuris deflectatur, siue quid iustum non praecipiatur, quod praecipi oportuit, siue statuatur iniustum, quod oportuit praecaueri. Quapropter etiam humana quaeuis doctrina imperfectione sua abundat semper, atque circumfluit: Cùm neque in ratione sanctitatis, neque in ratione iustitiae, neque in ratione omnium earum rerum quae ad perfectionem sanctitatis, iustitiae, aut ordinis & conuenientiae omnium rerum inter se opus sunt, exhibeat perfectionem illam, quam Deus, natura, ordo desiderant. In hac verò doctrina nihil eiusmodi exstare potest: nam & ab auctore sancto, iusto, atque perfecto est, & secundùm auctorem, iustum, sanctum, atque perfectum est: & in eo velut exemplari semper est, qui ipse est sanctitas, iustitia, atque perfectio. Ex quo fit, vt nihil mali insit, & nihil non insit omnino boni in ea doctrina quam veluti speculum sui ipsius aeterna illa Dei sanctitas, iustitia, atque perfectio in gente hominum indesinenter repraesentat, in quam defixis oculis attentissimè religiosissiméque haereamus.

Ex hac verò contemplatione diuini huius & salutaris speculi, sua effecta consequuntur in hominibus, quibus ante oculos oblatum est, attributis illis respondentia. Nam cum haec doctrina veritatis sancta, iusta, atque perfecta fit, causam bonam edere fructus bonos necesse est, & quidem in eo solo edere, in quo per voluntatem Dei plantata radicatur. Est autem haec doctrina ad homines allata coelitus, qui ager Dei, aedificium Dei, & agricolatio Dei appellantur. 1 *Corinth.* 3. 9. Hos itaque effectus exposuimus, dicentes, propterea hanc doctrinam fuisse datam, atque à Deo informatam, *vt in sanctimoniam in nobis, iustitiam erga omnes, & perfectionem per omnia quam perfectissimè dirigamur*: Videlicet tanquam face ante oculos nostros à Deo deposita, vt ea praelucente indesinenter in via vèritatis illius ambulemus. Etenim quid tam necessarium homini esse potest, quam vt Deum cognoscat, si non pro vt est, saltem vt cognosci potest? Quid tam vtile, quàm vt Deo, quem cognoscit, prout cognoscit homo, ac potiùs prout se Deus cognoscendum praebet, conformetur? Quid tam gloriosum, quàm vt salutari hac conformatione ad Deum contendat, vt perennem fontem sanctimoniae, (f. 1408.) iustitiae, & perfectionis suae,

suae? Quam ad rem tria sunt in horum effectorum declaratione paucis comprehensa: genus, modus, atque duratio. Genus effectorum triplex: Sanctimonia, in nobis ipsis, per Spiritum sanctificationis à Deo repraesentata: iustitia erga omnes, suum Deo, suum cuique tribuens: & subiecti, effectorúmque in subiecto congrua perfectio. quam nos hic quidem desiderare in praesens, sperare in futurum possumus; sed non antè ex facto plenè assequemur, quàm migrauerimus ad Dominum auctorem sanctitatis, iustitiae, & perfectionis nostrae. Modus est: quòd perfectissimè face illa perfectissima veritatis diuinae ad effecta illa dirigimur, deducimúrque virtute Dei, omnia in omnibus operantis. 1 *Cor.* 12. 11. Duratio verò & perpetuitas istarum virtutum eò demonstratur, quòd haec attributa effectáque doceri per omnia dicimus hac nostra Theologia, quae sola uerè est sapientia.

Sed de hoc loco Thesi XXXII. proximè sequente dicturi sumus. Ea sic habet: *Itaque haec Theologiae vna est, & aeterna, & immutabilis: nam quod verum est necessariò idem est necessariò vnum; quod iustum & sanctum, id iustum & sanctum nunquam esse non potest, quod denique perfectum secundùm Deum, idem est omnino ac semper immutabile.* Hanc conclusionem quaestioni de forma Theologiae nostrae idcirco atteximus, quod naturae & conditioni eius haec tria conueniunt necessariò. Primum, quòd vnica est haec Theologia, non autem plures illius formae. Secundum, quod aeterna est duratione, non autem (vt cognitioni ac scientae cuiuis humanae accidit plurimùm) temporaria. Tertium, quòd & in se, & in omnibus suis partibus, adeóque singulis est immutabilis: non autem infesta ex vllo casu mutationibus. Etenim, vt antè dicebamus, res quidem concretae misturáque aliqua compositae variant numero, tempore, & mille mutationibus: res verò abstractae, siue formae rerum in abstracto dictae, supra omnem mutationem longissimè euectae sunt: verus enim mutatur, sed nunquam veritas, & Theologus mutatur, sed nunquam Theologia. Homo quum verus, aut Theologus appellatur, aut iustus, aut sanctus, &c. rationem habet materiae mutabilis, qua homo; sed formam solùm accidentariam habet veritatis, Theologiae, sanctimoniae, iustitiae &c. purae autem illae formae, ex quibus veri, & Theologi, & sancti, & iusti denominantur, ab omni vitio incorruptae sunt: singulae vnum sunt aliquid per se, singulae aeternae & immutabiles. Ratio huius affirmationis nostrae, ex natura illius formae quam Theologiae adscripsimus, & conditionibus adiunctis, petenda est. formam, vt antè dicebamus, Theologiae nostrae attribuimus veritatem diuinam; cuius veritatis tres conditiones adiecimus necessarias, nempè iustitiam, sanctitatem, & perfectionem. Ex istis singulis ducuntur argumenta, quibus unitas, aeternitas & immutabilitas Theologiae huius confirmatur. Ex veritate argumentum ducitur huiusmodi: Quod verum est necessariò, idem necessariò est vnum, aeternaeque, & immutabilis veritatis: Veritas autem vera est necessariò: Vna est igitur, aeterna, & immutabilis. Quid enim verius veritate? aut quid tam verum necessariò, quàm veritas? Necessariò, id esse dicimus, vt Aristotelis vtamur verbis, quod semper ita est vt est, nec aliter se habere potest, siue contingere: necessarium enim τῷ ἐνδεχομένῳ, contingenti est oppositum. Verum autem appellamus quicquid est, prout in nostro intellectu est, siue intellectum re ipsa, siue (ut ita dicamus) intelligibile. Cùm autem hîc agamus non de ea veritate, quae percipi humano intellectu potest, sed de veritate diuina, infinitè modulum intellectus nostri superante: Res verò diuinae, prout diuinae sunt, omnino in se necessitatem habeant diuinae veritatis: multò magis illud sibi profectò vindicant quod de veritate naturae, aut veritate creata statuitur, nempè vt quod verum est necessariò in hoc genere diuiuae supernaturalísque veritatis, idem sit necessariò vnum, & aeternum, & immutabile vnitate, aeternitate, & immutabilitate simplicissima, quia diuina est. Quemadmodum autem haec ratio Theologiae nostrae confirmatur

matur argumento diuinae veritatis, ita etiam iustitiae, & sanctimoniae. Nam quod iustum & sanctum est absolutè, id nunquam iustum & sanctum esse non potest: Iustitia, & sanctimonia iusta est, & sancta absolutè: Nunquam ergo esse potest, quin eadem iusta, & sancta sit, ac proinde vna, aeterna, & immutabilis. Sed iustitia & sanctimonia, si qua vera est, ea demum vera dicenda est, quae iustitia est, & sanctimo(f. 1409.)nia diuinae veritatis: quae supernaturalis est in se, & attributis suis omnibus, & quae forma diuina est, quam Deus expressit vnam, aeternam, & immutabilem in nostra hac Theologia. Postremò cùm ad haec omnia sit quoque necessaria conditio illa perfectionis, quam antè dicebamus, equidem ita iudico, perfectionis illius, quae non humana, aut humanitus informata, sed diuinitus in veritate Theologiae expressa est, vnitatem certam, aeternitatem, & immutabilitatem certò demonstrari illa perfectione, quam Theologiae nostrae assignamus. Quod enim perfectum est secundùm Deum, idem est omnino, & semper vnum, aeternúmque, & immutabile: praesertim cùm haec Theologia nostra nihil sit aliud, quàm expressa quaedam delineatio illius vnicae, aeternae, & immutabilis perfectionis, qua Deus est perfectissimus. Est autem non solùm perfectus Deus, sed ipsa perfectio essentialis, & perfectionis omnis caussa, & exemplar, & finis constantissimus. Restat igitur vt ex iis, quae modò dicta sunt, concludamus, hanc Theologiam vnam esse, aeternam, & immutabilem, & esse veritatis iustae, sanctae, perfectaeque indicem perfectissimum, quem ad exemplar suae veritatis Deus communicatum uoluit cum humano genere ad gloriam suam, & salutem animarum nostrarum in Christo Iesu.

CAPVT XV.

De causa efficiente nostrae Theologiae.

Diximvs ad hunc vsque locum de partibus essentialibus, (vt dicuntur vulgo) & causis internis Theologiae nostrae. Nunc ad eas causas est veniendum nobis, quae externae siue extrinsecae appellari solent. Eae sunt efficiens, & finis, quas iusto ordine, quàm breuissisimè fieri poterit, prosequemur. *Thes.* XXVIII. *Causa efficiens nostrae Theologiae duplex à nobis ponitur: Vna principalis, & Instrumentalis altera.* Quotiescunque de causa efficiente rei alicuius agitur, id maximè solemus obseruare, vtrum caussa efficiens sua ipsius vi efficiat, nec ne? Vtrum efficiat totum, an ex parte? Vtrum denique rem efficiat essentialiter, an verò accidentariè? Haec in rebus omnibus & naturalibus & humanis oportet à nobis obseruari, vt veram scientiam earum rerum assequamur, quas suae caussae efficiunt. Hic verò quum de Theologia, id est, sapientia illa diuinae veritatis agitur, quam nulla creatura, ac ne ipsa quidem vniuersitas comprehendere aut assequi potest, profectò hunc eundem modum in recognoscenda Theologia nostra diligentissimè opus est obseruari & videre, quid eam sua vi, totam aut ex parte, essentialiter, aut accidentariè effecerit: quid adiumenti ad eam efficiendam accesserit. Cùm autem hanc sapientiam, de qua nunc agitur, Theologiam nostram appellemus, quarum vocum prior nomen est generis, posterior distinguit genus, & speciem constituit illius: Haec demum certissima ratio videtur fore ad peruestigandam efficientem causam, si ex ipsa generis & speciei ratione deprchendi potest. Genus est Theologia, id est, sapientia seu ratio rerum diuinarum. res autem diuinae

diuinae omnibus modis naturam nostram & huius vniuersi totius superant. Quapropter cùm nec à nobis, nec à natura & vniuersitate naturae comprehendi possint: certè nec in homine, nec in re creata vlla, ac ne in tota quidem hac uniuersitate caussa efficiens Theologiae quaerenda est. Cur enim quaeratur in re eiusmodi, vbi nec est, nec vnquam inesse potest interna vi, aut facultate ipsius? Genus supernaturale est, non igitur à caussa naturali, nec ab ipsa quidem natura proficisci potest. Quin etiam vsque adeò supernaturale est, vt à Deo solo, velut efficiente caussa & principio, produci possit, quia formas supernaturales solus producit Deus, non forma vna alteram. Secundùm genus itaque quum de Theologia nobis dicendum est, vnica est & singularis caussa efficiens illius. Sed quia speciem Theologiae circumscriptam quaerimus, & caussam efficientem illius, prout Theologiam hanc nostram appellamus, ideò *caussam quidem Theologiae absolutae nostrae vnam principalem dicimus esse: Alteram verò instrumentalem*: quia certo quasi instrumento Theologia illa, quae purè à Deo profecta est, efficitur nostra, & (f. 1410.) quasi in familiam transit humanigeneris. Sic duplicem caussam efficientem esse Theologiae asserimus: Vnam, principalem, quae Theologiam vi sua informauit sola: alteram instrumentalem, quae sapientiam illam diuinitus informatam aptauit & accommodauit ad captum nostrum. Quamobrem de vtraque suo ordine deinceps acturi sumus.

Thes. XXIX. *Principalis efficiens, & absoluta caussa nostrae Theologiae est Deus Pater in Filio per Spiritum suum eam inspirans, vt qui vnicus est actor, & effector summus, ac perfectissimus sapientiae huius in seruis suis.* Quotiescunque rerum effectarum causae ordine expenduntur, (ordo autem inter plures simul efficientes obseruari debet) id semper necesse est, vt ejus causae, quae *principalis* est, ratio principaliter habeatur, quaecunque tandem sint ad vnum effectum concurrentes. Sed quia in rebus creatis plurimùm accidit, vt causis pluribus inter se coordinatis, singulae partiales sint (vt vocant) & pro sua parte in communi effectu operentur: contra verò, quae causae solae sufficientes per se efficientésque sunt, eae dicantur absolutae: propterea de rebus diuinis acturi, quae toto genere & modo ab effectione rerum creatarum differunt, duo attributa simul coniunximus, quum simul *principalem causam efficientem, & absolutam nostrae Theologiae* diceremus. Principalem vel praecipuam eò appellamus, quòd causae vnius cum altera ad eundem effectum pertinentis fit comparatio. Absolutam verò, quòd sine alia vlla adiuuante, praestat effectum suum vi sola & facultate sua. Etsi autem duo haec in rebus creatis non possunt facilè concurrere: tamen in rebus diuinis vtrumque simul propterea coniungimus: tum quòd Deum credimus vt causam efficientem absolutam, in omnibus, etiam in subordinatis causis operari, tum quia si quas causas ampliùs adhibet, semper principalem inter omnes causas obtinet, quibus sapientissimè iustissiméque vtitur, vt perficiat voluntatem suam. Quòd si res vlla est quae caussa admirabili & potentissima opus habuerit, ea certè est Theologia, quam homines non à natura, sed à gratiae solùm communicatione habere possunt, ex quo Theologia nostra, id est, humana fuit appellata. Nam si nemo cognouit ea quae sunt hominis nisi spiritus hominis, qui est in eo: certè hanc sapientiam quae est sapientia diuini spiritus, nemo homo fuit cogniturus, nisi superuenisset aliunde apud homines reuelatio. Quapropter caussam efficientem huius Theologiae statuimus esse Deum Patrem in Filio per Spiritum suum, id est, vnum verum aeternúmque Deum, & in vnitate essentiae tres personas, communiter operantes in hac communicatione gratiae. Quis enim reuelet ea quae sunt Dei, etiam profundissima, nisi Spiritus Dei? & in quo, aut à quo Spiritus idem reuelaturus est, nisi in Filio mediatore nostro, & à Patre, qui filium dedit Prophetam & magistrum vnicum Ecclesiae suae.

Huius

Huius autem communicationis modus diuinus, est *inspiratio.* Nam etsi multiplex est docendi modus, quo Deus erga res creatas vtitur, & res creatae omnes secundùm Deum: tamen in caelestis huius & spiritualis gratiae communicatione spiritualem modum seruari oportuit: tum propter rei naturam quae agitur: tum etiam propter naturam eius qui rem hanc communicat. spiritualis etenim boni huius à spirituali auctore proficiscentis non nisi spiritualem decuit esse communicationem. Quinetiam vt rem corporalem nom nisi corporali modo communicari natura sinit: ita rem spiritualem communicari per modum spiritus praecipit gratia. Sed illùd in primis ostendit, spirituali communicatione, quam inspirationem dicimus, fuisse opus, quòd Deus huius communicationis auctor est, & quòd effectionem illius summam ac perfectam, velut opus diuinae suae gloriae proprium, sibi soli vindicat: nam rem spiritualem, eamqùe tantam quis nisi Deus ille vnicus auctor ipsius fuisset collaturus? rem omnium summam, & quae superat naturam vniuersi dignitate sua, quis expositurus, nisi ipse naturae auctor & vindex per gratiam exundasset? rem perfectam atque adeò perfectionis omnis caelestis indicem salutarem, quis nisi perfectissimus vnquam docuisset? Hic ergo ille est auctor nostrae Theologiae & caelestis sapientiae, quam effecit in seruis suis & ingenerauit pro demenso donationis suae: ita vt singuli quidem suas partes à Deo perceperint auctore Theologiae, sed omnibus tamen communiter perfecta huius Theologiae forma, à Deo sit proposita.

Ac *summum* quidem eum appellamus auctorem effec(f. 1411.)torémque huius sapientiae, quum eundem medias causas adhibentem contemplamur ad hanc communicationem gratiae. *Vnicum veró atque perfectum auctorem* esse effectorèmque eum adfirmamus: quia is idem unus est, qui omnia in omnibus, tum nobis electis, tum mediis assumptis ad vocationem nostram operatur. Quod si omnia, ergo idem perfectè operatur: aut nusquàm perfectionem esse, si in Deo & à Deo non erit, dicendum est: quam rem à nobis pietas vetat praedicari. In hanc sententiam Apostolus praecipiens tenuissima etiam rudimenta caelestis huius Sapientiae in pretio haberi, & tanquam diuina ab omnibus foueri & coli, scribebat Corinthiis, Notum vobis facio, nullum per Spiritum Dei loquentem dicere Iesum anathema: & neminem posse dicere Iesum Dominum nisi per Spiritum sanctum. 1 *Cor.* 12. 3. 4. &c. Deinde verò a minimis illis principiis ad maiora assurgens, ac potiùs ad omnia vniuersè, subdit: distinctiones autem donorum sunt, sed idem Spiritus: & distinctiones ministeriorium sunt, sed idem Dominus: & distinctiones operationum sunt, sed idem est Deus, ea omnia efficiens in omnibus. Et paulo pòst, omnia haec efficit vnus ille & idem Spiritus, distribuens priuatim ea singulis, sicut vult. Quemadmodum antè etiam Christus exultans Spiritu dixerat, omnia mihi tradita sunt à Patre meo: & nemo nouit quis sit filius, nisi Pater: & quis sit Pater, nisi Filius, & cuicunque filius voluerit retegere: eóque nomine gloriam Deo & Patri tribuerat. *Matt.* 11. 27. *Luc.* 10 21.

Nunc de altera causa, quam instrumentalem appellant, videamus. *Thes.* XXX. *Instrumentalis causa est huius sapientiae λόγος προφορικὸς, vel sermo enunciativus Dei: tum spiritualis, perceptus spiritualiter, tum corporalis, corporaliter.* Non sum quidem nescius Instrumentalem caussam eam proprie ab artificibus appellari, quam principalis agens (vt vocant) tanquam instrumentum adhibet extrinsecus ad producendum effectum qui ex instituta actione processurus est: ac proinde sermonem enunciatiuum, si quando immediatè Deus ipsum occupauerit, causam instrumentalem propriè non posse appellari. sed quia communis quaedam est rerum spiritualium cum corporeis analogia, secundùm quam etiam res spirituales analogicè appellantur vocibus ad res corporeas propriè pertinentibus: vtrumque commodè ad genus instrumentalis caussae referimus, Spiritualem puta, corporalémque sermonem. Haec enim analogia quaedam

inter se

inter se communicant, secundùm quam Deus nobiscum sermone spiritualiter & corporaliter, prout ipsi visum est, vtitur ad institutionem nostram: & instrumentalis causa de vtroque commodè, tanquam genus quoddam analogicum, praedicatur. Neque verò aduersatur huic rationi nostrae, quòd sermo corporalis foris instrumenta adhibet, quorum ratione videtur instrumentalis dictus: nam idem etiam sermo instrumenta sua vsurpat intus, ex quibus aequè instrumentalis est, atque appellatur. Instrumentorum enim, quae ad actiònes nostras adhiberi solent, alia coniuncta principali caussae, alia separata sunt: quemadmodum in agendo manus coniunctum instrumentum: baculus, saparatum est: In loquendo lingua, palatum, dentes, coniuncta: aër quem verberamus, separatum est instrumentum. Vtrumque autem modum in spirituali sermone suo vsurpat Deus analogicè: siue sermone suo, tanquam instrumeno analogo, vtatur solùm: siue sermonem Angelorum, siue nostrum ipsorum occupare intus volueris. Stat igitur illud axioma firmum: Instrumentalem causam huius sapientiae esse sermonem Dei, quemadmodum instrumentalis causa sapientiae in rebus humanis est hominis sermo docentis & instituentis alterum. Est autem sermo hominis multiplex: Vnus innatus, quem orthodoxi Patres ἔμφυτον siue φυσικὸν appellarunt. Atque hic sermo est intellectus nostri apud se. Alter inditus, quem illi dixerunt ἐνδιάθετον: quem sermonem concipit ratio ex rerum foris perceptarum coniunctione, diuisione, ratiocinatione, & conclusionibus inde existentibus. Tertius denique enunciatiuus, qui vulgo προφορικὸς: quo homo conceptum mentis suae siue ingenitum in intellectu, siue ratione perceptum foris, cum aliis communicat. Horum sermonum primus naturalis est: eóque semper est actu in subiecto suo. Secundus ab alio efficitur in subiecto. Tertius in alio efficit. Cùm itaque hic de eo sermone sit quaestio qui causa efficiens & quasi instrumentalis est, aut (vt paulo antè diximus) qui instrumentalis est analogicè: profectò nec sermonem illum ἔμφυτον intelligi hoc loco oportuit: nam sermo ἔμφυτος est immanens (vt loquuntur Scholastici) & (f. 1412.) non transit ad alium. Nec sermonem quoque ἐνδιάθετον oportet intelligi; cum hic passiuus, non autem actiuus sermo sit, nec vnquam Deo ex veritate attribui possit. Deo enim nihil planè accidit, nedum passio, Maiestate Dei indignissima. Restat igitur, vt sermonem illum Dei, quem instrumentalem huius sapientiae appellamus, definiamus esse προφορικὸν siue enunciatiuum, prout in illa Thesi nostra ante posuimus. Meritò id quidem. Etenim si nemo nouit quae sunt hominis, nisi Spiritus hominis qui est in ipso, & cuicunque homo sermone suo enunciatiuo, aut signo aliquo ipsius voluerit exponere; quanto magis sermone Dei opus habuimus, vt res diuinas, coelestes, supernaturales, quas homo, terra, & natura tota vniuersitatis capere non potest, aliquo pacto caperemus? Hic igitur sermo προφορικὸς à Deo ipso fluit, & per fluxionem quandam siue processionem ab illo (vt ita dicamus) producit effectum suum in iis qui audiunt.

Hic autem sermo Dei enunciatiuus in duo genera distinguitur, pro ratione & modo ipsius: nam aut sermo spiritualis est quo Deus vtitur, aut etiam corporalis. Spiritualem sermonem appellamus, qui sine corporis instrumento enunciatus est: Corporalem, qui etiam admoto corporis instrumento insonat. Haec duo sermonis genera tribus modis inter se distinguuntur: Principio, & obiecto, & modo ipsorum. Principio: nam spiritualis sermo fluit à Spirituali essentia solùm: Corporalis autem a corpore, aut etiam á Spiritu per corpus, tanquam instrumentum ipsius; siue coniuctum, vt corpus hominis, quod animae ipsius est personale organum; siue separatum, vt aër, tubus, & similia, quemadmodum antè ostendimus. Objecto: nam spiritualis sermo fertur ad spiritum, nec ab alia essentia quàm spirituali potest vnquam percipi: Corporalis autem à corpore percipitur, aut etiam à spiritu per corpus tanquam vas suum res aliunde infusas sibi & iniectas imbibens. Modo denique: quia spiritualis sermo

sermo non nisi spiritualiter editur ab eo qui sermonem habet, & ab eo qui audit percipitur spiritualiter: Corporalis verò, quamuis à spiritu, vt suo principali agente, profluens, non nisi corporaliter habetur & comprehenditur; vt per instrumentum corporis, ac velut infundibulum, in secessus & penetralia spiritus deriuetur. Vtrumque hunc modum sanctissimè occupauit Deus, cùm coelestem hanc sapientiam supernè visum est in genus humanum defundere. Nam multifariam atque multoties alloquutus est Patres per Spiritum, per spectra, per instrumenta alia quàm plurima, & per prophetas suos: Deinde verò his temporibus per Filium suum exhibuit & communicauit plenitudinem illius sapientiae, quae postmodùm fide certissima monumentis literarum per Apostolos & Euangelistas fuit consignata. Sed de his suo tempore dicturi sumus, iuuante Domino.

CAPVT XVI.

De Fine Theologiae nostrae.

HACTENVS de Theologiae nostrae materia, forma, & efficiente caussa protulimus, quae ad institutum nostrum videntur pertinere. De fine autem propterea consultò in hunc locum quaestionem reiecimus, quod commodissimum hac via transitum ad alterum Theologiae modum, quae secundùm quid appellatur vulgò, fore putauimus. Nam cùm earum rerum, quae ad certum finem ordinatae sunt, natura ea sit, vt quo maiorem cum fine proportionem habent & analogiam, eo maiore virtute & dignitate sint; profectò Theologiam hanc nostram absolutè dictam omni sapientiae atque scientiae anteponamus necesse est, quia beneficio diuinae gratiae perfectissimam habet cum fine suo conuenientiam, totámque disciplinam suam ad finem diuinum ordinat perfectissimè. Non ita quidem, vt totam perfectionem diuinam diuinae sapientiae secundum modum conditionémque ipsius explicet; sed potiùs contemperatam quodammodo rationem cum tenui conditione nostra exponat secundùm veritatem, quantum eius veritatis sapientiaeque nobis hîc expedit reuelari ad gloriam Dei & electorum bonum, prout capite 12. antè statuimus. De Fine igitur quae sunt opus paucis concludemus, (f. 1413.) certisque axiomatis; vt tandem faciamus finem huic argumento. Primum axioma est huiusmodi, *Thes.* XXXI. *Finis duplex est Theologiae: nam vnus remotus est vel summus; Alter verò propinquus & secundarius ab eo, ac subordinatus* (*vt loquuntur*) *ei.* Hunc ordinem finium distinguendorum natura docet euidentissimè. Nam in rebus omnibus actionibusque tam naturae, quam voluntatis, id semper obtinet, vt ad finem aliquem contendatur: quem natura vnum constanter proponit sibi, Voluntas eligit mutabiliter. Ac earum quidem rerum quae aguntur naturae instinctu solum sine voluntatis motu, ratio est eiusmodi vt ipsae à fine, quem natura instituit, nunquam aberrent aut abalienentur per se: quae autem praeter instinctum naturae suae aguntur appetitus & voluntatis motu, eae ad fines complures pro ratione principiorum, quibus aguntur, solent contendere. Ita fit, vt ex natura finem naturalem: ex voluntate verò singulae voluntarium, siue consultum, siue inconsultum persequantur; Consultum iusta ordinatione consentientis naturae atque voluntatis: Inconsultum verò, iniusta perturbatione accidente.

Hic autem, quia de fine Theologiae nostrae citra rationem subiecti instituimus

dicere,

dicere, sic eam contemplamur, vt solam naturam Theologiae suo proprio fine finibúsue instrui oporteat, qui proprius finis ad Theologiae naturam pertinet. Atque haec quidem, cùm supernaturalis sit, etiam finem supernaturalem & naturae suae conuenientem postulat. Necessariò autem nos aut finem vnicum, aut duos ad summum attribuere oportet Theologiae: quia non diffluit in varios terminos, tanquam si incerta esset instabilísque sapientia; sed aut finem vnicum statuit illa suum in subiecto suo circa quod versatur, aut (si alter quoque finis adiiciendus est) hic vnus tamen in omnibus aliis rebus ad subiectum proprium ipsius ordinatis finis constantissimè fururus est, ac non plures vnquam. Est autem subiectum idem omnium commune, propriúmque Theologiae nostrae, Deus: ad ipsum homines, Theologiae alumni, ordinantur ipsius. De hominibus verò, qui ad communionem huius singulari beneficio Dei vocati sunt, longè aliud iudicium fieri necesse est: quia non natura solùm ad finem contendunt sibi propositum, aut voluntate naturali & reformata per gratiam: sed etiam voluntate consulta inconsultaque promiscuè, vt suo loco dicturi sumus. Duo igitur (si ita placet) fines ponuntur Theologiae: Vnus atque primarius, ad Deum respiciens; alter, secundarius, ad nos & vniuersum humanum genus: De quibus ordine deinceps agendum est. Ad primum finem hoc axioma pertinet; *Thes.* XXXII. *Primarius finis vel summus Theologiae*, *est gloria Dei: hanc enim Theologia omnibus spectandam exhibet*, *&* *omnes etiam boni vsu sapientiae huius legitimo eam testatam faciunt*, *prout sapientia iustificatur à filiis suis. Matt.* II. 19. Nemini dubium esse potest, (vt antè dicebamus) quin rerum fines eò digniores sint, quo digniora objecta sunt, ad quae, tanquam ad finem iustum, iustè contenditur: praesertim cùm certitudo finis ad dignitatem ipsius accedit. quibus duabus in rebus maximè posita est scientiarum omnium, actionúmque praestantia atque auctoritas. Est autem hic Theologiae objectum Deus, nam propterea Theologia appellatur: et quidem Deus verus, nam propterea Theologia reuelata vel inspirata dicitur: quemadmodum antè ostendimus eamdem esse Theologiam reuelationis ac nostram. Cum itaque amplissimum illud objectum sit, quo Theologia nostra occupatur, rectè primarium vel summum finem ipsius gloriam Dei esse praedicamus: quia nihil de caetero ipsi per nos potest accedere, sed tantum ipsius gloria nobis innotescere, & apud res creatas illustrari sapientiae huius reuelatione. Atque haec ita se habere duobus argumentis quàm euidentissime demonstramus: quorum vnum est à natura ipsius Theologiae petitum; alterum ab effectis consequentibus in iis quos Deo placuit aspergere Theologiae huius communicatione. Etenim ex natura est Theologiae, quòd *huic finem*, Dei gloriam *omnibus cognoscendam exhibet*: & tanquam Sol quidam à coeli vertice hanc sedem inferiorem nostram perlustrans. Sic gloriam illam exponit ante ora & oculos omnium, vt si qui non credunt, de iis statui oporteat quod dicit Apostolus 2 *Cor*. 4. 3. 4. Si tecta est Theologia, iis qui pereunt tecta est, in quibus Deus huius seculi excaecauit mentes, nempè in infidelibus ne irradiet eis lumen Euangelij gloriae Christi, qui est imago Dei, siue (vt idem alibi loquitur *Heb*. I. 3.) resplendentia gloriae ipsius. Quod si à natura est, colorem lucémque à coeco, aut (f. 1414) sonum à surdo, aut odórem ab emortuo minimè percipi (quae tamen res naturales sunt) quia facultate naturae ad haec percipienda carent; eadem certè, ac maiore potiús argumento impares esse ineptòsque homines percipiendis rebus diuinis, & supernaturalibus credendum est; cum omni facultate vacent non ipsi solummodo, sed tota ipsa rerum natura, qua facultate res illa diuinae & transcendentes vniuersitatem naturae, prehendantur.

Sed longè euidentius alterum illud argumentum in genere humano emicat, quod ab effectis peti docuimus. Nam res quidem illae supernaturales ac diuinae videri ab hominibus nec secundum ipsas, nec secundum communicationem ipsarum per gratiam in electis

in electis possunt: cum vero res illae, quas oculus humanus non capit, spiritualeis fructus suos radicatae intus per Dei gratiam emittunt foras, & quasi faces operum praelucentes exhibent; vt qui eas vident, Patrem nostrum qui in coelis est glorificent; *Matth.* 5. 16. tum profectò amplissimum est illius Theologiae in electis viuentis atque agentis efficacissimè documentum. Nam tum illi ipsi qui Theologiae participationem adepti sunt, conscij sunt cum animis suis accensae intus lucis, virtute spiritus, tum libero apertoque vsu & obsequio eiusdem lucis circumspectantium fratrum excitant atque illustrant conscientias: vt Dei opus in eis, efficacitatem Theologiae in opere, Deumque ipsum in efficacitate illius contemplentur. Est enim certissimum Dei opus, longéque operum omnium quae hic praestari possunt amplissimum: quòd Theologiae huius communicatione caeci vident, surdi audiunt, adeoque mortui ad vocem filij Dei reuiuiscunt, veramque vitam ac aeternam in communione eius assequuntur. *Ioan.* 5. 15. Est in isto opere magnificentissima sacrosanctae illius Theologiae efficacitas, quòd ex cadauere vitales operationes, tanquam ex trunco intermortuo & igni destinato (nam homo naturalis vel ψυχικὸς ita est) vberrimos vitae illius fructus in tantis impedimentorum molibus, quas obiicit caro, peccatum, mundus, & Satanas, tantaque infirmitate, protrudit Theologia. Est denique manifestissimum Dei praesentis & assistentis argumentum, quòd ista omnia in suis perficit Spiritus sui communicatione, donatque pios hac gratia, vt cum timore & tremore suam ipsorum salutem conficiant. *Philip.* 2. 12. Deus enim is est, qui in nobis efficit vt & velimus & efficiamus pro gratuita beneuolentia sua: qua gloriam suam adeò potenter omnibus testatam facit, vt multiplex illius sapientia iustificetur à filiis suis, quod dicebat Christus, *Matth.* 11. 19. Ita enim Deo & Patri placuit euangelizari inter homines imperuestigabiles illas opes Christi quae illius Theologiae penu contentae sunt, & in lucem proferre omnibus quae sit communio mysterij quod erat absconditum à seculis in Deo, qui omnia haec condidit per Iesum Christum: vt nota fiat per Ecclesiam imperiis atque potestatibus quae sunt in coelis, multiformis illa Dei Sapientia, secundum propositum aeternum quod constituit in Christo Iesu Domino nostro, & Apostolo confessionis nostrae, quam de plenitudine Theologiae illius hausimus ad gloriam Dei. *Ephes.* 3. 9. 10. 11. Sequitur iam finis alter, quem secundarium & subordinatum appellauimus. Hunc verò breuiter destringemus propter facilitatem argumenti.

Thes. XXXIII. *Secundarius finis Theologiae nostrae vel subordinatus est electorum bonum praesens, & futurum: nam horum pietati factae sunt promissiones huius & venturae vitae: haec autem Theologia est pietatis verae sapientia.* Postquam de fine vltimo vel summo diximus, qui conditionem rerum creatarum omnium exsuperat, eternúmque superaturus est: nunc demum venimus ad finem coniunctum, atque in nobis indesinenter constiturum maximo bono nostro. Quemadmodum igitur natura propriè & per se, bona semper appetit, communis communiter, & singularis singulariter: naturalis autem ordo istius appetentiae ita est comparatus vt singuli bonum suum velut proximum, & bonum commune velut summum (in quo singulorum commune bonum consistit) appetant: ita etiam Deus in ratione salutaris gratiae commune bonum, atque singulare in bono communi consistens, luce Theologiae demonstrauit. Commune est, Dei gloria: in hoc verò communi positum est singulare nostrum, nempe quòd glorificandi sumus in Dei gloria, & omne bonum à gloria ipsius & ad gloriam ipsius percepturi. Quapropter vt Dei gloria in hoc seculo & futuro constanter permanet, estque fons peremnis boni ad res creatas omnes pertinentis: ita etiam statuamus oportet cum animis nostris, su(f. 1415.)pernaturalis illius causae semper agentis, liberrimae, & non impeditae vnquam, effectum semper existere, nec vnquam, facto

vllius

vllius intermoriturum esse. Concludimus ergo non posse interire vnquam rerum creatarum bonum, quas Deus vnicus salutis auctor ad participationem gloriae suae efficaciter vocauerit. Cúmque hae creaturae non aliunde sint quàm ab electione Dei; & proposito gratiae distinctae electorum bonum, siue Angelorum in coelis, siue hominum in terris (cùm fundamentum suum in gloria Dei habeat, éaque innitatur) aeternum & immortale esse statuimus. Sic ad bonum commune, id est, Dei gloriam contendentes, ad bonum singulare, id est, salutem nostram deducimur. Cur autem? & quomodo? nempè promissionibus gratiae, & Theologiae reuelatione. In causa enim est sola Dei gratia, promissionesque gratiae, cur ad hoc vtrumque bonum perducamur. Modum verò eadem gratia omnibus exhibet, nobiscum Theologiam communicans. Causam porrò quum Apostolus afferret, dicens 2. *Timot.* 4. 8. factas esse pietati promissiones huius & venturae vitae, duo effecta ex diuinis illis promissionibus praedicabat obuentura; quorum vnum est, quòd Deus ipse nos informat gratiosè in conditione iusta quae haeredes ipsius decet: Alterum, quòd disponit bona haereditaria. Iusta conditio haeredum est in vera pietate posita, quam pietatem circumscribit Charitas ex puro corde & conscientia bona & fide non ficta. 1. *Tim.* 1. 5. Bona verò haereditaria in vita quidem illa ventura sunt: sed tamen iam in hac ipsa vita ex facto communicantur, percipiuntúrque per fidem, donec possessionem plenam in vita illa futura assequamur. Vtriusque Deus effector est; & pietatis in nobis haeredibus; & haereditatis in coelis, propter eos qui haeredes salutis futuri sunt. Addo etiam commodorum effectorem esse, quae ad capessendam haereditatem sunt opus, tantisper dum in via sumus contendentes ad Dominum. Huius verò causae praestandae & percipiendae modus salutaris nullus esse potest, quàm reuelatio diuinae illius sapientiae; quae sapientia non est seculi huius, neque Principum seculi huius qui abolentur, sed sapientia est Dei in mysterio, sapientia illa occulta, quam praefinierat Deus ante secula ad gloriam nostram, & quam nemo Principum seculi huius cognouit, sed Deus solus retegit per Spiritum. 1. *Corinth.* 2. 7. 8. Haec illa vna est sapientia, quae & pietatem in nobis generat futuris regni coelorum haeredibus, & promissiones omnis boni docet pios, & omnia bona haereditaria salutémque aeternam fidei ipsorum exhibet ad gloriam Dei. Atque haec de Theologia nostra secundùm se, tanquam forma incorrupta coelestis sapientiae à Deo exhibita. Restat vt de Theologia secundùm nos (quam alij Theologiam secundùm quid, alij Theologiam in subiecto vocant) eodem ordine & modo pauca adferamus.

CAPVT XVII.

De Theologia in subiecto.

Illivs ergo Theologiae, quam Deus perfectè exhibet nobis gratiosa communicatione, forma quaedam imperfecta est nostra haec Theologia quae subiecto humano inest, quà huic subiecto inesse potest. Quemadmodum enim omnes illae actiones Dei quae ab ipso purè sunt formam perfectam sui constitutionémque momento vno inde ab ortu ipsarum obtinent; ita è diuerso quaecunque actiones communiter à Deo hominibúsque proficiscuntur, & in quibus homines Deus quodammodo *συνεργοὺς* sibi esse voluit, eae tantisper dum in hac vita sumus, forma quadam imperfecta in suis subiectis insunt, nec in hoc seculo obtinent perfectionem suam. Et quemadmodum natura

natura ab imperfectissimo gradu incipiens paulum contendit ad perfectionem sui, ita etiam hae actiones à tenuissimo imperfectóque principio per suos gradus atque incrementa in aliquam perfectionis suae imaginem paulatim virtute Dei perducuntur. Quapropter haec quidem Theologia in subiecto appellata secundùm gradus perfectionis aut imperfectionis nunquam definiri potest: quia tam est varia, quàm varia sunt subiecta quibus inest per Dei Gratiam, secundùm gradus singulos imperfectionis ipsius. Verumtamen quia haec ipsa Theologia, vtvt in quocumque est, non est magis in hoc Theologia quàm in illo, sed tantùm maior aut minor consideratur pro ratione (f. 1416.) singulorum captus: Quemadmodum (exempli causa) breuem quercum non minùs, sed minorem esse quercum dicimus, quàm altera procera sit: Propterea Theologiam in subiecto secundùm essentiam ipsius licet aliquo pacto definire citra imperfectionis huius differentis comparationem. Nam etiam docuit nos Christus fidem, quae cum Theologia hac relationem habet necessariam, non plus aut minùs fidem, sed maiorem aut minorem pro ratione subiectorum esse, cùm diceret Apostolis, si habeatis fidem quantulum est granum sinapi, dicetis huic monti, transgreditor hinc illuc, & demigrabit, &c. *Matth.* 17. 20. Hanc itaque rationem prudenter obseruantes, Theologiam hanc nostram (quae Theologia in subiecto dicitur) definimus in hunc modum. *Thes.* XXXIV. *Theologia nostra secundùm quid siue Theologia in subiecto dicta, est illa eadem sapienta rerum diuinarum, modificata pro ratione eorum hominum quibus inest, & ex qua Theologi appellantur.* Ex hac definitione facilè cognosci potest, quid huic Theologiae cum illa nostra absolutè dicta commune sit, & quid ab ea discrepet. Etenim communia ponuntur duo, genus & communis, vt vocant, differentia. Genus est sapientia, de quo in capite secundo iam antè diximus. Communis differentia est, quod rerum diuinarum est sapientia: de quarum rerum natura, constitutione, formis & ordine, quantum ad hoc institutum videtur pertinere, paucis destrinximus cap. 13.

Iam itaque ad differentiam propriam nobis est veniendum. Hanc duobus modis euidentiae caussa proponimus: secundùm naturam siue essentiam, & secundùm signum ipsius. Ad differentiam huius Theologiae secundùm essentiam ipsius, haec verba pertinent, quòd *modificata* dicitur esse, *pro ratione eorum hominum quibus inest.* Differentiam verò à signo denotauimus illis verbis, *ex qua Theologi appellantur.* Ad differentiam essentialem (vt ita dicamus) nostrae huius Theologiae probè obseruandam, necessarium est haec duo concurrere: subiectum, rationémque ipsius, & donum sapientiae in subiecto haerens. Nam cúm subiecti huius natura semper imperfecta sit, nihil reuerà perfectum potest per se capere; aut, si quid perfectum per Dei gratiam (vt facit) capit, id tamen perfectè capere non potest. Atque haec illa ratio est, quam in subiecto semper animaduerti volumus, vt de dono vel gratia accedente ipsi commodè iudicemus. Est enim subiectum duplex secundùm rationem conditionémque ipsius: vnum, in natura; & in gratia alterum. Subiectum autem in natura sua neque actu, neque potentia, neque dispositione vlla ad potentiam potest rem perfectam capere; aut etiam perfectè. Idem verò subiectum in gratia consideratum, siue (vt loquuntur) in statu gratiae, dum hîc est, donum quidem perfectum & bonam donationem à Deo venientem (vt Iacobus loquitur *cap.* 1. *v.* 17.) percipit. Sed quia semper in aliqua naturae imperfectione haeret, & agitur tantùm inchoatione gratiae, donum illud perfectum bonamque donationem à Deo proficiscentem perfectè non potest capere: quamuis à singulari gratia interdum contigerit, vt id donum homo Dei perfectum caperet. Ex hac itaque subiecti ratione procedit illa Theologiae nostrae modificatio: quia etsi Theologia in se perfecta est, in subiecto tamen (vtcunque perfecta sit) mutilata est quodammodo imperfectione subiecti. Ac proinde Theologiae in se forma perfecta est; Theologiae verò in subiecto forma imperfecta, quia haec purae est in

est in nobis inchoationis per gratiam. Huius autem modificationis argumentum est à signo, quod sub finem definitionis attulimus. Quemadmodum enim qualitatem esse volunt, ex qua dicimur quales: ita etiam Theologiam oportet dici, ex qua Theologi appellantur. Est autem conditio Theologorum huiusmodi, vt subiecto quidem conueniant inter se qua homines sunt; sed ratione plurimûm discrepent; quia his plus, illis minus videmus inesse Theologiae. Nam si quis tyronem adeò sapere Theologiam putet, quàm Iohannes aut Paulus fecerit, aut eumdem hominem Theologum tantumdem praestare posse quum prima Theologiae elementa discit, quàm quum propter diuturnum habitum sensus habet exercitatos ad discretionem boni & mali ex Canone verae Theologiae, is profecto ad agnatos (quod aiunt) & gentiles fuerit bonorum iudicio relegandus. Quapropter antecedenti definitioni pauculas notas & praeceptiones de huius Theologiae modo subiici oportuit & causis illius; Vt ab extremo vtroque vitio (in quorum alterum vulgus facilè delabitur) certa religione prudentiàque caueretur.

Sunt enim qui, ex quo primùm aliquem gustum (f. 1417.) vel minimum imbiberunt huius sapientiae, se puros putos esse Theologos, & nihil non Theologum crepare putant: quos ἐνθουσιαστὰς veriùs merito ipsorum appellaueris. Sunt contra, qui animadversa exilitate nostrae huius Theologiae in subiecto suo, & Theologorum multorum (proh dolor) vanitate, nihil putant non esse ματαιόλογον: qui homines certatim ruunt in nefariam ἀθεότητα, dum in suis illis cogitationibus euanescunt: Ad haec mala religiosè & sancte praeuertenda, necessarium visum est pauca quaedam capita de modo huius Theologiae adscribere, vt rei diuinae quantumuis obscurae veritas à mendacio hominum vindicetur. Primum est huiusmodi, *Thes.* XXXV. *Huius Theologiae in subiecto circumscribi non potest modus, quia & in vnoquoque variat, & inter omnes est diuersissimus.* Modum hoc loco appellamus, non formam rei (nam forma Theologiae in omneis gradus ipsius semper diuina est) non viam comprehensionis & perceptionis illius (nam haec quoque diuinum opus est & gratiae diuinae signaculum) sed quantitatem (vt ita dicamus) comprehensionis & perceptionis illius, quae ad hominem peruenerit. Nam vt vasis pro quantitate ipsorum plus liquoris, aut minus infunditur, ita etiam animae hominum plus aut minus dilatantur virtute Dei, vt fiant capaces cùm aliorum donorum spiritualium, tùm huius ipsius sapientiae. Quapropter circumscribi non posse huius Theologiae modum, vel potius hominum hanc Theologiam participantium, recte affirmamus. Cùm enim scientia sit vniuersalium, modus autem iste indiuiduorum sit (vt vocant) singularium, cribro citiùs hauseris Oceanum, quàm certam vllam huius rei scientiam adipiscaris. Huius autem varietatis innumerae primùm causae videndae sunt, deinde certa quaedam capita (si fieri potest) demonstranda, quibus aliqua saltem huius rei quae agitur, ratio demonstrari possit ad commoditatem instituti nostri. Ac causae quidem in ipsa Theologia minimè resident: cùm ipsa per se vniformis planè sit, nec diuersis modis se habere possit. In subjecto igitur ipso causas, quaecunque illae sint, deprendamus oportet. Sunt autem duae omnino causae è conditione subiecti procedentes: Vna, quòd singulare subiectum, id est, homo vnusquisque in se tam variat quàm quod maximè, innumerisque mutationibus infestus est: Altera, quód alia ab aliis maximoperè sunt differentia. Cùm enim adeo sit varia ac multiplex subiectorum tum in se ipsis, tum inter se ratio, omnino etiam variare opus est modum huius sapientiae subiectis tam mutabilibus in se ac inter se differentibus inhaerentis. De priore mutationis modo ita statuimus, *Thes.* XXXVI. *In vnoquoque variat Theologia; quia inest vnicuique principium duplex, natura & gratia: quarum illam diminui, hanc augeri necesse est, de gloria in gloriam virtute Spiritus, & efficace Theologiae communicatione.* Mutari in sese vnumquemque, ac proinde in eodem mutari modum Theologiae, communis experientia testatur

testatur luculentissimè, & omnes vident vel sensus communis testimonio: sed caussas non peraequè vident. Nam cùm mutationis caussae sint in principiis huius sapientiae, ex quibus homines Theologiae scientes constituti sunt, eorum autem principiorum duo sint genera: è quibus vnum, videlicet Natura, principium eorum est quà homines sunt; alterum, puta gratia, principium eorum est quà praediti sunt supra suae naturae modum hac sapientia: Certè fieri nullo pacto potest, quin variis mutationibus & per mutationum gradus ad comprehensionem sapientiae huius perducantur. Naturam, quia principium est commune omnium hominum, omnes sentiunt esse mutabilem, & quasi volui perpetuis gyris ac mutationibus. Gratiam verò per mutationum gradus in hominibus agentem, propriè non alij vident, quàm quorum oculos Deus collustrauit gratia: Signa verò illius gratiae interdum etiam videre possunt homines à gratia illa alienissimi. Horum verò principiorum in vnum idemque subiectum vnà concurrentium, effectus planè diuersus est. Nam vt natura subiecti per se ad interitum fertur, hominem naturalem siue externum hominem nostrum minui atque corrumpi necesse est; internum verò, quem agit gratia, in dies augeri atque renouari. 2. *Cor.* 4. 16. Quo fit, vt nos omnes, quos Deus gratiosè Theologiae suae alumnos fecit, retecta facie gloriam Dei vt in speculo intuentes, in eamdem imaginem transformemur ex gloria in gloriam, sicut à Domini Spiritu. 2. *Cor.* 3. 18. Sic naturae infirmitas per se in dies eò magis deficit, quo magis proficit gratiae efficacitas, cuius gratiae auctor est Spiritus virtute sua: (f. 1418.) Spiritus, inquam, ille Dei, qui omnia haec in omnibus efficit, distribuens priuatim singulis sua dona sicut vult, 1. *Cor.* 12. 11. & Theologiam vel diuinam hanc sapientiam non communiter solùm, sed etiam seorsim ac singulariter cum vnoquoque herede diuinae gratiae, communicat efficacissimè.

Quemadmodum autem in vnoquoque membro Christi, sapientiae huius coelestis participe, certus non potest dari modus Theologiae: sic etiam incertum planè esse modum statuamus necesse est, si rationem tam multorum hominum quos Deus participes effecit Theologiae, inter se comparabimus: quam rem altera hac XXXVII. Thesi visum est exponere. *Inter omnes variat haec Theologia, quia plus in his quàm in illis natura minuitur, & inualescit gratia: etsi hic nemo ex omnibus totam formam nostrae Theologiae perfecte per omnia comprehendit.* Huius propositionis tam euidens ratio est, vt explicationis egere minimè videatur. Nam quemadmodum ex duobus illis principiis, quae antè statuimus, mutationem in seipsis experiuntur singuli: ita etiam ab iisdem principiis factum est, ut sapientiae huius modus inter omnes homines sit diuersissimus. Etenim, vt de natura dicamus priore loco, bifariam considerari à nobis eam necesse est; quà communis omnium, & quà singularis ac vniuscuiusque propria, siue (vt Patres dixerunt) χαρακτηριστική. Quòd si proprium & χαρακτηριστικὴν singularémque naturam suam vnusquisque hominum obtinet: quis iam ex eo non videat, natura quidem communi omnes habere inter se conuenientiam, singulari verò ac propria differentiam intercedere ex necessitate naturae? Ergo vt secundùm naturae communis mutationes, omnes homines subeunt mutationis leges communiter; ita quoque secundùm naturae particularis propriaeque rationem suas mutationes fert quisque singulariter. Et sicut in rebus corporeis natura hominis cuiusque suas vices & successiones rerum obiens paulatim minuitur ac tandem interit; tali profecto iure in rebus ad animum nostrum pertinentibus mutationem deminutionemque naturae agnoscimus. Quod autem in ratione singularis naturae ad deminutionem interitumque suum contendentis, idem ex diuerso in ratione gratiae in Dei seruis & piis omnibus augescentis, atque ad perfectionem suam feliciter assurgentis, opus est contemplari; quia decrementum illius est huius incrementum. Tantùm hac in re discrimen est, quod illa decrementa deminutionésque naturae ex vi gratiae aduersantis, tandémque expug-

naturae

naturae eam, & superaturae, proficiscuntur: Incrementa verò sola uirtus gratiae efficacitasque perficit. Atque hinc etiam consequitur discrimen alterum, vel potius (si ita dici placuerit) effectus ex antecedente discrimine proueniens; quod prout in mentibus piis effertur & assurgit gratia, pari modo, ac velut contrariis (vt loquuntur) gradibus naturo deprimatur. Pari passu procedunt illae; haec deficiens; illàque proficiens: Perinde ac siquis dolium vtrinque pertusum infernè deplens supernè impleret liquore altero, qui inferiorem detruderet; aut aliquem impurum liquorem subsidentem puro Spiritu supernè immisso deturbaret.

Verumtamen vtcunque homines instructi Spiritu Dei proficiant in gratiae illius communicatione; id semper apud omnes bonos & veritatis amantes constitutum est, neminem ex omnibus post omnem hominum memoriam totam formam nostrae huius Theologiae perfectè per omnia vnquam comprehendisse, aut hoc tempore vita in hac comprehendere, aut vllo seculo comprehensurum esse quemquam, dum in hac statione misera per fidem incedimus, ac non per speciem obtinemus finem huius Theologiae fideíque nostrae. Nam (vt inquit Apostolus, 1. *Corinth.* 13. 12.) cernimus nunc per speculum & per aenigma, tunc autem coràm cernemus: Nunc cognoscimus ex parte, tunc verò cognoscemus prout fuerimus cogniti. Ac proinde gradus quidem in modo Theologiae nostrae sunt innumerabiles; nempe quantum ab imo illius gradu qui nihilo est proximus, ad summum gradum quem homo nunquam potest contingere, interuallum accidit & graduum differentia: sed tamen ne ille quidem ipse (quisquis est qui dari potest de hominum numero eiusmodi) in quo natura summopere minuta sit, & quam maximè gratia increuerit inualuerítque: Igitur ne ille quidem ipse qui per gratiam Dei eò euectus est, totam formam nostrae huius Theologiae sic assequutus est, vt perfecto modo secundum iustam comprehensionis legem, aut per omnia quoque secundùm omnes Theologiae nostrae partes perceperit, ea perfectione quae cum diuina forma Theologiae nostrae (f. 1419.) conuenientiam habet. Profectò enim si qui sunt (nam de persona Christi hoc loco nihil dicimus, cuius propria Theologia est unionis, velut fons inexhaustus, unde nostra haec Theologia deriuatur) eum certè hominem de numero Prophetarum aut Apostolorum fuisse oportet, in quem singularia dona contulerit Dominus pro singulari vocatione & administratione ipsius, ad Spiritus illius & sapientiae diuinae demonstrationem. Quòd si tamen Eliam aut Elisaeum de Prophetarum choro: si Iohannem Baptistam, quem maiorem Prophetis Christus ipse pronunciauit: si Petrum, Iacobum, Iohannem, aut Paulum respiciamus, ne in his quidem, aut vllo horum hominum Dei, perfectio illa fuisse dicenda est: sed ita statuendum, quemadmodum in ratione vitae Deus gratiam suam voluit sufficere, nostra infirmitate uirtutem suam perfici; ita etiam fuisse Consilium eius caussa fidei, vt gratia ipsius cuique sufficeret & veritas ipsius in illa seruorum ipsius tenuitate conquiesceret.

Hanc rem paucis verbis ita conclusimus, *Thes.* XXXVIII. *Etenim totam quidem perfectamque formam huius Theologiae perceperunt Prophetae & Apostoli, at non perfectè in sese: eamque totam tradiderunt singulari virtute Spiritus: reliqui omnes nec totam, nec perfectè.* Totam formam Theologiae appellamus, quae omnes essentiales (vt ita loquamur) partes illius complectitur: perfectam verò quae verum modum, iustumque ac imperfectione carentem capit, secundùm ipsam, & secundùm partes singulas ipsius. Hanc igitur Theologiam nostram totam perfectamque hoc sensu appellatam, à plerisque negamus totam, aut perfectè fuisse comprehensam: sed si qui eam perceperunt, eos solùm fuisse Prophetas & Apostolos, ad quos perfecta communicatio nostrae huius Theologiae inspiratione singulari & reuelatione peruenerit. Itaque vt demus sanctissimos illos Dei seruos, Prophetas & Apostolos, totam formam huius Theologiae percepisse, id secundùm principia ipsius Theologiae intelligendum est: quemadmodum Mosem

Mosem fidelem Dei seruum in tota domo ipsius credimus totam hanc formam à Deo traditam accepisse, eamdemque perfectam, vt acceperat à Domino, literis consignasse, & canonem diuinum priscae Ecclesiae tradidisse. Nam in his principiis tota natura Theologiae virtute continetur, quae principia summi illi viri singulari quadam & extraordinaria virtute sibi per Spiritum indita prehenderunt. Atque hoc respectu non tergiuersamur, quin illi totam perfectamque formam huius Theologiae fuerint assequuti: tamen perfectè in sese obtinuisse minimè statuimus; sed suo modo, & reuelationis sibi factae modo: quae duo ad demonstrandam imperfectionem huius communicationis sunt satis. Etenim si ad modum ipsorum respiciamus, homines fuerunt infesti iisdem ac nos infirmitatibus, iisdemque tenuitatis angustiis circumclusi, pro humana sorte: quae vsque adeò imperfecta est, dum hic peregrinatur à Domino, vt rem perfectam perfectè nequeat capere. Nam efficiens caussa imperfecta, ecquando effectus gignat, obsecro, qui perfecti sint, aut merito suo perfecti habeantur? alienum est certè, si quis arbitrabitur ex imperfecta caussa perfectos gigni aut consequi effectus posse. Quod si quis dixerit, non eos quidem ipsos pro suo modo perfectè id praestitisse, sed Deum fuisse perfectionem hanc in ipsis operatum: ad hoc respondimus etiam altero membro, quum Theologiam hanc ne modo quidem reuelationis perfectè ab ipsis comprehensam fuisse diceremus. Nam est quidem perfectus reuelationis auctor, perfectumque opus illius in se ipso, ac proinde perfecta secundùm se, quamcunque fecerit, Dei reuelatio; sed longè alia est reuelationis diuinae in sese ratio, alia in noctua siue in nyctalope & vespertilione, ac luscioso, qui nescio quid solùm, ac pauculum de ista luce potest accipere. Quòd si virtute diuini spiritus, Prophetarum & Apostolorum mens fuit quasi dilatata & ampliùs illustrata supra modum nostrum & rationem communem illius (fuit autem certè) non tamen ex eo concludi potest fuisse eam in infinitum, vel infinita quadam perfectione dilatatam, vt perfectionem huius sapientiae perfectè possent capere. Totam quidem & perfectam omnisque imperfectionis expertem credimus ab eis acceptam esse; sed perfectè, tantaque perfectione vt perfectionem huius sapientiae in ipsa illi quoque in seipsis adaequauerint, minimè affirmamus, nec pium fuerit affirmare. Cur enim de electis illis Dei instru(f. 1420.)mentis aliud aut sentiamus cum animis nostris, aut apud alios praedicemus; quàm quod ipsi de se diuina veritate & iusta humilitate enunciauerunt? De se enim communiter cum aliis dicebat Paulus: Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. cernimus nunc per speculum & per aenigma, tunc autem coram, 1. *Cor.* 13. 9. 12. & ad Timotheum filium suum germanum in fide Scribens, non alio consilio lectionem scripturae sacrae aliquoties commendauit, quàm vt tenuitatem illam nostram, imparem capiendae perfectioni rerum diuinarum ostenderet sancta lectione, precibus, meditationibusq; in toto curriculo huius vitae oppugnandam esse, donec felice migratione ad Dominum plenam victoriam de nobis ipsis, & infirmitate nostra simus assequuti.

Quemadmodum autem totam hanc sapientiam perceperunt illi, ita etiam prouidit Dominus Ecclesiae suae, vt eadem tota perfectaque traderetur singulari virtute Spiritus: qui non vnius opera solùm ad totam hanc perfectamque doctrinam tradendam in Ecclesia vsus est, sed ex tota illa perfectaque doctrina omnium effecit, vt perfectum corpus Theologiae in scripturis sacris ex labore illorum omnium Dei seruorum consignatis, perfectamque formam huius sapientiae totam perfectè haberemus expositam. Quo fit, vt optimè dicat Apostolus totam scripturam diuinitus inspiratam esse, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum perfectè instructus; 2. *Timoth.* 3. 16. 17. quia scriptura est perfectum instrumentum nobis à Deo praebitum, quamuis simus singuli imperfecti ex omni parte operarij.

Hic verò quaestio incidit, quae rudiores fortasse scripturae sacrae operam dantes commouere possit. Cum enim scripturam perfectum esse dicamus Theologiae instrumentum; Prophetas autem & Apostolos interdum dixisse & scripsisse videamus quaedam, à veritate quam Deus reuelat discrepantia, quomodo fieri possit vt Scripturam hanc perfectum instrumentum dicamus esse? Exempli caussa: Dicebat Samuel, cùm videret Eliabum fratrem Dauidis maximum, hic vtique coram Iehoua est vnctus ipsius. 1. *Samuel.* 16. 6. dicebat item Nathan Regi aedificationem domus sacrae cogitanti, quicquid est tibi in animo fac, nam Iehoua adest tibi. 2. *Samuel.* 7. 3. Scribebat Paulus se profecturum in Hispaniam, & ea profectione ad Romanos venturum esse. *Rom.* 15. 24. Idem Corinthiis & Thessalonicensibus. Cùm ergo falsum dixerint illi, aut etiam scripserint, quomodo (dixerit quispiam) scriptura perfectum instrumentum appellari potest, in qua responsa & promissa falsi comperta sint? Istius dubij solutionem etsi ex ipsa Theologiae nostrae definitione, quiuis potest cognoscere, qui animum diligenter ad eam aduerterit: tamen ne quid in mora sit imperitioribus, eam paucis hoc modo proponemus. Aliud est igitur rerum diuinarum scientia; aliud, consiliorum & voluntatis aut iudicij humani nostri. In rebus diuinis eas numeramus non solùm quas Deus facit, verùm etiam quas testatur sermone suo, siue per modum communis verbi, siue per singularem reuelationem. Contrà verò in consiliis aut iudiciis humanis ea complectimur omnia, quae citra testimonium commune aut singulare Dei ab hominibus, quamuis sanctissimis sanctissimóque consilio, proferuntur, aut humano quocunque iudicio. Eiusmodi fuerunt illa Samuelis atque Nathanis iudicia, quum Deo inconsulto secundùm opinionem suam minimè malam contrà statuerent, quàm Deus arcano suo iudicio definiuerat. Neque enim, quia Prophetae erant, homines esse desiuerant: sed vtrumque genus actionum ab illis exercebatur: humanum secundùm naturam: propheticum verò secundùm relationem gratiae, quae ad naturam accesserat. Atque hoc falsum iudicium illorum ex veritate scriptura narrat: quod fides historiae desiderat.

Sed grauius exemplum Pauli videtur esse; propterea quòd nemo pius aliud cum animo suo statuit, quàm certo dictamine Spiritus sancti conscriptas fuisse Apostolorum sanctorum epistolas, quae in canonem Ecclesiae Christi relatae sunt: & tamen aliud sermone promittebat Paulus, aliud instituto Dei est euentu consequutum. Verumtamen si rem penitiùs introspexerimus, parui interesse illud videbimus, vtrum dixerint an scripserint quae ad rationem sui ministerij arbitrati sunt pertinere. Nam aequè in sermonibus ac in scriptis illorum, quà quidem ministerium Apostolatus fuit ab illis praestitum, virtutem Spiritus illis praefuisse constat, omniaque moderatum esse. Itaque ne in epistolis quidem reprehendi potest quicquam hoc nomine: nec iure videtur posse. Nam primum nihil ad doctrinam fidei modumque (f. 1421.) pertinens vsquam reprehendi potest. nec verò continuò sequitur, si quid humanum dicitur scribitúrue, quod pietati, aut veritati fidei, sanctimoniaeque minime aduersetur rerum diuinarum quae traduntur auctoritatem interire: quia illud ipsum non est Theologiae quod dicitur humanitus, nec magis alienum est à Theologo humanitus loqui aut scribere, quàm alienum est ab homine versari in hac sapientia, quam Theologiam appellamus. Imò verò id magis conueniens videtur esse: nam vt natura homo est, sic naturâ agit quod est hominis proprietate naturae: vt autem per gratiam Theologus est, non agit quod Theologi est, nisi singularitate gratiae. Quin etiam visum est sapientiae Dei testatum palàm hoc modo facere, humanas opiniones, iudicia, voluntates, quae ad pietatem & charitatem pertinent, quamuis effectus earum arcana Dei voluntate sit aliter consequuturus, à Deo probatas & sanctificatas esse. Et harum tamen exempla si nulla exstarent, proculdubiò nonnullorum superstitiosorum hominum audacia,

& multorum

& multorum imprudentia iniquè de hoc genere scriptorum consiliorúmque iudicaret. Nam, quis ex Catonum istorum numero non esset reprehensurus humanas illas & blandas salutationes, quas in fine epistolarum adtexuerunt Apostoli, aut illam Onesimi ad Philemonem commendationem, nisi Apostolos, & nominatim Paulum ita scripsisse cogitaret, Deúmque auctoritate sua in Thesauro Ecclesiae suae humilia haec deposuisse humanitatis argumenta? In eum igitur modum, humanitatis studio, reuelationis particularis conscientia, se Paulus aduenturum Romanis, Corinthiis & Thessalonicensibus promiserat, certa fiducia diuinae gratiae, quae promissa haec humana probat; etsi, vt praestentur minimè perficit: nam Deus solus promittit in certitudine veritatis; homo verò promittit in veritate mentis, permittens Deo rei totius certitudinem. Quemadmodum Iacobus in epistola monet, cap. 4. *v.* 15. & Paulus nominatim exprimit ad Romanos scribens, cap. 15. *v.* 32. Atque haec causa est, cur Paulus promissiones Dei in Christo ab omni ista incertitudine vindicat studiosissimè; 2. *Corint.* 1. 17. 18. 19. 20. *&c.* humanas verò à se & aliis factas demonstrat sua semper incertitudine coniunctas esse, quae ad promissiones Dei nihil omnino attineat. Sic enim disserit eo in loco, excusaturus factum, quòd spem fecisset aduentus sui, nec tamen aduenisset: Gloriatio nostra haec est, inquit, testimonium conscientiae nostrae, quòd cum simplicitate & sinceritate Dei, non cum sapientia carnali, sed cum gratia Dei versati sumus in mundo, potissimùm autem apud vos. Deinde, itaque hac fiducia priùs volui venire ad vos (nam velle se litteris docuerat) vt secundam gratiam haberetis: & per vos transire in Macedoniam, & rursum à Macedonia venire ad vos, & à vobis deduci in Iudaeam. Hoc igitur quum deliberarem, numquid leuitate sum vsus? (nempe tum quum promitterem, inconsideratè promittens) aut num, quae delibero (nimirum hoc ipso tempore, quo consilium aliud ineo) secundùm carnem delibero, vt sit apud me etiam & non? id est summatim, an tum fui leuis, aut etiam nunc leuis sum in hoc tempore? respondet: imò fidelis Deus mihi fidem facit sermonem nostrum apud vos non fuisse etiam & non, id est, me semper in sermonibus mihi constitisse. Quia verò duo sunt ab Apostolo sermonum genera, quà legatus Dei, & quà homo sine certo expressóque Dei mandato loquens humanitus; propterea de vtroque distinctè subiicit. Primùm enim de sermone ministeriali Apostolatus sui magnificè enunciat ista: nam Dei filius Iesus Christus, qui inter vos per nos praedicatus est per me, & Siluanum, & Timotheum, non fuit etiam & non, sed fuit etiam in ipso. Hanc affirmationem probat vniuersali enunciato, dicens, quotquot enim sunt promissiones Dei, in ipso sunt etiam & in ipso Amen, ad gloriam Deo per nos tribuendam. Subiicitur confirmatio duplex: vna, qui autem nos confirmat vobiscum in Christum, & qui vexit nos, Deus est: Altera, qui etiam obsignauit nos, indidítque cordibus nostris arrhabonem spiritus. Posteà ad alterum genus sermonum transiens, religiosa Dei appellatione se purgat, dicens: Ego verò testem Deum inuoco in animam meam, me nondum venisse Corinthum, vt vobis parcam: & quae sequuntur eodem capite & secundi parte. Quae cùm ita sint, omnino stauimus Apostolos ita fuisse administros caelestis istius sapientiae, vt eam perfectè Ecclesiae Dei tradiderint; nec propterea impeditos fuisse, quin humanitus consilia eò (f. 1422.) spectantia, quamuis euentu alio, ex charitatis officio enunciarent scriberentque: nec tamen vitio illis verti posse, si non omnia sciuerint quae scit Deus, aut simpliciter voluerint quae non vult voluntate absoluta Deus: quia id scire & velle diuinitatis est: humanitatis, non ampliùs de eis scire aut voluntate definita velle, quàm prout ipsis à Deo per Spiritum eius fuerit reuelatum ad gloriam suam.

CAPVT

CAPVT XVIII.

Conclusio operis.

Ex his omnibus quae antè dicta sunt, argumentum vniuersum istud concludimus quodam velut corollario, in hunc modum, *Thes.* XXXIX. *Itaque forma Theologiae nostrae in se quidem una est, vt ante diximus: sed in nobis modo est multiplex, atque futura est, donec concurrentes in vnitatem fidei, & cognitionis filij Dei, fiamus vir perfectus, euehamúrque vnà ad mensuram staturae Ecclesiae, quae est complementum Christi.* His enim vocibus primùm naturam Theologiae nostrae, deinde finem ex verbis Apostoli ipsius statuimus. Ad naturam enim attinet (prout antè fuit expositum) Theologiam nostram, quam gratiosè nobis reuelat Deus, ita se habere demonstramus, vt in se quidem Theologia, suo instrumento Sacrae scripturae per Spiritum Dei perfectè comprehensa, formam vnam essentialem habeat, totam perfectam, totam perfectè expositam, totámque in se omnibusque suis partibus constantem & immutabilem: sed in nobis, qui transformamur in dies à Domini Spiritu, nec formae illius totius modum totum, nec eum perfectum, nec perfectè inesse aut inhabitare: sed tantùm partes illius, éasque imperfectas, & imperfectè à nobis percipi: sicut reuelationum suarum modum contemperat Deus modo tenuitatis nostrae, ad declarationem lucis admirabilis & laudem gratiae gloriosae suae. Etsi autem eiusmodi est in praesentia communicatio huius sapientiae per gradus & incrementa prouehens; non tamen coniiciendum fieri vnquam posse, vt ad fastigium illius conscendamus, dum in hac mortali vita considemus; neque putandum perfectionem huius sapientiae ad nos peruenturam: sed potiùs ita cogitandum, quemadmodum toto curriculo istius vitae minuitur nostra infirmitas & inscientia suis progressionibus: ita sapientiam hanc ex contrario suo ordine & gradu in nobis increscere. Nec verò aliter potest nobis contingere: nam cùm Theologia haec nostra, quae quidem in nobis inesse potest, sit Theologiae illius particula, quam in scripturis perfectè expressit Deus: illa veró Theologia in scripturis reuelata symbolum sit & aenigma illius, quam visione Dei coràm in caelo adepturi sumus: certè fieri non potest quin toto miserae huius vitae curriculo, quo magis prouehimur, eò magis inscientiam & tenuitatem nostram sentiamus: nósque ipsos taedeat istius tenuitatis nostrae, vt vera humilitate, quae primas adeóque singulas partes in Theologia obtinet, ad celsitatem illam coelestium diuinarúmque rerum assurgamus, & totam aciem mentis nostrae in eum finem defigamus studiosissimè.

Est autem finis duplex nobis coniunctissimus (nam de fine summo nihil hic dicturi sumus) quorum alterum in hoc seculo aliquo pacto attingimus, alterum in venturo perfectissimè assequemur. Finis in hac vita propositus est *vnitas fidei & cognitionis filij Dei,* ad quam vnitatem in communione sanctorum concurrere omnes necesse est, omnésque neruos, quàm maximè possumus, ad capiendum fructum illius contendere. Fides ea est qua prehendimus Christum voluntate & studio religiosissimo, & per quam (f. 1423.) motu vniuerso ad ipsum ferimur: Cognitio est, qua Christus seipsum nobis cernendum exhibet, & intùs habitat in mentibus nostris. Horum donorum vnitas inter nos omnes, quotquot Christiani sumus, finis est proximus & coniunctissimus, ad quem in hac vita collimandum est; vt cognitione Christum sentiamus: fide ad Christum moueamur, feramur, rapiamúrque; motu sanctissimo, vt in nobis verum sit illud Christi dictum, vim fieri regno coelorum & violentos esse qui rapiunt ipsum. *Mat.* 11. 12. Ex hoc fine proximo, ad quem singulos nostrum attendere pietas in Deum iubet, alter illi finis communis omnium non potest in venturo seculo non exsistere

exsistere virtute Dei: nempe quod *omnes vna vir perfectus* efficimur in Christo Iesu: *Ephes.* 4. 13. Cùm enim Christus sit caput nostrum, in quo per omnia oportet nos adolescere, & ex quo totum corpus congruenter coagmentatum per omnem commissuram suppeditationum ipsius, secundùm vim agentem pro mensura vniuscuiusque membri incrementum capit huic corpori conueniens, ad sui ipsius aedificationem in charitate: certè quod naturali corpori Deus per naturam praestari voluit, idem corpori huic mystico per gratiam admirabilem ipsius instituto, praestiturus est secundum ordinationem ipsius. Ac propterea tum hoc beneficium in Christo capite nostro nos assequuturos esse credendum est; tum verò toto huius vitae mortalis tempore sic vtendum sancta Euangelij praedicatione, vt omnia ad hanc coagmentationem sanctorum, ad opus hoc ministerij, & ad aedificationem corporis Christi conferamus, donec euehamur vnà ad iustam illam mensuram spiritualis staturae, quam Deus Ecclesiae suae in Christo praeparauit gloriosissimam. Huius enim respectu Ecclesia tota, quae corpus est Christi, plenitudo vel complementum ipsius appellatur. *Ephes.* 1. *&* 4. Atque haec quidem gloria est amplissima, quam nobis verbo Theologiae suae reuelauit Deus, & virtute spiritus sui consummaturus est, quòd Christus ille aeternus Dei filius, in quo Pater voluit habitare omnem plenitudinem Deitatis corporaliter, tantam nobiscum dignatus est communionem statuere, diuino beneficio suo, vt nos in ipso compleamur, qui est caput omnis imperij atque potestatis; & vicissim ipse in nobis complementum suum obtineat in ea gloria quam aeternùm sibi, & nobis in se conseruaturus est.

Quae cùm ita sint, sapientiam illam salutarem, quam Theologiam appellamus, maximi à nobis fieri necesse est, & insigne illud Apostoli exemplum nobis ante oculos indesinenter versari; vt dicamus cum eo omnes certa spiritus testificatione: Quae mihi erant lucro, ea dixi damnum esse propter Christum. quin etiam certè duco omnia damnum esse propter eminentiam cognitionis Christi Iesu Domini mei; propter quem omnibus istis rebus, quas mundus colit, meipsum multo; éasque duco pro stercoribus, vt Christi lucrum faciam, & comperiar in eo non habens meam iustitiam quae fit ex operibus, sed quae per fidem Christi: Iustitiam, inquam, quae ex Deo est in fide; vt cognoscam eum, & vim resurrectionis ipsius, & communionem perpessionis ipsius, dum conformis fio ipsius morti; si quo modo peruenturus sim ad resurrectionem mortuorum, in quam Christus praeiuit nobis ad iustificationem nostram. *Philip.* 3. 7. 8. & c. Deus ille optimus, maximus, qui filium suum aeternum Iesum Christum redemtorem nostrum genuit generatione aeterna, & praedestinatione aeterna nobis sanctificat, vt sit sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio nostra; idem nos quoque spiritu donet sapientiae, vt virtute ipsius proficientes in thesauris salutaribus huius cognitionis & sapientiae augescamus in vnitatem fidei & agnitionis ipsius, donec efficiamur vir perfectus ad iustam mensuram illius staturae, quae amplissimum illud corpus ac gloriosissimum decet in Christo Iesu capite & seruatore nostro ad gloriam ipsius. Amen. (f. 1424.)

III.

THESES THEOLOGICAE LEYDENSES ET HEYDELBERGENSES.

THESES THEOLOGICAE

QUAE

IN INCLYTA ACADEMIA LVGDVNOBATAVA AD EXERCITIA PVBLICARVM DISPVTATIONVM,

PRAESIDE D. FRANCISCO IUNIO VARIIS

temporibus à Theologiae Candidatis aduersus oppugnantes propugnatae sunt.

PRAEFIXAE SVNT DE FIDEI IVSTIFICATIONE THESES inaugurales eiusdem D. FR. IVNII.

DE IVSTIFICATIONE FIDEI, THESES INAVGVRALES,

D. FRANCISCI IVNII, DE QVIBVS PVBLICI IN SACRA THEOLOGIA TESTIMONII, SECVNDVM LEGES HEIDELBERGENSIS ACADEMIAE, SUSCIPIENDI GRATIA,

pridiè Cal. Decemb. 1584 in Schola Theologica, interrogantibus satisfacere studuit: Praeside D. Ioanne Iacobo Grynaeo, Facultatis Theologicae Decano.

1. Ivstificatio est actio, qua Deus hominem ex impio iustum facit, secundùm beneplacitum voluntatis suae, & sine vllo merito ipsius ad salutem.
2. Huius ergo diuinae actionis partes sunt duae: vna, quae hominem impium absoluit à peccatis ipsius, remissio peccatorum: altera, qua iustum eundem efficit in Christo Iesu iustitiâ nostrâ.
3. Causa efficiens vnica iustificationis est Deus vnus & trinus, Pater, Filius, & Spiritus sanctus.
4. Finis iustificationis nostrae proximus quidem est salus nostra & vita aeterna: summus verò, non alius quàm Dei gloria, à quo est iustificatio.
5. Materia iustificationis est Mediator Dei & Hominum, verus Deus & verus Homo

in vnitate

in vnitate personae, Christus Iesus: in quo, tanquam Seruatore perfecto, exsistunt omnes iustificationis causae: qui dilexit nos, factus est Immanuel Nobiscum devs, & seipsum tradidit pro nobis.

6. Forma est, quòd Filius Dei secundum Spiritum vel Deitatem suam totus in nobis habitat, suámque iustitiam & obedientiam nostram facit, non solùm imputaticne coram Deo: sed etiam applicatione remissionis peccatorum, iustitiae & reconciliationis gratuitae in sese.

7. Diuinum horum signaculum est Spiritus sanctus à Patre & Filio procedens, per quem Dei Charitas in cordibus nostris diffunditur, & nos in omnem veritatem ex promissione Filij deducimur.

8. His denique prehendendis & percipiendis commune piorum est instrumentum fides: qua iustificati pacem habemus cum Deo in Christo Iesu, & sine qua placere Deo non possumus.

9. Quamobrem etsi figuratè, conuenienter tamen & verè dicimus, nos fide solo iustificari, facta eius comparatione cum operibus & meritis: & non ex operibus Legis, sed ex fide gratis in Christo Iesu Domino nostro (f. 1592.)

I. DE VERA THEOLOGIA.

Theses.

1. Cvm vox Theologiae non vno modo sumatur in vsu communi, eius homonymiam tolli oportet antequam ad rem ipsam veniatur. Accipitur autem tripliciter. Aut pro sermone ipsius Dei, aut pro sermone de Deo, idque aliquando propriè pro eo sermone qui de Deo solo, eius essentia & attributis agit. Aut latiùs & synecdochicè pro eo, qui non tantùm de natura Dei, sed etiam diuinis omnibus, id est, relatione creaturarum ad Deum agit. quo significato hîc à nobis accipitur.

2. Esse autem eam si quis negat, & lumen illud in animis hominum à primo ortu accensum pariter extinguat, & Deum ipsum è medio tollat necesse est. Cùm & omnes ita esse agnoscant naturae luce, & Deus non sit Deus, nisi & sui ipsius sit sciens pro modo ipsius, & ab eo omnis boni defluxus procedat.

3. Est autem *Theologia*, Sapientia rerum diuinarum. *Sapientiam* appello, quia solo hoc genere optimè eius vis exprimitur: vt pote certissima principiorum index, amplissima scientiarum omnium princeps, & sapientissima omnium actionum, rationùmque arbitra. *Diuinarum rerum* adiectione, & objectum eius diuinum indicatur, & modus eius supernaturalis principio, actione, & effectu suo notatur, ac denique finis eius perfectissimus significatur.

4. Diuiditur ἀναλογικῶς in ἀρχέτυπον & ἔκτυπον. Illa est ipsius Dei, qua seipsum & omnia Diuina Diuino & ineffabili modo intelligit. quae (vt & omnes Diuinae proprietates) cùm increata sit, simplicissima sit, infinita sit, non magis communicari cum creatura potest, quàm (f. 1593.) ipsa diuina essentia. Haec verò ἔκτυπος, ex illa priore per gratiosam communicationem expressa atque informata est, ad communicantis gloriam.

5. Ἔκτυπος autem haec communicatur tripliciter, vel per vnionem naturae diuinae cum creata, qualis est in Christo θεανθρώπῳ secundum humanitatem, quae licèt alia sit à superiori, vt pote eius increatae, infinitae, & essentialis ἀπαύγασμα creatum, finitum

finitum & habituale: in se tamen considerata, plenissima & perfectissima est, & quanta à creatura comprehendi potest: cum aliis verò comparata etiam infinita quodammodo, fonsque ac scaturigo inexhausta omnis, quae in alias creaturas deriuatur, sapientiae: vt pote quam propterea à Patre accepit sine mensura, vt fideles ab illo, certô demensô, singuli acciperent pro capacitate sua.

6. Alter communicationis modus est per visionem, qua beati Angeli & spiritus Sanctorum, qui corpore soluti cum Angelis in coelo recepti sunt, spirituali modo creatorem suum vident, vti est, lumine intellectuali, perfecto & permanente, ad id ipsis communicato, de Christi plenitudine.

7. Tertius communicationis modus, qui nos potissimum in hac vita constitutos respicit, est per reuelationem, quae reuelatio aut secundum naturam contingit ex principiis homini congenitis ortum ducens, & Theologia naturalis dicitur. Vel secundum gratiam supernaturalem, ex principiis secundum se notis superioris scientiae lumine procedens, supra humanae rationis modum, & supernaturalis appellatur.

8. Harum prior cùm etiam citra imperfectionem homini velut suo subiecto praesens, illum tamen supra naturam per se extollere non potuerit, nisi adminiculo superioris gratiae accedentis: quanto minus iam collapsa, & tantùm non ruinae humanae ruderibus sepulta, hominem ad aliquem eminentioris perfectionis gradum perducat? praesertim cùm ne se quidem, quantum in se est, ad illum perduci sinat. quapropter superioris superuentu vt collapsam restituat, & restitutam supra ipsam euehat, omnino est opus.

9. Supernaturalis autem haec spectatur tum absolutè in se & causis suis, & Theologia abstracta dicitur, tum relatè ad subiectum cui inest, & Theologia concreta appellatur.

10. In se & causis suis simpliciter sancta, iusta & perfecta est, siue causam efficientem, primariam quidem Deum ipsum reuelantem, instrumentalem verò sermonem Dei *προφορικόν*, partim spiritualem, partim corporalem spectes: siue materiam, Deum ipsum, & res omnes ad Deum ordinatas: siue formam, diuinam veritatem toti & omnibus partibus aequaliter infusam consideres: siue denique ad finem primarium Dei rectè agniti gloriam, & secundarium salutem nostram praesentem & futuram, animum aduertas.

11. Theologia verò cum subiecto suo concreta est quidem eadem diuinarum rerum Sapientia (vna enim tantùm est in se, aeterna & immutabilis) sed pro ratione tamen hominum quibus inest variè modificatur, his amplius, illis paucius de ea capientibus: prout corrupta natura magis vel minus, gratia Dei superueniente, ab inscientia sua vindicatur, adeo vt, cùm à summo ad imum infiniti sint gradus, certus eius modus nullus assignari possit.

12. Est autem vera haec Theologia (vtrouis modo acceperis) vera diuinarum rerum Sapientia communicata diuinitus ad Dei gloriam. Cumque omnis Sapientiae ea sit ratio, vt facultatem & operationem sui Sapienti praestet, rectè huic Sapientiae sua facultas & operatio ex sacris Scripturis tribuitur. Est enim facultas eius, cognitio Dei & nostri, quae ita inter se cohaerent, vt neutram sine altera possimus assequi: operatio verò, pia & fidelis actio, qua haec cognitio sanctè occupatur apud Deum & Ecclesiam ipsius in omnibus pietatis, iustitiae, sanctimoniae & veritatis officiis secundum Deum.

II. DE SACRA SCRIPTVRA.

Sacrae Scripturae consideratio vti inter disquisitio(f. 1594.)*nes Theologicas maximi est momenti, ita pluribus hodie controuersiis implicata; eo diligentius est instituenda, quoniam ab ea pendent caetera, neque enim de religione tutius & certius quam ex hac indice diuinae veritatis diuinitus, definire possumus, & debemus: cùm semel fenestra aliis rebus praeter ipsam patefacta magnus erroribus patescat aditus: quare in ipso disputationum Theologicarum principio de ipsa, auxilio eiusdem Spiritus qui ipsam dictauit, dispiciendum esse iudicauimus.*

Thesis I.

De instrumento supernaturalis, coelestis & diuinae illius disciplinae, quam Deus verbo suo nobiscum communicat, acturis, duplex se nobis offert eius consideratio. Prior, quà est in se, Altera, quatenus à nobis percipitur & ad vsum nostrum accommodatur. Ad priorem considerationem pertinent esse eius, Auctoritas & perfectio: Ad alteram verò perspicuitas & interpretatio. Sacrae Scripturae essentia tota in relatione consistit ad verbum, cuius Scriptura est, est enim instrumentum visibile, verbi inuisibilis: ideóque secundum relationem illam ita definimus; Sacra Scriptura est Verbum Dei à Deo per ministros suos Ecclesiae in Vetere & Nouo Testamento scripto traditum & consecratum ad gloriam ipsius & electorum bonum. 2. *Tim.* 3. 16. In hac definitione causas omnes breuiter complexi sumus, tum internas, Materiam, & Formam: tum externas, Efficientem & Finem.

2. Materia huius Scripturae eadem est quae Verbi Dei, nimirum quicquid de Deo & rerum ab Deum ordinatione hominibus scire expedit, & Deus ipsos vult cognoscere. Commune enim subiectum verbi, tum quà enunciatum est, tum quà scripto comprehensum est, Deus ratione primaria: Secundariò verò Ecclesia & quaecunque ad Deum, siue ad Ecclesiam secundum Deum ordinationem habent. Omnia enim quae in Scriptura continentur conuenientem ad Deum ordinationem habent, etiam quae videntur ab eo esse remotissima iudicio nostro.

3. Forma Sacrae Scripturae dupliciter consideratur intus & foris, ex quo internam & essentialem, aut externam & accidentalem dicimus. Interna Scripturae forma in relatione consistit. Scriptura enim, verbi enunciati Scriptura est: itaque quae est forma verbi ea etiam Scripturae secundum relationis formam censenda est. Verbi autem essentialis forma est diuina veritas, totum subiectum & singulas eius partes informans: *Ioan.* 17. 17. Eadem ergo & Scripturae forma tota in toto & in singulis eius partibus contenta.

4. Huic formae essentiali accedit forma externa & accidentalis cum interna illa modificata: nam sicuti intus diuina illa est veritas sancta iusta atque perfecta, ita etiam foris in singulis Scripturae particulis eadem est diuinitus expressa, ita vt nihil planè in ea possit animaduerti, quod non summam habeat cum veritate diuina conuenientiam. Cui formae externae accedit dictio qua primariò expressa est, quae in veteri quidem Testamento Hebraica, in nouo Graeca est: vnde non immeritò illis editionibus tanquam prototypis, ab ipsis Prophetis & Apostolis instinctu expressis, omnia tribuimus.

5. Efficiens causa Scripturae duplex obseruari potest, Principalis & secundaria.

Principali

rincipalis est Deus Pater in filio per Spiritum sanctum. Secundaria sunt ministri Dei, Prophetae & Apostoli, quos Deus tanquam notarios publicos adhibuit, qui verbum suum obsignarent, obsignatum Ecclesiae traderent. Se verò Scripturae auctorem esse olim testatus est, & quotidie testatur ordinariè & extraordinariè, communiter & singulariter. Communiter testatur Deus se authorem Scripturae esse aut secundum ortum Scripturae semel: aut secundum actum perpetuum in Ecclesia sua. Secundum ortum, Scripturae Deus se auctorem asseruit, stante quidem arca per fumum, & illo ordinario indicio per Vrim & Tummim: sublata arca multis aliis modis, adeo vt nihil auctoritatis post Symbolicas illas significationes (f. 1595.) sublatas, reliquis scriptis deesset. In Nouo Testamento se auctorem coram testatus est, & Apostolos notarios suos agnouit.

6. Quotidie verò idem testatur in Ecclesia sua, maiestate quadam ex ipsa Scripturae simplicitate relucente, Euentorum consecutione, singularum partium inter se harmonia, denique Ecclesiae contestatione quae auctorem Scripturae Deum accepit olim ex perpetuo lapsu temporis agnouit, & constantissimè tuetur, denique consensu piorum alioquin etiam inter se de aliis dissidentium. Omni verò exceptione maius est singulare testimonium Spiritus Sancti, qui in cordibus fidelium fidem facit Scripturam sacram à Deo authore emanasse: 1. *Cor.* 2. 12. *Ioan.* 16. 13. 1. *Ioann.* 4. 1. licet enim illa testimonia in se clara sint, tamen nequaquam permouent necessariò nisi Deus ipse cor nostrum disponat ad eorum apprehensionem & fidem.

7. Finis Scripturae duplex est, vnus remotus vel summus: alter propinquus & priori subordinatus. Primarius seu summus finis est gloria Dei (omnia enim facit Deus propter seipsum) idque duplici argumento: vno, à natura ipsius Scripturae sumto, qua Sapientiam Dei rerùmque diuinarum tradit: altero ab effectis eiusdem qua reuerentiam cordibus nostris ingenerat maiestas illa diuina, sole clariùs in Scriptura Sacra elucescens. Secundarius verò finis est electorum bonum, quod consistit in conformatione nostri cum Deo, quae ex communicatione verbi & interna Spiritus operatione existit: *Ioan.* 20. 31. Etenim hac Scriptura duce ad bonum commune, id est, gloriam Dei contendentes, ad bonum singulare salutem nostram deducimur quem finem eleganter expressit Apostolus Paulus cùm dicit nos conformandos imagini Filij Dei. *Rom.* 8. Et Petrus cùm nos consortes diuinae naturae effici dicit. 2. *Pet.* 1. 4.

8. Ex his itaque constat Sacram Scripturam, materiâ, formâ, efficiente & fine, diuinam esse, vnde necessariò consurgunt duo: Authoritas Scripturae omni exceptione maior, & perfectio incomparabilis. Authoritas quia à Deo est, cuius veluti Principis, tum in omnes iure naturae, tum verò in Ecclesiam iure gratiae, summa & plena est potestas, ideóque rescripta eius sola authoritatis summae, & absolutae sunt. *Deut.* 4. 2. Sicuti autem auctoritas Scripturae in se summa est, & irrefragabilis, ita illam nobis Deus eisdem indiciis testatam facit, quibus se auctorem profitetur: ita vt nullo modo sit necessarium vt aut Ecclesiae auctoritas eam nobis commendet, aut conciliorum decreta stabiliant, quorum vtrorumque munus est auctoritatem à Deo inditam tradere & propagare: non ei maiorem adstruere, vt perperam opinantur Pontificij: *Eccius*, *Enchir. de auct. Script.* Eodem modo & Scripturae perfectio ex antecedentibus elucet.

9. Haec Scriptura ita constituta, appellatur Canon Fidei nostrae, id est indubitata regula, eorum omnium quae fidem nostram & vitam concernunt. Sed quoniam hodie magna de Canone & partibus eius controuersia est, dum aduersarij nostri nimis latè fimbrias eius extendunt, *Bell. libr.* 1. *cap.* 4. hîc quoque de eo paucis dispiciendum. Duplex itaque à prisca Ecclesia Canon fuit obseruatus, proprius & aequiuocus: *August. de ciuit. Dei, libr.* 18. *cap.* 26. siue vt dinstinguit Athanasius *in Synopsi.* *Πρωτοκάνων καὶ Δευτεροκάνων.* Proprij Canonis dicti vniuoce duae sunt conditiones inseparabiles, quòd veritatem diuinam continet diuinitus materia & forma, & quòd

auctoritate

auctoritate Diuina est publico Ecclesiae datus & sanctificatus, vt sit canon siue regula ipsius; *Iren. praefat. lib.* 3. Atque hic verè diuinus est canon, ex iis libris solummodo constans, quos Deus per seruos suos ab ipso ἱκανωθέντας scripsit: Hic habet τὸ αὐτόπιστον proprie quarto modo, & obstringit fidem, nec ab Ecclesia definitus, sed à Deo ipso traditus & obsignatus est.

10. Alterius canonis aequiuocè dicti conditiones diuersae sunt: nempe quod secundum eius partes singulas vniuersè, neutra conditionum earum, quas thesi antecedenti posuimus ipsi conuenit; sed contra quaedam humano modo & instituto sunt partes illius, quas non exhibuit Deus. Atque hic canon humanus est vel Ecclesiasticus, tum ex libris diuini canonis constans, tum aliis, quos ab hominibus scriptos Ecclesia accenseri putauit oportere, accensos per manus accepit & auctoritate humana consecrauit, non tamen vnquam eadem auctoritate habuit qua illos, qui à Deo ipso in Diuino canone sunt consecrati.

11. Causa huius facti triplex adferri potest: Occasio, quòd Ecclesiae Christianae Scripturam ita auctam ab Ec(f. 1596.)clesiis Iudaeorum Hellenistarum accipientes, libros illos adiectos sine graui offensa resecare non poterant: praesertim cùm argumentum esset de rebus sacris ac non profanis: denique secundarius à diuino esset, librisque Canonicis intelligendis inseruiret: quare placuit patribus coniunctos quidem Diuino Canoni haberi, sed inferiore longè auctoritate: cuius prudentiae patrum & priscae Ecclesiae vel illud indicium est clarissimum, quòd hi libri in Ecclesia quidem legerentur, sed de gradu lectorum, cùm illi diuini Canonis libri de Ambone, id est gradu Episcoporum & Presbyterorum, ab ipsis Episcopis & Presbyteris Ecclesiae praelegerentur, cum veneratione diuinae auctoritatis simpliciter & propriè appellatae. *August. lib.* 1. *de praedest. cap.* 14.

12. Canon itaque diuinus continet in se libros veteris & Noui Testamenti, illos quidem Hebraicos, hos verò Graecos: his enim duabus linguis Deus verbum suum Ecclesiae suae consecrauit: vnde quoque argumentum est euidens, eos libros qui veteri Testamento Graecè scripti accensentur, canonis diuini minimè esse. Verùm singulos libros suo ordine recenseamus ad maiorem euidentiam. Libri veteris Testamenti Canonici hi numerantur, quinque libri Mosis, liber Iosue, Iudicum, Ruth, duo libri Samuelis & totidem Regum, liber Estherae, duo libri Chronicorum, liber Esdrae, Nehemiae: Tum Iob, Psalmorum libri, Prouerbia, Ecclesiastes & Canticum Canticorum Schelomonis: Prophetarum libri, Ieschahiae, Iirmeiae, Iechezkelis, Danielis, Hoschehae, Ioëlis, Amosi, Hobadiae, Ionae, Mícae, Nachumi, Chabakkuki, Zephaniae, Chaggaij, Zecariae, Maleaci.

13. Hi omnes libri & soli in Iudaeorum Ecclesia à Deo fuerunt sanctificati, & in arca siue capsa Ecclesiastica repositi, vt auctor est Epiphanius, qui reliquos ab eis exterminat, inquiens neque in Aaron, neque in Testimonij arca fuisse repositos: *lib. de mensuris & ponderibus.* In arca autem testimonij nihil fuit repositum praeter tabulas legis, vt patet ex diuina historia: 1. *Reg.* 8. 9. *Deut.* 31. 25. In arca verò omnia Canonica scripta Hebraicè, vt patet ex praecepto Dei: quae duo repositoria Pontificij causae suae seruientes confundunt. *Bellar. libr.* 1. *cap.* 10. His diuini Canonis libris adiecti sunt illi quos Apocryphos appellamus, quòd abfuerint à sancta illa crypta & Thesauro Ecclesiae Dei: vel vt ait Glossa, quorum author ignoratur, id est quorum auctorem nescimus esse Deum, vel potius scimus non esse Deum, licet nomen hominis auctoris constet. In hac classe sunt, septem postrema Estherae capita, quae sunt in editione vulgata, non Hebraica: Tobiti liber, oratio Menaschis, Iudith, Baruc, Epistola Ieremiae, adiectiones ad Danielem, Hezrae lib. 3. & 4. Machabaeorum libri: Sapientia, Ecclesiasticus. *August. libr.* 2. *in epist. Gaudent. cap.* 23.

14. Libri

14. Libri noui Testamenti canonis diuini sunt hi, Quatuor Euangelia: Acta Apostolorum: Epistolae Pauli numero quatuordecim, nam etiam Epistolam ad Hebraeos comprehendimus: Iacobi Epistola vna, Petri duae, Ioannis tres, Iudae vna: quibus accedit Apocalypsis Ioannis, tanquam clausula toti diuino canoni addita, in fine totum ipsius corpus grauissima contestatione muniens, cum inquit, *Contestor cuiuis audienti verba prophetiae libri huius, si quis adiecerit ad haec imponet ei Deus plagas scriptas in libro isto: Et siquis abstulerit aliquid ex verbis libri prophetiae huius, auferet Deus partem eius è libro vitae*, & c. Apoc. 22. 18.

15. Etenim Apostolus Ioannes reliquis omnibus superstes, rogatu Ecclesiarum Asiae, fines Scripturae canonicae diligenter circumscripsit mucrone Apostolico alia configens omnia, nequid credentes falleret παρείσακτον, vt testatur Hieronym. in prooem. comment. in Matt. & alij. & exemplum nobis reliquit Tertullianus, qui de Quintillanis ita ait: *Quod si quae Pauli perperam scripta legunt, exemplum Teclae ad licentiam mulierum docendi tinguendíque defendunt: sciant in Asia Présbyterum, qui eam scripturam construxit quasi titulo Pauli de suo cumulans, conuictum apud Ioannem atque confessum id se amore Pauli fecisse loco decessisse.* lib. de Baptis. cap. 17.

16. Hactenus de Scriptura in se vidimus, nunc de eadem applicata ad vsum nostrum videamus; vbi duo consideranda veniunt, perspicuitas & interpretatio. Ad perspicuitatem quod attinet Sacram Scripturam veluti Solem quendam spiritualem, claram esse per se nemo bonus infitiari potest: *Psal.* 19. 9. *Deut.* 30. 11. Sed ea claritas non videtur nisi ab iis quorum oculi interna luce Spiritus S. sunt illuminati: *Rom.* 10. 6. *Heb.* 8. 10. nam, vt inquit Apostolus; *Tectum est Euangelium nostrum ijs* (f. 1597.) *qui pereunt, in quibus Deus huius seculi excaecauit mentes ipsorum ne irradiet eos lumen Euangelij gloriae Christi.* 2. Corinth. 4. 3.

17. Scriptura itaque semper in se perspicua est, sed nobis difficilis & obscura est duabus de causis: propter earum rerum quae traduntur difficultatem, & nostram corruptionem. Res quae traduntur difficiles sunt, tum propter obscuritatem vt res futurae: tum propter maiestatem earum aut mysterium Trinitatis. De vtrisque agit Scriptura modo attemperato, & si quam habet obscuritatem eam non habet à se, sed à rerum quas tractat excellentia & sublimitate. Deinde claritas illa Scripturae nequaquam apparet hominibus, quandiu in peccatis suis & corruptione sepulti iacent, tum propter intercurrentes tenebras mentis nostrae; tum propter externas & aduentitias à Principe tenebrarum offusas: nos denique in vitio sumus, quod Scriptura obscura audit. *Ephes.* 5. 8. 2. *Cor.* 4. 4.

18. Haec Scripturae perspicuitas iis demum illucescit qui à Deo regenerati per Spiritum, oculos mentis habent illuminatos, cùm Deus dispellens tenebras superioris luce gratiae, nobis eam reuelat; primum intus, luce interna Sp. S. 2. *Cor.* 12. 7. secundò; foris luce externa verbi sui & Scripturae sacrae, locum vnum altero explicantis, & tenebras illustrantis. Vtrumque enim necessarium illustratio interna Spiritus & Scripturae fax foris, prout in tenebris lucerna foris opus est, intus oculorum luce. Quae duo Scripturae intelligendae subsidia, Dominus noster & Apostoli eius multis locis inculcant: & hac de causa Christus Spiritum sanctum suis pollicetur: & Apostolus Petrus tam studiose propheticum verbum commendat. *Ioan.* 16. 2. *Pet.* 1. Nihil enim ad fidem salutarem pertinet, quod non clarè in Scriptura reperiatur comprehensum.

19. Scripturam Sacram in se perspicuam esse ostendimus: sed quia pauci Hebraeum sermonem aut Graecum intelligunt, quorum ille numquam communis fuit nisi Iudaeis, hic iamdudum communis esse desiit, necessarium fuit ad fidelium aedificationem vt Scriptura in communes linguas aut vulgares vniuscuiusque gentis fideliter transfunderetur,

retur, ne diuino instrumento homines destituerentur, sed omnes, quod iubebat Christus, Scripturas scrutari possent, *Ioan.* 5. 39. & pro demenso donationis eius ex ea fructum percipere.

20. Hac necessitate Sacra Scriptura in communes linguas primò, puta Graecam & Latinam: deinde etiam in vulgares translata est ad vsum vniuscuiusque. Sed hic duo errores diligenter notandi. Primus, quod Pontificij ad Latinam versionem, quam vulgatam vocant, cunctos adstringi volunt, cùm iam vix centesimus eam intelligat, & Scripturam vulgaribus linguis à quibusuis legi prohibent. *Bell. lib.* 2. *cap.* 11. Alter, quod translationem suam cum ipso fonte conferunt, imò interdum praeferunt, fontem lutulentum fluere arguentes: *Bell. lib.* 2. *cap.* 15. quod quàm sit iniquum, ne dicam absurdum, videbunt ij qui sine praeiudicio rem animaduertent.

Concludo igitur Propheticos & Apostolicos libros, secundum mentem Dei per Spiritum in ministris eius agentem conscriptos & Ecclesiae sanctificatos, vnicam, certam & omni exceptione maiorem regulam fidei nostrae continere, idque perfectissime: Atque adeo solem illum spiritualem esse omnibus hominibus propositum & à Spiritu sancto in cordibus fidelium expositum, benignitate coelestis illius Patris, cui cum Filio & Spiritu sancto sit laus & gloria in aeternum. Amen.

III. THESES ELENCTICAE DE SCRIPTVRA SACRA.

Quandoquidem Pontificij, videntes sua dogmata in Scripturis sacris non modò non fundamentum habere, sed etiam eis apertè falsitatis argui, in hoc maximè laborant, vt earum autoritatem & perfectionem eleuantes, commenta sua stabilire possint; aequum est etiam vt nos qui sub Christi vexillo mi(f. 1598.)*litamus, ad Antichristi regnum euertendum, & Christi firmandum, hoc Dei verbum ab illorum erroribus asserere & vindicare studeamus.*

Thesis prima.

1. Vt igitur ad rem accedamus, in tribus praecipuè capitibus errare grauiter Pontificios asserimus, I. cùm de S. Scripturae authoritate, 2. cùm de interpretatione, 3. cùm de eiusdem perfectione agitur.

2. Ad authoritatem eius quod attinet, eam palàm profitentur, quoad nos, ab Ecclesiae testificatione pendêre primariò, ac si ob solius Ecclesiae testimonium nobis pro diuina & canonica esset habenda. Per Ecclesiam autem intelligi volunt non eam quae proximè secuta est tempora Apostolorum, sed suam illam Rom. Hierarchiam, quam Pontifex cum suo clero constituit: imò saepius solum Pontificem, qui est Ecclesiae Rom. velut quaedam epitome.

3. Omissa verò quaestione illa, an Ecclesia Rom. sit vera Ecclesia, statuimus S. Scripturae authoritatem non pendêre propriè, etiam quoad nos, ab Ecclesiae, licet verae, testimonio: sed Deum ipsum diuinam authoritatem omni exceptione maiorem ei indidisse, quam palàm testatus est Ecclesiae suae, sermone, signis, & miraculosis operibus,

bus, eàmque priuatim in animis nostris obsignat & confirmat interno Spiritus sui testimonio.

4. Nobis igitur certò constat hasce Scripturas à Deo prodiisse, & esse verè *θεοπνεύστους*, tùm ex illarum materia & forma, cùm nihil nisi diuinum materià & formâ in Scriptura deprehendi possit, & libris eius singulis canonicis: tum ex testimonio Dei per spiritum, quod in nobis ipsis habemus, si in Christum credimus, 1. *Ioh.* 5. 10. Spiritus autem ille nos docet omnia, *Ibidem* 2. 27. & *Ioh.* 6. 45. aures nostras aperiens, quò vocem pastoris nostri dignoscere peregrinámque fugere: *Iohan.* 10. & gustum indens quò diuina ab humanis, vera à falsis, singuli pro modulo nostro diiudicare possimus. 1. *Cor.* 10. 15. *Iohan.* 7, 17.

5. Accedit secundariò Prophetarum & Apostolorum (tanquam publicorum Notariorum Dei, & Ecclesiae) authoritas, qui velut sigillo suo apposito testantur, omnia quae in his scripturis continentur ipsissimum esse Dei verbum: non qua Ministri Ecclesiae simpliciter, sed qua certissima organa S. Sancti ad hoc munus inde ab vtero sanctificata. *Ierem.* 1. 5. Quare illorum testimonium, non est humanae rationis, sed diuinae authoritati tribuendum est.

6. Posteriorem locum obtinet authoritas Ecclesiae, quae inde à principio hunc Canonem per manus posteris tradidit, contestans certitudinem illius, sincerósque & Germanos libros discernens ab adulterinis & supposititiis, ídque pro officio suo in deposito conseruando. Non enim discreuit olim Ecclesia libros Canonicos ab Apocryphis solâ authoritate sua: sed potius diuina authoritate discretos, fide & prudentia, & eá quá pollebat sacrarum rerum intelligentiâ & diiudicatione affirmauit.

7. Certitudinem ergo aliquam nobis de S. Scriptura non negamus accedere ex Ecclesiae testantis authoritate; sed externam tantùm, non talem quae nos per se sola adducere possit ad credendum. Dei authoritas est primaria & formalis, Ecclesiae verò subordinata & ministerialis.

8. Vocatur quidem Ecclesia 1. *Tim.* 3. 15. *στύλος* veritatis: nempe quia Ecclesia est tanquam columna cui adpensam voluit Deus voluntatem suam (quemadmodum olim leges columnis publicis) vt scilicet coram omnium oculis proponatur & innotescat salutaris haec veritas.

9. Vocatur etiam *ἑδραίωμα*, id est, sedile firmum veritatis, quia in Ecclesia velut in throno vel basi sedet, in ea conseruatur & ab hominum corruptelis vindicatur. Haec Dei veritas. Sed hoc nihil facit contra sententiam nostram, cùm in eo debitum officium, & ministerium, non Ecclesiae commendetur authoritas.

10. Imò Ecclesiam superstructam esse super fundamentum, id est doctrinam Prophetarum, & Apostolorum, existente imo angulari lapide Christo, asserit Apostolus, Ephes. 2. 20. & ipsam veritatem columnam esse, & firmamentum Ecclesiae, dicere Chrysost. non dubitauit Hom. 11. in 1. ad Timoth.

11. Primo errore diluto, sequitur secundus qui in (f. 1599.) interpretatione S. Scripturae consistit. Cùm autem interpretationis duo sint genera, vnum linguae verbórumque, alterum rerum, quae verbis tanquam symbolis exponuntur: in vtroque errare Pontificios demonstraturi sumus.

12. Ipsi enim (vt de primo agamus) fontes primarios S. Scripturae, Hebraeos quidem V. T. Graecos verò N. respuentes, Latinam suam vulgatam (vt vocant) versionem in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus, pro authentica haberi volunt; ita vt nemo eam quouis praetextu reijcere audeat aut praesumat. Cùm tamen apud omnes bonos & pios constet, illud magis esse authenticum quod à Deo prodiit & re & modo, quam quod ab humano ingenio, purioremque esse fontem quam riuulos qui ex eo deriuantur.

15. Licet

13. Licet igitur versio illa vulgata esset emendatissima & purissima; non debet tamen aequari, nedum anteponi primario illi Canoni, cuius & res & verba à Sp. S. dictata sunt, quíque ideo est ἀναμάρτητος: Cùm è diuerso tralationes reliquae quae ex illo Canone deformantur in alias linguas, iudicio humano probari, emendari, & mutari possint ex fide Canonis primarij, cui omnia tribuimus, quia est prototypus Diuinae veritatis à Deo per Amanuenses suos traditus. Reliquas translationes humani operis, i. imperfecti agnoscimus.

14. Etsi nihilominus ex interpretatione humana posse homines assequi quod ad salutem eis sufficiat affirmamus, modò respondeat dignitati authentici fontis secundùm partes essentiales, licet in minutioribus quibusdam non respondeat.

15. Nec valet quod de antiquitate illius tralationis suae causantur, cùm in hoc ab ipsis fontibus superetur; nec quod de eiusdem puritate, cùm in multis locis sit corruptissima: nec denique quod asserunt necesse esse vt ad dirimendas in Religione controuersias sit quaedam absolutè sine exceptione vllâ authentica editio, cui tutò stare Ecclesia possit; cùm ipsum Canonem primarium habeamus, ad quem in locis controuersis securè possumus confugere.

16. Nam quod ad Concilij Tridentini decretum attinet, illius authoritatem parui facimus, vt & conciliorum omnium, quae sine Dei verbo quicquam audent de fide in Ecclesia Dei decernere.

17. Huius prioris membri appendix est interdictum illud, quo negant populo lectionem Scripturae S. linguâ vernaculâ, ne scilicet possit animaduertere quàm miserè in errore ab illis detineatur: cùm tamen sub V. T. Deus voluerit leges & statuta sua quotannis legi publicè coram viris, mulieribus, paruulis, seruis, & peregrinis ipsis: *Deut.* 31. 12 *&* *Nehem.* 8. 3. & Christus iubeat vt Scripturas scrutemur in quibus vita nostra consistit: *Ioh.* 5. 39. *Deut.* 32. 47. Apostolúsque velit, vt verbum Dei habitet copiosè in cordibus nostris, *Col.* 3. 16. quo velut gladio quisque fidelis debeat Satanae obsistere. *Eph.* 6. 17.

18. Nec aliquid faciunt quum dicunt, 1. Non committendam Scripturam indoctis, cùm doctrina sit quae doctos faciat, imò sub N. T. ipso Bellarmino teste, etiam rustici & mulieres intelligant mysteria Redemptionis. *De verbo Dei*, *l.* 3. *c.* 2. *in argum.* 9.

19. Secundò, Scripturae lectionem gignere haereses, cùm id fiat per accidens. Caussa enim proxima quae haereses peperit, hominum vitiositas & caecitas in rebus diuinis. Non esse autem impediendum commodum bonorum si qui abutantur bono, & Scriptura docet, & apud omnes pro confesso est. *Apoc.* 22. 10.

20. Tertiò Scripturam esse obscuram, cùm contra & sit in sese clarissima, & illustret oculos. Si quae obscura videantur, id fit vitio aut caecitatis nostrae aut infirmitatis, quia in tantum capimus in quantum illuminati sumus, hoc est inchoatione & ex parte. 1. *Cor.* 13. 12.

21. Nec solùm in verborum sed in rerum etiam interpretatione errant Pontificij, qui statuentes non posse ex Scripturis dirimi controuersias, nisi de authentico illarum sensu constet nobis: hunc solum verum esse Scripturae sensum asserunt quem Pontifex Romanus cum Concilio tradiderit & calculo suo probauerit.

22. Nos verò asserimus omnia fidei dogmata, quae ad salutem necessaria sunt, clarè & perspicuè in Scripturis proponi & ex locis posse erui quorum sensus per se sit facilis, & cuilibet obuius, nisi fortè iis quibus princeps huius seculi excaecauit oculos ut non obtemperent veritati. 2. *Cor.* 4. 4.

23. Etsi autem fatemur necessariam esse Scripturae interpretationem in Ecclesia Dei, vt mysteriorum quae nobis (f. 1600.) in illa exhibentur accuratiorem intelligentiam assequi possimus: tamen negamus hoc ius pertinere ad solam Rom. Ecclesiam,

sed ad

sed ad quemlibet verum Ecclesiae Pastorem vocatione publicâ instructum publicè, interpretari inquam Scripturas non ex sensu suo, & pro arbitrio, *Nehem.* 8. 9. sed ex ipsa scriptura iuxta fidei analogiam, siue loci faciles & clari ad obscuriorum dilucidationem adferantur, siue ipse locus ex suis circumstantiis & authoris scopo exponatur.

24. Nec solùm hoc, sed etiam statuimus singulos pios modulo suo & dimenso gratiae Christi, posse priuatim Scripturam interpretari, & locos comparare ad veritatem inuestigandam; imò pastorís sui interpretationem examinare ad lydium lapidem S. Scripturae. *Act.* 17. 11. tanquam oues Christi discernentes pabulum ipsius ex communi sensu & gustu fidei in ipsis, sic vt fide veritatis diuinae non specie authoritatis humanae singuli acquiescant.

25. Ambiguam esse Scripturam S. clamitant, ita vt varios sensus sibi inuicem in specie. repugnantes possit admittere idéoque ab haereticis ipsis adduci ad errorum suorum confirmationem. Nos verò respondemus Scripturam nullo modo esse ambiguam, sed indoctos parúmque stabiles sibi nouos sensus affingere, scripturásque detorquere, suo ipsorum iudicio. 2. *Pet.* 3. 13. Nec mirum si haeretici scripturis abutantur, cùm Satan ipse illis voluerit oppugnare: sed gladio ipsius verbi Dei nos posse & debere illum expugnare Christus author est: qui iisdem armis ipsum profligauerit. *Matth.* 4.

26. Non ergo ambiguitas Scripturae, sed ipsorum caecitas malitiosa aut caeca est cur Euangelium sit illis odor mortis ad mortem, 2. *Cor.* 2. 16. quod tamen potentia Dei est ad salutem omni credenti. *Rom.* 1. 16.

27. Nec facit quod afferunt, nisi quis sit iudex supremus cuius interpretationi standum sit, & qui possit cogere pro imperio, numquam finem habituras haereses, cùm hoc non sit vnquam futurum in hoc mundo, vt omnes haereses tollantur. 1. *Cor.* 11. 15. Adde quod Sp. S. in scriptura (quem supremum iudicem asserimus,) cogit quidem sancta violentiâ, sed interno motu conscientias, vt agnitae veritati obsequantur ex fide, idque in iis solùm in quibus cùm efficacia operatur. Externa autem coactione posse adduci conscientias ut credant, negamus, cùm fides pendeat non ab humana authoritate, sed à Deo, *Eph.* 2. 8. in cuius manu sunt hominum corda; quíque potest ea quò vult inclinare. *Prou.* 21. 1.

28. Volunt aduersarij nostri Pontificem suum non tantùm Petro, sed etiam Mosi successisse saltem in officij gradu, vt sit ipse summus in Ecclesia Dei iudex, qualis erat Moses in populo Israëlitico. Verùm, Mosis vocationem fuisse extraordinariam & immediatè à Deo respondemus, Pontificis verò Rom. (vt hoc ei demus) mediatam, & ordinariam. Aaronis quidem vocatio erat ordinaria, sed legalis, & typica, nec ad Euangelij tempora pertinéns. *Deut.* 17. 11. *Num.* 15. Adde quod & Moses & summi Sacerdotes non pro arbitrio absolutè iudicabant, sed ex lege Dei. Vbi autem non erat lex, aut non animaduertebatur, Deum ipsum consulebant, qui responsa dabat.

29. Petrum verò fuisse summum Iudicem controuersiarum in Ecclesia Dei, & Petro hac in re successisse Rom. Pontificem, vtrumque negamus, cùm nihil eiusmodi doceat Scriptura, nec aliunde probari possit.

30. Sed iam tempus est vt ad Tertium caput accedamus, quo ímperfectionis & (vt ita dicamus) insufficientiae Scripturam arguentes, ei volunt tùm traditiones quas uerbi non scripti nomine donarunt, assuere, de quibus posteà; tùm libros quos semper Ecclesia vocauit Apocryphos (ὅτι ἀπῆσαν ἀπὸ τῆς ἁγίας κρύπτης, à sancto illo thesauro Dei) pro Canonicis obtrudere, vt scilicet possint ex illis aliquid decerpere ad suos errores fulciendos.

31. Sed illi ipsi libri sese satis arguunt, & non esse θεοπνεύστους testantur, cùm longè absint à diuina illa perfectione veritatis, & maiestate, quae in verè diuinis scriptis elucet; multáque in illis nec Scripturae sacrae respondentia, nec bene inter se consonantia reperiantur.

32. Adde quod nec linguâ Propheticâ, stilóque diuino scripti, nec authoritate diuina Ecclesiae dati, & sanctificati, nec à Iudaeorum Ecclesia agniti in Hebraeo canone, nec à Christo & Apostolis, qui nulla inde testimonia vt ex verè θεοπνεύςοις libris hauserunt, ad veritatem doctrinae suae demonstrandam.

33. Obijciunt Pontificij decreta quaedam Conciliorum, sed vt in quibus praefuerit non Spiritus Christi, sed hominum, non ex verbo Dei, sed contra ver(f. 1601.)bum Dei sancita sunt dogmata. Probandum igitur illis foret, haec sua vera esse concilia; deinde omnia quae legitima Concilia decernunt, sine controuersia & diiudicatione esse recipienda: Quod negamus.

34. Patres quidem fatemur hausisse quaedam ex illis libris, sed ad mores informandos, non ad fidem confirmandam; ídque; non vt ex Canonicis, sed vt ex Ecclesiasticis scriptis. Hoc igitur ad rem nihil facit, cùm Apostolus ipse citet versus ex prophanis authoribus. Act. 17. 28. Tit. 1. 18. quorum tamen libri ideò Canonici non habentur.

35. Vocant etiam Patres aliquando libros illos sacros, imo Canonicos, sed aequiuocè & comparatè ad reliqua humana scripta, non autem propriè & vniuocè, vt libri Prophetici & Apostolici: quos ipsi πρωτοκανονικοὺς, alios δευτεροκανονικοὺς nuncupare solent, vt quibus proximus post Canonicos inter humana scripta debeatur locus: quem etiam illis libenter concedimus, sed pari gradu cum Canonicis recipiendos negamus.

36. Ad Traditiones verò quod attinet, notandum est hîc agi de traditionibus quae ad fidem & mores pertinent, nec fundamentum habent in Scriptura seu directè, siue ex iusta consequentia: Quas tamen volunt Pontificij pari pietatis gradu & religione à nobis recipi & coli ac ea quae expressè docentur in verbo Dei.

37. Nos autem asserimus ea omnia quae nobis credenda & facienda sunt ad salutem, perfectè in sacris Scripturis contineri, vt in quibus planè voluntatem suam nobis reuelauerit Deus, quae nos possint sapientes reddere ad salutem, 2. *Tim.* 3. 15. & extra quas non sit fideli sapiendum. 1. *Cor.* 4. 6. Stat enim sententia, si quis ex Apostolis vel Angelis aliquid euangelizauerit praeter id quod accepimus, hunc esse Anathema, *Gal.* 1. 18.

38. Fatemur quidem Apostolos non omnia numero scripsisse, tùm quae Christus fecit & dixit, *Ioh.* 20. 30. tùm quae ipsi praedicauerunt: (omnia enim singula mundus ipse ferre non potuisset, nedum capere,) sed eadem ratione, omnia tum vniuersalia & communia quae Deus reuelauit, tùm ex particularibus quaecunque ad salutem scire expedit, perfectè in Scripturis nobis exhibuisse asserimus, sigillatim quidem quae ad fidem & mores spectant. Ritualium verò legem generalem dedisse, vt omnia fiant εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν. 1. *Cor.* 14. 40.

39. Traditiones ergo omnes, siue quae Apostolicae, siue quae Ecclesiasticae nuncupantur, si conueniant cum scriptura admittimus, si dissentiant reiicimus, si neutrum liberas relinquimus: vt verbi gratia B. Mariam semper mansisse virginem, ante partum quidem, credimus ex Scriptura. *Matth.* 1. 25. post partum verò tenemus non vt dogma fidei, sed vt assensione dignum.

40. Itaque frustra laborant Pontificij vt probent, verbum non scriptum eiusdem esse authoritatis cum verbo scripto, quandoquidem vnus est vtriusque author: cùm priùs fuisset probandum esse aliquod eiusmodi verbum non scriptum, & quaedam credenda praeter ea quae continentur in Scripturis: quod negamus.

41. Ecclesiam dicunt errare non posse, ideóque statuta Ecclesiastica esse admittenda: sed negamus Ecclesiam non posse errare, cùm constet ex hominibus ex parte tantum regeneratis. Imò licet daremus Ecclesiam veram non posse errare, negamus tamen sequi eam aliquid posse statuere praeter ea quae in Scriptura continentur: cum Apostolis ipsis (quos falli in doctrina non potuisse apud omnes pro confesso est,)

Galat. 1.

Galat. 1. Paulus fortiter neget licuisse quicquam docere in Ecclesia praeter ea quae à Christo acceperant.

42. Scripturam igitur esse adaequatam regulam fidei nostrae, esse lydium lapidem ad quem omnia probanda, vt quod bonum est retineamus: non licere vlli creaturae quicquam de ea detrahere, aut ei adiicere, concludimus & constanter asserimus. *Deut.* 4. 2. *Apoc.* 22. 18.

IV. DE AVTHORITATE SACRAE SCRIPTURAE.

1. Cvm Devm (vt est summum bonum) nobiscum per gratiam salutariter communicasse constet: modúmque communicationis vel sermonem, conceptus diuini, vel scripturam, sermo(f. 1602.)nis diuini diuinum symbolum atque instrumentum esse superiori disputatione demonstratum sit; necessarium est vt eius Scripturae authoritas apud omnes deinceps stabiliatur, cùm ad reuerentiam illi conciliandam, tum verò ad animos constanti certitudine & solida securitate obfirmandos. Vt verò certitudo eius & αὐτοπιςία hominum pectoribus commodius asseratur, primò constare debet illam in se diuinam esse, deinde verò in nobis diuinam confirmari. Illud in hunc modum secundum omnes caussas demonstramus euidentissimè.

2. Caussae autem prout sunt, vel externae quales sunt, efficiens & finis: vel internae, quales materia & forma: ita omnes diuinam esse Scripturam euincunt certissimè. *Efficiens* caussa est Primaria & Secundaria. *Primaria* Deus Pater, Filius & Spiritus sanctus: qui quicquid agit, loquitur, & scribit, conuenienter suae naturae agit, loquitur, & scribit, id est diuino modo & infallibili veritate, 2. *Tim.* 3. 16. *Secundaria* caussa sunt serui publicè diuina authorita supra Ecclesiam reliquam. 2. *Petr.* 1. 21. & donis ad vocationem hanc singularem & extraordinariam necessariis in Ecclesia instructi: Qui velut notarij publici θεοπνεύςως perscripserunt, & tanquam in tabulas publicas retulerunt omnia, quae Spiritus Dei illis in mandata dederat. Haec autem tam vera, & certa sunt, quàm verus est Deus, qui per illos loquutus est, & scripsit.

3. Caussa externa altera est finis, qui vel *primarius*, gloria Dei, vel *secundarius*, salus nostra, diuinitatem scripturae satis arguit. Nam reliqua scripta pleraque plerunque gloriam suam sibi proponunt. 2. *Tim.* 3. 13. nulla ad aeternam salutem & veram beatitudinem adsurgunt: nulla eiusmodi finem intendunt, nulli per ea contendunt: omnia ad haec naturalia nos deuehunt, isthic subsistunt: sola sacra scriptura ad finem supernaturalem subuehit & transuehit, sola transcendit. Diuina ergo.

4. Sequuntur caussae internae duae: Materia & forma, quae certitudinem eius liquidò conuincunt. *Materia* est Deus ipse, & res omnes ad Deum ordinatae: quae omnia cùm sacra Scriptura tractet diuina certitudine, tam certa sunt, quàm certum est esse Deum. Reliqua alia scripta nihil nisi hominem sapiunt. Nihil spirant aliud aut inspirant aliis nisi humana. Et cùm eorum scriptores humana tantùm mente concipiant, alij ab iisdem humana tantum accipiunt, nisi quatenus scripturam sequuntur pedetentim, sed pedibus (vt sic loquamur) lutulentis, qui suis commentis eam conspurcant, atque ita ex diuina humanam faciunt aliquo modo.

5. *Forma* duplex; interna vna, externa altera, facit ad asserendam Scripturae diuinitatem. *Interna* forma est diuina veritas, iusta sancta, perfecta, cum homine communicabilis & cum ipsa Scriptura ἀντίςροφος: quam cùm nullum aliud scriptum expresserit

expresserit (qui enim exprimat, quam in se impressam non habet?) sequitur Scripturam in se omnimodo diuinam esse. Coarguit idem & externa forma (modum alij vocant) quae est oratio. Haec vt contemperata est & dicentis maiestati, & rei dicendae dignitati, & captui illorum quibus dicitur, ita summam ostendit diuinitatem, & incomparabilem de se prodit maiestatem.

6. Haec de certitudine Scripturae in seipsa. Nunc videndum, qua ratione, quae in se certa est, nobis certa esse possit, nòsque certò persuadeamur haec omnia à Deo profecta esse.

7. Hoc fit duobus modis: à Domino, & ab Ecclesia eius. A Domino testificatione Spiritus & ipsius Scripturae. Spiritus enim Sanctus vt Veritatis author in Scriptura, ita eiusdem effector gratiosus in nobis. 1. *Cor.* 2. 12. & 1. *Ioann.* 5. 6. Is igitur est qui eam certitudinem scripturae totius & partium eius supernaturali luce sua ita obsignat intus pectoribus & persuadet, vt plenam & indubitatam apud nos inueniat fidem & ineluctabilem illam πληροφορίαν. Alterum verò testimonium est Scriptura ipsa, quae luculentas notas prae se fert, & confert iis, quorum oculi mentis luce supernaturali sunt illustrati: sicut lux suo splendore iis se prodit, quorum oculi corporis luce naturali sunt praediti. 2. *Petr.* 1. 19.

8. Haec testimonia vt per se efficacia sint ad astruendam plenè fidem Sacrae Scripturae, alia tamen cum eis coniuncta suppetunt argumenta ad eius authoritatem magis faciendam in animis nostris. Illa vel sunt insita, & ipsi rei inhaerent, vel adsita & extrinsecus adhaerent. (f. 1603.) Quae sunt in reipsa, vel à materia sumuntur vel à forma. A *materia*, quòd doctrinam contineat planè plenéque coelestem, & captui humano non ita peruiam. A *forma*, tum *interna* diuinae veritatis: ad quam pertinent praedictiones & earum euentus certissimi: Quales sunt de semine contrituro caput serpentis. De sceptro à Iehuda non remouendo ante nasciturum Messiam. De abductione populi Iudaici in captiuitatem Babylonicam, & reductione eiusdem, ductu & auspiciis Cyri, cui nomen hoc aliquot annos antè, quàm natus esset fuit inditum. Et aliae similes totis scripturis sparsae prophetiae, cum earum complementis. Tum *externa:* Apta structura orationis & rerum, pulchra partium omnium inter se consensio, incredibilis sub abiecta verborum humilitate vis & efficacia, quae lectorum animos ita rapit & afficit, vt Ethnicorum vel eloquentiae laude clarissimorum δεινότης prae ea sordeat.

9. Testimonia extrinsecus adiuncta sunt: I. vel *antiquitas* scripturae. Libri enim Mosis omnium hominum scriptis antiquiores sunt: vt qui historiam suam inde à creatione mundi deductam contexit, quam alij scriptores aut ignorarunt prorsus, aut hinc acceperunt (vt fatentur Aegyptij, teste Diodoro Siculo) aut fabulis multis adsperserunt: prout homo imagine prior est: & probus nummus adulterino. II. Vel *inuictum robur veritatis:* quae vt saepius à diabolo & hostibus Ecclesiae sit impetita, inexpugnabilis tamen perstitit, & superior euasit. III. Vel *consensus* piorum etiam alioqui inter se dissidentium, qui eam admirabili Dei prouidentia hactenus conseruatam receperunt: & receptam sanguinis profusione obsignarunt.

10. Est praeterea aliud *testimonium* ministeriale *Ecclesiae* ipsius, quae scripturae authoritatem hanc non indit, sed inditam professione & consensione fidei agnoscit, agnitam commendat & promulgat, promulgatam conseruat ad gloriam Dei & bonum suum. Nam voluntatem suam Deus principali authoritate, Prophetae & Apostoli Secundariâ in Scripturis obsignarunt, Ecclesia teste, & ad rei apud nos testimonium Deo authore obligata.

11. Errant ergo Athei, Marcionitae, Manichaei, Valentiniani; quorum illi sacram Scripturam in vniuersum negant: Hi partem eius in dubium vocant. Et Papistae, qui authoritatem eiusdem doctrinae ab Ecclesia, eiúsque certitudinem ab hominum asseueratione

asseueratione pendere statuunt. Quod dogma vt superioribus rationibus abundè refutatum est, ita vanitatem eius sequentia argumenta magis demonstrant.

V. DE VERBI DEI AVCTORITATE, & PERFECTIONE.

Quum Sacro-sanctum Dei Verbum sit proprium principium & norma verae & perfectae Theologiae, ex quo omnes demonstrationes peti & depromi debent, & sine quo nullum fidei dogma, liquidò definiri potest: non immeritò eius tractationem tanquam fundamentum caeteris futuris disputationibus substernimus.

THESIS PRIMA.

1. VERBUM Dei intelligimus non Verbum aeternum Filium aeterni Patris, nempe λόγον ὑφιςάμενον, sed Verbum externum à Deo sanctis, & certis hominibus inspiratum; *Hebr.* 1. 1. 2. *Tim.* 3. 16. 2. *Pet.* 1. 21. & per eosdem in libris Canonicis Veteris & Noui Testamenti conscriptum; vt Dei veritas ab omni obliuione & corruptelis vindicaretur, & Ecclesia perfectè institueretur ac confirmaretur in omnibus iis quorum cognitio & fides ad salutem aeternam est necessaria. 2 *Petri* 3. 2. *Prou.* 30. 6. *Luc.* 1. 4. 2. *Tim.* 3. 16.

2. Hoc Verbum Dei, Sacra Scriptura, & κατ' ἐξοχὴν Scriptura dici solet, item & Scriptura Canonica, quo nomine omnes illos tum Veteris tum Noui Testamenti libros complectimur qui in Bibliorum volumine continentur, ijs exceptis, quos, etiamsi libris Propheti(f. 1604.)cis adiunctos, tamen quia nec ab aliquo Propheta sunt scripti, nec Prophetarum linguâ editi, nec in Canonem Hebraeorum vnquam admissi, nec à veteri Ecclesia pro talibus agniti, nos Propheticos esse negamus. vt sunt, Historici, liber Tobiae, Oratio Menaschis, liber Iuditae, liber Baruci, Epistola Ieremiae, Supplementum Danielis, liber tertius & quartus Esdrae, Supplementum Estherae & Tres libri Macchabaeorum. Didascalici, liber Sapientiae & Ecclesiasticus seu Syracides. Quos omnes, quia etiam praeter illud quod diximus multa absurda & pugnantia tradunt, nos pro θεοπνεύςοις non habemus, & tanquam Spurios & Apocryphos ad fidei dogmata probanda non valere contendimus: quamuis tamen legi posse ad Ecclesiae vtilitatem concedamus.

3. Ad reliquos verò Bibliorum libros quod attinet: eorum nos (vt verè θεοπνεύςων & Canonicorum) *Primò*, Irrefragabilem esse *authoritatem*, excellentiámque sacratissimam, & planè diuinam asserimus, adeò vt quicquid, quomodocunque & quacunque de re isti libri & testificentur & pronuncient, id omne pro certissimo Dei verbo & infallibili Veritate absque vlla tergiuersatione, errorísue suspicione sequamur & amplectamur.

4. *Secundò*, Tantam esse *perfectionem*, vt perspicuè & sufficienter contineant omnia, tum ad saluificam fidem, tum ad vitam Deo placentem informandam pertinentia: vt citra apertum illorum testimonium nihil admittendum sit in religione tanquam necessarium, vel ad credendum vel ad faciendum.

5. Ac prior quidem propositio tum certissimis testimoniis, tum argumentis firmissimis confirmatur. Testimonia sunt aut interna aut externa. *Internum* testimonium omni

omni alia authoritate praestantius, & sine quo reliqua omnia testimonia & argumenta nullius, apud nos, ponderis aut momenti futura essent, est Spiritus sancti intus animum nostrum alloquentis & hos S. Scripturae libros θεοπνεύςους, id est, à se dictatos esse, spiritui nostro testantis & quasi obsignantis: atque huius S. Spiritus interno lumine illustrati, & arcano testimonio efficaciter persuasi non solùm certò credimus diuinitus dictatum esse quicquid in his libris continetur; sed etiam hosce libros à nothis & adulterinis spirituali iudicio discernere & an spiritum Dei redoleant diiudicare possumus.

6. *Externum* Testimonium est, 1. Ipsius S. Scripturae, seu potius Dei nobis in S. Scriptura loquentis, & se eius authorem esse asserentis. *Esa.* 58. 14. *Ezech.* 12. 25. 28. 2. *Tim.* 3. 16. 2 *Petri* 1. 21. 1. *Cor.* 2. 13. 2 Prophetarum & Apostolorum, quos diuina auctoritate, virtute, & dictamine instruxit Deus, vt Ecclesiae traderent, tamquam legati Dei & notarij publici Ecclesiae dati, quod à Domino per Spiritum eius acceperant. 3. Ecclesiae Catholicae, cuius constanti & perpetuo consensu, plurimùm quidem nos moueri libenter agnoscimus, sed ita tamen vt eius testimonium, & authoritatem postponamus infallibili Sp. Sancti testimonio, cuius solius testimonium efficit, vt quemadmodum S. Scriptura in se est canonica atque authentica, sic nobis quoque videatur; & sine quo Ecclesiae testimonium mutum prorsus atque inualidum esse censemus.

7. *Argumenta* porrò ex quibus etiam de huius Scripturae auctoritate concludi potest, vt quae certissimò eam verè θεόπνευςον esse euincunt non pauca afferri possunt. vt Quòd à viris sanctissimis scripta: quòd tam coelestis vbique & nihil terrenum redolens doctrina: quòd tam pulchra omnium inter se partium consensio: quòd, vel ipsorum Ethnicorum testimonio, antiquissima: quòd, licet inculta & sermonis simplicitate constans, tamen in hominum animis sit efficacissima viuidéque eorum animos afficiat: quòd vaticiniorum euentu & complemento comprobata: quòd sola liberationem à peccato & morte ostendat: quòd multis & insignibus miraculis sancita: quòd licet toti mundo & inuisa tamen inuicta perstet, & mirabili successu triumphet: quod sanguine tot martyrum obsignata: Denique quòd eius contemptores atrociter à Deo puniti sunt, vt Pharao, Achab: Iezabel, Sennacherib, Antiochus, Herodes, Nero, Domitianus, &c. Quae omnia argumenta, licet iudicium nostrum constringant & cogant, & Scripturam hanc verè Diuinam esse validè euincant; tamen nunquam firmiter id nobis persuadere possunt, nisi accedat Spiritus Sancti testimonium, qui solus illis argumentis vim addit; nec tantùm cogit & premit, vt illa, sed etiam totam mentem ad assentiendum excitat, & (f. 1605.) animos nostros mirificâ quâdam πληροφορίᾳ complet, facítque vt S. Scripturam, tanquam vere θεόπνευςον, amplectamur.

8. Posterior (quae de S. Scripturae *perfectione* erat) propositio, praeter innumeras alias rationes, probatur, I. Ab ipsa definitione perfecti: quod scilicet illud omnino perfectum sit in suo genere, cui nihil in eo genere addi aut diminui potest: talem autem esse S. Scripturam liquet ex Deuter. 4. 2. *Non addetis ad Verbum*, &c. & ibidem cap. 12. vers. vlt. *Quod praecipio tibi*, *hoc tantùm facito*, &c. Si autem non licuit Iudaeis addere ad scripta Mosis, multò minùs iam licebit nobis addere ad scripturae canonem tot libris auctum. liquet item ex *Galat.* 1. v. 8. vbi omnes ἀναθεματισμοῦ rei iudicantur quicunque εὐαγγελίζονται praeter illud quod scriptum est. II. A causa efficiente simul & finali S. Scripturae. Deus hanc Scripturam Patribus inspirauit & per eosdem in libros retulit & scripsit, vt in iis quae pietatis sunt instrueremur ad salutem, vtque ea ratione obuiam iretur corruptelis & adulterationi verae doctrinae: *Luc.* 1. 4. Ergo Scriptura ita est perfecta, vt nihil in ea possit desiderari quod ad salutem & vitam aeternam pertineat; alioquin enim accusaretur

Deus

Deus aut inscitiae, quod nesciuerit perfectam dare, aut inuidiae, quod noluerit, aut impotentiae, quod non potuerit. III. Ab effectis S. Scripturae, vt, quod faciat sapientem ad salutem, 2. *Tim.* 3. 15. hominem ad bonum opus perfecte instruat, *ibidem;* regeneret, 1. *Pet.* 1. 23 saluet. *Rom.* 1. 16. liberet à seruitute peccati, *Ioh.* 8. beatum efficiat, *Ps.* 1. 1. 2. & denique cum Deo, & Christo viuat, 1. *Ioh.* 1. Perfecta ergo, quum nihil praeterea desideremus aut opus habeamus ad salutem aeternam consequendam. IV. Ab iis S. Scripturae locis quibus Traditiones ἄγραφοι expressè damnantur, vt Matth. 15. 16. & Marc. 7. 13. & Esa. 29. 13. *Frustra me colunt, seruantes*, &c. & Gal. 1. 20. Paulus ait se (ante conuersionem suam) fuisse *aemulatorem paternarum Traditionum* &c.

9. Quid? quòd non alia de caussa Canonicae dicuntur Scripturae quàm quòd (vel ipsorum Pontificiorum testimonio) pietatis & Religionis *Canonem*, hoc est, regulam atque normam è coelis summo Dei beneficio ad nos delatam contineant amplissimam; quo certè manifestissimè eius *perfectio* arguitur, quum nihil aliud sit κανὼν quàm (vt definit Varinus) μέτρον ἀδιάψευστον πᾶσαν πρόσθεσιν καὶ ἀφαίρεσιν μηδαμῶς ἀποδεχόμενον.

10. Adde quòd, nisi S. Scripturam ea omnia perspicuè & perfecte continere agnoscamus, quorum cognitio & fides ad salutem nostram est necessaria, sed etiam traditionibus Pontificiorum non scriptis opus esse concedamus, necessariò etiam concedendum erit I. Apostolos omnia ad salutem necessaria aut non debuisse scribere, aut noluisse, aut non potuisse, quum tamen in omnem veritatem à Spiritu Sancto deducti fuerint. *Ioh.* 16. II. Scripturam Veteris Testamenti esse Noui Testamenti Scripturâ perfectiorem, quum nihil possit adferri extra illam Scripturam, quod piis maioribus sub Veteri Testamento constitutis fuerit ad salutem necessarium. III. Sacra Biblia non respondere suae inscriptioni διαθήκης: si quidem liceat hominibus addere diuinae διαθήκῃ IV. Eandem fidem esse scriptis veterum adhibendam quae S. Scripturae: immò. V. certam esse fidem adhibendam in iis rebus de quibus certò non constat: quid enim magis varium & incertum est istis traditionibus, quibus Pontificij defectum Scripturae supplere volunt? Denique VI. sequetur Apostolos alio Spiritu fuisse locutos quàm quo scripserint, quae omnia quàm absurda sint & ἀθεόλογα nullus est qui non videat.

11. Errant igitur *Libertini & Anabaptistae*, caeteríque id genus haeretici, qui S. Scripturam pro fabula habentes, multisque probris impudenter afficientes, Spiritum nescio quem Enthusiasticum iactant.

12. Errant item & Pontificij, I. quòd non contenti iis voluminibus, quae in Vetere Testamento edita sunt à Prophetis, in Nouo ab Apostolis atque Euangelistis, ad integerrimum hoc Canonicae Scripturae opus etiam illos quos initio Apocryphos probauimus, adiungunt. II. Quòd Scripturae authoritatem ex voce testimonióque Ecclesiae pendere statuunt, & quoad nos Scripturam non esse Scripturam i. verum Dei verbum, nisi propter Ecclesiae sententiam, docent. III. Quòd doctrinam Scripturarum ad salutem non sufficientem, immò apertè mutilam & mancam esse blasphemantes, ei innumerabiles traditiones ἀγράφους, quarum nulla sit (f. 1606.) in Scripturis mentio, non modò coniungunt, sed etiam dignitate, authoritate, vsu, fide, necessitate, exaequant.

VI. DE

VI. DE TRADITIONIBVS.

1. Verbum Dei aut ἔγγραφον est, aut ἄγραφον. Scripturam sacram verbum esse ἔγγραφον, auctoritate, perfectione, modo & fine suo diuinum & canonem authenticum, hactenus fuit demonstratum. Iam de ἀγράφῳ, siue non scripto, nobis videndum est, quod nomine traditionum donarunt multi.

2. Traditionis vox latius, aut angustius sumitur. Priore modo significat doctrinam quamlibet scriptam, aut non scriptam in Testamento N. & V. vt 2. *Thess.* 2. Posteriore verò significat eam, quae non à Prophetis aut Apostolis scripta est, sed ab iis viua voce dicitur exposita. Hanc affirmant Pontificij; nos distinguimus, quae non satis aptè aut verè ab illis obtenduntur.

3. Etsi autem Traditiones illi in Diuinas, Apostolicas, & Ecclesiasticas solent distinguere, ab authoribus ipsarum: tamen quia illud nihil ad rem praesentem facit; alterum distinctionum genus, quod à materia ducitur, in hoc loco satis futurum confidimus. Sunt enim traditiones aliae facti, puta historicae; aliae iuris, puta quae ad fidem, mores, aut disciplinam pertinent.

4. Traditiones historicas appellamus eas, quibus historiae narrantur à Christo, Prophetis, Apostolis, aut Euangelistis ipsius gestae, quorum nulla tamen in scriptura Canonica habetur mentio. Nam alias praetereà fuisse gestas quàm quae scripturis continentur cùm ipsa docet ratio, tum Iohannes testatur euangelio suo cap. 20 & 21. Earum verò narrationes (nam habentur quaedam apud orthodoxos Patres) si cum illo canone conueniunt, suscipimus: si dissentiunt, improbamus, si non dissentiunt, in medio relinquimus, nemini fidem praescribentes.

5. Traditionum verò illarum quae sunt in iure positae ratio est multiplex. Nam aliae ad rationem fidei propriè & per se pertinent: aliae ad rationem morum, & instituendae vitae; aliae denique ad rationem disciplinae ceremoniarùmque illius. De his ordine videamus.

6. Traditiones ad rationem fidei pertinentes aliquas esse, & esse necessarias affirmant Pontificij, nos negamus. Nam Scriptura S. instrumentum est diuinum diuina perfectione & modo continens perfectè regulam fidei, quae vnica est, eadémque semper, & sola immutabilis, cui nihil addere, demere, nouare fas, atque (vt Tertullianus loquitur) irreformabilis: quorsum igitur Traditiones? Tum à sola authoritate Dei est fidei auctoritas, éaque adeo in S. Scripturís obsignata, vt deletum iri pronuncietur eum qui addiderit, minuerit aut mutauerit in ea quicquam. Itaque tantum abest, vt traditiones de fide nobis sint necessariae, vt contrà omninò sit necessarium, ne traditiones de fide habeamus in Ecclesia Dei.

7. Sed quia traditionum harum auctoritatem & exemplum nullum adferre possunt qui eas praedicant, solent Pontificij ad traditiones quae aut de moribus, aut de disciplina sunt, aut de historia, confugere. Nam quòd (verbi gratia) de beatae virginis θεοτόκου perpetua virginitate asserunt, & nos minimè negamus, id traditionis est historicae: caetera fermè omnia è disciplinae traditione sunt. Hoc verò alienum est, quòd ex vna specie alteram probare volunt, & ἀσυλλόγιστον. De traditionibus historicis in thesi 4. praescripsimus: de aliis itaque videamus.

8. Traditionum quae ad mores pertinent auctoritatem aut ex Natura, aut ex Scriptura peti necesse est, ídque simpliciter primò & per se, aut etiam analogicè, perspicuè aut obscurè. Nam si quid vel Ecclesia tota, extra, praeter, aut contra hanc authoritatem, vel alterius harum statueret, pios certè ne ipsi quidem Ecclesiae auscultare oporteret.

9. Cùm

9. Cùm autem ex natura sit morum naturalium nostrorum, ex Scriptura verò sit supernaturalium morum & ad vitam aeternam pertinentium auctoritas, certè ipsa Naturae cum Scriptura S. comparatio de(f. 1607.)monstrat, vt nihil morum naturalium extra, praeter, aut contra naturam, adeóque nisi à natura docetur, ita supernaturalium, qui ad vitam futuram spectant, nihil extra, praeter, aut contra Scripturam, nihil nisi ex Scriptura doceri debere aut posse: nisi quis fortè naturam in suo genere perfectam, Scripturam verò minus perfectam statuat, ac proinde magis in natura Deum, quàm in Scriptura sapuisse.

10. Earum verò Traditionum, quae ad disciplinam pertinent, distinctiones illae sunt propriae, quae à Pontificiis in hac caussa adferri solent. 1. has esse perpetuas, vt (exempli caussa) sacros coetus haberi, &c. illas temporarias, vt haberi in publico, aut secreto, ante meridiem vel post &c. 2. has vniuersales esse, & particulareis illas. 3. alias esse Necessarias, & alias Liberas. Nam quaecunque fidei & morum sunt, ea propriè sunt necessaria, aut primò & per se, aut secundariò. quae ordinatae sunt ad principium suum immutabiliter.

11. Cùm autem disciplina nihil sit aliud quàm iusta auxiliatrix, atque administra fidei & morum, certa hîc distinctio à nobis statuitur. Nam quaecunque documenta disciplinae sunt, quae genere, specie, & fine suo perpetuam, vniuersalem & necessariam ordinationem coniunctionémque habent cum regula fidei & morum, eorum non est traditio: nam in Scripturis sacris comprehensa sunt expressè aut analogicè. Quaecunque verò in circumstantiis posita sunt, eorum traditiones in Ecclesia esse aut esse posse, verumtamen temporaleis, particulares, & liberas agnoscimus.

12. Atque harum quidem traditionum quae in circumstantiis versantur lex fertur à Paulo 1. *Cor.* 14. τὸ εὔσχημον, καὶ τὸ κατὰ τάξιν, honestum decus & ordo, quae in singulis Ecclesiis pro commoditate ipsarum procurantur atque ordinantur in re praesente, vt idem Apostolus dicit 1. Cor. 11. *Nam* (ait optimè Seneca Epistola 22.) *quaedam non nisi à praesente monstrantur. Non potest medicus per epistolas cibi aut balnaei tempus eligere: vena tangenda est. Vetus prouerbium est, gladiatorem in arena capere consilium.* Sed harum tamen traditionum certus modus atque duratio tenenda est. Modus, vt externum hominem dicantur abligare ad iustum ipsarum vsum in veritate, & simplicitate, sine superstitione, sine tyrannide, id est permanente libera interni hominis conscientia: duratio verò, vt tantisper in Ecclesia obtineant, dum verum, sanctum, iustum legitimúmque finem suum assequantur, statu verò mutato abrogentur, ne vero, sancto, iusto, legitimóque praeiudicent, vt serpente aeneo factum fuisse legimus à rege Ezechia. 2. Reg. 10.

VII. DE TRADITIONIBVS.

Thesis prima.

1. Traditio quae Graecis παράδοσις, Hebraeis *Lekac*, id est, perceptio, generali significatione omne id complectitur, quod scripto vel sine scripto ad nos peruenit: plerumque tamen de doctrina non scripta, sed ore tantùm & quasi per manus tradita in vulgo accipitur.

2. Traditio itaque definitur, verbum Dei quod non fuit ab authore scriptum, id est, à Deo, aut ab eo homine, abs quo primum fuit Ecclesiae traditum.

3. Traditionum multiplex diuisio pro vario respectu in vulgo traditur. Communiter tamen ad duo genera reuocari solent: nam aliae ab auctoribus, aliae à materia denominationem habent. Ab auctoribus: nam omnes traditiones vel à Deo, vel ab homine dicuntur profectae. Illae diuinae, hae humanae traditiones appellantur. A materia: nam aliae dogmaticae, aliae Ethicae appellantur: & in vtroque genere duae quodammodo species diffusae sunt, quas non incommodè historicas & ceremoniales dixeris.

4. Diuinae traditiones vocantur quae à Deo & à Christo immediatè, Prophetísque & Apostolis sine scripto Ecclesiae primùm nascenti traditae fuerunt; quae cùm scriptis hodie sint comprehensae, traditiones illa generali significatione appellantur; humanae verò, quae nuda hominum voluntate excogitatae sunt.

5. Dogmaticas siue Ethicas Traditiones vocamus (f. 1608.) illas, quae ad fidem, siue ad mores pertinent. Harum perfecta ratio in Scripturis à Deo nobis tradita est, vt qui totum consilium suum, sibi gloriosum, nobis salutare, quoad eius fieri à nobis potest & expedit, scripto communicauit. Quapropter nullas in hoc genere traditiones admittimus, quia Scriptura est θεόπνευςος & vtilis tota, vt integer sit homo Dei, ad omne opus bonum comparatus, ac proinde omnia in se complectitur expressè aut analogicè quae ad eam rem sunt necessaria.

6. Humanas ergo traditiones de sacra doctrina & moribus, vt quae ab humano ingenio excogitatae, nec in Scripturis expressae sunt, neque ex iis deduci possint, sed vel directè vel obliquè cum iis pugnent, merito reijcimus.

7. Historicae Traditiones appellantur, rerum à Christo & Apostolis dictarum gestarùmque narrationes. Harum quae in verbo non continentur, pro humanis scriptis habendae sunt, ac non veritate & auctoritate cum Canonicis comparandae.

8. Hae autem narrationes ab Euangelistis & Apostolis ideò omissae sunt, tum quia capi à nobis (si perscripta fuissent omnia) nunquam potuissent, tum quia ratio communis earum perfectè Scripturis continetur, vt credamus IESUM esse CHRISTUM filium Dei, credentesque vitam habeamus per nomen eius.

9. Ceremoniales traditiones vocantur ritus quidam non scripti ad ordinem & decorum pertinentes. In his duo consideranda: vnum essentiale ceremoniarum, illud honestum & ordinatum quod in ritibus est, vtpote ipsa vtilitas & aedificatio proximi. Alterum accidentale, id est, ipsae circumstantiae, modus, tempus, locus, personae, & c.

10. Ipsum essentiale decori & ordinis (nam ceremonias Testamenti Veteris figurales antiquatas constat) quia rebus dogmaticis, ethicísque coniunctissimum, & secundum genus ipsius in verbo Dei perscriptum est, aeternum est atque immutabile. 1. *Cor.* 14. *vers.* 40. πάντα εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν γενέσθω. Accidentale (id est, ipsa circumstantiarum ratio) varium est & mutabile.

11. Ceremoniales autem quaecunque sunt, rectè in tria genera distribui à nobis possunt: Vnum bonarum est, alterum malarum, tertium indifferentium & mediarum.

12. Bonae dicuntur eae, quae cum sanctitate, aequitate, veritate, honestate, ordine coniunctae sunt. Malae dicuntur, quae cum rebus iisdem pugnant. Mediae quae pro ratione personarum, locorum, & temporum cum iisdem rebus modò cohaerere, modò pugnare comperiuntur.

VIII. DE ESSENTIA DEI ET ATTRIBUTIS ILLIUS.

De diuinae illius sapientiae, quam nobiscùm communicat Deus, instrumento, Scriptura Sacra scilicet, actum est hactenus, ratio ordinis nunc postulat vt de proprio sapientiae illius subiecto dicamus; quod Deus est. Quia verò Deus consideratur, vel essentialiter, quà essentiâ vnus, vel personaliter, quà personis trinus; nos tantùm de priori modo agemus, de essentia Dei, & attributis illius.

THESIS PRIMA.

De Deo dicturi, primordia dicendi capiemus à vulgata illa cuiusdam veteris Patris sententia, *de Deo etiam verum dicere periculosum est*, vt conscij cum animis nostris, Deum, ob incomprehensam perfectionem suam, mentis nostrae infirmitatem, sermonis indignitatem, prout in se est, à nobis mente concipi, quod de ipso mente concipimus dicto exprimi non posse: in tantum velimus de essentia eius cognoscere & dicere, quantum pro modulo nostro cognosci a nobis & enuntiari voluit: & eo modo, quem nobis praescripsit, qui duplex est.

2. Duo sunt enim documentorum genera, quibus ad sui cognitionem nos adducit, pro numero scilicet respectuum, quos habent ij, quibus se salutariter cogno-(f. 1609.)scendum praebere decreuit. Hi autem duo sunt, *homines & Christiani:* quâ *homines* enim; Deus Naturae documentis nos informat in essentiae suae cognitione, *Rom.* 1. 20. quà Christiani verò, Scripturae, vnde videmus tum gratiam non tollere naturam, sed contra naturam perficere, & naturam supra naturam euehere, tum naturam Scripturae subordinatam esse: & per consequens pessimè facere eos, qui naturâ, aduersus authorem naturae, & aduersus Scripturam quâ perficitur, abutuntur. ex natura igitur & Scriptura, Deum esse, & essentiam esse, & qualis sit essentia Dei videbimus.

3. Esse Deum, *Natura* declarat abundè, tum quatenus spectatur in communi. i. quà res omnes, quae sunt tam in coelo quàm in terra complectitur, tum quà spectatur in singulari, & dicitur *natura*, cum adiectione *humana*.

4. In natura illa communi, luculentissimè testantur rerum causae & motus, qui non possunt esse in infinitum, sed requirunt necessariò causam vnam primam, quae sit causa omnium quae sunt, & à nullo sit, & primum mouens vnum, quod omnia moueat, quae mouentur, & à nullo moueatur; quod Deum appellamus.

5. In natura nostra humanâ, communes notiones & principia, quae omnibus hominibus, etiam barbaris, innata sunt: quae eorum, qui inter humanas athei maximè videri volunt, vellere aurem non desinunt: quae ipsis volentibus ex mente & corde ipsorum euelli non possunt: perspicuè demonstrant Deum esse, qui tales in ipsis ciet motus, quibus redduntur ἀναπολόγητοι, & omnes homines docentur Deum esse.

6. Quaerere, an esse Deum Scriptura testetur, ineptum & impium est, cùm pagella sacrorum Bibliorum nulla, locupletissimis super hac re testimoniis vacet, quibus Christiani homines, de veritate Dei plenè persuasi esse possint.

7. Cognitio ex naturae documentis, quòd Deus sit, ex iisdem patet Deum essentiam esse, quia omnibus consentientibus, essentia prior & nobilior, est accidente, & Deus prima caussa essentiarum, & primum mouens omnium est, ex thes. 4.

8. Qui

8. Qui Sacris literis aliquid detulerunt, de eo, an Deus sit essentia, nusquam quaestionem mouerunt, sed de eo tantùm, an essentia de Deo enuntiari possit, cùm (vt dicebant) nullam essentiae Dei mentionem Scriptura faciat; verum quamuis vocabulum essentiae, totidem literis non exprimeretur in Scriptura (quod falsum est, *Prou.* 8. 14.) tamen, quia aequiualentia reperiuntur, vt θειότης, *Rom.* 1. 20. θεοῦ φύσις, *Gal.* 4. 8. μορφὴ θεοῦ, *Phil.* 2. 6. & coniugata ipsius vocabuli, vt sunt nomina Dei, Iehoua, Iah; Eheie, ὤν, siue αἰτιοὼν; dicimus sanctè & piè in hoc mysterio, olim à Dei seruis, vocabulum Essentiae vsurpatum esse & nunc vsurpari.

9. Quòd si Natura homines quosuis aliquo modo doceat Deum esse, & essentiam esse primam, sequetur, simul docere eos, Dei essentiam esse aliam ab omnibus essentiis, tam metaphysicis quàm physicis, quia (vt reliqua antiquitatis testimonia taceam) hae principium & finem, illae principium habent, Dei verò essentiam quum dicimus primam, à nullo principium habere dicimus, quia nihil prius primo. Si aliam ab omnibus essentiis, & primam essentiam esse, tum ei tribui oportere omnes perfectiones, quas in creaturis animaduertimus, quod fecerunt Ethnici sola naturae luce, scientias, artes, & quicquid alicuius pretij videbant esse, ad Deum referentes. Si ei tribuere omnes perfectiones edocemur, tum non humano, sed diuino, non nostro, sed suo supereminente, & perfecto modo enunciari debere simul edocemur, & reputare perfectionis vmbram, quae in creaturis cernitur, esse ab ipso, qui vniuocè perfectus est: quod fecisse Ethnicos videmus ex natura.

10. Idem & eodem ordine Scriptura nobis tradit. 1. essentiam Dei, longè aliam esse ab omnibus essentiis, *Esa.* 40. 18. 25. *Esa.* 46. 9. 2. nostri caussa, quia magnum esse, & excelsum, perfectionis alicuius videtur esse, Deum magnum & excelsum, innumeris in locis nuncupat, *Deut.* 7. 21. *Esa.* 57. 13. postremò Deum esse magnum & excelsum diuino modo, non humano nostro, *Iob.* 11. 8. *Esa.* 56. 8. 9. & causam omnium entium, & omnium, in omnibus entibus perfectionum, *Rom.* 11. 36. *Iacob.* 1. 17. Quamobrem etiam Scriptura enunciat Dei attributa in abstracto.

11. Ex supradictis colligitur methodus, qua Deus per naturae & Scripturae documenta, ad ὑπερουσίου οὐσίας suae cognitionem deducit. Illius tres sunt partes vel gradus. Primus est negationis, quando de Deo non valentes scire (f. 1610.) quid sit, quid non sit consideramus, remouendo quae ei non conuenire videntur. Secundus est, quum ob eandem infirmitatem nostram, vt aliqualem aliam, quam negatiuam, Dei cognitionem habeamus, quicquid videmus prae se ferre aliquam nobilitatem, Deo tribuimus. Postremus est, quum scientes quae Deo tribuimus, non posse ei inesse, vt nobis insunt, quicquid enunciamus de Deo, enunciamus vniuocè.

12. Iuxta hanc methodum vidimus generatim & confusè thesi nona & decima, qualiter à nobis ex naturâ & Scripturâ, essentia Dei cognosci possit. Nunc sigillatim idem videndum est, tum deum aliqualiter describendo in hunc modum (Deus est essentia prima, simplicissima, infinita, vnica, immutabilis, viuens, intelligens, omnipotens, & perfectissima) tum attributa, ex quibus descriptionem contexuimus, accuratius explicando, in quorum cognitione consistit essentiae veritas.

13. Quando dicimus attributa essentiae, demonstramus nos nec de iis, quae ad creaturas respectum habent, vt creatio, &c. verba facere, nec de iis, quae dicuntur personalia, & sunt proprietates personales, quae in vnitate essentiae, personas determinant in se, & distinguunt inter se: sed de iis, quae enuntiantur, non de vna tantùm persona, sed de tribus personis, vno, solo, & vero Deo benedicto in secula.

14. Praeterea, attributum, hoc in loco, non pro praedicato accipimus quouis, quod posset de Deo praedicari, sed pro proprietatibus Deo propriis quarto modo, soli & semper, quibus essentiae veritas in se innotescit, & ab aliis distinguitur.

15. Hae

15. Hae verò proprietates, sic essentiam Dei ab aliis distinguunt, vt nec ab essentia Dei, nec inter se, realiter distinguantur, non ab essentia: nam sic sunt in vna essentia, vt sint ipsa essentia: quia quicquid in Deo est, non inter se, sed simpliciter est: Deus enim esset diuiduus, quod naturae & Scripturae repugnat.

16. Quod autem in Deo plura numero attributa consideramus, id ex Dei bonitate est, qui voluit nos, quos sciebat per successus omnia cognoscere, & per consequens per partes, ideóque non posse essentiam suam impartibilem nosse, considerare in eadem essentiâ suâ, quasi partes, & quae tantum dicuntur partes per analogiam.

17. Vocantur verò partes illae analogicae & imaginariae, à nobis, attributa, quia, vt nobis magis patefieret Deus, Scriptura éas, nostri caussa, Deo attribuit. De his igitur attributis videamus iuxta tres illos gradus, secundum quos de Deo aliquid enunciari posse diximus.

18. Ad primum gradum, scilicet remotionem eorum, quae non conueniunt Deo, pertinent, simplicissima, infinita, vnica, immutabilis. quia haec attributa negant de Deo Categoriam substantiae, & quantitatem & qualitatem, quae à substantia emanant, prima secundum materiam, altera secundum formam. Ad secundum referimus ea, quae de Deo affirmatiuè enunciamus. Ad tertium vltimum attributum *perfectissima*, quod denotat modum supereminentem, quo debemus existimare inesse, omnes proprietates, de Deo, tam affirmatiuè, quàm negatiuè enunciatas.

19. *Simplicitas*, primùm est, quia eximit Deum à categoria substantiae, quae ordine prima est. eximit autem, quia vtraque substantia de qua praedicatur praedicamentum illud, composita est, vna, ex materia & formâ, quae constituunt corpus, & ex partibus quantitatiuis, compositione corporum propriâ. altera non compositione corporum, sed tamen ex essentia & esse, substantia & accidente: Deus autem nec corporeus est, purus actus, omne verò corpus in potentia: & est Spiritus; *Ioh.* 4. 24. qui opponitur corpori. Non compositus ex Essentia & Esse: quoniam si Esse suum non esset idem quod essentia sua, Esse suum se haberet ad Essentiam suam, vt actus ad potentiam cùm Esse, (vt loquuntur) sit actualitas omnis formae seu naturae. At in Deo nihil est in potentia, sed omnia sunt actus.

20. Secundum, est *infinitas*, quo docemur, Deum, quantitatis categoria comprehendi non posse; quia verò duae sunt quantitatis species, continua & discreta, ad infinitatem additur *vnitas*, quae est tertium attributum. Rursum quia ad continuam quantitatem, pertinent categoriae vbi & quando. i. loci & temporis, infinitatis nomine duo complectemur, incircumscriptionem & indefinitionem (vt ita dicamus) à loco, quam immensitatem, & à tempore, quam aeternitatem appellabimus.

21. *Immensitas* de Deo cathegoriam *vbi* negat, quia cùm sit Spiritus non potest esse in loco circumscriptiuo, (f. 1611.) vt corporea quae capiuntur à loco suo corporeo, diuisibili per partes suas quantas & diuisibiles: nec in loco definitiuo, vt sunt formae intelligentes, quia licet locus ipsarum non sit corporeus, & quoad nos circumscriptus, tamen in se definitus est, ita vt forma vna intelligens non possit duos locos simul definire. i. in duobus locis simul operari. Deus verò infinitus est, quia est primum principium vniuersale, effectiuum rerum, quod ipsi Philosophi, licet circa naturam principij errarent, dixerunt debere esse infinitum: est supra omnem locum, nusquam comprehensus, 1. *Reg.* 8. 27. in omni loco repletiuè, *Ierem.* 23. 24. & vbique in omnibus, *Prou.* 15. 3. *Act.* 17. 2. 28.

22. *Est in omni loco repletiuè*, non sicut corpus quod replere suum locum dicitur, dicitur, quatenus impedit, ne in loco, à quo capitur, locetur aliud corpus, sed sicut dans omni loco, vt sit locus, & vt conseruet locatum & efficiens vt omnia sint in loco, & locum suum pro modo naturae suae, ἄνευ ἀταξίας repleant.

23. *Est*

23. *Est vbique in omnibus rebus: per essentiam*, non vt pars essentiae, aut accidens in subiecto, sed vt principium & caussa vniuersalis efficiens, & conseruans adest rei, quam effecit, & agens ei in quod agit *per praesentiam*, quatenus omnia sunt nuda, ab aeterno in aeternum, coram oculis eius, *Hebr.* 4. 13. *per potentiam*, quatenus omnia ei subiecta sunt, *per gratiam*, *communiter*, in omnibus creaturis rationalibus, quatenus intelligentes creaturae, sciunt Deum esse & agere: *singulariter verò*, in sanctis, quatenus sancti, & Deum esse Deum suum, operari bonum suum & facere, vt omnia cooperentur ad salutem suam, verè norunt, & firmiter credunt.

24. Infinitatis altera species est *aeternitas*, qua eximitur Deus à categoria *quando*, id est, temporis, quia, cùm Deus sit primum mouens, quòd omnia quae mouentur, moueat, & à nullo moueatur, sequitur non esse tempori obnoxium, quod est numerus motus per prius & posterius. Et hoc bellè cum Scriptura conuenit, quae Deum aeternum, *Gen.* 23. 35. habitatorem aeternitatis vocat, *Esa.* 57. 15.

25. Discretae quantitatis Deum expertem esse docet, *vnica*. Dicimus verò vnicam, vt demonstremus nos non loqui de vno, quatenus est principium numeri, & habet se relatiuè ad alios sequentes numeros, sed quatenus conuertitur cum ente & non addit ad Ens rem aliquam, sed tantùm negat de eo diuisionem omnem. Quod verò Dei essentia sit vnica, satis patet ex ante dictis. Si enim est infinita, est vnica, quia duo infinita esse non possunt. Si Deus primum mouens, & prima caussa rerum est, vnicus est, quia à duobus essentia diuersis, omnia, secundum idem, simul, eodem modo & tempore, effici & moueri nequeunt. Respondent huic naturalium argumentorum veritati, innumeri loci Scripturae. ex quibus constat Deum *vnum* esse, non analogiâ, genere, aut specie, sed indiuiduo. *Deut.* 6. 4. 1. *Tim.* 2. 5.

26. Vltimum negantium attributum, est *immutabilis*, qua Deus, ex categoria qualitatis eximitur, & omnis motus negatur de eo, quod facilè probari potest, percurrendo omnes species motus. Generationi & corruptioni non esse subiectum, docet *aeternitas*, de Deo enunciata. Auctioni & diminutioni, *simplicitas*, quae Deum probat non esse compositum ex partibus quantis, secundum quas fit augmentum & diminutio. Φορῷ, id est motui locali, *Infinitas*, quia Deus, cùm omnia comprehendat, non potest pertingere ad illud ad quod non pertingebat ante, quae conditio est omnium loco motorum. Alterationi secundum qualitates. hoc attributum, quia, cùm nihil sit accidens in Deo, qualitas verò sit accidens, non potest statui in Deo, alteratio secundum qualitates, quae non sunt. Accedit ad haec argumenta, omnium consensus, Deum esse primum principium, & primum mouens immobile. Idem quod natura de Deo; de se testatur Deus apud Malachiam, *Mal.* 3. 6. & Iacobus de Deo, *Iac.* 1. 15.

27. Hactenus de primo genere attributorum, quo de Deo negauimus, quod ei non competebat. ad 2. propositus ordo nos deducit, quo docemur, perfectiones, quae sunt in creaturis, analogicè de Deo affirmari. Quoniam verò nullae sunt nobiliores iis, quas ad imaginem suam condidit Deus, ex formarum intelligentium natura, de Deo enunciabimus, *intelligens, omnipotens.*

28. Res omnes quae in mundo sunt, aut animatae aut inanimatae sunt. his illae praestant, omnium calculo. *Vita* igitur de Deo debet enunciari. Si enim aeternus est, viuit, cùm aeternitatis definitio sit, (vt affertur à Boethio) interminabilis vitae, tota simul, & perfecta possessio: quod confirmat Scriptura, Deum viuentem, *Gen.* 10. 14. *Rom.* 9. 26. fontem vitae, & vitam nuncupan(f. 1612.)do. *Ps.* 36. 10. 1. *Ioann.* 5. 20.

29. Quia verò vita vegetatiua plantarum, & sensitiua animalium, corporea est, Deus, qui est Spiritus, nec vitam plantarum nec animalium, viuere dicendus est: potius, cùm vita formarum intelligentium nobilissima sit omnium, per analogiam, vitam *intelligentem* Deo tribuemus.

30. Secun-

30. Secundum eandem analogiam, quoniam videmus ex vita Angelorum, emanare tanquam ex fonte duplicem operationem, quarum vna manet in operante, vt intelligere, & velle, altera, procedit in exteriorem effectum: de Deo primum *intellectum & voluntatem* affirmabimus, postea potentiam, quae consideratur, vt principium operationis, in effectum exteriorem procedentis.

31. Esse in Deo intelligentiam, ordo rerum sapientissimus, qui à natura bruta esse non potest, satis demonstrat. Simplicitas Dei, qua scimus esse actum purum simplicissimum, & per consequens remotum ab omni materia, Deum esse intelligentem docet, cùm pro certo constet ex natura, quo magis sunt formae immateriales, eo magis esse intelligentes. Scriptura etiam Deum, sapientem, scientem, fontem sapientiae vocat, *Rom.* 16. 17. 1. *Sam.* 2. 3. *Ps.* 36. 10. & altitudinis scientiae Dei meminit. *Rom.* 11. 33.

32. Huius scientiae Dei, quamuis qualitas non sit, sed ipsa Dei essentia vna in se, & indiuisibilis, duplicem statuimus modum, infirmitatis nostrae leuandae caussa. Vnus est, quo Deus habet sui aequalem notitiam, scit adaequatè quòd est: & est, quod scit esse se: nouit seipsum per seipsum. 1. *Cor.* 2. 11.

33. Alter est, quo, vno actu, non successiuè, aeternum, non in tempore, per essentiam suam, non per receptionem specierum intelligibilium, immutabiliter, non contingenter, quae sunt, & quae adhuc non sunt, sed futura sunt, scit scientia visionis, id est videt tanquam sibi praesentia. quae etiam non sunt, nec futura sunt, nouit, quatenus scit quaecumque ipse facere potest, & quae à creaturis, ipsius permissu, fieri possunt: omnia bona, γνωςῶς καὶ πρακτικῶς, omnia mala quae à creaturis fiunt, γνωςῶς tantùm: ordinem tam bonorum quàm malorum ad bonum finem, ἐνεργητικῶς. Quod autem cognoscat tam bona, quàm mala, satis patet ex eo quod est vniuersale principium omnis ortus, & actus, quà bonus est: Dominus vniuersitatis, in qua si veré Dominus, nihil fit inscio ipso. Quod Scriptura etiam innuit, multis in locis. 1. *Prou.* 15. 3. *Hebr.* 4. 13.

34. Quoniam verò, *verum* est obiectum intellectus proprium, & Deus est intellectus qui adaequatum obiectum, veritatem esse de numero attributorum Dei sequitur, quod etiam Scriptura demonstrat, quando Deum, Deum veritatis appellat, *Ps.* 31. 6. & Christus se in ea veritatem vocat. *Ioh.* 14. 16.

35. Hactenus de intellectu, sequitur *voluntas* quae de Deo praedicari debet, cùm intellectum ei tribuerimus, vt enim res naturales habent inclinationem naturalem, animantes instinctum seu appetitum animalem, quo quaerunt bonum suum, & in eo inuento acquiescunt, ita res intelligentes, volúntate qua volunt liberè, quod sibi bonum putant, praeditae sunt. Sacrae literae ipsae de Deo similiter voluntatem enunciant infiniter. *Psalm.* 115. 3. *Rom.* 9. 19.

36. Huius voluntatis Dei (vt fecimus scientiae) infirmitatis nostrae caussa, duplicem statuimus modum. Vnus (cui respondet aliquo modo, voluntas naturalis nostrae qua volumus esse & viuere) quo sese vult, voluntate aequiparata, quod vult aeternum & immutabiliter se esse, & vult immutabiliter & aeternum se esse, quod est.

37. Alter est, (cui respondet voluntas nostra, ἐκ προαιρήσεος) quo alia à se omnia vult propter se, sapientissimè & liberrimè, bona quidem efficere, mala permittere, bona & mala ad finem bonum, gloriam suam, & suorum salutem perducere, non vult enim permittere mala Deus, nisi quatenus ex malis se bonum elicere posse scit & vult.

38. Ex eo quod modò vidimus, scilicet, Deum non velle permittere malum, nisi boni ratione, patet obiectum voluntatis diuinae esse bonum, & sequitur bonitatem Deo attribui debere: quia Deus, est voluntatis suae perfectae adaequatum obiectum, quod & alio argumento natura confirmat, docens, Ens & bonum connecti, & Scriptura

tura innumeris in locis, *Marc.* 10. 18. Atque haec de intellectu & voluntate, sequitur potentia, quae exequitur, quod voluntas imperat, & ad quod intellectus dirigit (f. 1613).

39. *Potentiam*, quando de Deo affirmamus, non intelligimus potentiam, quae est secunda species qualitatis, quâ, quis est aptus & habilis ad aliquid; nec de habitu, qui est potentia, proximè determinata ad agendum; nec potentiam passiuam, quae propria est materiatorum propter materiam: quia nihil in Deo materiale, nihil habituale, nihil potentiale, nihil nisi actuale. Sed intelligimus principium agendi in aliud: & quia secundùm quod aliquid est actu, secundum id est principium actiuum alicuius, dicimus potentiam illam actiuam maximè conuenire Deo, qui est maximè Actus, quod contestatur Scriptura toties, quoties potens aut omnipotens in ea vocatur. *Rom.* 4. 21. *Luc.* 1. 37.

40. Potentia illa Dei spectatur duobus modis: aut absolutè, aut secundum relationem ad omnes proprietates quas statuimus in Deo secundum potentiam illam absolutam, Deus omnia potest, quae sunt potentiae, non impotentiae, vt malum, & quae implicant contradictionem. Sed quia nunquam illa potentia separatur ab aliis attributis Dei, dicimus Dei potentiam vt infinita sit, nunquam tamen agere, nisi prout à sapientia & voluntate modificata est.

41. Hactenus de primi & secundi generis attributis. sequitur tertium genus, in quo vltimum tantum posuimus, quia *perfectissimum* complectitur quicquid in tertio illo gradu desiderabamus. Misso. n. eo quod comprehendit in se omnia attributa antecedentia, (ob quam caussam, vltimo loco, tanquam ἀνακεφαλαίωσιν collocauimus) est modus ille supereminens (de quo thes. 8 & 10.) secundum quem, omnia quae de Deo enunciantur, Deo insunt, quum. n. dicimus, Deum esse simplicem, supereminente modo & infinito, idem est, ac si diceremus, perfecto: quia, si modus ille, quo proprietatis Dei Deo insunt, non esset supereminens. i. si non superaret perfectiones creaturarum, & modum ipsarum, non esset perfectus, nec Deus ipse; cùm aliquid creaturis, & modo ipsarum perfectius imaginari possemus, & illud perfectius in Deo desideraremus: perfecti verò definitio, sit, in quo nihil desiderare possis & cui nihil potest accedere.

42. Quando etiam dicimus, perfectissimo modo inesse Deo, attributa de quibus supra vniuocè dicimus inesse, quia (cùm de prima vniuoci conditione thesi proximè praecedenti dictum sit) si Deus non esset ita bonus, vt etiam bonitatis quae est in creaturis caussa esset, non esset perfectè bonus, cùm bonum natura sua sit communicabile, & illam ipsam communicationem in Deo desideraremus.

43. Concludimus igitur Deum esse in se, & à se, diuino, supereminente & incomprehenso modo, perfectissimun, & perfectionis omnis, quae emicat in creaturis nobilissimis, causam vniuocam. creaturas verò, non perfectione, sed perfectionis vmbra, praeditas esse. Nam vt de negatiuis attributis Dei taceam, quae nusquam posse communicari creaturis, in confesso est apud omnes, ipsa affirmatiua illis insunt secundum similitudinem tantùm: Deus verò solus verè sapiens est & verè bonus, 1 *Tim.* 1. 17. *Marc.* 10. 18. Huic sit laus in secula.

IX. DE

IX. DE ATTRIBVTIS DEI.

Thesis Prima.

Attribvtvm sumitur vel latè, vt aequipolleat praedicato; vel strictè, pro rei proprietatibus, quae cùm attribuuntur quarto modo, simpliciter attributa per excellentiam vocari solent. Priori modo infinita Dei attributa sunt, nec omnia huius loci: Quicquid enim de Deo dicitur, per enunciationem attributum eius est; Posteriori verò non item, sed ea tantum quae propriè. Quorum alia Substantialia sunt, alia Actiua. Substantialia sunt ipsius Dei in se, & Deus ipse. Actiua autem respectu creaturarum, quae habent se ad illa, vt emanantia ad formam, vt Creatio, Prouidentia, &c. de quibus singulatim suo loco. Cùm verò Substantiale in Deo, vel absolutum sit, à quo Essentia; vel relatiuum, à quo personarum hypostases; Attributorum quoque substantialium, alia Essentialia sunt, alia personalia. Et personalia quidem, Idiomata sunt Characteristica, & determinatiua Personarum; vt Paternitas, Filiatio & Processio, de quibus abundè in mysterio Diuinae Trinitatis. supersunt tantum Essentialia, de quibus breuiter hac disputatione volente Domino. (f. 1614.)

2. Atque haec quidem non sunt quid aliud ab ipsa Essentiâ, aut ei superadditum, aut ab ea emanans: sed eiusdem tantùm, per suas quasi partes, accuratior descriptio. Deus enim, & quicquid Dei, Essentia simplicissima est, & praeter eam nihil. Sed cùm cognitio nostra successiua sit, nec vnius actus; Esse verò Dei indiuiduum atq. impartibile: non potest certè ratione alia à nobis cognosci, quàm per partes analogicas. Quae cùm partes propriae non sint, vocantur Attributa: tum quòd ea sibi attribuat Deus caussâ nostrâ, tum quòd iis magna ex parte respondeant, quae in nobis accidentia atq. attributa sunt. Quandoquidem autem solus Deus Ens est vniuocè; totidem sunt proprietatum diuinarum genera, quot potissimum Transcendentia: Esse, *Vnum*, *&* *Bonum:* Quorum Vnum, & Bonum se habent ad Esse, vt adiuncta ad fundamentum suum. Et quamuis vt in Deo ipso, nec partium ordo, nec prius aut posterius est; sed vnum omnia: ita quoq. in attributorum eius consideratione, quolibet posito consequantur reliqua, nec vnde incipias multum intersit: agemus tamen de iis ex ordine transcendentium, referentes singula ad suum genus quàm fieri poterit commodissimè.

3. Et primò quidem: Proprium vnius Dei est *Esse*, qui solus est qui est, ὁ ὢν, & αὐτοών, id est Iehoua, *Ex.* 3. 14. *Apoc.* 1. 4. Quicquid autem entitatis est (vt ita dicamus) in rebus omnibus, 1. ab ipso, atq in ipso. In eo enim viuimus, mouemur & sumus: à quo, in quo, per quem, & propter quem sunt omnia. *Act.* 17. 28. *Rom.* 11. 36. Quin imo, ita peculiare Deo est Esse, vt ne quidem esse habeat, quod proprium creaturarum est: sed sit Esse ipsum. Vnde passim, non tam concreta de Deo praedicantur quàm abstracta; vt lux, veritas, sapientia, &c. Huius autem Esse Dei triplex attributum est, Intellectus, Voluntas, & Potentia: quae simul iuncta in Deo vitam eius quasi constituunt. 1. *Sam.* 15. 29. *Ioan.* 14. 6. 1. *Ioan.* 1. 5.

4. Intellectus seu *Scientia* Dei, est actus indiuiduus, cognoscens omnia perfectissimè, & diuino modo. *Rom.* 11. 33. *Psal.* 147. 5. Actus quidem, cùm habitualis cognitio in Deum non cadat: Indiuiduus autem, cùm successione careat & discursu. Huius obiectum duplex. Entia, & non Entia. Entia quidem, vt Deus ipse & extra Deum vniuersa & singula, quae sunt, fuerunt, aut futura sunt, siue bona, siue mala, siue contingentia, siue necessaria. Non Entia autem, quae etsi nec fuerunt, nec futura sunt, cùm tamen sint in potentia vel Dei, vel creaturae, cognoscuntur quoque ab

 ipso,

ipso, cuius est scire omnia, quae sunt quocunque modo. Atque ex duplici hoc obiecto duplex quoq. Dei scientia est: Visionis, & simplicis intelligentiae. Quae. n. non existunt reipsa, solummodo intelliguntur: Entia autem omnia Deo aspectabilia sunt; sine praeterito aut futuro, ratione aeternitatis: sine contingentia respectu primae causae, etsi ratione secundae & fieri possint & non fieri. Medium autem intellectus diuini, (si medium dici ἀναλόγως potest) non species intelligibiles, sed ipsa eius essentia est: in quâ praeexistunt omnia supereminenter: vt Deus & seipsum noscat in seipso, & caetera omnia in seipso; Bonum quidem primariò, Malum veró reductiuè per oppositum Bonum. Quod enim sciat Deus, non est à speciebus rerum, sed res quòd sint à scientiâ Dei determinata per voluntatem.

5. Et haec quidem de intellectu. Voluntatem videamus, quae intellectum consequitur. vt enim naturalia appetitum naturalem habent, animalia animalem: ita & intelligentia voluntatem. *Voluntas* autem vel de Deo dicitur essentialiter: quae propriè eius voluntas est, & cuius actus nunquam non expletur efficaciter; vel figuratè; quam voluntatem signi, & inefficacem appellant, vt praecepta atque interdicta; quae cùm nec fiant semper, nec fieri quidem velit Deus, iuxta decretum voluntatis suae; referri certè ad illam propriè non possunt. & de hac quidem nihil hoc loco. *Matt.* 6. 10. Essentialis est actus in Deo liberrimus, atq. inde pendens: quo vult bonum vt finem, & ad bonum omnia. Obiectum eius bonum est, vt Verum intellectus, vt. n. intelligit omnia, ita haec ea determinat, nihil volens nisi bonum: Malum autem non nisi ratione boni. Bonum autem duplex est: Summum, vt ipse Deus; & Subordinatum, vt reliqua praeter Deum omnia, ordinata ad ipsum vt media ad suum finem. Illud primarium, hoc secundarium voluntatis obiectum est: & vtrique sua respondet actio; cùm finis appetatur, media verò eligantur: liberrimè quidem vtrumque in Deo; sed diuerso tamen modo. Vult enim Deus seipsum, & gloriam suam, ex necessitate naturae: media autem iuxta arbitrium voluntatis, sine vlla necessitate, praeterquam hypotheseos. quae propria immutabilitatis est. (f. 1615.) Cùm autem Mediorum alia absolutè bona sint, alia male secundum quid: illa quidem Deus vult effectiuè, quae voluntas beneplaciti est: haec verò permissiuè tantùm, substrata ordinationi ipsius, quam placiti nuncuparunt. Ad potentiam veniamus, quae voluntatis quodammodo instrumentum est.

6. *Potentia* autem alia passiua est, & ἀδυναμίας potius quàm δυνάμεως, * de qua nihil hoc loco: alia actiua, quae in Deo eminentissima: & quidem absoluta vel ordinaria. *Matth.* 19. 26. 2. *Tim.* 2. 13. Absoluta est actus essentialis, quo potest omnia simpliciter possibilia, quae contradictionem non implicant: pauciora quidem quàm intelligit, inter quae & mala sunt, plura tamen quàm aut vult aut facit. Ordinaria autem actus Dei successiuus est, efficientis suo tempore ea omnia & sola quàm potentissimè, quae voluntate sua determinauit ab aeterno. Illa essentialis, haec actualis est: & secundum vtrumque omnipotens Deus, sed secundum illam maximè quae voluntatis decreto non circumscribitur. Et haec quidem de *Esse*, sequitur *Vnum.*

7. Est autem Deus maximè vnus, *Deut.* 6. indiuisus in se, & diuisus ab omni alio. Quidquid autem vnitatis est in creaturis, id est ab ipso, quarum partes diuersissimae non conueniant in vnum, nisi ab vno ordinatae. Vnus autem Deus est non analogiâ, aut genere, vel specie, horum enim nihil in Deum cadit, sed numero atque indiuiduitate. Cùm enim Deus sit ipsum suum esse, sequitur certè vt ipsum diuinum esse vnum sit τό δε τὶ, atque indiuiduum. Vnum autem duplex est: aliud Simplicitatis, quod propriè, & per se vnum est: aliud compositionis, quod per accidens, atque ab alio. Quorum vt hoc creaturarum est, ita illud solius Dei: cuius sola est absolutissima *simplicitas*, quae nec ipsa in sese composita est vllo modo, aut in compositionem

compositionem alterius venire potest. Est enim actus purus, & forma per se subsistens, & seipsam indiuiduans: *Ioan.* 4. 24. quae vt maximè ens est, ita & maximè Vnum. Neque enim cadit in Deum compositio, aut Substantiae & accidentis, aut materiae & formae, aut actus, & potentiae: imò ne quidem essentiae & existentiae, aut naturae & suppositi. Omne enim compositum, qualecunque tandem sit, posterius est suis componentibus, & ab aliis dependens: & causam habeat necesse est, cùm diuersa non coeant in vnum, nisi per causam adiuuantem. Quae cùm in Deo locum non habeant, oportet certè omnia in ipso vnum esse, per modum ineffabilem diuinae simplicitatis. Et cùm Deus causa omnium efficiens sit, primum agens, & purus actus, non potest quoque in alterius compositionem venire, vt aut materia sit, aut forma, & haec de Vno: sequitur *Bonum.*

8. *Bonum* soli Deo essentiale est: creaturis autem accidentarium, & per participationem. *Matth.* 19. 17. Nemo bonus nisi vnus Deus. Quicquid verò bonitatis est in rebus creatis, id est ab ipso, de cuius plenitudine haurimus omnia. Bonus autem Deus est & efficienter, & essentialiter, & finaliter. Efficienter quidem, cùm ab ipso omnia defluant: Essentialiter, cùm à seipso perfectè bonus sit: finaliter autem, cùm ad eum omnia referantur, à quo & propter quem sunt omnia. Atque hac ratione Deus finis vltimus est, ad quem omnia contendunt: & summum bonum tum ipse sibi, tum extra se vniuersis. Sed de his alibi. Bonitatem Dei essentialem videamus, illius vtriusque fundamentum: quae propria est huius loci. Est autem ea, summa diuinae essentiae *perfectio*, quae est in sese perfectissima, αὐτάρκης & ἀνενδέης. Cùm autem Deus sit esse ipsum, non potest quicquam eo esse perfectius, vt nec calore ipso quicquam calidius & cùm rerum omnium caussa efficiens sit, necesse est earum perfectiones praeexistere in ipso, secundum modum supereminentiae.

9. Atque huius quidem perfectionis Diuinae mensura *Infinitas* est: cùm nullis finibus determinata sit, ac circumscripta: sed exuperet omnia in infinitum. Infinitas autem alia est ipsius essentiae in sese, alia respectu extentionis. Essentiae in sese est, tum supereminentiae ratione, tum virtutis. Supereminentiae: qua οὐσία ὑπερούσιος dicitur, quae Categoria omnes & rerum aliarum dignitatem infinitè transcendat: expers omnis materiae, & potentiae passiuae, quae entium ignobilissima sunt. Ratione autem virtutis, quâ Deus intelligit, & potest infinita, & reipsa efficit. Atque haec quidem infinitas ipsius Essentiae est. Extensionis autem, alia est secundum locum, quae immensitas dicitur: alia secundum Tempus: quae Æternitas: quarum haec durationis, illa dimensionis est reductiuè.

10. *Immensitas* in Deo est actus infinitus, quo & nus(f. 1616.)quam est circumscriptiuè: repletiuè autem in omnibus, & vbique totus per essentiam, & in rebus ipsis per praesentiam & virtutem. *Ps.* 139. *Iesa.* 66. 1. *Ier.* 23. 23. Est enim Deus & in omnibus, & extra omnia: continens vniuersa, & contentus nusquam: quemadmodum de sphaerâ extima dicitur, cuius spatium vbique est, circumferentia nullibi. *Æternitas* autem actus est infinitus, atque impartibilis, quo Deus est quod est, immutabiliter in aeternùm. Tria autem aeternitati essentialia sunt. 1. vt careat principio, & fine. 2. & tota continua sit, & praesentanea, * 1. *Tim.* 6. 16. 17. sine successione partium praeteriti aut futuri, & prioris, *Apoc.* 1. 4. aut posterioris. 3. vt hoc quod est, sit immutabiliter. Atque hcc vltimum illius vtriusque fundamentum est: quod enim mutatur praeteritum habet, & futurum, & quiddam prius, quiddam posterius. Atque vt motus ad mutationem, mutatio autem ad generationem, & interitum ducit: ita & contra immobilitas ad aeternitatem.

11. *Iac.* 1. 17. Est autem Deus maximè *immutabilis* & in seipso, & in operibus suis. In seipso quidem: cùm immobilis sit, & ratione & essentiae simplicissimae & perfectissimae:

perfectissimae: & ratione loci: quia immensus est, atque implet omnia. In operibus autem, cùm omnia decreuerit ab aeterno vniformiter, & exequatur exactissimè suo tempore, iuxta immutabile consilium voluntatis suae. Atque haec etiam de Bono.

12. Quamuis autem haec attributa omnia Deo essentialia sint, communicantur tamen cum creaturis analogicè, & suo modo: Et circumferimus ipsi eorum imaginem in animabus nostris: quae comparatè ad corpora, essentiae purae sunt, simplices & bonae, ingenerabiles, & incorruptibiles: quae suo modo intelligunt, volunt & possunt, &c. Perficientur autem haec omnia in nobis in futura vita, in qua Deus erit omnia in omnibus. Amen.

X. DE AETERNA DEI PRAEDESTINATIONE.

Cùm ex aeterna praedestinatione Dei tanquam fonte perenni, totum salutis nostrae mysterium, & omnia diuina beneficia fluant; qui salutis suae pia aliqua tanguntur cura, quid de ea sit tenendum & sentiendum, summo cum studio, sed & summa cum cautione exquirere debent. Quod vt commodè faciamus, de ea aliquid dicturi, confusionis & obscuritatis vitandae caussâ; methodo, qua vti conuenerunt rerum naturalium indagatores, in re omnia naturalia longè superante, vtemur; videndo primùm an res de qua quaeritur sit, 2. *quid sit nominis,* 3. *quid rei,* 4. *propter quid sit res, id est, quae sint caussae illius.*

Thesis prima.

1. Devm sapientissimum, apud se ab aeterno decreuisse, quid vno quoque hominum (de his. n. solis agendum nobis proposuimus, de Angelis nihil dicturi) fieri vellet quoad communicationem, & non communicationem gratiae, cum pene innumeri S. Scripturae loci id asserant, nemo qui Christianus videri voluerit, inficiabitur: cùm principia naturae id vtrunque doceant, nemo nisi etiam hominis nomine indigna negabit.

2. Tale decretum, *Praedestinationis* nomine exprimimus, ex vsu Ecclesiae & orthodoxorum Patrum, *Aug. de ciuit. Dei, lib.* 15. *c.* 1. *Fulgent. lib.* 2. *ad Monim.* qui de electis & reprobis verba facientes, praedestinationis vocem vsurparunt, quamuis interdum ídque saepius ad electos restrinxerint, vnde orta diuisio in generalem & specialem. Nos in thesibus generalius semper accipiemus, quoties non ei adiecerimus particulam hanc *Sanctorum*, sed videamus etymon & significationem vocis.

3. Graecis προορίζειν, vnde προορισμὸς, idem est quod Latinis *praedestinare*, vnde *praedestinatio*, vox enim & Graeca & Latina significat & determinare rem antequam fiat, & segregare factam, ad hunc vel illum vsum. vtraque significatio hic locum habet.

4. Indicatis etymo & vocis significatione, definitionem aggrediamur. Est itaque Praedestinatio, generaliter accepta, simplicissimum, iustissimum, sapientissimum, liberrimum & immutabile Dei decretum, quo apud se, ab aeterno, statuit gratiam adoptionis in filios largiri aliis, aliis non largiri, pro placito voluntatis suae, & sic gloriam suam sapientissimè illustrare (f. 1617).

5. Praedes-

5. Praedestinationis sic definitae duae sunt partes. *Electio*, & ei opposita contradictoriè non-electio, seu *Reprobatio*, de quibus sigillatim dicemus, quum aliquid, tum de caussis ipsi electioni & reprobationi communibus, tum de quibusdam adiunctis, itidem communibus electis & reprobis dixerimus.

6. *Causa* Praedestinationis *efficiens*, est Deus essentiâ vnus, personis trinus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. *Impulsiua*, quae ad efficientem reductiuè pertinet, est sola Dei voluntas.

7. *Finalis*, Dei gloriae illustratio; cui coniuncta est electorum salus; omnia. n. & bona & mala, ad gloriam suam, benè ordinat Deus, & facit vt suis in bonum cooperentur.

8. *Genus*, quod vicem materiae obtinet est Consilium, seu decretum, cuius naturam, epitheta quibus vestitum est abundè declarant.

9. *Forma* est gratiae (vt ita loquamur) filiationis communicatio & non-communicatio, siue abstensio, quam reprobationem dicimus.

10. *Commune obiectum circa quod versatur*, est vniuersum genus humanum. i. omnes & singuli homines, à Deo communiter considerati, secundum vniuersam rationem ipsorum, & omnium temporum: nondum conditi, conditi, lapsi.

11. Sic enim oportuit homines à Deo considerari, quia apud illum non est, fuit aut erit, sed esse permanens, totum simul, atq. interminabile. nam scientiae Dei nihil potest aut accedere, aut decedere: quia si ab aeterno in aeternum non videt, desinit esse aeterna: si partibus definitur, desinit esse infinita: quod dicere impium & blasphemum est.

12. Nec tamen propterea dissentimus à piis & doctis illis viris, qui statuunt Deum contemplatum fuisse hominem in praedestinando, antequam conderetur, neq. ab iis, qui conditum & lapsum à Deo consideratum fuisse asserunt: quod. n. & hi & illi verè dicunt, sancte profitemur: vtrumq. n. dicimus.

13. Et vt nos ab vtrisq. non dissentimus in rei substantiâ, sic inter se illi non dissentiunt, affirmant. n. vtriq. constanter & piè (vt & nos) causam praedestinationis esse Deum solum, pro placito voluntatis, nullam, extra Deum, vel in homine vel alibi inueniri: & praedestinationem ipsam non esse in tempore factam, sed ab aeterno. Quod verò ad circumstantiam attinet, qua vestitur homo aliâ atq. aliâ, eius ratio propriè non pertinet ad praedestinationis causam.

14. Neque etiam in circumstantiarum ratione ita discrepant, vt arbitrantur multi, nam quum hi dicunt hominem à Deo praedestinante consideratum fuisse lapsum, ad causam electionis, reprobationisq. non respiciunt propriè, sed ad ordinem seriémq. causarum, ex quibus damnatio consequuta est. Deinde hoc non dicunt, exclusis aliis hominis statibus, sed singulari & non improbandâ de caussa: scilicet vt petulantia carnis in Deum proteruè se erigentis facilius compescatur, quod fit cùm omnes homines ex aequo peccatores, à Deo praedestinante consideratos fuisse scimus. Quando verò illi Deum in praedestinando, hominem nondum conditum spectauisse asserunt; Deum propterea à lapsus hominis consideratione non arcent, sed tantùm illud volunt, vt causa omnis praedestinationis in Deo, nulla extra Deum in homine reperiatur. Sic conueniunt in re: rei explicandae modus est diuersus.

15. Inde patet nullum singularem hominis respectum exclusiuè, sed communem in praedestinationis argumento poni oportere. Ita vt eum nondum conditum, conditum, lapsum, tamen in conspectu Dei praesentissimum omni ex parte ab aeterno, intelligamus: adeo vt in electione concurrant gratia ἁπλῶς, in hominem ἁπλῶς consideratum, qualis est ea quam communicauit Deus cum Angelis suis qui non defecerunt. In lapsum verò hominem & peccatorem, gratia coniuncta misericordiae. In reprobatione,

reprobatione, non gratia simpliciter, in hominem simpliciter consideratum; in lapsum verò, & peccatorem, non-misericordia. & haec de caussis. Iam ad adiuncta de quibus dicere proposuimus thesi 5.

16. *Adiuncta* communia tam electis quàm reprobis (antequam aut illi reapse donentur Christo per fidem, aut hi malitia & incredulitate Christum & beneficia eius respuant) sunt à Deo optimo & maximo optimè & potenter creari; deinde, à iusto iustè sini labi in peccatum.

17. Optimè creantur à Deo omnes & singuli homines, tum quatenus Adamum (qui consideratur vt omnes homines) immediatè, in integritate, ad imaginem suam creauit Deus, *Gen.* 1. 16. tum quatenus omnes posteros Adami, creauit, creat, & creaturus est vsque ad finem mundi, benè & inculpatè per naturam, quae ex instituto, sine vllo suo vitio, hominem per hominem fundit. (f. 1618.)

18. Iustè permissi labi in peccatum dicuntur, tum quatenus Adamus vniuersum genus humanum in lumbis suis gestans, bona voluntate instructus, in re naturali, sibi suaeque naturae concreditus, sibi & posteris suis lapsus est. *Gen.* 3. 6. Tum quatenus iusto Dei iudicio, omnes homines à peccatoribus parentibus, peccatores, tanquam elephantici ab elephanticis generantur, & peccato (vt vocant) orginario inquinati ab vtero, *Gen.* 8. 21. *Ps.* 51. 7. morti aeternae obnoxij sunt, *Rom.* 5. 12. 14. quod enim quidam non moriuntur, hoc fit beneficio electionis, de qua videndum ordine nobis proposito.

19. *Electio* ab eligendo dicta, vt ἐκλογή ἀπὸ τοῦ ἐκλέγειν, quae verba significant tum Graecis tum Latinis, vel ex duobus vnum, vel ex pluribus vnum aut multa sibi separare, sibi assumere & retinere.

20. Electio in Scripturis vocabulum est πολύσημον. Significat enim vel electionem singularem, qua Deus sibi quosdam in filios separauit ab aeterno. *Eph.* 1. 4. aut istius electionis ab aeterno factae, in tempore executionem: *Ioh.* 15. 19. vel significat electionem communem, qua corpora nationum separantur ab aliis corporibus, & sanctificantur à Domino: quadam vocatione communi, tanquam medio ad singularem vocationem ordinato, vt praedicatione verbi, & Sacramentis: *Deut.* 7. 8. *&* 26. 18. significat praeterea electio, electionem ad munus aliquod in Ecclesia, *Luc.* 6. 15. *Act.* 1. 24. aut Politia. 1. *Paral.* 28. 4. Nos de electione in prima significatione agemus: tertià & quartâ, tanquam proposito nostro non convenientibus reiectis: secundae, in explicatione effectorum electionis aeternae, reseruato loco.

21. Electio in hac significatione primâ accepta, re idem est cum praedestinatione, cum adiunctione *Sanctorum.* si enim praedestinatio seorsim ab electione ponatur, re idem est ac electio: & contra. Si verò sibi inuicem opponantur, ratione differunt: praedestinatio enim totum ordinem gratiae & gloriae, quam cum suis electis communicat Deus, complectitur. Electio verò, est primus terminus gratiae, & respicit tantùm personam in Christo, velut in capite: hoc obseruato, praedestinationis Sanctorum seu electionis definitionem videamus ipsissimis Pauli verbis delineatam. *Eph.* 1. 4. 5.

22. *Praedestinatio Sanctorum*, est decretum, quo Deus Pater Domini nostri Iesu Christi, pro beneplacito voluntatis suae, ab aeterno nos praedestinauit (id est quosdam ex hominibus) sibi ad υἱοθεσίαν in Christo, ad laudem gloriae gratiae suae.

23. *Causam efficientem* denotant verba, Deus Pater, &c. *Impulsiuam*, pro beneplacito, &c. de qua cum dixerimus (nihil autem diximus κατὰ θέσιν, sed solùm κατ' ἄρσιν) causas, quae afferuntur aliae, fictitias esse demonstrabimus & tollemus.

24. Christi ipsius meritum non potest dici *causa:* quia est remedium morbi nostri, morbus verò ordine praecedit remedium: quanto magis electio Dei, quae nos ante morbum vidit, & ad curationem morbi nostri merito Christi vsa est? Non voluntas hominis,

hominis, quia non est volentis nec currentis. *Rom.* 9. 16. Non fides praeuisa, quia electi sumus vt credamus, & credimus quia electi sumus, *Act.* 13. 48. Non bona opera praeuisa, quia id Apostolus expressè negat, *Rom.* 9. 12. De finali causâ diximus supra, & adhuc eam in definitione posita verba (ad laudem) gloriae luculenter notant.

25. *Materia* Electionis circa quam, propria & adaequata, sunt omnes & singuli electi, & pauci, habita ratione innumerae reproborum multitudinis, *Matth.* 20. 16. hanc designat Apostolus dicendo, nos. *Forma* propria est discretio & designatio εἰς υἱοθεσίαν ἐν Χριςῷ.

26. Addidit Apostolus ἐν Χριςῷ, vt duo doceret, nimirum & vinculo opus esse tanquam intermedio, quo Deus electos sibi adiungeret, qui in se, & ex se υἱοθεσίας incapaces erant: & Christum θεάνθρωπον fuisse vincùlum illud, quo vnio nostri cum Deo facta est. haec de definitionis analysi. Iam adiuncta videamus & effecta.

27. Duo sunt adiuncta praecipua. primùm, quòd sit gratuita. 2. quòd sit certa. esse gratuitam ex supradictis patet: de certitudine superest dicendum.

28. Electionem certam esse dicitur dupliciter, vel in se, vel in nobis. Certam in se & immutabilem, cùm ex Deo, immediatè procedat, nemo negabit, nisi qui Deum mutabilem fingere velit, contra Scripturas. *Malach.* 3. 6. *Iac.* 1. 17. & sensum communem dictantem nobis aeternitatem simplicem non esse tempori aut mutationi obnoxiam, nec esse posse. (f. 1619.)

29. Certa igitur est electio & immutabilis, respectu caussae suae, & per consequens electorum numerus certus, tum numerans (vt cum Scholasticis loquar) tum numeratus.

30. De numerante etsi non debeamus (curiositati nostrae nimium indulgentes) magnopere esse solliciti, nemo est tamen qui non teneatur credere certum & firmum esse, & ita, vt nec augeri, minui, aut mutari possit.

31. De numerato, id est, qui sint ij omnes quos Deus eligit, tum Dei voluntas, tum nostra incapacitas scire non patitur. Scripturae, quae tantum voluntatis Dei, quantum ad nostram salutem est satis, continent; docent solùm, ita firme & immutabiliter electos esse quicumq. electi sunt, vt impossibile sit fieri eos reprobos, aut contra, reprobos fieri electos.

32. De numero numerato isto electorum se esse omnes quotquot sunt in mundo homines, credere debent ex Dei mandato: etiam si soli electi hanc fiduciam sibi applicare possint, & reuera applicent, & in hac fiducia acquiescant. Non enim certa solum est & Deo, & in se electio, sed & electis Deus pro sua bonitate certam reddit testimoniis luculentissimis.

33. Quae sunt, primò, *Testimonium* Sp. Sancti, de quo Paulus disertè in Epist. ad Rom. *cap.* 8 *ver.* 14. & sequentibus, vbi sic concludit, *Spiritus S. testatur vnà cum spiritu nostro, nos esse filios Dei.* Idem habetur ad Galatas *cap.* 4. *ver.* 6. Tale de electione Testimonium, electis solis proprium, reprobis incommunicabile, *Ioh.* 14. 7. indubitatum & certum est, immotum aduersus omnes afflictionum & tentationum moles.

34. Promissiones Euangelicae, siue nudae, siue Sacramentis vestitae, secundum obtinent locum, omnibus quidem in communi propositae, sed quae efficaciter ad solos electos pertinent, quas soli electi sibi vera & viua fide appropriant, quarum fructum soli percipiunt, & quibus sibi appropriatis, de suâ electione certi indubitatò fiunt, & non possunt non esse certi.

35. Tertiò, electionis ipsius effecta, quae nihil aliud sunt, quàm electionis aeternae executio, in tempore; sed antequam de modo quo nos certos reddunt de electione nostri ab aeterno factâ, dicamus, quae & quot sunt, est videndum.

36. Effecta

36. Effecta electionis trium sunt generum. Primum est, causa omnium sequentium proxima & meritoria. Quae secundi generis, pertinent ad viam, per quam ambulare debemus in hoc mundo. Tertium, est termini quem nos assequuturi sumus post emensum iter.

37. Primum itaq. effectum est Christus, quem Pater misit, vt qui credit in eum non pereat, *Ioh.* 3. 16. quem misit ἱλασμὸν pro peccatis nostris. *Ioh.* 4. 10. Ex quibus locis duo, quae ad institutum maximè faciunt, colliguntur. 1. Donum, quo nobis donauit Christum Deus, esse effectum electionis, qua nos pro beneplacito voluntatis suae elegit ante secula. 2. Christum nobis promeritum fuisse beneficia, quae in sequentibus, inter effecta electionis recensentur.

38. Effecta illa quae pertinent ad viam, & ad terminum viae, Apostolus Paulus ordine recenset ad Rom. *cap.* 8. *ver.* 29. nos eius ordinem sequemur.

39. Secundum itaq. electionis effectum est vocatio efficax, quâ Deus siue per Sp. S. internè solùm, seu per Spiritum, & verbum reconciliationis simul, quosdam ex hominibus ad se vocat, & ad regnum filij sui, vt Christo inserantur, credant Euangelio, illúdq. tam ore quàm corde profiteantur.

40. Tertium est iustificatio, quâ vocatis Deus Pater non imputat peccata, sed imputat gratis & sine operibus iustitiam filij sui, tanquam iustos habet in conspectu suo, éosque donat verá & viuá fide, qua iustitiam hanc Christi imputatam sibi applicare possint. *Rom.* 3. *&* 4 *cap. Gal.* 2. *&* 3 *cap.*

41. Quartum (quod Apostolus non exprimit, sed voce iustificationis conprehendit propter indiuiduum earum nexum) est sanctificatio; qua Deus in iis quos iustificauit, mortificat veterem hominem, vt Scriptura loquitur, & viuificat nouum, pedetentim, & per momenta vsque ad mortis momentum. haec de adultis intelligi debent, infantium enim sanctificationis alius est modus.

42. Vltimum quod potest dici terminus ad quem, est glorificatio; hoc beneficium nobis confert Deus, quando deposita carne, quae est terrenum tugurium nostrum, animas nostras in domicilium non manu factum euehit, 1. *Cor.* 5. 1. & beatitudinis gloriosae facit consortes, donec rursus eodem corpere vestitas plenius glorificet, vt eum etiam plenè & perfectè anima & corpore in aeternum glorificemus. (f. 1620.)

43. Effecta haec, quae sunt viae & termini, varias sortiuntur appellationes; dicuntur enim media idque tum respectu sui inter se, quatenus vnum ad aliud est medium, vt vocatio ad iustificationem, tum respectu finis summi Dei gloriae: ratione enim illius, glorificatio etiam est cum vocatione, &c. medium ad finem.

44. Dicuntur etiam fines, non propriè, sed tantùm respectu eius vel eorum quae praecedunt. vt exempli causâ, iustificatio dicitur finis vocationis, quia iustificatio sequitur immediatè vocationem; ob eandem rationem sequentes aliae aliarum dicuntur causae; quod καταχρηστικῶς effertur, si ad efficientem respicias: si vero causae dicuntur pro eo quod antecedentia dici deberent, vel si causae sine quibus non, per nos liceat: qui à λογομαχίαις abhorremus.

45. His mediis ad salutis nostrae ἀποτέλεσμα dupliciter vtitur Deus; nam 1. per ea, omnes & singulos electos ad finem summum deducit, gloriam suam; quapropter & electioni tamquam fini, & inter se ita cohaerent, vt nullo modo nec à principio, nec à fine, nec à se inuicem separari queant: ita vt quicumque est electus, vocetur saltem internè per Spiritum, iustificetur remissis peccatis, saltem originali, vt in infantibus, sanctificetur à sordibus suis. *Ioan.* 3. 3. 5. glorificetur à Deo, glorificet Deum.

46. Ne quis tamen putet nos necessitatem cogentem velle statuere in Deo, mediis eum adstringere, libertatem ipsius tollere, & sic fato Stoico patrocinari, Deum enim liberum asserimus, & sedere eum in coelis, vbi quaecunque vult facit, ex Scriptura compertum

compertum habemus; sed tantùm nos mediis hisce alligatos esse volumus, & ita vt quicumque, iis neglectis, in secreta Dei irrumpere velit, aut negatis, ad finem se peruenire posse asserat, eum in Deum blasphemum, ingratum, & toto coelo errare, dicere non vereamur.

47. Secundò, mediis istis & effectis electionis vtitur, vt certos nos reddat de nostri electione. Sunt enim ex ipsius Dei instituto, effecta causae suae ἀψευδέςατα, ita vt qui se vocatum efficaci Spiritus virtute senserit, se electum dicere possit; qui iustitiam Christi sibi à Deo imputatam amplexus fuerit, se vocatum esse dicere non dubitet; qui studium bonorum operum in se vigere nouerit, se iustificatum, vocatum, electum esse, sanctè gloriari queat, & per consequens se certo glorificatum iri. Ille est tertius modus quo certi reddimur de nostri electione, de quo paucula diximus thes. 34.

48. Omnes igitur, & singuli, qui tales & tantae notae testes electionis suae habent, quales sunt Sp. S. applicatio promissionum Euangelicarum, effecta illa electionibus supra enumerata, statuere debent, nec se nec electum quenquam finaliter & totaliter deficere posse. Illos verò pro electis habere tenentur ex Dei mandato, in quibus testimonia electionis animaduertent, idque ex iudicio charitatis, iudicium veritatis Deo καρδιογνώςῃ relinquentes. De iis verò, in quibus talia non videntur signa, desperare non debent, Deum esse misericordem scientes, qui horâ nouissima quos vult vocat.

49. Hactenus de electione, iam de reprobatione. *Reprobationis* nomen est etiam πολύσημον; dicitur enim vel communiter, vel singulariter. Communiter dicitur, quum & non-electionis decretum, & damnationem simul complectitur. Singulariter dicitur, idque duobus modis; primus est, quum reprobatio electioni opponitur, eaque significat partem diuini decreti, quae vocatur non-electio vel praeteritio. Secundus est, cùm reprobatio pro damnatione vsurpatur. Nos, primo significato (propter ambiguitatem quae ex decreti non-electionis & damnationis confusione oriri posset) & tertio (propter κατάχρησιν) reiectis, medium magis probamus; tum quia ἰδιώτερον est, & magis nostro proposito conueniens, tum quia vox id reuincere videtur: nam ἀποδοκιμάζω, quod verbum est Latine reprobo, significat Budaeo, *praetereo:* sed ad definitionem accedamus.

50. *Reprobatio* seu praeteritio est aeternum Dei decretum, quo Deus secundùm propositum voluntatis suae, ante omne tempus, decreuit maiorem hominum partem non praedestinare ad υἱοθεσίαν, non misereri, sed sibi ipsis & in naturâ suâ relinquere, ad illustrationem gloriae suae, & perfectionem πολυποικίλου sapientiae suae declarandam.

51. Reprobationis nullam esse causam *impulsiuam* praeter voluntatem Dei, demonstratum est supra, & definitio demonstrat, quae voluntatis solius meminit. Omnes igitur quae afferuntur aliae, commentitiae sunt: nam non est mali arbitrij vsus, quia sic esset vasis se discernere, non figuli, quod absurdum; non mala opera. i. peccata, quae si essent causa reprobationis, bona opera essent causa electionis, quod falsum, vt rectè monet August. *tom.* 4. *li.* 1. *g. ad Simpl. col.* 630. (f. 1621.)

52. *Obiectum* adaequatum reprobationis, sunt omnes & singuli reprobi. *Forma*, non designatio εἰς υἱοθεσίαν, & relictio in natura sua. *Finalis* causa, vt supra dictum est, est sapientiae Dei illustratio.

53. Reprobationem infallibiliter consequuntur peccata, & poenae peccatorum. Infallibiliter dico, tum respectu scientiae Dei, quam nulla rerum quae sunt & fiunt in vniuerso latet: tum quia lumine gratiae salutaris reprobi destituti, tenebris immerguntur, & sic non possunt non peccare, nec tamen ita infallibiliter patrantur peccata, quin vltro liberáque voluntate, qui peccant, peccent.

54. Peccata reprobationis consequentia dicimus, non effecta, quia decretum Dei non efficit vt homines peccent, nec talem sibi Deus proposuit finem, quum quosdam

homines reprobaret: iustus enim est Deus, & non amans iniquitatem. Quare homo voluntata sua libera author est peccati, non Deus reprobans.

55. Consequens alterum reprobationis dicimus esse poenas, quia Deus qui non potest esse non iustus, iustè, propter peccatum, quod ab aeterno praeuidet, hominem peccatorem, ab aeterno praedamnat: & reipsa propter peccatum, in tempore, damnationi aeternae addicit, quod decretum praedamnationis, magnâ cum Religione à decreto reprobationis distinguendum est.

56. Doctrina de electione & reprobatione, quamuis aduersus eam ratio humana audacter insurgat, non solùm doctis proponenda, sed & populo etiam in concionibus, cum explicatione ex ipsis Sacrae Scripturae fontibus desumpta. Quia Christus id facere non est veritus in concionibus suis ad populum. *Ioh.* 6. 43. 45. Quia Apostoli epistolas in quibus praedestinationis mentio sit, ad solos doctos non scripserunt. *Rom.* 9.

57. Verùm proponi debet sobriè, prudenter, & ad aedificationem. Prudentiae verò & sobrietatis regula est, si Deo os suum in Sacra sua Scriptura aperienti, aures nostras praebeamus, eum tanquam verbo praeeuntem sequamur, eóque tacente loqui desinamus, arcana Dei inscrutabilia ne scrutari velimus, sed potius ea, conscij nostrae imbecillitatis, ter & quater miremur, adoremus.

58. Hoc si fiat, tantùm abest vt doctrina de Praedestinatione sit saluti perniciosa, veluti homines aut in desperationem conijciens, aut in salutis incuriam, quin potiùs salutaris, fructuosa, & consolationis plena futura est.

59. Hac enim ad preces, ad bona opera omnia accendimur, quia scimus ea esse media, per quae vult Deus nos ad finem deducere, & vt ad finem sic ad media nos praedestinasse. Hac, ex mediis diaboli tentationibus victores euadimus, de nostra electione plenè persuasi. Denique discimus veram humilitatem profiteri, & omnia quae ad salutem nostram pertinent soli Deo tribuere, & accepta ferre.

XI. DE DIVINA PRAEDESTINATIONE.

1. Praedestinare, προορίζειν est aliquid ad certum finem vsúmque deputare & ordinare. *Rom.* 8. 29. Aeterna igitur Praedestinatio Dei, generatim loquendo, est decretum Dei aeternum, quo omnia ab aeterno apud se praeordinauit ad eos fines, per quos glorificaretur. *Act.* 4. 28. 1. *Ti.* 5. 21. Ea duplex est. 1. Rerum. 2. Personarum. Cùm a. hae personae (vt rerum praedestinationem missam faciamus) sint Angeli & homines, nos de Praedestinatione hominum potissimum instituimus dicere.

2. *Praedestinatio* igitur hominum est aeternum, simplex & absolutum, firmum & immutabile, sapiens & liberum Dei decretum, quo apud semetipsum ab aeterno constituit, quid de vnoquoque eorum fieri vellet, quod ad communicationem gratiae & gloriae ipsius. *Partes* sunt tres, destinatio principij, mediorum, finis. *Species* duae, electio & reprobatio, si ad summum eius principium respexeris: quibus multa sunt communia. Nam vtriusque eadem est *causa efficiens*, Deus: & eadem causa *impulsiua*, placitum Dei: vtraque facta est ad gloriam Dei & salu(f. 1622.)tem electorum. Vtriusque *subiectum* est genus humanum, quatenus per lapsum futurum erat corruptum, & in mortem aeternam propria culpa praecipitatum. Vtraque facta est ab aeterno, vtraque firma, immutabilis & inuariabilis. *Adiuncta* item communia electis & reprobis communia:

communia: creari, sini labi in peccatum, & in mortem, vocari externè. *Disparitas* & dissimilitudo, quae est inter illas in sequentibus apparebit.

3. *Electio*, est praedestinatio, qua Deus decreuit ab aeterno apud se, eorum quos ad υἱοθεσίαν destinauit, misereri in Christo, & eos donare conuersione, fide, iustitia, & tandem vita aeterna. Esse autem Electionem, Prophetae, Apostoli, necnon ipse Christus passim docet. *Esa.* 41. 8. 9. *Rom.* 8. 29. *Ephes.* 1. 4. *Matth.* 20. 16. Eius *partes* duae sunt, praeparatio gratiae & gloriae.

4. Electionis huius nulla extra Deum *causa efficiens* aut impulsiua in ipsis hominibus statuenda, à qua praeuisa permotus fuerit Deus ad nos eligendos: non voluntas hominis, non fides praeuisa, non bona opera, non dignitas generis, aut vllius alterius praerogatiuae, non meritum Christi praeuisum, non denique finis electionis: sed solum diuinae voluntatis beneplacitum (εὐδοκίαν Scriptura vocat) in gratuita eius dilectione fundatum. *Rom.* 9. 16. *Act.* 13. 48. *Rom.* 9. 11. *Deut.* 7. 7. *Ephes.* 1. 5. Vnde fit vt omnino certa & firma, nullaque conditione dubia sit nostra electio, quippe quae nec in nobis, nec à nobis mutabilibus, sed à Deo, & in Deo immutabili sit tota posita.

5. Quoniam autem electione facta est vnio nostri & coniunctio cum Deo eligente, aliquo medio opus fuit, quo tam diuersae naturae coniungerentur: quia in nobis ipsis non eramus tantae excellentiae capaces. Ideo in Christo electi sumus, & praestituti in adoptionem filiorum Dei: non vt purus Deus est, hac enim ratione ipse quoque nos elegit: nec vt simplex homo, sic enim idoneus non esset in quo eligeremur: sed quà θεάνθρωπος, caput nostrum, & mediator noster aeternus est. *Ephes.* 1. 4.

6. Quamuis autem quotquot ad vitam aeternam praedestinati sunt, absolutè, simpliciter & immutabiliter praedestinati sint, sunt tamen certa *media*, quibus Deus suos electos ad salutem perducit: & quicunque ad finem illum seu vitam aeternam electi sunt, ij etiam omnes ad illa media sine quibus finem consequi non possunt, electi sunt, ita vt nusquam ad finem perueniant, qui per media ad finem ordinata non ambulant. Nam & gratiam viae, & gloriam metae vnicus praestat Deus.

7. Omnia autem, tam finis quàm media, *effecta* sunt electionis. Est enim aeterna Praedestinatio omnium Dei saluificorum beneficiorum fons & fundamentum. Primum Dei beneficium & electionis effectum, est, quòd Christus cum ipsius scilicet obedientia, meritis, morte, resurrectione, gloria, datus est nobis, & nos ipsi, constitutus mediator inter Deum Patrem & nos, & caput omnium electorum, *Ioan.* 3. 16. Per Christum autem reliqua omnia praedestinationis effecta in nos transfunduntur. Haec tria sunt praecipua quae ab Apostolo ordine enumerantur. *Rom.* 8. 30. 1. Efficax vocatio ad Christum. 2. Iustificatio. 3. Glorificatio. Sunt autem effecta praedestinationis ita inter se ordinata, vt priora & praecedentia vt pleraque sint causae efficientes, vel potius instrumentales posteriorum & insequentium, non contra.

8. *Obiectum* electionis sunt homines, non omnes & singuli, sed pauci, si cum magno reproborum numero conferantur. *Matth.* 7. 14. & 20. 16. Eorum (vt & reproborum) numerus & numerans (vt loquuntur Scholastici) & numeratus ita certus est apud Deum, vt is neque augeri, neque minui, neque alterari possit. *Ioan.* 13. 18. 2. *Tim.* 2. 19. 1. *Ioan.* 2. 19. Neuter verò nobis certò compertus est. De numero numerante non magnopere solliciti esse debemus. Ad numerum numeratum quod attinet, vt quisque mandato Dei tenetur credere in Christum, ita etiam se in Christo electum fuisse credere debet, 1 *Cor.* 13. 7. sed maximè Christianus, qui praeterea etiam de aliorum fratrum electione confidere debet, de aliis non desperare, nisi manifesta signa ostendant, quòd peccent ad mortem. quamuis nullo modo id praestare possint reprobi, sed soli electi, qui quidem omnes suo tempore in hoc mundo

mundo de sui ad adoptionem in Christo praedestinatione & electione reipsa certi fiunt, idque ex Spiritu Sancto testante & regenerante, ex Euangelij praedicatione & ex electionis effectis; vt etiam illi soli de alterius electione iudicare possunt.

9. *Reprobatio* est praedestinatio, qua Deus aliorum non (f. 1623.) misereri decreuit, & adoptare in Christo, sed eos in peccatis relinquere & propterea iustè damnare. Esse autem reprobationem è verbo Dei manifestè liquet. Eius *partes* duae sunt. 1. Non-electio, quae etiam derelictio, seu praeteritio dici potest. 2. Poenae praeparatio. *Ierem* 6. 30. *Rom.* 9. 13. Priorem partem Scholastici vocant negatiuam & passiuam reprobationem: posteriorem affirmatiuam & actiuam: etsi reuera vna sit numero aeterna reprobatio.

10. Reprobationis, siue negatiuè, siue affirmatiuè accipiatur, praeuisa impiorum peccata *causa* dici non possunt: etsi executionis illius decreti, id est, damnationis, causa sint: alioqui omnes fuissent reprobati, nec exclamare oportuisset Apostolum, O homo, tu quis es qui responsas Deo? *Rom.* 9. 11. &, O altitudo diuitiarum, &c. Nec odium Dei aduersus reprobandos: sed solum aeternum, iustissimum & liberrimum diuinae voluntatis placitum. Neque nobis longius progredi, aut altius ascendere licet: sed hîc est subsistendum, quum voluntas Dei sit omnis iustitiae regula. *Rom.* 9. 18. Reprobationis autem cùm haec sint, 1 Priuatio gratiae salutaris: 2. peccata, quae necessariò priuationem gratiae sequuntur, etsi ea sponte, liberè, non coacti, reprobi admittant: 3. poenae peccatorum. Ad gratiae priuationem & poenas peccatorum, quà poenae sunt, reprobi ab aeterno destinati & praeordinati sunt: ad peccata verò, quatenus actiones malarum voluntatum, ab eo ordinantur, & destinantur poenae peccatorum praecedentium, quatenus ex iis gloria Dei bonitate ipsius Dei illustranda erat & illustratur.

11. Finis tum electionis tum reprobationis propriè est gloria Dei eligentis atque reprobantis, cui fini coniuncta est electorum salus in Christo Iesu. Vtilitas porrò ex tota hac doctrina de praedestinatione multiplex & maxima emergit: sed in hos duos vsus ad portum salutis capiendum necessarios potissimùm ordinatà est. 1. Vt de aeterna nostri salute in Christo certò persuasi desperationem & diffidentiam de consequenda salute à rebus aduersis vt plurimum excitatam vitemus. 2. vt omnem nostrae dignitatis meritorúmque confidentiam exuamus, & totam nostram salutem vni gratiae Dei in Christo acceptam feramus.

12. Duo hominum genera in hanc doctrinam impingunt: Curiosi, & perperam modesti. Illi, dum in sublime sese proripientes, arcana Dei, quae in seipso abscondita esse voluit & vult, scrutantur, & euoluere tentant. Hi, dum huic malo mederi volentes hanc doctrinam aut nullo modo attingi volunt, aut saltem plebi in concionibus proponendam esse negant. Media via nobis est tenenda, & doctrina haec non in scholis tantùm inter doctos explicanda, sed etiam in concionibus ad populum explicanda: verùm sobriè & prudenter, eoque ad aedificationem id fieri debet. Hic autem optimus sobrietatis terminus erit, si in discendo & docendo praeeuntem semper sequamur Deum, & ipso finem docendi faciente sapere velle desinamus. Nam, vt optimè ait Tertullianus, nihil praeterea scire, omnia scire est. Ipsi trino & vni Deo sit omnis honor & gloria in sempiternum. Amen.

XII. DE

XII. DE TRINITATE PERSONARVM IN VNA ESSENTIA DIUINA.

1. Cvm tantum sit Trinitatis mysterium vt nullibi aut periculosius erretur, aut laboriosius quaeratur, aut infructuosius aliquid inueniatur: consentaneum est ordini instituto, vt, postquam veri Dei essentiam vnicam & naturam eius cognouimus, de ratione personali in essentia Dei, prout per S. literas nobis patefactum est sedulò inquiramus. Id autem vt melius videri possit, hisce duabus partibus hoc loco definiemus. Primum enim de vocibus ipsis ac modo loquendi, quibus pro captu nostro vtimur in hoc mysterio, quantum nobis ex sacra Scriptura licet, videbimus. Postea verò, quid de re ipsa tenendum sit, ex eadem crassè generatímque proponemus.

2. Voces, quibus in hoc mysterio explicando vtimur, magis obuiae sunt, persona, ὁμοούσιος, essentia, vnitas, tri(f. 1624.)nitas. *Personae* vox, quam Graeci πρόσωπον verterunt, non significat in hoc negotio qualitatem, seu adiunctum aliquod: vel potius (vt Boëtius definit, & boni etiam authores definitione quandoque vtuntur) naturae rationalis subsistens indiuiduum: quae etsi totidem literis in S. Scriptura non extet, ei tamen aequiualens vox Hypostaseos Heb. 1. hoc sensu reperitur & Elohim passim in Veteri Testamento: quarum posterior etsi primariò personam non significat, nunquam tamen nisi de personis vsurpatur, vt cum Angelis, hominibus, Diis falsis tribuitur. Maluere autem orthodoxi patres vti voce personae quàm ὑποςάσεως in hoc negotio duabus de caussis: tum quia minus aequiuoca est: cùm hypostaseos vox tam primis quàm secundis substantiis competat, ac proinde tam de essentia, quàm de persona dici possit, haec verò solis primis. tum etiam quia hypostaseos vocem (vt & ὑφιςαμένου & suppositi) omnibus indiuiduis, tam rationalibus quàm irrationalibus communem, ad sola rationalia restringit.

3. Vox *essentiae* naturam illam simplicem & infinitam tribus personis communem notans tum expresse S. literis de Deo enuntiatur: tum verò ei ἰσοδυναμοῦντα reperiuntur: ac denique eius etymologia in ea disertissimè continetur. Expressè traditur *Iob.* 12. *vers.* 16. *Prou.* 8. 14. *Esa.* 28. 29. nam cùm in re qualibet modus operationum sequatur modum τοῦ εἶναι illius, quis neget hos locos ad essentiam Dei pertinere? Ἰσοδυναμοῦντα sunt θειότης, *Rom.* 1. 20. θεοῦ φύσις, *Gal.* 4. 8. 2. *Petr.* 1. 4. μορφὴ θεοῦ, *Philip.* 2. 16. Etymologia denique eius disertè continetur ipsis etiam Iudaeis fatentibus, tum nominibus propriis Dei, Iehouah, Iah; Eheie, quae coniugata sunt, & τὰ ὄντα seu αὐτόοντα significant, *Apoc.* 1. tum praedicationibus de Deo, vt *Esa.* 43, 44 & 45. Ego sum, & non est alius praeter me, vbi vox sum ὑπαρκτικῶς sumitur. Hinc optima ratione ὁμοουσίου vox deriuata identitatem, aequalitatem, & coaeternitatem deitatis filij cum deitate Patris & Spiritus Sancti, cum vtriusque deitate, & vicissim demonstrat.

4. Vocis verò Vnitatis & Trinitatis ratio ita manifestè ex ea deducitur, vt nihil supra. quid enim frequentius Scripturae inculcant quàm Iehouam Deum vnum esse, non esse alium praeter ipsum, &c. an verò vnius, non est vnitas? De Trinitatis voce eadem est ratio: vbi enim tres distinctè nominantur, an eorum non est Trinitas? at frequenter tres illi nominantur, vt *Mat.* 3. 16. & 28. 19. *Ioan.* 1. 33. & 15. 26. 24. 25. &c. tres verò etiam numero numerante recensentur. 1 *Iohan.* 5. vnde optima ratione haec deducitur. Reliquae verò voces aliquot, quales sunt, proprietas personae, relatio, τρόπος ὑπάρξεως, γνώρισμα seu notio, etsi Scripturarum nomina non sint: tamen ex reipsa consequentia euidentissima colliguntur: vt quiuis ex significatione earum cum explicatione rei ipsius comparatâ facilè videre potest.

5. Nunc

5. Nunc ad rem ipsam explicandam veniamus, in qua tria in primis declaranda sunt. Primò, quod essentia diuina in pluribus, id est tribus personis subsistat demonstrandum. tum earum inter se τὸ ὁμοούσιον ostendendum. Ac denique distinctio ipsarum personalis ac operum personalium, videnda est.

6. Essentiam diuinam in pluribus personis subsistere, ratione non probamus, quia supra rationem est: exemplo non comparamus, quia singulare est, (etsi etiam similibus animae, constantis ex sua essentia & duabus suis facultatibus: Solis, ex corpore splendore & calore: Arboris, è radice, trunco, & ramis mysterium hoc crassè, non incommodè tamen adumbretur). probationes ex Scripturis generales quidem (nam speciales singularum personarum aliis relinquimus) hae sunto. Ex veteri Testamento. Primò nomina quae Scriptura habet ad significandum Deum: quorum cùm plurima sint singularis numeri: duo tamen, quae relationem quandam & ordinationem nostri ad Deum significant plurali numero enunciari solent: *Elohim* puta, & *Adonai*, quorum hoc dominum, illud verò Principem, magistratum seu iudicem significat, vt Paulus interpretatur. *Act.* 23. 5. nimirum quia in illa relatione & ordinatione Deus sese creaturis aperit, quàm euidentissimè. Secundò, attributa pluralia quae per modum qualitatis de Deo enunciantur, cuiusmodi est cum Deus viuentes, aut sancti appellatur, *Ierem.* 10. 10. Tertiò, multò etiam manifestius vbi diuinae actiones, siue à Deo ipso, siue ab aliis de Deo, numero plurali praedicantur, vt exempli caussa. *Gen.* 1. 26. dixit Elohim, faciamus hominem ad imaginem nostram, &c. Et Esa. 54. 5. nam coniuges tui factores vel opifices tui, cuius nomen Iehoua exercituum, quarum similes lo(f. 1625.)quutiones in Scripturis saepe occurrunt, ex quibus non potuit prisca Iudaeorum Ecclesia non cognoscere personarum pluralitatem in vnitate essentiae.

7. In nouo Testamento loci sunt in ore omnium: tres nobis his satis futuri sunt. Primus est de Baptismo Christi: vbi tres personae distinctae fuerunt positae, tum in promissione *Ioann.* 1. tum verò in exhibitione *Matth.* 3. *Marc.* 1. *&* *Luc.* 3. Secundus est in promissionibus spiritus veritatis à Christo factis *Ioann.* 14. *& seq.* Tertius denique in Baptismi institutione solemni, qua Patri, Filio, & spiritui sancto nomen dedimus. Qui loci non tantùm tres personas in deitate esse docent: sed etiam quaenam illae sint per proprietates & relationes ipsarum ad se mutuò explicant, Pater scilicet, filius, & spiritus sanctus, quae in veteri Testamento Iehoua, Verbum & spiritus, item Iehoua, Angelus faciei, & spiritus passim appellantur. 2. *Sam.* 7. 21. 2. *Chron.* 17. 19. *Esa.* 63. 9. 10. *Hag.* 2. 5. Quòd verò tres hi vera sint ὑφιςάμενα, patet, & quia ita in Scriptura nominantur vt suprà audiuimus, & quia in Deo nihil est quod non sit aut essentia, aut persona: denique quia actus personis proprij, singulis iis passim in S. Scriptura tribuuntur.

8. Quod verò tres hae personae vna communi essentia concludantur, demonstrant infiniti ferè Scripturae loci, qui Deum Iehouam, & κύριον vnum esse testantur, accedunt expressi etiam eius rei alij, qualis 1. Ioan. 5. 7. *tres sunt qui testificantur in coelo*, *Pater*, *Sermo*, *&* *spiritus sanctus*, *&* *hi tres vnum sunt.* Item Ioan. 10. *Pater*, *&* *ego vnum sumus*, nam quod de essentiae communitate loquatur Christus, ostendit primum loci ipsius scopus (caussam enim communis potentiae in seruandis electis reddit Christus) secundo Iudaeorum ipsorum acceptio, & Christi ad illam silentium: denique ipsa Christi ipsius explicatio vers. 23. eiusdem capitis.

9. Nec ob hoc verae hypostases esse desinunt, quia vna numero essentia tota in singulis & omnibus tribus personis simul eadem subsistit. quandoquidem vt tres illae vera sint ὑφιςάμενα, haec duo tantum requiruntur: primùm vt ita vere per se subsistant, vt vna non sit in alia tanquam accidens in subiecto: deinde ita inter se distinctae sint, vt vna non praedicetur de altera. quòd verò praeter haec duo in rebus creatis

creatis hypostases à se diuisae sunt, id conditioni ipsarum finitae tribuendum est: infinita verò essentia, si diuideretur secundum personas, iam ex facto infinita esse desineret: contra verò quia infinita est, persona vna est in altera quemadmodum dicebat Christus. Ioan. 14. *Ego sum in Patre, & Pater in me:* quam rem Graeci patres ἐνάλληλον ἐμπεριχώρησιν, Scholastici mutuam circumincessionem appellarunt.

10. Vnde certò constat personas non esse diuisas à se, sed distinctas solùm. Atque distinctio haec vel est personarum respectu essentiae, vel personarum inter se, vel denique actuum personalium. Personae ab essentia, vbi cum essentia tantummodo comparantur, ratione tantùm differunt: nam persona in Deo nihil aliud est quàm ipsa essentia Diuina, sed in proprietate sua characteristica, & distincto ὑπάρξεως τρόπῳ considerata. Personae verò inter se non ratione tantùm, sed reipsa distinguuntur, in qua distinctione reali fundantur illa omnia de quibus diximus, proprietates, relationes, γνωρίσματα, &c. distinctionem hanc ostendunt plurima S. Scripturae loca, *Prou.* 8. 24. *Ioan.* 5. 18. 23. 26. *Hebr.* 1. 3. *Ioan.* 15. 26. Primo ea quae originem Filij à Patre, & spiritus sancti ab vtroque testantur. non potest enim idem à se ipso produci. Secundò, in quibus personae à se aliae vocantur, vt *Ioan.* 5. Pater alius testis, à filio, spiritus sanctus alius παράκλητος ab vtroque, *Ioan.* 14. Denique formae loquendi, vbi filius dicitur apud patrem, In sinu Patris, Cum patre, & similes. At quàm ineptè forent hae loquutiones, si (quod olim nugabatur Sabellius) haec tantùm diuersa essent vnius rei nomina?

11. Actus personales (qui ad intra vocantur) non magis communicari aliis personis possunt, quàm persona vna fieri potest alia, quales sunt Patris gignere & conspirare, Filij gigni & conspirare, spiritus sancti procedere ab vtroque, vt Latini loquuntur, vel à Patre per filium, vt Graeci. Vnde sequitur hos actus non deliberantis esse voluntatis, sed naturae. si enim deliberantis voluntatis essent, iam non ad intra, sed ad extra: non proprij personis, sed communes essentiae: non necessitatis naturalis sed potentiae liberae euadent: ex quibus Filium, ac spiritum sanctum, & creaturam esse, & etiam non esse posse sequeretur. Ex vtroque autem hoc etiam necessario colligitur, actus hos tam ratione principij, quàm finis (f. 1626.) esse aeternos & indesinentes. Si enim finem habuerunt, quomodo non fuerit tunc aliquod quo producta perfectionem esse sui habere coeperunt? quomodo quod finem habet non potuit etiam habere initium? quomodo denique non fuerit Dei producentis & producere desinentis mutatio? Nec ideo tamen successiui sunt actus hi: quia & aeternitati id repugnat quae tota simul est quod est: & naturae rei simplicissimae, cuius productio in effectione perfecta, in effectu verò perpetua est, nam si esse successiuum haberet, iam necessariò simplex esse desineret.

12. Est & aliud genus actionum diuinarum, per quod personae nobis distinguuntur in S. literis, earum scilicet quae nec merè essentiales sunt, nec merè personales: quia à communi termino, essentia scilicet, ad communem terminum, creaturam puta, communiter non desinunt: sed medij generis sunt, quae quidem in terminum communem, id est creaturam deferuntur, & in quibus principium actus est virtus diuina communiter se ad omnes personas habens, sed tamen terminus principalis, per quem effectus illi quasi foras promanant, est persona. qua ratione patrem creatorem: filium incarnatum seruatorem & redemptorem: spiritum sanctificantem appellamus: & similia multa. Est & tertia ex his personarum distinctio, quod secundum ordinem essendi illámque paternam οἰκονομίαν vnius ab alia, ita etiam ordo numerandi personas in S. Scriptura ferè obseruetur.

Asserimus ergo & voces suprapositas, cùm eae partim à Scriptura sint, partim verò necessaria ratione inde deducantur, in hoc mysterio ad detectionem haeresium,

& rei

& rei ipsius aliquam explicationem religiose esse in Ecclesia seruandas: & doctrinam hanc, vt omnibus seruandis necessariam, contra omnium tam veterum quàm recentium haereticorum blasphemias toto pectore amplectendam. Cui vni & Trino Deo Patri, Filio, & Spiritui Sancto sit honos & gloria.

XIII. DE PERSONA PATRIS & FILIJ.

Vnitatem essentiae in personis tribus subsistentis, trinitatem personarum in se, non extrà essentiae vnitatem subsistentium, vidimus communiter: ordinis instituti ratio postulat, vt quo plenius, & planius, quae de materiali Theologiae nostrae caussâ in T. N. & V. nobis reuelata sunt, explicemus, de tribus personis deinceps agamus singulariter.

THESIS I.

1. PATER est persona prima S. Trinitatis, ἄναρχος à se non ab alio existens, per se, in se, in vnitate essentiae filium, imaginem suam, aeternùm gignens, & cum Filio Spiritum Sanctum spirans.

2. *Patrem* cùm dicimus, non respicimus (vt ex descriptione hac qualicumque patet) relationem, quam creaturae habent ad creatorem suum (ea enim est ad Deum Patrem essentialiter, vt Deus vnus est essentiâ, personis trinus, Pater, Filius & Spiritus Sanctus) sed relationem quam habet filius aeternùm genitus ad Patrem personaliter. Hoc monemus, quandoquidem haeretici omnes, qui Filij & Spiritus sancti deitatem oppugnant, posteriorem hanc relationem negantes, cùm Patrem solum verum Deum esse asserunt, licet nobiscum consentire videantur, reuera tamen aequiuocatione fallunt: neque enim nomine Patris personam certam, quae cum Filio & Sp. Sancto solus verus Deus sit, intelligunt: sed ipsum communem omnium Deum, in quo, per quem & propter quem sunt omnia, eumque solum, exclusis Filio & Sp. S. Iehouam esse asserunt. Nos verò Patrem (sed cum Filio & Sp. Sancto) solum verum Deum esse, & personam à Filio, & Spiritu Sancto realiter distinctam, sanctè & religiosè ex Sancta Scriptura affirmamus.

3. Patrem verum Deum esse, edocente hoc Scriptura S. testimoniis infinitis, cùm profiteantur omnes (licet (f. 1627.) aliâ atque aliâ ratione) nec negent, nisi ij, qui nec naturae, nec Scripturae quicquam tribuentes Deum esse negant, non demonstramus. Personam verò esse à Filio realiter distinctam testimonio & ratione probamus, sed verbo tantùm vno.

4. *Personam esse* docet Apostolus ad Hebr. 1. cùm filium dicit χαρακτῆρα τῆς ὑποςάσεος τοῦ πατρὸς. Similiter ratio ex definitione personae desumpta. Definitur verò persona subsistentia, quae proprietatibus suis characteristicis seu indiuidualibus in vno aliquo indiuiduo intelligente est determinata, ita tamen, ut alterius non sit pars. Haec verò definitio cùm Patri conueniat, quidni Patrem personam dicimus?

5. Personam à Filio distinctam esse (non secundum esse, quod commune, sed subsistere, quod cuiusque personae proprium) Scriptura itidem multis in locis docet clarissimè, *Ioan.* 1. 1. 18. & 14. 10. atque adeò in iis omnibus, in quibus Pater alius

alius à Filio dicitur. *Ioan.* 5. 32. vox puta *alius* distinctionem in persona designat: distinctio verò quà persona vna ab altera distinguitur, realis est. Ratio idem asserens haec est, quia Filius suum subsistere a Patre accepit, vt à principio personalitatis suae: Principium verò & principiatum re idem non sunt.

6. *Primam* S. Trinitatis personam Patrem appellauimus, quandoquidem (vt de ordine in operationibus nihil dicamus, qui hoc secundum oeconomiam diuinam exigit necessariò) ille se talem praedicauit, cùm Patrem dixit, neque enim Filius Patre prior est, puta ab eo genitus, neque Spiritus S. qui ab vtroque procedens vtroque posterior est.

7. Addimus esse ἄναρχον, & *à se existere*, quandoquidem persona Patris secundùm nullam sui considerationem, vllum habet principium, siue ortus, siue actus, siue temporis: neque enim secundùm considerationis rationem communem in essentia, quà Deus est: essentia puta, quà essentia, nullum habet principium: neque secundùm singularem absolutam in persona, quà subsistit in vnitate essentiae quia in se & per se ab aeterno subsistit: neque secundùm relatiuam, quae est in distinctione & ordine ad personas reliquas: secundùm hanc enim reliquarum in Sancta Trinitate personarum principium est.

8. Secundùm duas priores considerandae personae rationes à se esse tribus personis commune est: essentia enim, quae tota Patris est, tota simul est filij, & tota Sp. S. quam Pater in vnitate essentiae in se & per se subsistunt. secundùm vltimam verò Patri proprium est: ille enim filij, & cum Filio Spiritus Sanctus principium originis est.

9. A se autem cùm Patrem aut filium esse dicimus, non intelligimus à se esse propriè & absolutè κατὰ θέσιν siue ortu, siue actu, quod à se producantur, & à se subsistant: sed figuratè κατ' ἀναίρεσιν, quod non producantur aut subsistant ab alio vllo.

10. In se verò quia subsistit ab aeterno & filius, non actu, aut tempore principium ipsius Patrem dicimus, sed ortu tantùm, quia *à se in vnitate essentiae aeternum ipsum genuit* (inquam) non geniturâ praedicamentali (quae rerum corporearum, per se & de se extra se per potentiam similem sibi substantiam corpoream producentium) non transcendentali (quae spiritum per se, in se, per naturam facultatem gignentium) sed diuina planè, per se, & in se, per naturam similem personam.

11. Suprema igitur haec generatio, vtvt natura creaturum rerum ex parte adumbrata est, infinitis tamen modis propter infinitam similium inaequalitatem eam superat: Verbi gratia, gignit Pater per se similem, vt omnia corporea natura gignentía, persona, personam, vt homines: non tamen extra se, quia essentia est infinita, simplex ac pura: non essentiam, quia vnica: gignit in se per naturam, vt Spiritus, sed non facultatem, quia purus actus est.

12. Diximus *gignere personam Patris*, *personam Filij in vnitate essentiae* vt quoad fieri potest in profundo, & imperscrutabili mysterio loquamur propriè: extra essentiam enim Patrem generare non potuisse vidimus, thesi praecedente: ex essentia genuisse si dicas, figuratè loqueris, non ad positionem materiae vllius (cùm Deus sit immateriatus) sed ad negationem omnis vniuersè: prout ex nihilo omnia esse dicimus, cùm materiam remouemus: & Deum à se esse cum omne essentiae (vt diximus) principium negamus.

13. *Gignere aeternùm*, quia naturà Pater gignit: quippe (f. 1628.) ea cùm aeternùm sit, aeternum gignit, aeternus pater aeternum filium: adeò vt cùm aeternitas sit uitae tota simul & perfecta possessio, filius semper sit à Patre genitus, & semper perfectè cum Patre, Pater tamen filium semper gignat, sed exclusa successione & imperfectione omni: quippe prout etiam in Metaphysicis à perfecto subiecto terminus perfectus semper generatur, & semper itidem perfectus est, sic etiam actus generationis in Patre & filio in effectu perfectus, in effectione perpetuus consideratur.

14. Ex iis quae de Patre dicta hactenus, liquent etiam ea quae de filio dicenda restare videntur: ea verò (prout à nobis iam factum est, cùm de Patre agebamus) quae de Filio nobis in S. Scriptura reuelare Deo placuit, qualicumque descriptione comprehendimus. Filius est secunda S. Trinitatis persona, semper à Patre generata, cum Patre Spiritum S. spirans, Patri ὁμοούσιος, & cum Patre & Spiritu Sancto solus, verus & aeternus Deus.

15. Filium *personam* esse dicimus, quia non essentiam, sed personam in vnitate essentiae Patrem genuisse vidimus. *Secundam*, quia Patrem, qua pater est, filio priorem esse docuimus, respicientes non ad temporis, sed ad originis prioritatem: & in ea non ad essentiam, sed ad personalitatem: neque enim essentia, quà essentia, principium habet, sed persona filij, quà genita & filiata (sic dicamus) habet principium a patre, essentiam, vitam, &c. Secundum essentiam itaque Filius est αὐτόθεος, secundum personalitatem à Patre.

16. *Semper generatum* cùm dicimus, secundum Augustini & Gregorij placitum, (qui vt filius semper generatus esse quàm semper generari diceretur maluerunt) ad aeternùm, indesinentem, & sine successione, & innouatione continuum generationis actum (de quo egimus) respicimus, secundum quem Filium semper generatum esse, generari, & generatum iri verè dici potest: quandoquidem aeternitas (absolutam dico) interminabilis est, & ab ante & à post (vt loquuntur scholastici) & sine innouatione tota simul.

17. Distinctam esse à persona patris personam Filij vidimus, cùm illam ab hac distinximus realiter: à Spiritu etiam Sancto distinctam esse tum superior docuit disputatio, tum etiam docebit is, qui de Spiritu Sancto acturus est singulariter.

18. Patri *ὁμοούσιον esse* ostenderimus, si eum cum Patre & Sp. Sancto solum Deum esse demonstremus: hoc demonstrauerimus, cum verum Deum esse euicerimus: Deus enim noster Deus vnus est: Deut. 6. 4. *Verum autem Deum esse*, non ex omnibus, sed ex praecipuis quae ex Scriptura S. petuntur argumentis, probauimus.

19. Primùm itaque hoc ostendimus ex nominibus propriis, quibus persona Filij in S. Sacra insignitur, non nisi ei, qui verè Deus est competentibus, vt putà. 1. quòd Filius in Scriptura appellatur: neque enim institutione, prout electi, &c. Filius dicitur, sed Natura: Natura verò eum dici filium ex eo euincitur, quòd non absolutè Filius dicitur, sed I. proprius, *Rom.* 8. 32. proprius autem filius is est qui natura est: qui verò institutione, figuratè solùm Filius dicitur. II. Dicitur vnigenitus, *Ioh.* 1. 18. institutione verò si Filius esset, nec genitus, nisi aequiuocè, nec vnigenitus vllo modo esset. III. Dicitur omnis creaturae primogenitus, *Col.* 1. 15. igitur antequam tempus in aeternitate coepit fluere genitus: ab aeterno autem institutione filius nullus fuit. Nec obstat si primogenitum figuratè dicas, pro eo qui primas partes tenet in creaturis omnibus: hunc enim honorem pater nemini nisi Filio vnigenito largitus est, *Hebr.* 1. 5.

20. Deinde, quod passim λόγος appellatur: non enim solum respectu officij & operationum sermo dicitur relatè, videlicet qua arcanum Dei patris de nostra salute consilium nobis reuelauit, adeoque omnia mandata paterna exposuit: verum etiam respectu naturae absolutè, vt patris aeterni aeternus est Filius: sapientia puta (sic eadem, qua sermo ratione dicitur) *Prouerb.* 8. 22. ab aeterno se genitam esse dicit: si verò genita, naturà talis, & absolutè. Praeterea si filium relatè solùm λόγον dixeris, aut internum & absolutum sermonem non habet Deus, tantoque intelligentes creaturae sunt praestantiores (quod absit) creatore suo, qui eum habent: aut si internum habet qui non sit Filius, Deo sermones reipsa duo sunt; ideoque Deus non est simplicissimus.

21. Denique dicitur imago Dei inconspicui, *Col.* 1. 15. duplici quidem respectu: sed ex vtroque natura Dei filium, verumque & aeternum Deum esse concludimus necessariò.

necessariò. Prior respectus personae est, qua perfecta Dei (f. 1629.) Patris imago est, perfectè ipsum exprimens: imago verò perfecta essentialis est, & in identitate naturae posita, ideoque Filius quà imago filius quidem est, & alius secundum personam à patre: quà verò imago perfecta, Filius est naturalis, nec secundum essentiam aliud.

22. Posterior respectus operationis est, quà filius, imago essentialis patris, nos renouans in spiritu mentis nostrae, facit vt omnes retectà facie gloriam Domini, vt in speculo intuentes, transformemur in eandem imaginem (sed pro conditione nostra) de gloria in gloriam. 2. *Cor.* 1. 18. Respectus autem huius prior principium est: hic enim ex proprietate personae vt principio, tanquam actus profluit.

23. Non est autem quod filium perfectam Dei patris imaginem esse negemus, quia se patre minorem dicit: neque enim minorem se patre secundum diuinitatem à naturà, sed aequalem praedicat: sed secundum humanitatem in vnitatem personae assumptam, simpliciter. Deinde verò etiam ratione diuinae naturae, in persona: nempe vt per voluntariam dispensationem inaniens se assumpsit carnem & mediatoris partes suscepit.

24. Propriae appellationes diuinitatem filij confirmarunt hactenus, agedum eandem ex appellationibus tribus personis communibus, & de Deo essentialiter enuntiatis demonstremus. Ac primò quidem vocantur Iehoua, vt patet ex iis locis N. T. in quibus filius dicitur, qui in V. T. dicebatur Iehoua, & quae de essentia Dei communiter praedicabantur, ad determinatam in persona filij aptantur. Dicitur Iehoua in quo Iehoua nos seruauit, *Os.* 1. 7. *Esai.* 43. 10. *Ioann.* 4. 42. qui est sponsus Ecclesiae, *Os.* 2. 19. *&* *Ioann.* 3. 29. effudit Spiritum suum super omnem carnem, *Ioel.* 2. 28. *&* *Ioan.* 5. 29. *Act.* 2. 6. auctor est foederis, *Ierem.* 31. 31. *Heb.* 8. 8. quem in deserto tentarunt, & contra quem murmurarunt Israëlitae, *Num.* 14. 27. 1. *Cor.* 10. 9. qui primus est & nouissimus, *Esa.* 41. 4. *Apoc.* 1. 11. &c. Iehouae verò nomen absolutè & propriè soli Deo competit, nullique creaturae est communicabile, sicubi enim arca, Ierusalem, &c. Iehoua dicuntur, non dicuntur absolutè vt recto casu: sed Iehouae, puta arca, ciuitas, &c. ἐλλειπτικῶς. II. Dicitur Deus, *Ioan.* 1. 1. Deus nobiscum, *Esa.* 7. 14. *Matth.* 1. 23. fortis, 1. *Ioan.* 5. 20. magnus, *Tit.* 2. 13. verus, 1. *Ioan.* 5. 20. benedictus in secula. *Rom.* 9. 8. III. Dicitur Rex Regum, Dominus dominantium: *Apoc.* 19. 6. *&* 17. 14. hoc autem soli Deo competit. 1. *Tim.* 6. 15.

25. Dominium autem & regnum Christi (vt hoc adijciamus, antequam transeamus ad attributa) duplex est: adeò vt duplici etiam ratione Rex & Dominus dicatur. Est regnum commune totius diuinae essentiae, quo tres personae, aequali potentia & gloria, in vnitate essentiae, & operationum communium, in omnibus & super omnia, infinitè, & immutabiliter, ab aeterno in aeternum regnant. Est regnum singulare personae θεανθρώπου temporarium, quo persona Christi demittens se propter salutem nostram (integro seruato communi deitatis regno) secundùm vtramque naturam in vnitate personalium operationum, voluntaria dispensatione regnat in omnibus, & super omnia, in Ecclesia, regno proficiente & mutabili, cuius administrandi principium & finis in tempore, opus verò seu ἀποτέλεσμα in gloria aeterna & salute Ecclesiae perfectissimum. Ratione prioris modi, Filius Rex est secundum naturam: ratione posterioris, secundùm voluntariam dispositionem: ratione vtriusque verus Deus: neque enim posteriori & abiectiori regni modo regnare posset, si Deus non esset.

26. Nunc ad attributa transeamus, ab his transituri ad opera. Sic autem concludimus. Cui essentialia attributa tribuuntur omnia, immò vel vnicum, ille verus Deus est: essentia enim & attributa omnia & singula re idem sunt, essentia vnica: Essentialia autem attributa tribuuntur Filio: verus igitur Deus est. I. Vnitas secundum essentiam

essentiam cum Patre & Spiritu S. *Ioan.* 10. 30. II. Infinitas, tum ratione loci, cum immensus, *Matth.* 18. 20 *&* 28. 20. id est, extra supraque omnem locum essentia, potentiaque sua vbique esse dicitur: tum ratione temporis, cum aeternus, *Heb.* 13. 8. *Esa.* 9. 6, qui est, qui erat, qui venturus est, *Apoc.* 1. 8. hoc est, sine tempore semper esse dicitur. III. Immutabilitas, tum ratione essentiae in sese, *Heb.* 1. 12. *&* 12. 8. tum ratione veritatis in verbo & promissionibus. 2. *Cor.* 1. 20. IV. Omniscientia, *Ioan.* 2. 24. 25. & 6. 64. qua se & omnia diuino nouit modo, omniumque corda & renes scrutatur. *Apoc.* 2. 23. (f. 1630.)

27. VI. Gloria & maiestas religioso cultu à nobis colenda (de naturali & essentiali loquor, quae personae est secundum diuinitatem per se, secundum humanitatem per vnionis gratiam: non de dispensatiua & habituali quae est naturae humanae, & priore minor, vt pote ex habituali gratia) qui ex mandato Diuino in Filium credimus *Ioan.* 14. 1. (atqui maledictus qui conficit in homine). *Ier.* 31. 5. in nomen eius baptizamur, *Mat.* 28. 19. (atqui non sumus in nomen Pauli, id est, creaturae baptizati) 1. *Cor.* 1. 13. eum inuocamus, *Heb.* 1. 6. 2. *Cor.* 1. 2. (atqui Deum nostrum adorare, ipsique soli seruire debemus *Mat.* 4. 10. summa, aequales cùm Deo Patre honores ipsi deferimus, *Ioan.* 5. 23. atqui gloriam suam alteri Deus non dat, nisi Deus sit, *Esa.* 42. 8.

28. Ac de attributis quidem hactenus, praeter haec omnes operationes diuinae (intellige eas quae essentiales sunt, & externae dicuntur, quòd foris perficiantur) Filio etiam attribuuntur: Verus igitur Deus est cum patre & Sp. Sancto: qui enim operatione diuina vnum sunt, essentia vnum sunt. Tribuitur autem filio. 1. Mundi creatio. *Ioan.* 1. 3. *Heb.* 5. 10. II. eiusdem gubernatio, *Heb.* 1. 3. *Co.* 1. 17. III. Electio fidelium, *Ioan.* 13. 18. Redemptio. 1. *Cor.* 1. 30. Iustificatio, *Mat.* 9. 6. Sanctificatio, *Ephes.* 5. 26. vitae aeternae donatio, *Ioan.* 6. 3. iudicium, *Ioh.* 5. 22. diuinitate principaliter, humanitate instrumentaliter ab ipso exsequendum.

29. Caeterarum operationum ad extra cùm eadem sit ratio, plures non adducimus: hoc ad argumenti confirmationem addimus: Patrem quidem personaliter creatorem, Filium redemptorem, Spiritum Sanctum sanctificatorem, in Scripturis S. dici: non ea tamen ratione, vt hae operationes secundùm se inter personas diuidantur, ac si simpliciter personales essent, & vnius personae propriae, neque essentiales, & tribus personis communes, hoc est, à communi termino essentia diuina profluentes: sed vt adhibeatur tantùm in iis distinctio secundùm principalem ipsarum terminum, qui secundùm oeconomiam diuinam aliqua est persona: nam communitas operationis non tollit singularem dispositionem personarum inter se ad singularem dispositionis illius terminum in vnaquaque, licet communi, operatione.

30. Vtvt autem hae operationes communes sint patris, Filij & Spiritus Sancti, non vnius personae singulares: nihilominus tamen (vt hoc etiam moneamus obiter) earum vnaquaeque vna numero est: vt enim actio vna numero sit, non requiritur, vt vna sit hypostatico principio (caussa enim efficiens de substantia actionis non est) sed haec tantùm, vt vnus sit actus siue communiter, siue singulariter, vnus effectus & modus. In his verò operationibus haec ita se habent, vt patet ex verbis Christi, eadem se operari dicentis, quae operatur pater, 1. *Ioan.* 5. 19. eadem (inquam) numero actus, effectus, & modi. Immò & praeter horum vnitatem vnaquaeque harum operationum etiam vna est communi principio quod est essentia diuino.

31. Ex his quae à nobis dicta hactenus, colligimus Patrem & Filium distinctas esse ὑποςάσεις, vnius tamen eiusdemque essentiae: ideoque sicut pater verus ac aeternus Deus est, sic & filium verum aeternumque Deum esse, in omnimoda naturae identitate patri ὁμοούσιον, & coaequalem vtrumque, Deum vnum & solum. Restaret, vt patrem à filio proprietate tum interna, tum externa & ordine in subsistendo, & operando

operando distingueremus pleniùs, sed quandoquidem hoc superior egit disputatio, actum non agimus. Deo vni & trino patri, Filio, & Spiritui S. sit honos & gloria in secula. Amen.

XIV. DE CREATIONE MVNDI.

Hactenus de priori Prouidentiae parte scilicet Decreto Dei actum est. nunc ordo Disputationum postulat, vt ad executionem illius Decreti transeamus. Ea enim est altera Prouidentiae Dei pars, qua Decretum illud potentissimè ad suam gloriam omnino exequitur. Nam I. *Cùm Deus omnipotens sit & immutabilis* (*Psal.* 115. 3. *&* 33. 9. *Esai.* 40. 28.) *omnia quae voluit fecit sine vlla difficultate aut mutatione sui. II. Cùm illud* (f. 1631.) *Dei Decretum optimum sit, sapientissimum, iustissimum, benignissimum, necesse est eius quoque similem esse executionem: vnde finis idem Decreti & executionis rerum emergit. Huius autem executionis duae sunt partes, creatio & gubernatio. De priori nos hac Disputatione disseremus.*

Thesis I.

Creare igitur, Hebraeis *Bara*, polysemon est, tria enim in Sacris literis (teste *Basil. in Epistol.*) significat. I. Producere rem aliquam secundum totam suam substantiam nullo praesupposito, quod sit increatum, vel ab aliquo creatum, *Gen.* I. I. II. Rem aliquam mutare in melius, non secundum substantiam, sed secundum qualitates. *Psal.* I. 12. III. Viuificare seu resuscitare è mortuis, vt *emittes Spiritum tuum & creabuntur*, *Ps.* 104. 30. Hoc est, vt exponit Basilius, quae ante erant mortua recipient vitam. Primo modo hic accipimus.

II. Creatio est pars executionis Decreti seu prouidentiae Diuinae: qua Deus immediatè coelum & terram, secundum Decretum aeternum, sapienter, liberè & potenter in principio, momento temporis, ex nihilo, suo verbo produxit: & deinde ex eis res alias omnes, conuenientissimo ordine, propter suam gloriam & hominis vtilitatem, condidit valde bonas. *Gene.* I. I. &c.

III. Causa igitur Creationis efficiens est *Elohim*, hoc est Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Est enim Creatio opus Trinitatis ad extra (vt loquuntur Scholastici) eoque indiuisum & indistinctum, h. e. tribus personis commune, seruato interim ordine ac modo in operando. Nam quemadmodum personae ipsae ordine ac modo inter se sunt distinctae, sic etiam personarum opera licèt non quoad effectionem, tamen quoad efficiendi modum distinguuntur. Creat ergo pater à se per filium & Sp. Sanctum, filius à patre, Spiritus S. denique à patre & filio. Soli quidem patri in Scriptura haec Creatio saepius tribuitur: sed hoc fit, quia potentissimè in eius persona terminatur, vt Redemptio in filio, & Sanctificatio in Spiritu Sancto. Ministram verò causam in hoc opere nullam extra Deum agnoscimus, tum quòd ante principium praeter Deum nihil fuerit, tum quòd ad omnipotentem tantum naturam, quae soli Deo propria, haec productio τοῦ παντός à non esse ad esse accommodari potest.

IV. Subiectum,

IV. Subiectum, seu materia circa quam, est mundus: qua voce in hoc argumento non coelum (vt veteres nonnumquam κατ' ἐξοχὴν) & terram simul, aut homines trita synecdoche, sed rerum vniuersitatem seu vniuersam coeli solique, & quaecunque eorum complexu continentur compagem ornatissimam & inanimem intelligimus. Materia verò ex qua Deus mundum effecit, nulla fuit. Sed ipse vastam illam, rudem & indigestam molem, quam Moses (vt analogicè dicamus) *tohu* & *bohu* vocat, de nihilo creata, vniuersa quae sunt in hac natura & existunt, sex diebus condidit & efformauit. Non quòd egeret tempore ad efformationem rerum, aut quòd alioqui virium defectu defatigaretur; verum vt cum certo consilio, ratione & sapientia fecisse appareret. Praeexistentem verò nullam agnoscimus: quia cùm Deus solus aeternus & immutabilis sit, omniaque sine exceptione eoque & materiam condiderit, sequitur mundum non ex materia aliqua aeterna, multo minus ex Dei essentia, vt pote simplicissimâ, infinita, immutabili, sed è nihilo, tanquam termino, potentiâ Dei extitisse. Itaque quicquid est illud, aut immediatè vt coelum, terra, anima, Angeli, aut mediatè aliae res omnes, ratione primae materiae, promanant ex nihilo. Quare tritum illud axioma philosophorum, *Ex nihilo nihil fit*, huc non quadrat: quia principium illud de ordine naturali verum est in natura constituta, in constituenda minimè. Nam omnia principia ad constitutionem vniuersitatis huius, sola sua potentia effecit Deus propter bonitatem suam.

V. Forma est innumerabilis illa multitudo, admirandus ordo, pulchraque distinctio ac diuersitas omnium essentiarum, ab vno ente primo, perfecto, summo, sapien-(f. 1632.)tissimo, pro libera ipsius voluntate, & infinita bonitate sapientiáque perfecta. Consistit autem haec forma vel internè in abdita vniuersi natura, vel externè in disputatione omnium partium, tum in se, tum inter se ornatissima: vnde κόσμος Graecis appellatur, παρὰ τὸ κοσμεῖν ὁ τὰ πάντα ἐν ἑαυτῷ ἔχων κεκοσμημένα. *Etymol. magn. Aristot. de Mundo.* & quemadmodum Graeci κόσμον ornamenti nomine appellauerunt: ita nos, à perfecta absolutaque elegantia, Mundum. *Plin. lib.* 2. *c.* 3.

VI. Creationis porrò duae sunt partes, productio & dispositio sapientissima. ex quibus admirabilis Dei Creatoris bonitas, sapientia, potentia elucent, quorum agnitio & celebratio finis Creationis ᾧ seu vltimus existit: respiciunt enim gloriam Dei, ad quam omnia quae condita sunt & fiunt, imò etiam salus electorum, referuntur. Finis deinde οὗ seu proximus, est, vt mundus esset perfectus, eoque ad proprium generis humani, praecipuè verò Ecclesiae seu electorum vsum accommodatus eorumque saluti inseruiens.

VII. Effecta Creationis duûm sunt generum. Alia sunt ἀόρατα, alia ὁρατά. Ἀόρατα sunt quae nec sensibus obnoxia, nec extra verbum Dei an sint, vbi, quid, & qualia sint rectè sciuntur: vt domicilium beatorum, h. e. vt Scriptura loquitur, locus ille νοητὸς primo die à Deo creatus, incorporeus, amplissimus, purissimus, lucidissimus, nulli mutationi obnoxius, destinatus electis Angelis & hominibus, vbi Deus ipse se conspiciendum praebet de facie ad faciem. De Angelorum Creatione, etsi neque apud Mosem, neque in toto V. T. expressè fiat mentio, tamen sub nomine caeli illos comprehendi dicimus. Sunt autem hi, Spiritus, *Psal.* 104. 4. *Hebr.* 1. 14. magno numero, *Dan.* 7. 10. *Matth.* 26. 53. *Heb.* 12. 22. & certo ordine, *Ephes.* 1. 21. *Coloss.* 1. 16. 2. *The.* 4. 16. primo die, ex nihilo à Deo creati, *Iob.* 38. 4. 7. *Psal.* 14. 8. 2. 3. praediti tum eximia facultate intelligendi, & iudicandi, tum vi liberè eligendi & respuendi vel bonum vel malum, immutabiles secundum essentiam, & mutabiles secundum esse vel qualitates ipsorum. Hi aut boni sunt, aut mali. Illi sunt qui in veritate, in qua fuerunt à Deo creati, perstiterunt, Dei gratia tunc sic firmati, vt verum & bonum tantùm constanter amplecterentur, & nunc ita confirmati, vt iam deficere

deficere à vero & bono nec possint, *Matth.* 6. 10. nec velint, perfectissima Dei cognitione & dilectione pleni, obsequio & laudibus Dei semper incumbentes *Psal.* 103. 20. ita vt in omnibus viis Christo & Ecclesiae alacriter ministrent, *Psal.* 34. 8. & 91. 11. *Dan.* 10. 12. *Matth.* 18. 10. *Hebr.* 1. 14. & malis poenas iussu Dei infligant, 2. Reg. 19. 35. Hi verò Deo rebellantes, veritate & vita exciderunt, mendacésque homicidae facti sunt: *Ioan.* 8. 44. 2. *Pet.* 2. 4. *Iud.* 6. sine vlla spe reconciliationis cum Deo: quorum potentia & furore Deus vtitur in exercendis piis & impiis cruciandis: *Iob.* 1. 12. 2. *Cor.* 12. 7.

VIII. Ὁρατὰ verò sunt quae sub sensum cadunt, vt mundus elementaris, qui est vel Superior, vel Inferior. Per superiorem intelligimus aetheream mundi regionem, hoc est firmamentum cum reliquis orbibus caelestibus in circulum mobilibus & mutationi obnoxiis, *Psal.* 152. 27. Atque hic quidem mundus primo die, ex eadem materia prima, vt etiam reliqua elementa, à Deo formatus est & perfectus.

IX. Inferior est, cuius ambitu continentur corpora, tum simplicia, vt Elementa, tum ex eorum coagmentatione mixta. Elementa sunt corpora simplicia in quae alia corpora diuiduntur, in quibus insunt aut potentia aut actu: ipsa verò diuidi non possunt. Ordo verò, quem Deus obseruauit in eorum creatione, hic est: vt primò creauerit ignem, deinde descenderit ad constitutionem aëris qui in vastissimo illo spatio & media illa regione sedem habet: ita vt ibi sit tanquam διακριτικὸν inter aquas superiores & inferiores, *Genes.* 1. 6. 7. Constitutis hisce corporibus aquam & terram formauit. Cùm verò haec duo vnum quasi globum inter se constituerent, Deus aquis certa conceptacula & alueos destinauit, atque illas eo coëgit: & siccum terram vocauit, *Gen.* 9. 10.

X. Composita corpora sunt, quae ex simplicibus corporibus constant. Haec sunt aut perfectè mixta aut imperfectè. Perfectè mixta sunt, quae quoad materiam ex omnibus miscibilibus constant, & quo ad formam veram (f. 1633.) eorum habent vnionem, ita vt ex pluribus formis sit vna forma, & è plurimis naturis sit vna natura. Imperfectè mixta, quae non ex omnibus elementis constant, etsi ex pluribus: & in quibus indistinctae miscibilium naturae seruantur, vt Meteora, sic dicta, tum quòd pleraque nascantur in sublimi loco, ibique conspiciantur, tum quòd animos hominum sollicitos atque suspensos reddant, propter rerum futurarum euentum, & sui admiratione quasi in sublime trahant. *Arist. lib.* 1. *Meteor. cap.* 1.

XI. In perfectorum Creatione Deus primùm creauit ea quae sunt necessaria ad vitam animantium alendam, vt sunt plantae, & ad commoditatem ornatumque huius domicilij, ut sol, luna, astra & stellae, quae sunt conceptacula & instrumenta primo die creatae lucis, idque ad distinguendum tempora, annos, menses, ac dies, & ad indicandum hominibus tempestates.

XII. Hactenus de domicilij constitutione, ad quam pertinent ea 1. quae esse habent. 2. quae praeter esse etiam habent viuere. Sequuntur iam huius domicilij incolae, in quorum creatione Deus hunc ordinem seruavit, vt primò creauerit ea, quae praeter esse & viuere etiam habent sentire, vt sunt bestiae, eaeque aquatiles, volatiles & terrestres. Deinde ea quae praeter esse, viuere & sentire, etiam habent intelligere, vt homines, qui eo duce illa omnia & se ipsos referunt ad Deum autorem tantorum bonorum. Hoc itaque modo sex diebus fecit Deus coelum, terram, & quaecunque in iis sunt, dein requieuit die septimo, sanctificauit & benedixit.

XV. DE CREATIONE MVNDI.

1. Sicut in hominibus duplex actionum genus obseruarunt Philosophi: vnum quod praeter actionem nullum post se opus relinquit ad agentis perfectionem pertinens: Alterum quod opus post se relinquit, estque rei factae potiùs quàm agentis perfectio: quorum hoc externi, illud interni operis nomine significarunt: ita etiam vtrumque in Deo contemplari licet, cùm & Iehoua sit & actus purus, qui ab aeterno semper intelligat, velit, amet: & rerum omnium conditor & princeps. De quorum primo cùm superioribus thesibus actum sit, ordo institutus postulare videtur vt ad operum Dei externorum contemplationem, quibus sese & suam naturam nobis cognoscendam exhibuit, transeamus.

2. Operum Dei externorum duo sunt prima & praecipua genera: quorum vtrumque in varias porrò species distribuitur. Prioris generis opera sunt illa quae dicuntur Creationis & Conseruationis mundi in natura rerum: posterioris opera redemptionis & gratiae ad Ecclesiam pertinentia. *Opera Creationis* vel sunt ὁρατά, ut hic mundus siue natura inferior: vel ἀόρατα, vt coelum beatorum, Angeli, animae hominum: de quibus, quatenus sub considerationem creationis cadunt, ex verbo Dei acturi sumus.

3. Creatio, est actio Dei externa, qua immediatè per se res à non esse ad esse, sine alteratione, pro sua libera voluntate produxit: idque aut nulla prorsus praeexistente materia fundens per verbum: aut in materiam iam à se creatam formam è nihilo creatam inducendo.

4. *Caussa* Creationis *Efficiens* est Deus, vt principium externum agens, mouens, exemplare, & finale rerum omnium, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus essentia vnus, personis trinus. *Finis* duplex: alius οὗ cuius, alius ᾧ cui: illum finem operis, hunc finem operantis vocant scholae. *Finis* Creationis οὗ naturalis est, nempe vt commodè secundum naturam se habeant omnia: Finis ᾧ Coelestis & Diuinus, vt singula quaeque in natura Dei gloriae inseruiant.

5. *Materia* Creationis non nisi huius mundi, est ingens illa massa, quam dixerunt chaos informis, omni virtute intus vacua, & indigesta moles: à Deo ex nihilo condita solo potente verbo, ex qua visibilia omnia educerentur ex priuatione in formam naturalem suam. *Forma* est modus, multitudo, diuersitas, ordo rerum omnium in mundo existentium, ab vno, primo, summo & perfectissimo Ente, pro libera ipsius uoluntate & infinita bonitate sapientiaque profecta.

6. Rerum creatarum duplex *ratio:* ἐπουράνιος supercaelestis, & Elementaris. *Supercaelestis* cùm sit inuisibilis, nec sensibus obnoxia, ex solo verbo Dei reuelato an sit, v(f.1634.)bí, quid ac qualis sit discitur. Esse Angelorum & beatorum hominum domicilium, quod beatorum caelum appellari consueuit, nemo pius vnquam dubitauit, cum tot & tanta de illo in sacris literis reperiantur testimonia, vt sine summa impietate & impudentia negari non possit. Est autem hic locus νοητός, supra hos visibiles & mobiles orbes, primo creationis die à Deo ex nihilo factus collocatus, firmatus: incorporeus, incorruptibilis, immobilis, nulli corruptioni aut passioni obnoxius: maximus, lucidissimus, ac verùs ὄλυμπος, pulcherrimus, amoenissimus: omnium denique sua natura & per se felicissimus, quod in eo Deus sese visendum praebet maximè: Incolae Angeli & beati omnes.

7. *Elementaris* mundus, vel est superior, vel inferior. *Superior* est visibilis illa pars mundi, quam spectabiles orbes occupant, ex eadem materia prima, ex qua etiam reliqua elementa, constans, & coelo extimo terminata: quod coelum est simplicissimum, praestantissimum, longeque ab aliis diuersum corpus, à Deo ex materia prima primo die creatum, alterationi & corruptioni per se obnoxium, ita tenue vt sit firmum, ita firmum

ita firmum vt solidis cedere corporibus, si per illos transeat, possit, & figura sphaerica omnium pulcherrima & capacissima praeditum.

8. *Inferior* haec corpora continet, vel simplicia, vel mixta, & ex illis composita. Simplicia corpora intra extimum coeli ambitum comprehensa sunt quatuor, quae vulgo dicuntur Elementa, ex quibus tamquam ex primis principiis vnaquaeque res componitur, & in quae eadem etiam resoluitur. De his duo generaliter praemittimus: vnum de modo efficientis caussae ad generationem ipsorum, qui vnicus Deo tribuitur Sermo. I. actus mandantis & puro suo mandato res ad esse producentis. Alterum de ordine quem Deus obseruauit in elementis constituendis: nam I. res ad esse produxit: II. productas approbauit: III. approbatas ordinauit: IV. ordinationem in natura rerum sanciuit.

9. Cùm autem elementorum ex lege creationis ea sit ratio, vt superiora agant in inferioribus, inferiora patiantur à superioribus: constat elementum ignis, quod summum est, agere, non pati: elementum terrae, quod infimum est, pati, non agere. Actio ignis perpetua, est aërem illuminare, & pulsis tenebris perspicuum reddere, ex primo creationis die. Actio aëris in aquis, est aquas superiores ab inferioribus suo expanso disparare, ex secundo creationis die: aquae denique in terra est terram variare, & partes illius disiungere, ex tertio creationis die.

10. Corporum ex elementis compositorum alia perfecta sunt, alia imperfecta. *Perfecta* sunt quae omnibus suis partibus absoluta: *Imperfecta* quae mutila, ideo *meteora* dicta, quòd in sublimi & in aëre pleraque generentur. In perfectorum creatione Deus ordine primùm res ad commoditatem incolarum pertinentes creauit: deinde animantes, tanquam in domicilio parato constituit. Res ad domicilij constitutionem pertinentes sunt duae. Nam primùm infra terrae fructus ad necessitatem, vtilitatem & commoditatem incolarum orti sunt die tertio. Secundò, supra stellarum & syderum ornatus ad res inferiores illustrandas, & modificandas appositus die quarto.

11. Quae ad ornatum huius domicilij faciunt maximè, astra sunt, & stellae, solo Dei verbo in ipso coelo, cum quo eiusdem sunt naturae, factae & collocatae: vt diem à nocte, eoque lucem à tenebris distinguant: stata tempora & temporum totius anni vicissitudines praebeant & ostendant: dies & annos efficiant: super terram denique luceant, & sua luce omnia spectabilia reddant.

12. Constituto domicilio incolae, qui inhabitarent, immissi sunt, nimirum animalia aquatilia, volatilia & terrestria, creata, & in hac rerum vniuersitate loco suo conueniente collocata. In quorum creatione ordinem hunc obseruauit Deus, vt à minus perfectis ad perfectiora ascenderit. Primùm etenim pisces auibus in eo imperfectiores, quòd muti sint, ex aquis eduxit. Aues terrestribus animalibus inferiores secundo loco creauit, quinto die. Terrestria, quae erant rationis expertia, ante rationalia condidit. Postremò hominem rationalem, corpori è terra formato animam è nihilo creatam, quae dignior eius pars est, inspirando, sexto die fecit. Atque ita totum creationis opus absoluit creator Opt. Max. quod sicut à summo bono & perfectissimo ente profectum est, ita non potest non esse summè bonum, omnibusque numeris absolutissimum: & Creatoris sui omnipot. sapientiam, bonitatem & perfectionem declamare (f 1635).

XVI. DE CREATIONE MVNDI.

Opera Dei duum sunt generum: aut enim vt interna, aut vt externa considerantur: interna in ipsa Dei essentia ante iacta mundi fundamenta, indicantur

indicantur decreti Dei aeterni nomine: de quo tum communiter, quatenus omnia creata: tum singulariter, quatenus hominum finem concernit, singulis disputationibus actum est: sequuntur externa Dei opera, quae etiam duplicia sunt, naturae scilicet & gratiae. ad primum ordinem pertinent opera creationis & conseruationis mundi. nos hic de creatione dicturi sumus, secuti normam verbi Dei. primùm autem vocum ambiguitatem tollemus.

Thesis I.

1. Verbum creare, quod in libro Genes. per vocem *bara* exprimitur, trifariam potissimum accipi potest (vt & Basilius in Epi. annotauit) 1. pro productione rei alicuius ex nulla praeexistente materia. *Gen.* 1. 1. 2. pro rei innouatione & mutatione in statum meliorem. *Psal.* 51. 12. 3. pro viuificatione, & quasi resuscitatione ex mortuis, *Ps.* 104. 30. Te emittente spiritum tuum recreantur. prima acceptio est huius loci. Mundus etiam in S. literis tria praecipuè notat, 1. Compagem totius vniuersi, id est coelum, terram, & quae in eis sunt, *Ioan.* 1. 10. *Eph.* 1. 4. 2. vitiosam eam & miseram conditionem complectitur, quae ex hominis peccato omnibus hisce rebus (in quibus manifesta ἀταξία & perturbatio) inhaeret, 1. *Ioa.* 2. 16. & 5. 19. 3. vnam quandam partem eamque nobilissimam & praestantissimam inter inferiora, nimirum homines tantum, eosque vel omnes in genere vniuersè, *Rom.* 5. 12. aut communiter, *Ioan.* 17. 21. 1. *Ioan.* 2. 2. vel in specie reprobos & infideles: *Ioan.* 14. 17. 22. *Ioan.* 17. 9. primo modo in sequentibus intelligi volumus *tantum de vocibus*, nunc ad rem accedamus.

2. Mundus hic an creatus sit, primò quaeritur: eum autem creatum esse tum Scriptura expressa, tum argumenta alia innumera euincunt. Scriptura enim illius creationem in principio (id est, primo temporis termino) factam esse *Gen.* 1. proponit, & passim repetit: *Prou.* 8. *Ps.* 102. 104. 134. &c. alia verò argumenta sunt tum ex Scriptura, tum ex natura petita. ex Scriptura, in qua anni à condito mundo diligenter à Mose aliisque Spiritus S. instrumentis supputantur: ex natura autem, quòd in eo caussarum & effectuum progressus non est infinitus, & mundus etiam natura sua interitui subiacet, quod de increato dici nequit: quare Aristotelis de mundi aeternitate opinio (*Lib.* 8. *Phy. lib.* 1. & 2. *de coelo & mundo*) in Theologia audienda non est. Nec hinc sequitur, Deum ante mundi creationem ociosum fuisse, nam praeter actionem hanc externam atque transeuntem, est & aliud genus actionum internarum, permanentium videlicet, quae Deo terminantur: suntque vel essentiales communes tribus personis, vt decretum aeternum: vel personales, personis distinctè conuenientes: vt Patris, Filium gignere, & amborum, spirare Spiritum Sanctum. Hoc posito, Creationem definimus, primam & nobilissimam Dei actionem externam, qua solus ille ἀμέσως, per se, mundum, secundum decretum suum, liberrimè, solo nutu, absque defatigatione, *Ps.* 33. 9. *Esa.* 40. 28. in principio temporis produxit, & sex dierum spatio disposuit, idque aut nulla praeexistente materià efficiendo, aut in materiam inducendo, ad commune bonum, & gloriam suam.

3. In hac definitione caussas & effecta à Theologo maximè consideranda expendemus. Caussae sunt vel externae, vel internae, prout aliae sunt, intus in re, aliae foris: externae sunt, efficiens & finis. *Efficiens* caussa igitur est Deus Elohim, Pater, filius, & Spiritus S. *Gen.* 1. 1. 26. *Ps.* 102. 26. & 124. 8. &c. *Col.* 1. 16. *Act.* 17. 24. 1. *Pet.* 4. 19. (idque etiam nomen plurale verbo singulari iunctum, *Gen.* 1. 1. denotare

denotare putamus) quippe cùm creatio sit opus trinitatis ad extra (vt vocant) tribus quoque personis competit, seruato tamen ordine ac modo in operando, ita vt Pater per filium & Sp. Sanctum, filius à Patre per Sp. S. *Ioa.* 1. 3. *Col.* 1. 16. Spiritus S. à Patre & filio creauerit. *Gen.* 1. 2. *Iob.* 33. 4. *Ps.* 33. 6. tribuitur quidem Patri soli creatio in symbolo fidei nostrae, vt & filio Redemptio, & Spiritui S. sanctificatio, (f. 1636.) sed hoc fit quia in eorum persona proximè illae actiones terminantur. Sequitur *Finis*, qui duplex est, operis & operantis: *operis*, vt omnia suis inseruiant vsibus, praecipuè verò saluti aliisque commoditatibus hominum & maximè electorum: *Gen.* 1. 28. *Ps.* 8. 7. *Heb.* 2. 7. 8. Finis *operantis* est illius gloria, nam ex toto opere creationis admirabilis Dei bonitas, sapientia & potentia elucent, *Gen.* 1. 31. *Ps.* 104. 24. *Pro.* 16. 4. *Ier.* 10. 11. 12. quarum agnitio & celebratio, corde, lingua & opere, vt praecipuè hominibus & Angelis conuenit, ita creationis scopus vltimus existit: hominem igitur propter se creauit Deus, reliqua omnia propter hominem quae in hac vniuersitate sunt

4. Caussae internae sequuntur, materia scilicet & forma. Materia praeexistens, ex qua Deus mundum hunc creauit, nulla fuit: idque vocabulo creandi (quod in propria sua significatione productionem à non esse ad esse notat: nam cùm Deus solus aeternus initio, fine, & successione carens & immortalis sit, 1 *Tim.* 6. 16. omniaque & sine exceptione condiderit, sequitur, non ex materia aliqua aeterna, multò minus Dei essentia, sed è nihilo tanquam termino potentia Dei extitisse: *Ps.* 33. 9. *Rom.* 4. 17. *Heb.* 11. 3. Itaque, quicquid est, illud aut immediatè, vt caelum, terra, angeli, anima: aut mediatè, vt alia. ratione prima materiae, ex nihilo emanant. Nam rerum corporearum materiam (quam Moses *tohu* & *bohu*, alij *chaos* appellant, LXX ἀκατασκεύαςον, & Philosophi ἄμορφον, ἀνείδεον, ἀσχημάτιςον, ἄποιον fuisse dixerunt) Deus ex nihilo prius in tempore condidit, vt ex ea visibilia omnia à priuatione in formam naturalem produceret: vnde melius in Scriptura Deus appellatur ποιητὴς, qui ex nihilo aliquid faciat, quàm à Platone & Philosoph. δημιουργὸς, qui ex inordinato aliud tantum ordinet & constituat. *Iust. Mart.* in lib. exhort. ad *Gent.* Physicum verò illud axioma, *ex nihilo nihil fit*, quia Physicum tantum est, rerumque naturalium ordini constituto, non autem constituendo conuenit, hîc non obtinet, vbi de creatione & potentia Diuina (quam Philosophi ignorarunt) sermo est.

5. Nunc de *Forma* videamus. Prout igitur creationis huius duae sunt partes, productio rerum, & sapientissima earum dispositio Deo vtraque propria, *Iob.* 9. 8. *Esa.* 40. 22. & 44. 24. Sic etiam forma duo haec complectitur, consideraturque internè & externè: *internè* in abdita huius vniuersitatis vi & natura: *externè*, in modo, multitudine, diuersitate, & pulchritudine rerum omnium conditarum, non tam propter coeli & reliquorum sublunarium pulchram faciem, quam propter aptissimam omnium in se, & inter se εὐταξίαν, φιλίαν, & κοινωνίαν, ab vno illo primo & perfectissimo Ente liberrimè ex ipsius sapientia, bonitate & potentia profectam: vnde *mundus* Latinis à puritate & munditie dictus est, *Plin. lib.* 2. *cap.* 3. vt & Graecis κόσμος, *Etymol. mag. Arist. de mundo*, *cap.* 6. παρὰ τὸ κοσμεῖν, ὁ τὰ παντα ἐν ἑαυτῷ ἔχων κεκοσμημένα. Hactenus de caussis.

6. *Effectum* autem ex hisce causis productum est mundus, qui nihil est aliud, quàm superiorum inferiorumque compages, & σύςημα ex coela, terra, & caeteris rebus, quae in iis existunt pulcherrimè inter se ordinatae & distributae, à Deo & propter Deum coagmentatum & conseruatum. *Diuisiones* rerum creatarum nunc videamus, vt tum huius effecti naturam, tum efficientis excellentiam eo melius intelligamus. *Partes* ergò mundi duae sunt, caelum & terra, prout eas passim Scriptura proponit. *Ps.* 124. 8. *Ps.* 134. 3. *Es.* 37. 16. iisque vocibus plerumque συνεκδοχικῶς res etiam omnes

omnes comprehendit, quia vel caelestes sunt vel terrestres vel ex vtrisque compositae, mari itidem (nisi disertè exprimatur) *Pro.* 8. 26. 27. 28. 29. sub terrae nomine comprehenso, *Ps.* 146. 6. *Act.* 14. 15. eo quòd cum ea globum vnum efficiat.

7. Deinde, hae mundi partes considerari etiam possunt vt continentes: & hoc sensu vniuersitas rerum diuiditur in res continentes & contentas, id est, domicilium & incolas. Domicilium hoc, respectu loci est duplex, inferius & superius: illud elementis duobus grauibus terrae & aquae, & suis elementatis destinatum: hoc pro suo situ triplici etiam triplex ponitur in Scriptura. I. Est *coelum* simpliciter superum, quod *aërium* appellatur: estque tota haec expansio aëris, atque ignis ab aquis & terra ad lunae vsque orbem: quod tum elementa alia duo aërem atque ignem, tum ea quae plus aëriae naturae habent, continet, vnde aues volucres caeli à Christo vocantur. Matth. 6. 26. confer cum Genes. 1. 20. II. coelum superius comparatum cum primo, est sydereum & *aethereum* omnes coelestes orbes, & cum iis stellas continens. III. coelum, est summum illud (*empyreum* vocant) quod incorruptibile & immobile est: hoc etsi nulla ratio Physica esse demon(f. 1637.)stret, quia Physicae obiectum est corpus & affectiones ipsius, & caelestium corporum magnitudo ex solo motu aspectuve deprehenditur, illud autem neque vllum motum vindicat neque sub sensum cadit, sed *νοητὸν* tantùm nobis est: statuendum tamen Diuina Philosophia docet, illud vocans, paradisum, sinum Abrahae, sedem Dei, &c. éstque omnium beatorum habitaculum in quod Christus ascendit, *Act.* 1. 11. *Ephes.* 4. 10. & Paulus se raptum esse dicit. 2. *Cor.* 12. 2.

8. Primum illud caelum *aërium* ex informi illa materia formatum esse non est dubium. Secundum *aethereum* quidam ex propria materia immediate à Deo creata constare asserunt, nos illud ex eadem materia informi productum esse statuimus (licet supra reliqua corpora longè excellat) atque hinc est, quod omne visibile coelum alterationi & mutationi sit obnoxium, iuxta illud, *caeli cum stridore praeteribunt*, 2. Pet. 3. 10. & *erit caelum nouum & terra noua*, Esa. 15. 17. & 66. 22. Apoc. 21. 1. &c. Tertium verò caelum sentimus non esse eductum ex materia informi illa *tohu & bohu*, sed vnà cum illa (duo. n. illa Moses per voces *schamaiim*, *& Arots*, caeli & terrae, *Gen.* 1. 1. exprimit) primo die ex nihilo creatum; vt situ & substantia ita & omnimoda praestantia supra caelos aspectabiles aërium & aetherium eminens: situ, quia supra eos à Deo constitutum & formatum: substantia, quia incorporeum nulli passioni & mutationi subiacens: omnimoda praestantia, quia lucidissimum, iucundissimum, pulcherrimum, &c. Haec de domicilio.

9. Incolae supremi illius domicilij (tertij scilicet caeli) sunt angeli boni: & homines fideles, à morte animâ, à resurrectione animâ & corpore. 1. Angeli, horum creationem quamuis Moses (cui praecipue visibilium creaturarum seriem pertexere propositum fuit) non exprimat, tamen creati sunt. *Psa.* 114. 4. *Cor.* 1. 7. & sub nomine coelorum. *Gen.* 1. 1. intelligi possunt. 1. Sunt autem substantiae, spirituales, simplices, indiuisibiles, per se tantùm subsistentes, magno numero, *Dan.* 7. 10. *Mat.* 26. 53. & certo ordine. *Ephes.* 1. 21. *Col.* 16. primo die *Gen.* 1. 1. *&* 2. 1. *Iob.* 38. 6. 7. *Ioan.* 1. 3. *Col.* 1. 16. à Deo ex nihilo ad ministerium ipsius creatae. Atque hi quidem omnes ab initio boni *Gen.* 1. 31. (quamuis mutabiliter tales) creati sunt: quia tamen eorum aliqui libera voluntate sua à veritate & integritate, in qua per creationem à Deo erant constituti, defecerunt: *Ioan.* 8. 44. 1. *Ioan.* 3. 9. hinc est quod isti *mali* appellantur, & è coelo illo eiecti sunt in aërem caliginosum, aeternaeque damnationi adiudicati: *Matth.* 25. 41. 2. *Petri* 2. 4. *&* *Iud. v.* 6. alij autem qui in illa sua integritate singulari conditoris gratia permanserunt, & confirmati sunt, *Mat.* 6. 10. *boni* appellantur & tertium illud & summum coelum inhabitant. Reliqui superioris illius

illius domicilij incolae sunt fideles anima solùm, postquam ea corporis sui domicilio segregata est: eruntque iidem toti secundum animam & corpus, cùm in die iudicij à summo illo iudice ad vitam aeternam fuerint resuscitati.

10. *Inferioris* domicilij incola est homo praecipuè, qui est creatura Dei rationalis, ad imaginem illius condita, duabus partibus constans, anima scilicet, quae substantia est immediate à Deo creata, spiritualis, immortalis &c. & *corpore*, quod ex limo terrae ab eodem efformatum est: Propter hominem etiam incolae huius inferioris domicilij sunt animantia varia vnà cum rebus omnibus ad necessitatem & voluptatem illius necessariis. *Genes.* 1. 28. 29, &c.

11. In his autem omnibus creandis hic ordo seruatus esse videtur à Deo, quòd cùm alia simplicia, alia composita sint, illa prius quàm haec creauerit. Simplicia a. sunt primùm *τὰ ἐπουράνια*, deinde coelum, & corpora intra extimum coeli ambitum comprehensa quatuor, ignis, aër, aqua, terra, quae elementa appellantur, ex quibus res omnes concretae primùm componuntur, & in quae vltimò resoluuntur, ipsa verò in nulla se priora. Ex compositis autem, (quorum alia perfectè composita sunt) illa prius creata, quae tanquam inferiora superiorib. essent inseruitura, quod sequens ille rerum creatarum ordo quadruplex clarum faciet.

12. I. Ea quae tantum esse habent prius sunt creata, quàm quae praeter esse, habent etiam viuere. II. Quae praeter esse habent viuere, prius creata sunt, quàm ea quae insuper & animam habent rationalem. III. quae praeter esse, viuere habent & sentire, prius creata sunt quàm ea quae insuper habent animam rationalem. IV. Vltimò, creata sunt ea quae praeter esse, viuere & sentire, rationalem animam supernè acceperunt, videlicet homines, vt ij ratione hac duce & magistra tum omnia illa, tum seipsos referant (f. 1638.) ad sapientissimum illum tantorum bonorum dispensatorem & auctorem Deum, nam ex eo & per eum, & in ipsum sunt omnia. *Rom.* 11. 36. Ipsi sit gloria in secula. Amen.

XVII. DE PROVIDENTIA DEI.

Creationem rerum iure sequitur oëconomia, cuius artifex Prouidentia: nihil enim magis à ratione alienum fingi potest, quàm si otiosum Dominum & creatorem facias, qui semel duntaxat in prima mundi origine potentiam, virtutemque suam manifestauerit: nec ad Sapientissimam atque admirabilem opificis Prouidentiam contemplandam mentis oculos intendas. Quapropter cum superioribus Thesibus, de Creatione totius vniuersi satis superque actum sit, iusta docendi methodus postulat, vt in praesentia de Prouidentia seu Gubernatione mundi breuiter σὺν Θεῷ inquiramus.

I.

1. Eleganter Aristoteles dicit eos, qui viuis rationibus sibi probari cupiunt Prouidentiam aliquam esse verberibus, non verbis, carnificis, non Philosophi (addo, nec Theologi) responso dignos esse. Et reuera si ignis calor, quem tactu, si Meridiani temporis lux, quam visu percipimus, demonstratione non indiget, multò minus demonstratione

stratione indigebit Prouidentia Diuina, qua tùm Christianis hominibus ex Verbo Dei, *Eccl.* 5. 5. *Sap.* 8. *Es.* 10. 15. *Mat.* 6. 30. 31. 32. *&* 10. 19 *Luc.* 12. 11. 12. tum Ethnicis, ipsisque creaturis mutis ex naturali rationis luce, *Rom.* 1. 10. *Iob.* 12. 7. *&c. Psa.* 19. 1. & praestantissima rerum omnium dispositione, ordine, atque conseruatione, nihil magis persuasum est, vel esse debet. Quare omissa quaestione *An sit*, transibimus ad quaestionem *Quid sit:* praemissa tamen quaestione *quid vox* significet. Prouidentiae enim appellatio nunc latius, nunc strictius accipi solet. Latius sumpta aeternum Creationis, Gubernationis, Ordinationísque decretum, & executionem illius complectitur: strictius ad solam rerum creatarum refertur oeconomiam.

2. Atque hoc posteriore sensu vocum Prouidentiae in praesenti accipimus, eamque definimus esse Actum summi & vniuersalis Principij, nempe Dei, quo omnia singula optimè gubernantur, & ad suum ordinem quamuis inordinatissima, finemque perducuntur, ad gloriam Dei. hic omnia causarum genera sese offerunt, quae in hoc negotio assignari possunt. *Caussa efficiens* Prouidentiae nulla dari potest, nisi fortè in ipso subiecto nempe Deo, voluntatem ipsius liberrimam pro efficiente, statuamus. *Formalis* caussa est, Actus ille perpetuus gubernandi ordinandique omnia. *Materia* circa quam, est vniuersus mundus, & singula quae in eo fuerunt, sunt & erunt. *Finalis* denique caussa est vt omnia assequantur suos fines, suamque perfectionem, & cedant ad gloriam Dei, quae vltimus rerum finis.

3. Huius, (quam definimus,) Prouidentiae duae sunt veluti *partes:* vna vniuersalis: *Ps.* 104. 27. *Prou.* 15. 3. *Sap.* 8. 1. *&* 14. 3. *Rom.* 11. 36. *&c.* altera particularis: *Deut.* 32. 10. 1. *Reg.* 17. 4. *Psa.* 23. 1 *&* 34. 8. 16. *&* 119. *Esa.* 43. 1. *Mat.* 6. 33. 2. 10. 30. *&* 16. 19. *Act.* 9. 4. *Heb.* 1. 14. 1. *Pet.* 5. 7. 12. sexcentis aliis locis. Illa est, qua positum à se naturae tam superioris quàm inferioris ordinem Deus tuetur, & vulgo conseruatio mundi vniuersalis dicitur: haec verò est, qua peculiarem vniuscuisque Creaturae curam gerit, praecipuè autem humani generis, & maximè fidelium, quos propiore intuitu dignatur, & quorum bono reliqua creauit. Hoc verò Dei opus, quod in rebus creatis secundum duplicem suam prouidentiam Deus efficit, etiam duplex est, Naturae opus & gratiae. Naturae opus appellamus, quod tum in natura tam superiore quàm inferiore, tum in rebus naturae singulis efficit secundum illum naturae modum, quem in natura rerum tanquam in limpidissimo naturae suae speculo expressit. Gratiae opus appellamus illud quod secundum beneplacitum voluntatis suae efficit in electis. Naturae opus efficit secundum eam rationem qua principium uniuersale est in (f. 1639.) natura rerum: gratiae verò opus singulariter efficit, quà principium est vnicum, & immediatum gratiae.

4. Iam autem huius duplicis Dei operis varius assignari potest modus: Nam 1. est ordinarium vel extraordinarium. Ordinarium voco, quod communem naturae aut gratiae ordinem obseruat. Eqtraordinarium quod praeter communem ordinem existit: vt cum Deus Israëlitas Manna *Deut.* 8. 3. & conturnicibus: *Exo.* 19. 13. Eliam coruo pauit, 1. *Reg.* 20. 11. quibus documentis paternam erga fideles curam suam ostendit. Item cùm solem subsistere in suo gradu ad preces Iosue, & in gratia Regis Ezechiae vmbram eius retrocedere fecit per decem gradus, *Ios.* 10. 13. 2. *Reg.* 20. 11. quibus paucis miraculis testatus est Deus, quamuis naturaliter singulis insita sit sua proprietas, vim tamen suam non exercere, nisi quatenus praesenti Dei manu dirigantur, quum nihil aliud sint quàm instrumenta, quibus Deus indit assiduè quantum vult efficaciae, & pro suo arbitrio ad hanc vel illam actionem flectit: prout vel ipsa Temporum vicissitudo demonstrat.

5. Hoc opus est mediatum vel immediatum. Immediatum est quod tum in natura vniuersi, tum in singulis partibus ipsius siue mediis seu causis secundis, & praeter, vel etiam

etiam (vbi visum erit contra omnia media peragitur: quod opus non parum facit ad gloriam Dei illustrandam, eiusque potentiam manifestandam, vt quae nullis adstricta est mediis externis. Mediatum verò opus Dei vocamus, quod sit per varia media, nunc per naturam superiorem illam, nunc per hanc inferiorem, tam communem quàm singularem, nunc denique per singulas naturae partes secundum naturam, & supra naturam ipsam, prout visum est maiestati eius. Atque hoc singulare est bonitatis diuinae cum sapientia illa sua πολυποικίλῳ coniunctae testimonium, *Ephes.* 3. 10. quòd cùm ipse vnus causa sit rerum omnium efficiens, finesque, formas, & ideas rerum omnium in sua ipsius habeat mente, atque ita habeat vt ad mundum hunc vniuersum à se factum ex nihilo conseruandum, atque gubernandum ipse vnus sufficiat: voluerit tamen dignitatem causalitatis (vt ita loquar) etiam cum creaturis communicare, pro modo ipsarum.

6. Caeterùm, quia *Media* haec non vnius sunt generis, ea in classes suas distinguemus. Media alia sunt necessaria, alia contingentia. *Necessaria* voco quae secundum naturam suam certum necessariò producunt effectum: *Contingentia* verò quae contingenter. Illa, definitae caussae: haec, indefinitae à Philosopho hanc ob causam dicuntur. *Lib.* 2. *Phys. cap.* 5. Eorum quae necessaria vocamus, duo sunt genera. Alia enim sunt per se & absolutè necessaria, necessitate (vt vocant) consequentis: alia ex hypothesi, necessitate consequentiae. Contingentium ratio, ἐπὶ τὸ πλεῖστον, attribuitur causis & effectis ratione futurorum, casualium, fortuitorúmque futura omnia, vt incerta nobis sunt, ita in suspenso habemus, ac si vtramuis in partem propensa forent. Omnium item, quae (casu vel fortuitò) accidunt, caussa est incerta: quippe quae possunt fieri à pluribus causis. Casus enim non est determinata causa, *Arist.* 2. *Physic. cap.* 5. Sed caussa per accidens in iis quae operantur ob finem, sed sine electione, idque in raro contingentibus. Fortuitum autem hoc vno differt à casu, quòd sit in iis quae habent electionem.

7. Neque haec sententia pugnat cum prouidentia Diuina: etsi enim respectu aeterni decreti diuini tanquam causae primae & remotae necessaria sint omnia: haec tamen necessitas non tollit contingentiam, quia licet suprema causa sit necessaria, scilicet voluntas Dei: potest effectus esse contingens, propter causam proximam contingentem & indeterminatam. res autem denominantur magis à causa proxima, quam à remota. adde, quòd res magis considerantur in se, quàm prout sunt in mente etiam diuina: vt lapis non vocabitur immaterialis, quamuis sit immaterialiter in animo seu mente. Tertiò, Prouidentia Dei non mutat naturas rerum, sed res omnes gubernat iuxta earum naturas. itaque contingentes causas & uoluntarias ita regit, vt contingenter agant, & voluntariè agant. Postremò, ea ipsa quae rebus contingentia sunt, in eum modum fuerunt à Prouidentia hac ordinata: cui non sunt contingentia, sed alia aliis, licet integra necessitate providentiae.

8. Atque haec de prima Mediorum distinctione: ad alteram transeamus. Rursus *Media*, alia sunt *Bona*, tam naturalia (vt substantiae, motus, actiones, & perfectiones rerum) quàm voluntaria & moralia (qualia sunt virtutes ciuiles, & spirituales:) alia sunt *Mala*, & in se inordinata. vtraque haec Deus ordinat tam bona quàm mala: nam (1640.) etsi malum non est bonum, bona est tamen mali ad bonum ordinatio. Bona itaque & ordinat & potenter efficit: mala ordinat & permittit, non efficit. Permissio autem haec non est nuda, vel etiam ex impotentia, prout sunt plurimùm humanae permissiones, sed ex voluntate libera quae iniusta censeri non potest, cùm Deus ex officio inhibere non teneatur, quia nullo iure cuiquam obstrictus est. Nam *quis dedit, & reddetur ipsi? Rom.* 11. 34. 4. Sed de hac Dei circa mala Permissione, agetur pluribus in seq. disputatione.

9. Etsi

9. Etsi autem tam contingentia quam necessaria: *Exod.* 21. 13. tam mala quàm bona à diuina prouidentia pendere sanctè cum Scriptura asseramus: *Esa.* 45. 7. 2. *Sam.* 12. 12. *Ier.* 50. 25. *&c.* non tamen cum Stoicis (prout quidam huic doctrinae inuidiam facientes calumniantur) fatum aliquod imaginamur, aut necessitatem comminiscimur ex perpetuo causarum nexu & implicita quadam serie quae in natura contineatur: sed Deum constituimus arbitrum, ac moderatorem omnium, qui pro sua sapientia ineffabili, ab aeterno decreuit quod facturus esset, & nunc sua potentia, quod decreuit, exequitur. Qui enim Prouidentiam Dei includunt in naturae influxu & fato hoc planè fatuo, ij sanè Deum sua gloria fraudant: & seipsos vtilissima doctrina: quia nihil homine miserius, si ad quoslibet coeli elementorúmque motus expositus foret: adde, quod hoc pacto nec paterno Dei fauori, nec iudiciis locus relinquitur: ac si foecunditas vnius anni non esset singularis Dei benedictio: penuria ac fames non esset maledictio, sed potius naturae influxus: cùm tamen Deus in lege & in Prophetis saepius pronunciet se his mediis gratiam suam & vindictam testari.

10. Non minùs insulsè doctrinam hanc oppugnant, qui sub praetextu Prouidentiae Dei vniuersalis ac particularis, omnes humanas deliberationes, correctionésque è medio tollunt. Aliud planè nos docet Salomon: *Cor hominis*, inquit, *cogitat viam suam*, *& Dominus diriget gressus eius.* Prou. 16. 6. significans aeternis Dei decretis nos minimè impediri quo minus sub eius voluntate, & prospiciamus nobis, & omnia nostra dispensemus. Neque id manifesta caret ratione. Namque is qui vitam nostram suis terminis limitauit, eius simul curam apud nos deposuit: periculorum praescios fecit: ne incautos opprimerent, cautiones ac remedia suggessit, quibus Prouidentiae eius subseruiamus, in propriae vitae conseruatione: quemadmodum contra neglectu & socordia, ea quae nobis iniunxit mala, ipsi nobis accersimus. Et ideo nos celare futura omnia voluit Deus, vt tanquam dubiis occurramus, neque desinamus parata remedia opponere, donec aut superata fuerint, aut, omnem curam superauerint.

11. Magis adhuc dilutum est & profanum figmentum multorum, qui admirabili Dei Prouidentiae velum obtendentes nudam praescientiam praetendunt, eamque à voluntate seu decreto, seu proposito Dei aeterno seiunctam causae rationem habere volunt: quae tamen per se causa rerum nullo modo esse potest: res enim non sunt futurae, quoniam Deus praesciit illas futuras, sed quia decreuit futuras, idcirco sunt ipsae futurae, & ipse futuras illas praescit. Taceo Epicureos qui Deum otiosum inertémque somniant: aliosque nihilo saniores, qui olim commenti sunt Deum ita dominari supra mediam aëris regionem, vt inferiora haec fortunae relinqueret, si quidem aduersus tam euidentem insaniam satis clamant mutae ipsae creaturae.

12. Prouidentiae Diuinae *fructus* licet varij sint, peneque innumerabiles, possunt tamen ad hos summos duos summatim reduci. prior est, quòd homines inde discant satis amplam benefaciendi facultatem penes ipsum esse. Secundus, quòd securè in eius protectione quiescere licet, cuius arbitrio omnes subiacent, quae aliundè formidari possunt, noxae, cuius denique imperio non secus ac fraeno coërcetur Satan cum omnibus suis satellitibus. nec sanè aliter corrigi vel sedari possunt immodici & superstitiosi metus, quos subinde ex periculorum obiectu concipimus, quàm si memoria semper teneamus, non erraticam vel potentiam, vel actionem, vel motionem esse in creaturis, nec enim fatalem: sed aeterno Dei consilio ita regi, vt nihil eueniat nisi ab ipso sciente & volente decretum. Cuius voluntas iustissima est nobis rerum omnium causa: non illa quidem absoluta voluntas, de qua garriunt Sophistae, impio profanoque dissidio separantes eius iustitiam à potentia; sed illa moderatrix rerum omnium Prouidentia, à qua nisi rectum manat quamuis nobis absconditae sint rationes eius (f. 1641).

XVIII. DE

XVIII. DE PRIMO ADAMI LAPSV.

Thesis Prima.

1. Devm esse fontem omnium bonorum, imò & summum bonum, suique communicatiuum, apud pios omnes extra controuersiam est, & S. Scriptura & experientia satis superque probatum: si quidem cum re nulla egeret, hominem ex terrae limo, ad imaginem similitudinemque, non vllarum mundi creaturarum, quae eius imperio subijciendae erant, sed suam creauit: vt creatorem Deum suum & Dominum agnosceret, & coleret ac aeternùm beatus ex omni parte viueret. Gen. 1. 26.

2. Imago illa & similitudo in qua factus fuit, demonstrat quanta beneficia acceperit primus parens ille noster, quasi communi quodam statu inter spirituales naturas naturas & terrestres locatus, cum in anima eiusque partibus omnibus, tùm in corpore, Integritatem nimirum & perfectionem summam, prout potest ab eiusmodi creatura capi. Totius itaque hominis partes omnes pulcherrima concordabant harmonia inter se, & superioribus inferiora in omnibus obsequium debitum reddebant: denique eo in statu homo nihil agebat quod voluntati diuinae minimè esset congruum, & bonum, & rectum, & acceptum creatori.

3. Omnimodas autem virtutes perfectionémque tantam non sibi soli, sed & suis acceperat, transmittendas ordine naturali, secundum mandatum & benedictionem Domini, ex ipsius Adami & Euae lumbis orituris videlicet, si in gratiae illius primigeniae statu perstitisset: sin à recti via, in quo creatus fuerat, declinaret, mortem sibi accerseret, & suos in idem praecipitium secum detruderet. Ac proinde non immutabiliter bonus & perfectus erat Adam conditus, sed mutabilis, prout naturae creatae consonum fuerat: hinc labi potuit & à Iusticia deuiare, & lapsus est, nostro & suo maximo malo.

4. Et quamuis eum Deus formarit mutabilem, non tamen è bono factus est malus, nisi inuidia Satanae, qui Euam aggressus infirmioris sexus decepit, & decepta ad Adamum debellandum vsus est. 1. Tim. 2. 14. Huic verò etsi vires non deerant ad resistendum, si voluisset, tentationémque superandam, si Domino fidisset, non tamen stetit in gratia, sed tentationi succumbens, à praecepto Dei aberrauit, vt amplecteretur apparens bonum, mortémque ab vxore propinatam facilis accepit, excidio suo & suorum: turpissiméque lapsus vt apostata à Deo creatore, & mancipium Satanae, poenis aeternis & temporalibus subiectus est vterque miser, conditionisque penitus deploratae, nisi creator promissione benedicti seminis, seruaturi Dei electos, vtrumque recreasset ex funesto lapsu. de cuius causis, necessitate & effectis dicendum iam paucis proposuimus.

5. Lapsus igitur ille primorum parentum est actio illa misera, qua in paradiso persuasi à Satana, sine instinctu aut impulsu Dei, sed illius praecepto posthabito, transgressi sunt voluntariè mandatum & legem sibi positam, fructu vetito vescentes: eoque Integritatem & Iustitiam, tum internam, tum externam amiserunt, similitudine & Imagine Dei constantem, quam vt in deposito habuerant cum suis communicandam, si perstarent, sic & suis & sibi perdiderunt, Irae diuinae rei, filij mortis, & poenarum aeternarum coram Iusto Dei tribunali facti.

6. Transgressionis autem istius causam Efficientem, dicimus, Euae & Adami liberam voluntatem, seu liberae illius voluntatis abusum, quo illi credentes Tentatoris verbis, non Creatoris promissis, & minas mortis negligentes, ab hoc ad illum defecerunt. Liberam dicimus, quòd illa cùm cogi non potuit ad peccandum & esse voluntas, sic peccare coacta nequiuit, alioqùin ei peccatum minimè imputaretur si non consensisset.

Deceptus igitur vterque à Diabolo, mandatum Dei ludificante, abusus est libera voluntate, & liberè lapsus est. Ac proinde lapsus istius extra eos causa efficiens non est quaerenda, nec Satanae simpliciter, quamuis consuluerit: aut Creatori, quòd permiserit, tribuenda: quia non nisi bonorum omnium causa efficiens est Deus. Nec propterea dissentimus ab Augustino, lib. 12. de Ciuit. Dei, cap. 7. dicente, *Nemo quaerat efficientem causam malae voluntatis: non enim est efficiens, sed deficiens: quia nec illa est effectio, sed defectio.*

7. Conditio antecedens hunc lapsum est ipsius voluntatis mutabilitas, & dispositio naturae totius: vt praeclarè docet Aug. in Ench. ad Laurent. c. 12. *Naturae omnes bonae sunt, quoniam earum conditor summè bonus est: sed quia non sicut earum conditor summè atque incommu*(f. 1642.)*tabiliter bonae sunt, ideo in eis minui & augeri potest bonum.* Non quod voluntas aut quicquam Naturae fuerit non bonum conditum, nam *vidit Deus quae condiderat, & Ecce erant valde bona.* Ideoque *non potuit ex bono oriri mala voluntas, quia bonum factum est à Deo bono: sed quia de nihilo factum est, non de Deo.* August. de nuptiis & concupiscentia lib. 2. cap. 28. ac denique quia *vnicus Deus est immutabilis*, vt idem docet lib. 12. de ciuitate Dei cap. 1.

8. Necessitatem igitur huic lapsui à causa efficiente vllam foris allatam esse pernegamus, sed contingenter lapsum hominem statuimus: vt pote constitutum in statu liberae voluntatis, quae in hanc & illam partem flecti poterat, & qua abusus non stetit in felicitate: cui cùm peccare difficile non fuerit, (ait *August. de correptione & Gratia cap.* 12.) non fuit nessarium vt laberetur antequam lapsus esset, quòd aliter fieri non potuerit. Nam Deus ostenderat Adamo dignitatem suam, & bona quae, si non cecidisset, possessurus fuerat. Etsi non negamus, si respicias ad Dei Prouidentiam & Praescientiam fuisse necessarium: siquidem omnia sunt ei praesentia, secundùm modum diuinum ipsius.

9. Omnino à Creatoris parte nullam eiusmodi legem necessitatis impositam constat. aut enim à Decreto Approbante, aut Perficiente seu Efficaci, aut à Permittente: vel denique à Scientia aut Praescientia existeret necessitatis Lex, à nullis aliis causis videtur peti posse. A primo Decreti genere non est, quia illo Deus tantùm quae bona sunt vult & probat, indicans voluntatem suam, ideoque Decretum signi vocatur: nec fieri potest vt ab hoc sit: nam prohibuerat Deus transgressionem mandati, grauesque poenas, si fieret, indixerat, *qua die comederis vtique moriturus es.* Gen. 2. 17. Efficax item esse non potest simpliciter, quia Deus agit quaecunque bona sunt sibi placita, secundùm infinitam suam potentiam ad gloriam suam: sed nihil mali aut malè. His duobus generibus Decreti docet, agitque in creaturis voluntatem suam prout vult, sine iniustitia vlla. Denique à decreto permittente quis dicat esse? eo enim agit in se solùm, non extrà seipsum in creaturis, sed sinit eas pro modo ipsarum voluntates suas implere: & melius dicatur nostro respectu, quiescere quàm agere. Qui autem non agit, causa efficiens vel agens propriè dici non potest, aut verè.

10. Scientiam verò aut praescientiam nemo iure existimauerit necessitatem huic praeuaricationi imposuisse: Nam illa in mente diuina est, se ad res exteras minimè conferens, sed eas concipiens, ac proinde extrà se non agens in eis quicquam, aut eas cogens; Estque rerum cùm aeternarum, tùm corruptibilium, veri, falsi, entis, non entis, possibilis & impossibilis: omnium denique quae sunt γνῶϛα in se, vt scientia est. Praescientia autem est de genere scientiae, & ab ea tantùm differt, quia illa ad omnes res extenditur, haec ad futuras tantum, & in his quoque non agit, aut eas, sed in seipsa solùm, vt August. docet de Corrept. & gratia cap. 12. *Praesciuit quidem Deus quid Adam iniustè facturus esset: praesciuit autem, non ad hoc coëgit: sed simul sciuit quid de eo facturus esset iustè.* Adde quod vesanae impietatis esset hac necessitate Dei Prouidentiam, qua gubernat & ordinat res omnes, obligare.

11. Praeuidit

igitur Deus lapsurum hominem, non autem ad lapsum coëgit, aut commouit ipsum, etsi omnia disponat, sed permisit ac non impediuit, non quòd probaret peccatum. (si hoc enim esset, obtrectatoribus ianua pateret,) sed ordinauit & disposuit factum sapientia & omnipotentia sua, integra manente iustitia sua. Augu. in Enchirid. cap. 95. & 96. Nam cum nullum malum sit tam malum, quin habeat aliquid coniunctum boni, ac ne subsistere quidem possit nisi in bono, Deus autem sit omnis boni auctor: profectò non potuit lapsus contingere, quin Deus & hominem sustinuerit, vt creaturam bonam: & voluntatem, vt creaturae suae bonae facultatem: & vtrumque egerit ac mouerit benè, secundum rationem naturae quam instituit, dum homo suo ipsius, id est, voluntatis suae á diabolo illectae, motu delabebatur in malum. Quo in actu quod bonum est fecit Deus, quod malum est permisit hominis voluntati, vtrumque sapientissimè consilio arcano suo & iusto ordinauit, cùm vtrumq; & agere, & permittere, sit penes eius ordinem.

12. Non est igitur lapsus Adam eo inscio, qui omnia nouit aeternùm antè quàm fiant: non probante eo, qui *Deus est non volens iniquitatem*: neque tamen eo inuito, sed non nolente, id est permittere volente atque disponente. non quod velit mala, nam id voluntatis esset malae quae eis delectaretur, aut vteretur (1643.) contra regulam Apostoli: Sed volens, permittit fieri mala ab hominibus, & ordinat optimè quod mali faciunt malè. *Rom.* 3. 8. Et voluntas haec non potest esse non bona in optimo rerum factore & potentissimo, vt sapientissimum gratiae infinitae erga suos beneficium, & iustitiae iudicium appareat.

13. Iam cur permiserit hominem tentari & labi, quem impedire potuit si voluisset? Respondet August. *De Genesi ad liter. lib.* II. *cap.* 4. *primariam causam huius permissionis soli Deo notam esse; quae vt occulta sit, iniusta esse nequit. Altitudinem consilij eius penetrare non possum, inquit, & longè supra vires meas esse confiteor.* & Epist. 106. ad Paulin. *Cur voluit permittere lapsum Adami? quis es tu qui Deo respondeas? an non habet potestatem figulus faciendi vasa, alia in honorem, alia in contumeliam?*

14. Probabiles tamen reddi posse, ait ipse alibi, rationes, De corrept. & Grat. cap. 10. & I. Ab Omnipotentia. *Qui creauit omnia valdè bona, & mala ex bonis exoritura praesciuit esse, sciuit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere etiam de malis benefacere, quàm mala esse non sinere.* II. A Prouidentia. De Ciuit. Dei lib. 3. cap. 30. *Deus administrat omnia quae creauit, & ita vt etiam ipsa proprios motus suos agere sinat.* III. A Misericordia & Iustitia. De corrept. & Grat. ca. 9. *Deus permisit hominem tentari, quem sciebat esse casurum, quia simul videbat eo casu se vti posse ad Misericordiam & Iustitiam declarandam, dum ex massa damnata alios iustè puniet, alios misericorditer liberabit.*

15. Addit & duas, praeter has, rationes lib. 3. de Libero Arbitrio cap 9. I. Ab vniuersitatis pulcritudine, & II. ab hominis vtilitate. I. *Quamuis anima sit misera, praestantior tamen est quolibet corpore, in se considerato, & meliùs ornat locum illi pro meritis suarum actionum deputatum.* De Genesi ad lit. lib. II. ca. 4. II. *Non videtur magnae laudis futurum fuisse hominem, si propterea benè viuere potuisset, quia non fuerit qui malè viuere suaderet.* De Ciuitate Dei lib. 14. cap. 27. & eodem libro cap. 6. *quia constituerat Deus maiori gloria tentatorem vincendum ab hominis semine sua gratia munito.* Ideoque rectè dicitur, propter peccatum nobis donatum fuit benedictum semen, quò superabundet gratia vbi abundauit delictum. & *si homo diabolica fraude deceptus non fuisset, & à lege sibi posita non deuiasset, per concupiscentiam, creator mundi creatura factus non fuisset.* Item August. sermon. 9. de verb. Apost. *Nulla causa fuit Christo Domino veniendi, nisi peccatores saluos facere.*

16. Non

16. Non autem censemus ita hunc lapsum ad ea quae diximus necessarium, vt sine peccato & miseria hominis Vniuersum vllo decore ornatum non fuerit, aut Dei nomen sanctissimum per se minus celebre. Nam vt ait Idem August. Lib. 3. de liber. arbi. c. 9. *si seruus purgandae cloacae ob peccata sua addictus peccare noluisset, non propterea domesticae disciplinae prouisio; defuisset, ad eam & alia loca purganda. Peccata enim non ornant per se, sed Angeli & animae, quae ob transgressiones suas ad poenas iusto Dei iudicio ordinantur.*

17. Causa adiuuans, & commouens praecipuè hominem ad praeuaricandum, fuit mala Diaboli voluntas, quà Benignitatem Dei Inuidiae, Iustissimum iniquitatis insimulauit Iniquissimus, consuluit, persuasitque Euae, aut falsum fuisse, quod Deus minatus erat, aut illius voluntatem malè & ab ipsa & ab Adamo intellectam, atque; ita apostasiam: Ac proinde Eua cupidine mala boni maioris commemorati, non promissi absolutè, elata inuasit arborem prohibitam, ac coniugi fructum porrexit, vt vterque vnà aut felicior, aut miserior foret.

18. Materia peccati istius potest dici ipsa fructus vetiti apprehensio & esus. Forma, diuini mandati contemptus, seu consensus ille nefarius intellectualis facultatis, deceptae specie veri, ad voluntatis desiderium iam tum mala cupientis. Finis intentus, & non possessus, sed contrà, seu obiectum quod intueri sibi videbatur, & quasi manu prensare Eua, & Adam, erat maior felicitas acquirenda sibi & suis, quod opinione tantum vanissimâ, non reipsa factum.

19. De specificando autem hoc casu miserrimo, vt quodnam sit peccatum internoscatur, variant sententiae, vix tamen possis dicere defectum vnum esse solum, sed multos credimus, cum doctis, concurrisse: Alij *intempestiuam fructus abreptionem.* Alij quòd *Eua ad verba Domini addiderit forte.* alij quòd *coeperit colloqui cum serpente initium peccati fuisse.* Harum aliae absurdae & refelluntur satis ipsius Mosis verbis, aliae apparentes occasiones. Augustinus, Superbiam dicit, probabiliùs, quem multi veterum sequuti sunt, & Scholastici, ad vnum, ferme omnes. Alij denique Infidelitatem censent fuisse volunta(f. 1644.)riam: si quidem radix Iusticiae est fides, quà stamus apud Deum: & ex opposito Iniustitiae radix Infidelitas. Augu. refert lib. 11. de Genes ad lit. cap. 41. Ambr. de Parad. cap. 12. Chrysost. hom. 16. in Genesin. August. de Genesi ad lit. lib. 11. cap. 30. & Enchiridio ad Laurent. cap. 45. Et sanè non potuit Adamus peccare si credidisset, vt debuit, verbo Domini, & minas eius veras esse, vt postea comperit, & hodie experimur, existimasset.

20. Hactenus de causis & necessitate, iam de Effectis. Effecta lapsus huius primi sunt mala omnia, quae posteà genus humanum inuaserunt, tum originis peccatum, tum inde sequentia actualia omnia, veluti colluuies aquarum ingens, omnem hominem submersum detinens. deprauatio enim tanta mentem humanam occupauit, vt plerumque exinde Deum ignorarit, & esse negarit: & dum credidit esse, qualis sit nesciuerit: ideoque illi commenta est, pro arbitrio suo, cultum, non ex illius mandato ignara, imprudens, stupida, & ad omne bonum salutare hebes. Voluntas itidem adeò peruersa est, vt conforme voluntati diuinae, nihil velit, rectum nihil desideret, imò & omnia cupiat & velit contra ipsam Dei voluntatem abrepta singularibus studiis. hinc *homo animalis non capit eà quae sunt Dei, sed ei sunt stultitia.* 1. Cor. 2. 14. & 1. 23. Et quod benè volumus est ex gratuito Dei beneficio. *Phil.* 2. 13. à quo ἱκανότης nostra: 2. *Cor.* 3. 5.

21. Neque solùm ille interior animae ornatus in Iusticia & sanctitate ad Imaginem & similitudinem Creatoris, maculatus & amissus est, sed & externus: dignitas enim lineamentorum corporis; & robur ipsius non remansit in neruis & membris: sed per omnia durae valetudinis legi, & morti acerbissimae subditus est homo, infestus aerumnis, doloribus,

nis, doloribus, tristiciae & innumeris malis, quae qui volet enumerare, arenas maris & caeli stellas pergat in numerum referre. denique effectus corruptionis illicò post lapsum coepit sentire vtrinque & quotidiè mori. *Rom.* 6. 23.

22. Poenae etiam indè Adamo & Euae impositae, & in sobolem eorum transmissae, graues & multae, cùm aeternae, tùm temporales. quarum aliae sunt sexus cuiusque propriae, aliae utrique communes. foeminei propriae, concipere & gestare foetum cum fastidio & moerore, nonnunquam continuo, emortuum proferre in lucem fructum: parere cum doloribus & malis ingeminatis: subiectam esse viro nolit velit. Virilis sexus poenae sunt parare cibum sibi & vxori, ac toti familiae, plurimo cum labore, terram arare, quae sterilescit, tribulos & spinas fert pro sementibus, ob peccatum: cum sudore toto vitae cursu panem suum comedere, &c. communes sunt vtrique sexui infirmitates praeter quas modo dicebamus, cum separatio per mortem vnius, ab altero superstite, tum vtriusque mors. *Gen.* 3. 16. 17. 18. 19.

23. Adde quod, vt quàm sit graue hoc peccatum, & Deo exosum appareat, non tantùm in eos qui libera voluntate abusi commiserunt illud, & in consulentem ac tentatorem, atque instrumentum quo vsus est ad decipiendum, maledictio redundauit: sed & in alias etiam res, quibus imperaturus erat Adamus semper pro arbitrio, si perstitisset. Gen. 3. v. 14. 15. 16. 17. 18. 19. *Maledictus*, inquit Dominus serpenti, *prae omni iumento, & prae omni bestia agri, quod illud feceris: super ventrem tuum ito, & puluerem comedito, omnibus diebus vitae tuae.* Euae, *Admodùm multiplicabo dolorem tuum, etiam conceptus tui. in dolore paries liberos tuos, quin erga virum tuum appetitus tuus esto, & ipse tibi praeesto.* Adamo, *Quia auscultasti voci vxoris tuae & de fructu arbori comedisti, quo interdixeram tibi ne comederes, maledicta esto terra propter te, cum dolore comedito prouentum eius omnibus diebus vitae tuae: Eaque spinam & carduum proferto tibi, tu verò comedito herbam agri. In sudore vultus tui vescitor cibo donec reuertaris in humum, &c. Magno desiderio creaturae expectant reuelationem filiorum Dei, siquidem vanitati subditae sunt, non propria voluntate, sed illius qui eas subiecit.* Rom. 8. 19. 20.

24. Cum autem adeò grauis hic lapsus, & morbus tum animae tum corporis, ac non nisi ad mortem vtriusque, & viribus creaturae vllius prorsus incurabilis, nulla nisi aeternae irae & à summo Iudice, in poenis sempiternis, iustissimè iudicante, expectatio esse poterat, & omni vitae spe deplorata, ipse qui siuerat fieri lapsum spem fecit creaturae recreandae, primo illo Euangelij nuncio salutari, promittens *Semen benedictum, quod contriturum esset caput serpentis, & liberaturum populum suum à peccatis eorum.* Gen. 3. v. 15. Matt. 1. 21. Luc. 2. v. 11. quod quidem factum est suo tempore in Christo Iesu Redemptore aeterno, & Mediatore nostro beatissimo, filio Dilectionis, qui pas(f. 1645.)sus est mortem vt nos in vitam reduceret meliorem, vnde laus illi & gloria sempiterna vnà cum Patre & Spiritu sancto in saecula. Amen.

COROLLARIA.

1. Nefaria igitur & maxime impia est eorum opinio qui huiusce lapsus causam Efficientem in Deum optimum Maximum, solum omnium bonorum factorem, regerere audeant, & qui quocunque velint modo ei oblatrare, quasi iniustè actum sit cum homine, dum arbitrio voluntatis suae permisssus est, nec impeditus ne peccaret.

2. Eorum qui cum peccati causas rimari non possent duo commenti sunt rerum principia, vnum Bonum bonorum causam, alterum malum malorum, vt Manich.

3. Ac

3. Ac denique eorum qui hominem negarunt peccasse, eo quòd Apostolus dicit, Legem non poni iustis sed peccatoribus: 1. Tim. 1. 9. & dum fatentur peccasse adeò extenuant, vt culpae partem creatori tribuant.

XIX. DE PECCATO ORIGINALI.

Thesis prima.

1. Ex illo Adami lapsu, de quo proximè actum est, processit labes posterorum omnium, qui ex eo secundum naturam prouenerunt, & peccatum illud, quod originale vulgò siue originarium appellamus: quemadmodum Apostolus affirmat, dicens, per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauisse, & ita in omnes homines mortem pertransiisse.

2. Est autem peccatum originarium habitus vitiosus, seu vitiositas, quâ posteri omnes, qui Adamo velut communi principio generis nostri secundum naturae modum propagantur, corrupti, & peccatores ab eo constituti, reíque culpae & poenae effecti sunt: prout notauit Apostolus, dicens, Nos natura irae filios. *Eph.* 2. 3.

3. *Habitus* est naturalem potentiam, quae in Adamo ad vtrumuis, bonum puta & malum, libera fuerat, determinans conditione mali: quae conditio, non infusa est (nam Dei solius est infundere, malum autem non infundit Deus) non acquisita imitatione (nam actiones sunt singularium, nos autem singuli non acquirimus, cùm in acquisito hoc malo nascamur) sed naturalis, siue (vt loquuntur) connata; non ex communis naturae (quae & Adami in integritate fuit, & Christi communis est) sed instrumenti primigenij vitio, ex quo omnes descenderunt naturaliter.

4. Huius vitiosi habitus *materia* siue subiectum est homo secundum omnes facultates eius, in Adamo, & ex Adamo velut communi principio ac radice generis nostri descendens naturaliter. Nam in Adamo priore tota species deposita fuerat à Deo naturaliter, in quo omnes peccauerunt, & rei facti sunt, & filij irae & maledictionis aeternae.

5. *Forma* est, non solum carentia puritatis & iustitiae (vt verbis Anselmi vtar) originalis debitae inesse, velut in primo parente acceptae (hoc enim priuationis est, quae nihil ponit, neque agit per se) sed habitus corruptionis & iniustitiae ad malum duntaxat habilis, & aduersus acceptam illam & debitam puritatem & iustitiam pugnans: quemadmodum ait Deus *Genes.* 6. & 8. Nam vt vita semper agit dum viuimus, sic etiam facultates indesinenter viuunt: quae quia bono priuatae sunt, à vitiositate actu primo (qui idem est habitus) occupantur.

6. *Causa efficiens* est Adam & Eua, primi parentes nostri. Nam, cùm totius generis nostri à Deo in natura principium instrumentale Adam constitutus esset ad propagationem generis, & quidem instrumentum voluntarium, vt vocant Physici, id malum effici aut à Deo, aut à Natura, aut ab Instrumento singulari oportuit. Non autem à Deo, qui instrumenti voluntati permisit vias suas, & rectam docuit: Non à Natura, quae fundit solum, non regit voluntarium: Igitur ab Instrumentali principio eius.

7. *Modus* effectionis istius ex ordine cognoscitur, quem Deus, Natura, & singulare Instrumentum Adam obseruauit. Nam Deus, prout ordine creationis suae totum humanum genus in Adamo posuerat per Naturam, ita ordine iustitiae suae toti generi in Adamo, in quo peccauimus, dixerat, *Quo die comederis de fructu isto; morieris.*

Natura

Natura verò tota superior & inferior, in ge(f. 1646.)neratione hominis operans, naturaliter agit quod ex natura est; quam Philosophi Solis nomine designarunt, dicentes, Sol & homo gignit hominem. Homo denique totus, quum fuit vitio suo à Dei iustitia & puritate naturae abalienatus (primus inquam homo Adam) velut corruptum naturae instrumentum, edidit hominem vitiosum; nec potest homo naturaliter nisi vitiosum edere.

8. Quapropter qui peccatum istud esse inuoluntarium simpliciter pronunciant, falluntur plurimum, quum idem vario respectu voluntarium & inuoluntarium dici oporteat; siue generationem, siue constitutionem eius respexeris. Nam & voluntarium fuit totius generis in Adamo peccante, ex communi ortu (quamuis in singulari ortu nostro non sit voluntarium) & in nobis singulis, ex quo sumus, est voluntarium, quamuis à vitio naturae oblato; & non à voluntate ortum, id est, singularis naturae actu, non voluntatis motu.

9. Neque hîc opus est, vt de traduce Animae (quod multi faciunt) laboretur: cùm peccatum non sit materiae aut partis, sed totius suppositi. Nam & Deus totum humanum genus in natura collocauit deposuítque, velut in radice & principio communi ipsius: & natura ex creationis lege ordinatè totum genus hominum depositum penes se fundit: totum hominem, inquam, & totum hominis, quicquid naturae est: nempe quod materiale est materialiter, quod immateriatum est causaliter: & homo singularis, velut naturae instrumentum ab ea motum, hominem fundit, qui secundum naturam homo sit: secundum rationem verò particularis instrumenti, corruptus & vitiosus homo, videlicet non amplius quàm suas partes praestans ad speciei in natura depositae à Deo propagationem: quemadmodum in coordinatis omnibus, res inferiores nunquam nisi suis partibus, & superiores, defunguntur.

10. De *Fine* istius habitus in corruptione & iniustitia positi, quia inordinatus est habitus, nihil propriè dici potest: sed effecta pro fine illius exponenda. Sunt autem effecta tria: Actus peccati, Reatus, & Poena, vi corruptionis & iniustitiae homines singulos sine fine prosequentia, nisi per Dei gratiam liberentur.

11. De Actu peccati apud omnes constat, & tota Scriptura plena est. Reatum appellamus labem ex peccato & simul cum peccato natam, quasi vinculum ad poenam obligans, & in poena ipsa constringens reum peccati. Quae res ab exemplo peccati actualis magis illustrari potest. Nam peccatum actuale transit, sed reatum gignit vi sua permanentem, quo reus ad poenam & in poena ipsa, donec satisfecerit, obligatur. Poena, siue (vt Apostolus vocat) stipendium peccati, est mors, cui homo peccati mancipatus est iudicio Dei.

12. Hoc autem peccatum in Scripturis, & peccatum peccans, & fomes peccati, & lex carnis, & concupiscentia dicitur. Quam rem optimè Augustinus de verbis Apostoli circumscripsit, dicens, Semper pugna est in corpore mortis huius, quòd ipsa concupiscentia, cum qua nati sumus, finiri non potest quam diu viuimus: quotidie minui potest, finiri non potest. Quae autem est concupiscentia cum qua nati sumus? Vitium vtique est: quod paruulum habilem concupiscere facit, adultum etiam concupiscentem reddit. Sicut enim in oculo caeci in nocte vitium caecitatis est, etsi non apparet, nec discernitur inter videntem & caecum, nisi luce veniente: Sic in puero uitium esse non apparet, donec aetatis prouectioris tempus occurrat. Quamobrem pius quisque meritò exclamat cum Apostolo quotidie, *Quis me eripiet ex isto corpore mortis? Gratias ago Deo per Iesum Christum Dominum nostrum.*

XX. DE

XX. DE PECCATO ORIGINALI.

Thesis Prima.

1. Qvemadmodvm omnium bonorum caussa bonitas Dei existit: (*Augustin. Ench. c.* 23.) Sic omnium malorum origo est ab immutabili bono deficiens boni mutabilis voluntas: Angeli primum, tum hominis. Adam enim bonus, sed mutabiliter (f. 1647.) bonus, à Deo creatus, bona spiritualia quae sibi & suis acceperat, à Deo deficiens, sibi & suis perdidit, totámque suam stirpem peccando, in se tanquam in radice vitians, poena mortis & damnationis obstrinxit: ut quicquid prolis ex eo & simul damnata coniuge nasceretur, originale peccatum traheret, quo per errores dolorésque diuersos tum ad primam tum ad secundam traheretur mortem.

2. Hinc fit vt impressum stigma & cauterium ipsius in Deum conspirationis nascentes omnes constemus, imò antè vsuram lucis, originis excipiamus iniuriam. Omnes si quidem in eo peccauimus, in quo vnus homo omnes fuimus. Nam quod Pelagiani argutantur peccatum in omnes peruasisse non originis vitio, sed imitationis exemplo, ab ipso Apostolo refellitur, qui *Eph.* 2. 3. vocat nos naturâ filios irae. Natura igitur in nobis vitio infecta est, quo & culpam & Dei iram culpae vindicem contraximus.

3. Et certè peccatum Originale esse praeter ea quae diximus euincunt: Primûm effecta; peccata nimirum actualia, ex hoc non vbertatis, sed egestatis, & miseriae fonte promanantia, in omnibúsque & omni aetate viuentia, ab ea die quâ hîc quisque concipitur, vsque ad eam quae in sinum matris communis recipitur. Secundò consequentia; Ipsi enim infantes daemonum incursus saepe patiuntur, saepe corporis cruciatibus vexantur maximis, moriuntur denique. Ergo peccati rei sunt: nam stipendium peccati mors, etsi peccatum in eis sese per aetatem non prodit: Alioquin idem quod Christus paterentur infantes, scilicet innoxij peccati poenam sustinerent, quod Christi praerogatiuam eneruat. Tertiò id ostendunt remedia ad hoc expurgandum peccatum à Deo instituta, Circumcisio sub lege, *Gen.* 17. Baptismus sub nouo foedere. *Col.* 2. Cur enim flagitet infans auxilium gratiae, nisi quia vitium patitur ab origine?

4. Hoc autem peccatum est vitiosus naturae habitus per Adami lapsum in omnes homines transfusus, quo reatu ipsius obstricti, tum originariâ iustitiâ priuati, tum iniusti, totíque corrupti, infinitis malis, morti quoque aeternae obnoxij nascimur, nisi per Christum liberemur.

5. *Habitum* vocamus non meram priuationem: nam quemadmodum peccatum actuale non dicitur in aliquo esse ex eo solo quòd Iustitia careat, tunc enim lapidi peccatum inesset; sed quòd habeat conditionem mali, in qua cùm deberet esse iustitia, non reperitur. Sic peccatum originale non solùm iustitiae originalis priuatiuum est: sed dispositionis & habitus cuiusdam ad fructus iustitiae contrarios positiuum. Nec enim peccatum (vt loquuntur Scholastici) omnimodam boni priuationem inducit: sed naturae aptitudinem & actum aliquem relinquit, circumstantiâ tamen boni moralis priuatum. Naturalem verò appellamus non quod naturae primae institutionem sequatur, sed quod naturae corruptae modum ita consequatur, vt neminem naturae ordine procreatum à suo contagio excipiat.

6. *Materiale* huius peccati est, quà nos attingit, totus homo; Animâ praecipuè, quà principium est actus. Corpore deinde, quà instrumentum est quo omnia agit. Etsi non eo Illyrici sententiam ex Manichaeorum coeno haustam admittimus, qua peccatum ipsam esse animae substantiam corruptam statuit, imperitè substantiam cum affectione malae qualitatis, & languore confundens. Formale est ἀνομία siue inordinata

nata dispositio: cuius partes duae, originaria *ἀποστέρησις*, seu carentia & priuatio iustitiae illius quae debet inesse, siue auersio à bono: & ἕξις contrarij quam vulgo dicunt conuersionem ad malum. Consequens est reatus seu labes communis mali, ira Dei, vindictáque poenarum tum temporalium, tum aeternarum quibus iusto Dei iudicio homines subijciuntur tanquam mali parentis pessima soboles.

7. Hoc malum ita per regenerationem exuitur, ut ipsa concupiscentia & peccati fomes, fons, & quasi materia prima adhuc actu incubet & inhaereat nobis quamdiu hîc viuimus. Id Scholastici ipsi animaduerterunt etsi malè rationem poenae non culpae habere existimarint: cùm vel ex vno capite 7. Rom. concupiscentiam verè & propriè peccatum esse appareat. Neque tamen has concupiscentiae & veri peccati reliquias etiam in renatis statuentes, baptismum inefficacem dicimus. Per eum enim tollitur condemnatio, reatus, & dominans peccati originalis vis: etsi sensim hoc concupiscentiae vitium & actus illius in vetustate carnis emoritur. Nam cùm Adami lapsu non solùm inquinati, sed (f. 1648.) etiam vulnerati, & grauiter quassati simus (vt scitè Bernardus, sermone in coena Domini) lauari citò possumus, ad sanandum verò opus est curatione multa, quae non nisi in eo loco perficitur, vbi Deum facie ad faciem videntes, praeceptum ipsius complebimus.

8. *Modus* propagationis variè à variis traditur. Nobis haec de multis maximè probabilis sententia videtur. Spoliauit persona naturam dono iustitiae in Adamo, & natura Adami egens facta ad omnes personas, quas ipsa de se procreat, eadem egestate peccatrices & iniustas facit, atque ita transit peccatum personale Adami in omnes qui de illo secundùm naturam personaliter propagantur. Nam cur hîc de animae traduce solliciti simus, cùm ad hanc quaestionem satis sit, non vni homini, sed vniuersae hominis naturae quae tota in Adamo & nusquam extra illum erat, originalia illa ornamenta tradita fuisse, quibus amissis natura inops constituta & inquinata sit, peccatríxq. facta in subiectis suis peccatores gignere non desinat? Ordine quippe naturae fit vt è semine & radice vitiosa fructus putres & vitiosi nascantur. Sic è sulphureo fonte riuus sulphureus oritur, ex massa acida panes acidi pinsuntur, ex ouo serpentis venenato venenati serpentes gignuntur.

9. Animam itaque peccato infici in coniunctione cum corpore & corpus in coniunctione cum animà non inficiamur, quia peccatum est totius suppositi: tantùm asserimus id non fieri actione vnius in alterum, sed naturae ordine, & Dei ordinatione ex illa toti generi humano prolata sententia: *Quacunque die comederis de fructu arboris scientiae boni & mali, morte morieris;* cuius sententiae efficaciâ substractis aliis, & corruptis illis originalibus donis, quibus Deus natvram instruxerat, alterum alteri coniunctum quasi mutuo contactu ilico vitiatur, & ita corrumpitur, vt anima propria virtute destituta carnem bene regere nequeat, nec bene caro obsequi. Hinc illud Sapientiae cap. 9. 15: Infestvm corruptioni corpus aggrauat animam, & terrena habitatio deprimit mentem multis curis plenam.

10. Haec de modo propagationis. Subiectum huius corruptionis seu ad quos pertineat ex superioribus facilè colligi potest. Neminem enim ab hoc naturali contagio excipi diximus, qui naturae corruptae ordine procreatus sit, thesi 4. Nam de Christo facilis est exceptio, quia cùm ventris, non lumborum, ex gratiâ, non ex naturâ fructus sit; solus ita potuit nasci, vt ei non opus esset renasci. Etsi enim carne ab Adamo descendit, eius tamen conceptus non lege peccati & concupiscentiâ carnis, qua solâ foecunditas naturae foedatur, celebratus est, sed Spiritus Sancti operatione: noster verò conceptus, cùm sine libidine non fiat, nec sine peccato est.

11. Neque ab hac originis labe infantes, vt supra dictum est, neque ipsam Mariam eximimus, vt quae ex concubitu maris & foeminae nata sit, in peccato vt alij, eóque

seruatorem

seruatorem suum agnoscat, *Luc.* 1. 47. ex lege purificationis suae dies impleat, *Luc.* 2. 22. Peccatrix igitur fuit & ipsa in originali concepta peccato, etsi insignibus donis, & supra omnes, quotquot vnquam fuerunt, κεχαριτωμένη, vt Domini sui, imò Domini omnium mater esset, & organon Spiritus Sancti selectissimum.

12. Quamuis autem omnes qui ex Adamo ordinariè propagantur, cum vinculo peccati originalis & mortis nascantur; negamus tamen infantes recenter natos ante externum baptismum spiritu immundo detineri, cùm infantes fidelium suo foederi Deus accenseat, *Gen.* 17. 7. filios suos appellet, *Ezech.* 16. 21. & Apostolus sanctos dicat, 1. *Cor.* 7. 14. Nulla igitur caussa est cur exorcismis è Diaboli potestate eruantur, quorum regnum coelorum esse pronunciat Christus, *Matth.* 19. 13.

XXI. DE LIBERO ARBITRIO.

Thesis I.

1. Actvri de Libero Arbitrio, duo in eo nobis occurrunt examinanda: Primum voces: Deinde ipsa rei essentia. Quomodo autem voces tum apud Graecos, tum apud Latinos accipiantur iam videamus. Graecis liberum arbitrium (f. 1649.) *Hieron. lib.* 3. *dial.* αὐτεξουσία dicitur, vel vt apud Phauorinum, τὸ αὐτεξούσιον, καὶ ἡ αὐτεξουσιότης, quam definit ψυχῆς νοερᾶς ἀκώλυτον πρὸς ἀρετὴν ἢ κακίαν τοῦ ἐπιθυμητικοῦ ἡμῶν ῥοπήν τε καὶ κίνησιν. At cùm illud αὐτεξούσιον idem sit quod αὐτοδέσποτον, & creaturae, quae Deo (cui propriè tribuitur, vtpote sui iuris) omnino ὑπεξούσιος est, non competat; potius ei cum sacra Scriptura τὸ ἑκούσιον in hoc argumento conuenire dicimus. Latinis porrò est liberum arbitrium, ídque à duplicis subiecti facultate huc concurrente.

2. *Arbitrium* etenim (ab arbitrando vel arbitro dictum) respectu rerum, quae tum in deliberationem cadunt, ad intellectum refertur, tum quae cadunt in electionem ex deliberatione, refertur ad voluntatem: illo modo res intelligibiles discernit, & praeexistente deliberatione an verae, an falsae sint, dijudicat: hoc verò discretas & dijudicatas sibíque obiectas aut prosequitur ratione boni, aut fugit ratione mali, aut dubitando actionem suspendit. Sed cùm voluntas duplici significatione apud Scriptores reperiatur, vel pro animae facultate qua volumus quae volumus, & nolumus quae nolumus, quam βούλησιν vocant; vel pro ipsa voluntatis seu facultatis actione, qua sese exerit hoc vel illud prosequendo tanquam sibi placitum, & contrà, quae προαίρεσις dicitur; ipsa facultas praecipuè hic à nobis consideratur, quae Ciceroni Voluntatis placitum dicitur.

3. *Liberum* verò aliquid in S. Scriptura dupliciter dicitur: modò enim seruituti, modò coactioni opponitur. Priori modo voluntas hominis naturâ corrupti non est libera, cùm serua sit peccati. *Ioan.* 8. 34. Posteriori tamen adeò libera est voluntas, vt non possit non liberè velle, nec futura esset voluntas, nisi sit libera & spontanea etiam cum necessariò vel Dei prouidentiae inseruit, vel ipsa peccata parit, cùm liberum & spontaneum non opponantur necessitati, sed coactioni, adeò vt quis & liberè & necessariò quid agere possit, etsi non coactè. Liberum itaque arbitrium dicimus quatenus voluntati ex iudicio rationis agenti delectus aliquis sit adiunctus; non igitur est, aut solius mentis, cùm illa saepè iudicet & operetur sine voluntatis consensu; aut solius voluntatis, cùm saepe sine praeuia mente aliquid eligat vel vituperet:

vituperet: sed vtriusque simul, quando voluntas sponte sequitur mentis iudicium. His itaque positis *liberum arbitrium* definitur facultas animae ab omni coactione libera, Voluntas dicta, quae à mentis iudicio praeeunte, sibi omnia proposita, tàm expetenda, quàm respuenda, spontè aut expetit aut respuit, aut inter dubitandum vtrumque suspendit.

4. Tria nobis in hac definitione occurrunt notanda: I. Subiectum, vt Creator, Creaturae. II. Obiectum bonum aut malum, idque aut externum aut internum. III. Actus qui consistit in ipsa electione, idque in seligendo vnum ex duobus vel pluribus, vel amplectendo, & repudiando vnum aliquod propositum. De Deo quoties liberum arbitrium praedicatur, aut vniuocè id fit, quia quicquid est in Deo Deus est, nihil accidentale, sed essentialia omnia; aut praedicatur figuratè; aut falsò, si quidem propriè definitio liberi arbitrij accipiatur. Figuratè Deo tribui posse concedimus, modò accipiatur benè: propriè verò (nisi falsò) dici non potest, Deus etenim simplicissimus est, & proinde non compositus, ne quidem ex subiecto & accidente: Actus simplicissimus, igitur nullam ἀλλοίωσιν importans, vtpote aeternus & immutabilis. Est denique ipsa bonitas, non ergo bonum improbare, aut malum eligere potest, cùm seipsum negare non possit. Ad bonum igitur Deus liberrimus est, 2. *Tim.* 2. 13. Ad malum verò nullo respectu liber esse potest, cùm id naturae eius perfectissima conditio exigat, vt malum bono anteponere omnino non possit.

5. Creaturae sunt aut inuisibiles vt Angeli, aut visibiles vt homines. *Iud.* 6. 2. *Pr.* 2. 3. *Ioan.* 8. 44. Illorum ea fuit conditio in statu creationis vt sanctitate perfecta ornati, gratia Dei eos sustentante, tantùm in bonum procliues extiterint, eâdem verò deficiente gratia à bono ad malum falsa aliqua persuasione decepti, sese insita libertate conuertere possint vt ex euentu liquet) adeò vt qui perstiterunt, in perfectione naturali à Deo confirmati sint, nec iam quicquam nisi sanctè ídque liberè velint: Illi verò quibus Deus gratiam suam substraxit, ab originali sanctitate deficientes, séque prorsus corrumpentes, nihil non velle possint quod diuinae voluntati repugnet, ídque in aeternum & proprio suo motu.

6. Homines dupliciter considerantur à nobis, vel vt crea(f. 1650.)ti, vel vt post creationem lapsi. Homo creatus inter dona eximia tam corporis quàm animi ei à Deo creatore collata, ea fuit arbitrij libertate praeditus, vt ex se mens & voluntas cum Dei voluntate planè consentire, illiúsq. imperio sine vlla affectuum cum mente lucta & repugnantia omninò subijci potuerint; tamen mutabilis; ita vt semper oppositum eius quod volebat aut faciebat velle aut facere potuerit, praeclaro mentis iudicio falsi alicuius boni obiecta specie corrupto, atque adeò sua sponte deficere; Posse etenim ei dederat Deus, velle autem quod posset arbitrio suo reliquerat liberum; quod vel maximè ex mandato liquet, *Qua die comederis*, *moriendo morieris.* Sed sibi relictus homo, desistente Dei particulari gratia efficaci, Satana suadente, & intellectum hominis mendaciis circumueniente & offuscante, tandem persuasus, & labens Dei mandatum violando, Satanae obtemperauit, summo bono seipsum priuando multis miseriis obnoxium fecit, séque & suum (vt loquitur Augustinus in *Enchirid. ad Laurent. cap.* 30.) arbitrium perdidit.

7. Post lapsum, dupliciter in homine liberum arbitrium consideratur, vel vt est in hac vita, vel vt in futura. Rursum in hac vita pro ratione subiectorum bifariam accipitur, vel vt est in hominibus regeneratis, vel in iis qui non sunt regenerati à Deo. In non regeneratis adeò Dei imago, quae tum in mentis luce tum in voluntate, aliarumque partium rectitudine apparebat, obliterata est, vt sanctitate penitus deleta, dona supernaturalia, verus amor Dei, iustitia & similia amissa, naturalia corrupta sint. Hinc ignorantia, & dubitatio in mente: in voluntate odiosus contemptus & contumacia aduersus Deum, praua inclinatio ad malum meráque ad bonum impotentia.

Sed cùm

Sed cùm bonum sit duplex, externum & internum: quomodo eius arbitrium ad vtrumque se habeat videamus.

8. Bonum externum vocamus vel naturale, vel morale. In illo hominem nondum regeneratum aliquid posse patet ex eo, quòd naturalia etiamsi mirum in modum sint offuscata, non tamen ita sunt deleta, quin tum intellectu quaedam percipere, tum voluntate siue arbitrio quaedam percipere, tum voluntate siue arbitrio quaedam eligere ac prosequi possit, ídque non nisi generali Dei auxilio adiutus. In morali (respectu actionum ciuilium, oeconomicarum & externarum, quae cum lege Dei videntur congruere) tantum potest, quantum sufficit, vt incusabilis coram Deo reddatur. *Rom.* 2. 14. Sed in hisce etiamsi homo multa quae praeclara & laude digna videantur praestare possit, speciali Dei auxilio, *Exod.* 31. 2. *Prou.* 21. 2. tamen adeò vitiis sunt contaminata omnia, vt vix in iis aliquid boni eluceat (nec enim virtutes, sed virtutum simulachra reuera sunt) multo minus vt hisce se ad gratiam siue iustificationem praeparare, vel, vt Deus oculis misericordiae ipsum respiciat, efficere possit, cùm nihil aliud homo sit quàm peccator, *Rom.* 3. 9. impius, *Rom.* 5. 6. peccato mortuus, *Eph.* 2. 1. *Col.* 2. 13. carnalis, *Rom.* 8. 5. &c. Praeterea ex iis quae vult aut facit, etiamsi quaedam bona sint in se, peccata tamen fiunt per accidens, cùm non proueniant à bono principio, nec per bona media, nec in bonum finem; nam finibus, non actibus (vt ait Augustinus) pensantur media, huc accedunt verba ipsius Christi, *Matth.* 7. 18. Non potest arbor mala bonos fructus facere; & Pauli, *Rom.* 14. 23. quicquid fit sine fide peccatum est. Contrà quod manifestè asserunt Pontificij, *Bellarm. contr.* 3. *lib.* 5. *cap.* 9. Hominem aliquod bonum morale perficere posse sine fide & auxilio speciali, si nulla tentatio vrgeat.

9. In internis, hoc est spiritualibus & supernaturalibus tanta ex lapsu sequuta est mentis caecitas & omnium caeterarum animae facultatum deprauatio, vt non tantùm ea quae ad Deum spectant non animaduertere, probare, aut velle possit, sed vt insuper ab illis adhorreat, & ei sint stultitia. 1. *Cor.* 2. 14. 2. *Cor.* 3. 5. *&* 44. 1. *Cor.* 1. 18. Turpiter ergo in eo errant Pontificij dum asserunt, liberum arbitrium in iis quae ad pietatem pertinent Adami lapsu solummodo laesum fuisse, non penitus extinctum, virésque nonnullas etiam in natura corrupta remansisse, sed sopitas & semimortuas. *Bellarm. contr.* 3. *lib.* 5. *cap.* 11. Nos contrà asserimus Voluntatem hominis non regenerati esse impuram prorsus & propinquam potentiam seu libertatem, imò inclinationem ad malum tantum habere.

10. Sed cùm homo ex se nihil possit, nec vt ad generationem, sic ad sui regenerationem quicquam conferat, verùm sua nuditate conuictus cum Adamo Deum magis ac magis fugiat; in aeternum interire debuisset, nisi Deus (f. 1651.) ex mera misericordia eum efficaciter vocando sensim transmutaret, nouam lucem in mente prius caligine obsitâ accendendo, vt quae Dei sunt & ad salutem necessaria possit agnoscere; Deinde voluntatem peruersam & à Deo auersam sic moderando, adeóque in omnibus affectibus nouam, licet imperfectam sanctitatem operando, vt iam noua creatura factus, dum quae Dei sunt cognoscit, etiam ea velit atque ad bonas actiones alacriter feratur, Deóque cooperetur. Sed cùm non simul, nec in instanti perfectè homo in hoc seculo regeneretur & tam reliquias veteris, quàm primitias noui hominis secum portet, necesse est vt duplicem habeat potentiam propinquam, vnam ad bonum, alteram ad malum, tam in rebus bonis quàm malis, *Rom.* 6. 11. *&* 14. ad malum, qua adhuc agitur peccato in ipso habitante, ita vt caro pugnet aduersus Spiritum, & Spiritus aduersus carnem, *Rom.* 7. 21. *Gal.* 5. 17.

11. Duo in hoc regenerationis opere consideranda veniunt. Primum, quòd Deus non exsuscitet liberum arbitrium in homine anteà veluti sepultum, sed creet nouas, & sanctas

& sanctas qualitates in iis quibus visum est, ad quas recipiendas anima se merè habet παθητικῶς: non vt truncus aut stipes, cùm remotam aliquam potentiam ei concedamus, & motu moueatur conuenienti eius fini ac perfectioni. Aliud est, quod hanc Dei actionem sequatur ipsa conuersio nostri ad Deum, hoc est, actio promanans à noua creatura, cùm mentis in cognoscendo Deum, tum voluntatis in amplectendo eundem per Christum. Prior igitur actio (sanatio) est merè passiua. Posterior fides est cooperans. Nam (vt de *grat. & lib. Arb. c.* 17. August. inquit) vt velimus Deus sine nobis operatur, tamen sine illo vel operante vt velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.

12. In futura vita liberum arbitrium hominum erit, aut beatorum, aut damnatorum. Beatorum erit ad bonum tantùm, idque immutabiliter, cùm assecuti fuerint vltimam sanctitatis perfectionem ad quam in hoc mundo militantes adspirant. Poterat Adam liberè in primo statu non peccare, in hoc peccare non poterit: quia magis Dei imaginem referet, cùm Deus futurus est omnia in omnibus. Damnatorum verò liberum arbitrium erit ad malum tantùm, ídque in aeternum: quia Spiritu Sancto destituti de salute sua omníque bono à Deo procedente desperantes in pessimum malum ruent, quo Deo voluntatíque eius iustae ac sanctae resistere conabuntur.

XXII. DE LIBERO ARBITRIO.

Thesis I.

1. Libervm arbitrium (si de nominis appellatione sermo sit,) non est quid vnum, sed multiplex, vtpote ex duabus vocibus vnum de altero enunciantibus conflatum, quarum illa attributi, haec subiecti rationem habet. Nos de vtriusque etymologiâ, & variis acceptionibus, quae ad institutum praesens facere videbuntur, breuiter dicturi; ad essentiam rei, de qua agitur, examinandam nobis hâc viâ commodiorem aditum faciemus.

2. Arbitrium igitur (in qualibet enim tractatione à subiecto ordiri, tùm naturae, tùm doctrinae ordo postulat) ab *arbitrando* dictum, si Augustino credamus, *Hypognast.* 3 vel (vt nonnullis grammaticis placet) ab *arbitro*. Vtrumuis dicatur, res eodem redit, & vtraque denominatio genuinum vocabuli sensum manifestissimè indicat. Cùm enim Arbiter sit iudex ille, qui totius rei inter litigantes controuersae facultatem habet (vt inquit Festus *lib.* 1. *de verb. signif.*) hoc est, qui non ex lege, aut iure stricto, sed prout iustum, & aequum esse censet, iudicat: Arbitrari autem sit arbitri munere fungi, seu litem ex libero voluntatis placito dirimere: hinc factum est, vt sententia, quae ab arbitro statuitur, communi omnium consensu appellata fuerit *Arbitrium.*

3. Illud autem, etsi forensi vsui (vt diximus) primò destinatum, ab eo tamen posteà deriuari, & ad res quascunque, quae tum in deliberationem, tum vel maximè (f. 1652.) in electionem ex deliberatione cadere possunt, accommodari coepit: illarum respectu ad intellectum, harum verò consideratione, ad voluntatem referri solet.

4. Arbitrium intellectus (quod Graecis γνώμη vulgo appellatur) est actus mentis, quo natura intelligens inter obiecta intelligibilia discernit, & praeexistente deliberatione, quae ex iis vera aut falsa sint diiudicat.

5. Voluntatis

5. Voluntatis autem arbitrium (quod Graeci προαιρέσεως nomine à superiori distingunt) est itidem actus, quo voluntas res ab intellectu discretas & diiudicatas, sibíque obiectas, aut eligit ratione boni, aut repudiat ratione mali.

6. Ideò autem huiusmodi electio vocatur Arbitrium; quòd sit quasi sententia quaedam, & iudicium vltimum voluntatis; Vnde etiam vulgò dicimus hoc vel illud in nostro arbitrio esse, hoc est in nostrâ electione & potestate.

7. Haec tria sunt praecipua arbitrij significata, quorum postremum vt vsitatius, & proposito nostro magis accommodatum, omissis reliquis, in hac causâ tantùm admittimus.

8. Libertas autem (quam proprium eius attributum esse diximus) in genere, & καθόλου sumpta, in has duas Theses à Theologis diuiditur, in libertatem scilicet ab obligatione (quam alij libertatem adiunctorum, seu mediorum vocant) & in libertatem à necessitate: quarum haec voluntatem in se, illa euentus, & consequentia respicit.

9. Libertatem ab obligatione, siue à parte adiunctorum vocamus, secundùm quam volenti est liberum quidlibet agere proprio arbitratu, aut motu, secundum ordinem naturae suae congruentem, absque vllâ prohibitione, aut impedimento foris adueniente.

10. Quae autem à necessitate dicitur libertas, duplex statuitur, pro duplici necessitatis modo: vel enim simplici coactioni, vel necessitati pròpriè dictae (sub quâ & ipsa coactio comprehendi solet) opponitur.

11. Libera à simplici coactione illa sunt, quae tametsi necessariò fiant, nec possint non fieri, voluntariè tamen & ἑκουσίως fiunt: eo libertatis genere voluntas nostra libera censenda est circa fines per se notos, & bonos: illos enim liberè appetit, sed ita tamen liberè, vt non possit non appetere. Verbi gratiâ, ita felices esse volumus, vt infelices esse nullo modo velle possimus.

12. Illa verò à necessitate propriè dictâ libera dicuntur, quae pro arbitrio possumus velle, nolle, non nolle, non velle, voluntate nostrâ, nullâ vi necessitatis, neque consequentis, neque consequentiae (quam principium vllum, siue internum, siue externum, aut causa importarit) praepeditâ, sed ad ea merè se habente contingenter & liberè.

13. Vtrumque hoc libertatis genus, quod generali nomine à necessitate appellauimus, voluntati tribuitur analogicè, pro conditione subiectorum volentium, obiectorum quae volumus, & circumstantiarum.

14. Subiecta considerantur duobus modis: in se, & vt relationem habent ad obiectum: in se considerata à coactione solâ libera sunt, non à necessitate: Liberè enim, & interno suo principio volunt, sed necessariò, ídque ratione naturae suae, secundùm quam haec libera volendi necessitas illis imponitur: in relatione verò ad obiectum si spectentur, illud non eodem libertatis genere singula respiciunt. Aliter enim ad boni electionem se habet Deus, aliter creaturae.

15. Obiectorum alia sunt determinata ad vnum, natura suâ, vt sunt fines illi naturales, & per se noti (de quibus Thes. 11.) Alia indeterminata. i. (vt loquitur Nazianzenus *in Apologetico*) parem ad vtrumque motum habentia, qualia sunt omnia media, & quidam etiam fines subordinati, & incogniti: illa coactionem tantum excludunt, haec omnimodam necessitatem.

16. Ex circumstantiis verò, quae variae sunt & multiplices, plerumque incidunt causae, quarum superuentu mutatur voluntatis modus. Alia est enim eius libertas in homine renato, quàm in non renato: & alia erat in Adamo in statu naturae integrae, quàm fuit post lapsum, quámque futura est in nobis in statu gloriae, vt in sequentibus fusiùs declarabimus.

17. His positis, libertas arbitrij non incommodè poterit definiri, facultas voluntatis discretae à necessitate libera, quâ natura intelligens, ex iis quae ab intellectu demonstrantur,

strantur, vnum pro alio eligit, aut vnum, & idem (f. 1653.) pro arbitrio vel acceptat, ratione boni: vel respuit, ratione mali.

18. In hac definitione tria nobis examinanda veniunt: subiectum liberi arbitrij, obiectum, & actus: horum enim explicatio ad sequentium intelligentiam non parum conferet.

19. Subiectum igitur duplex est, vnum totale, alterum partiale. Totale subiectum est vel increatum, vt Deus, vel creatum, vt Angeli, & homines, de quibus omnibus suo loco. Partiale verò est voluntas, non naturalis (huius enim non est Arbitrium, cùm ad vnum tantùm feratur) sed discreta, ideò sic dicta ex communi Scholasticorum vsu, quod ex discretione (vt ita loquar) & diiudicatione intellectus agat.

20. Illa autem si à principiis ordinatis, per media ordinata, ad finem ordinatum, ordinato modo moueatur, voluntas προαιρετική dicitur: si verò inconsultò ac temerè per particulares causas se sinat abripi (vt saepissimè aegrotis accidit, qui praeingrauescente morbo volunt quod prohibet medicus) voluntas per causam, seu ex causâ appellatur.

21. Obiectum autem liberi arbitrij, si generale quaeritur, à nobis supra fuit in definitione adsignatum, cùm liberum arbitrium in eorum, quae consultatione fiunt, electione positum esse diceremus. Ea autem sunt vel media, vel fines. Verùm de finibus, quia raró habetur deliberatio, raró etiam est arbitrium.

22. Si verò de obiecto speciali quaestio est, illud ponimus in triplici differentiâ. Quicquid enim sub discretam voluntatem cadit, aut est bonum, aut malum, aut ἀδιαφορόν Eadem autem est ratio voluntatis, & eius arbitrij.

23. Actus liberi arbitrij proprius, est electio: sed ea duobus modis fieri potest, vel seligendo vnum ex duobus, vel pluribus oppositis, quae dici solet libertas contrarietatis: vel vno tantùm proposito, illud acceptando, aut reiiciendo, & haec est libertas contradictionis. Vtrumque modum in thesi 17. expressimus.

24. Hactenus de definitione liberi arbitrij, & partibus eius. Nunc vtrum omnibus totalis subiecti speciebus suprà enumeratis ex aequo conueniat (ea enim de re in hac quaestione maximè controuertitur) videndum est. De singulis igitur sigillatim dicemus, à Deo summo illo & vniuersali omnium rerum principio incipientes.

25. Deum esse liberrimum ab omnibus pro confesso habetur, quibus adhuc in pectore residet aliquis diuinitatis sensus: libertatem enim Deo detrahere, perinde est, ac Deum negare, cùm hoc vnum sit ex praecipuis eius attributis, quorum ne minimum quidem (vt ita loquamur) ab eo tolli potest, quin tota continuò tollatur ratio Deitatis, haec autem libertas in Deo est bipartita, prout bipartitam eius relationem initiò fecimus, ad voluntatis nimirum apprehensionem, & ad rei à voluntate apprehensae, & imperatae executionem.

26. Secundùm priorem respectum (de quo praecipuè in hac quaestione disputamus) libertas Deo tribuitur, sed non vniuersè, si de libertate à necessitate propriè dicta intelligatur. Qua autem ratione id fiat, ex obiectorum specialium liberi arbitrij, boni scilicet, & mali (nam de adiaphoris res plana est) distinctione, liquidò patebit.

27. Illa autem vel vnico actu, sibíque inuicem opposita: vel separatim, & absolutè in se considerata, voluntati proponuntur. Si priori modo, Deus ad ea determinatè se habet, & necessariò, nec potest in vtramuis partem inclinare. Si verò posteriori, iterum distinguendum est: ad malum enim nullâ consideratione liber esse potest, nisi à coactione, quatenus nempe illud libera voluntate detestatur, non inuitâ, ita exigente naturae suae conditione, cui malum bono anteponere omninò repugnat. Ad bonum autem est liberrimus, siue libertatem contradictionis spectes, siue contrarietatis. Potest enim vel eligere vel non eligere, si vnicum sit: si verò plura, hoc vel illud.

28. Secundùm

28. Secundùm alterum autem respectum, libertatem soli Deo competere, nec creaturis nisi valdè impropriè, & summâ cum restrictione tribui posse, extra controuersiam est: ipse enim est solus αὐτεξούσιος, à se, in se, & per se liberrimus, omne ius potestatémque in omnia à se condita habens, & cuius voluntas à nullâ exterâ causâ pendet, regitúrve, sed omnia ab illâ.

29. Haec igitur libertas in Deo perfectissimo modo existens, perfectissima est, & πρωτότυπος; Alia verò huius (f. 1654.) imago tantùm, & veluti exemplar (vt vocant) repraesentatiuum, ideo creaturis intelligentibus concessa, vt eâ, tanquam particula quadam diuinitatis ornati, conditoris sui imaginem quodammodo referrent.

30. Hae autem creaturae duûm sunt generum: Aliae enim sunt immateriatae, vt Angeli: aliae materiatae, vt homines. Illae naturam superiorem duntaxat, hae & superiorem, & inferiorem participant, & pro communi actionum suarum principio agnoscunt.

31. Vtrisque autem Deus indidit intellectus lucem, & facultatem voluntatis, vt principium singulare actionum suarum in ipsis, quo per se ipsae ad actiones liberè mouerentur, & modo actus voluntarij.

32. Porrò hoc principium in creatione rectum, sanctum, nulláque inordinatorum appetituum labe contaminatum, intellectus (qui propter innatam sibi veritatis lucem falli non poterat) iudicium αὐθαίρετος sequebatur, adeò vt illius ductu, tum angeli, tum homines, fines & obiecta, quae à ratione monstrabantur, secundum ordinem naturae suae congruentem intelligenter vellent, & opere perficerent: licet illi excellentiori modo, quàm hi, propter excellentiam & simplicitatem naturae suae.

33. In homine enim, etiam ante lapsum, neque intellectus naturae fines transcendendo se in supernaturalium cognitionem erigere, neque voluntas illa ipsa apprehendere poterat, nisi supernaturali adiumento fulta & sustentata.

34. Quapropter huic principio particulari naturae, superadditum fuit Adamo aliud singulare gratiae, quo voluntas eius intellectiua, mota singulariter, supra naturae modum agebat. Hinc verba illa ab illo Prophetico spiritu pronunciata, Gen. 2. 23. *Hac demum vice adest os ex ossibus meis, & caro ex carne mea;* hinc etiam *ibid.* 20. impositio nominum singulis animantibus, & multa alia, ad quae intellectus sui perspicacitate, voluntatisque naturalis viribus contendere nunquam potuisset.

35. Verùm etsi in eâ sanctimoniâ, & integritate omnium partium tam animae quàm corporis conditus fuisset, talibúsque principiis à naturâ dotatus, quae summo consensu cum voluntate Dei conspirarent: quia tamen non ita constitutus fuerat, vt mutari non posset, retinebat semper potentiam ad oppositum eius, quod volebat aut faciebat, volendum aut faciendum, ita vt naturae suae rectitudinem, *& ipsum gratiae adiutorium deserere posset, cùm vellet, vel in eo permanere, si vellet*, vt praeclarè docet Augustinus, *lib. de corrept. & grat.* Posse etenim ei dederat Deus: velle autem, quod posset, arbitrio suo reliquerat liberum.

36. Mutabilem autem fuisse creatum primum hominem, apparet primò ex verbo Dei, Gen. 2. 17. *quâ die comederis, moriendo morieris.* secundò, ex euentu, quem (miserum) secuta est misera totius humani generis conditio. Tertiò, ratione. Deus enim cùm solus sit in se, & per se immortalis, & immutabilis, immortalem, & immutabilem eum facere in ipso non potuisset, nisi consequenter fecisset Deum. Solus autem Christus imago Dei Patris essentialis est.

37. In ista verò mutabilitate, liberum ab omni necessitate habuisse arbitrium, demonstrat, primùm natura diuinae imaginis ad quam formatus, *Gen.* 1. 16. dicitur, cui nihil magis competit, quàm solida libertas: nihil magis aduersatur, quàm necessitatis vinculum. Tum verò, *Gen.* 2. 16. 17. propositio Adamo facta duarum, *arboris* nimirum *vitae, & arboris scientiae boni, & mali*, quarum prioris vsum tantùm concedendo:

cedendo: posterioris autem etiam cum mortis comminatione prohibendo, liberam voluntatis humanae conditionem non obscurè testificatus est Dominus.

38. Ad rectitudinis igitur innatae conseruationem, nullâ nisi iuris & obedientiae necessitate obstrictus, eam interno suo principio, eóque liberrimo, abiecit, cùm, de arboris vetitae fructo comedens, à praescriptâ sibi viuendi normâ declinaret: sícque arbitrio suo malè vtens *se*, *& suum* (vt cum Augustino loquamur *Enchirid. ad Laur. cap.* 30.) *perdidit arbitrium.*

39. Hoc enim singulari facto (quod Deus ex decreto & consilio aeterno, sine vllâ culpâ, permisit, & ad iustum finem ordinauit) penitus obliterata est imago Dei, & in eius locum successit incredibilis ἀταξία & corruptio in naturâ, tùm singulari ipsius Adami, tùm communi omnium posterorum, qui ab eo, tanquam à principali indiuiduo, secundùm naturam propagati, in ipso peccauerunt: Quae enim dona sibi suísque acceperat, ea(f. 1655.)dem sibi suisque facto suo amisit.

40. Hanc igitur mutationem secuta est necessitas, (quam rei & effectus vocant) potentiam ad vtrumuis, siue bonum, siue malum, liberam, determinans triplici conditione, prout triplicem ad haec duo specialia obiecta respectum habet, ad bonum nempe, ad malum, & ad vtrumque simul.

41. Triplex autem ista necessitas ex triplici duplicis aduentitiae formae in homine, corruptionis nimirùm, & sanctitatis (quam Apostolus legem carnis & legem spiritus appellat *Rom.* 8. 2. 3.) consideratione, ortum ducit: ex corruptione enim naturae nostrae adnatâ, sequitur necessitas ad malum: ex sanctitate, ad bonum: ex vtraque coniunctâ, ad bonum, & ad malum.

42. Hinc triplex emergit hominis post lapsum conditio secundùm quam triplex etiam in eo liberi arbitrij ratio consideranda est: vna, in statu naturae corruptae, à qua σαρκικὸς appellatur. Altera in statu naturae ex parte regeneratae, à quâ dicitur πνευματικὸς, sed inchoatè tantùm. Tertia in statu eiusdem penitùs renouatae, & glorificatae, vnde perfectè & consummatè spiritualis nominatur.

43. In priori autem illo statu, etsi corruptissimo, aliquod tamen in homine libertatis arbitrij vestigium apparere confirmamus. In adiaphoris enim liberam, & ad multa indifferentem remansisse voluntatis electionem, res ipsa, & communis omnium experientia testatur. In bonis verò & malis quomodo se habeat, vnica distinctione explicari non potest.

44. Primùm igitur notandum est, bonum & malum bifariâm accipi, strictiori nimirum, & latiori significatione. Strictiori quidem pro actionibus suo genere, & secundùm substantiam operis (vt loquuntur) bonis & malis: latiori autem pro iis, quae quoquomodo tales sunt, siue per se, & naturâ suâ, siue per accidens, ratione adiunctorum. Adiuncta autem actionum voco, principium, circunstantias, media, obiectúmque & finem; quae quidem omnia, si ad actionem ordinatè concurrerint, bona est, si inordinatè, mala.

45. Circa bonum ergo, & malum, secundùm priorem acceptionem considerata, non renatus aliquatenus liber est. Quamuis enim non pari ratione ad vtrumque, sed ad hoc potiùs, quàm ad illud vitiositate suâ, feratur: in politicis tamen, oeconomicis, & moralibus actionibus, caeterísque quae sensibus, & rationi subiiciuntur, voluntatem electiuam, suo modo iunctam habere libertatem arbitrij indubitanter asserimus.

46. Si verò bonum & malum in genere sumantur, longè diuersa ratio est. Necessariò enim peccat homo non renatus, nec quicquam velle aut facere potest, (donec per gratiam regenerationis aliud fiat quod non sit aliquo vitio inquinatum, quia vel tantùm, quod in se malum est, vult & facit; vel etiamsí bona in se velit, aut faciat, quandoquidem à bono principio non sunt, & per bona media ad iustum obiectum in

bonum finem non diriguntur, ex bonis per se, fiunt peccata per accidens: Matth. 7. 18. *Arbor enim mala non potest bonos fructus facere; & finibus, non actibus, pensantur officia.* Augustin.

47. Quare, falluntur ij qui aliquod tempus homini naturali concedunt, quo peccato carere possit, aut saltem *bonum aliquod moraliter facere, non solùm sine fide, sed etiam sine auxilio speciali, si nulla tentatio vrgeat, Bell. contr.* 3. *l.* 3. *c.* 9. Aduersantur enim Spiritui Sancto clamanti in Scripturis, *Rom.* 14. 23. quicquid fit sine fide, peccatum esse, & *Gen.* 6. 5. omne figmentum cogitationum cordis tantummodo malum esse omni tempore.

48. Porrò in supernaturalibus nullum superesse homini σαρκικῷ arbitrium certissimum est, cùm 1. *Cor.* 2. 11. 2. *Cor.* 3. 5. *Rom.* 1. 7. supernaturalium non insit ei naturaliter intellectus & voluntas, principiúmque illud gratiae: quod ad hunc naturae defectum compensandum nostro πρωτοπλάςῳ in creatione contulerat Deus, per peccatum penitus amissum fuerit.

49. Turpiter ergo hallucinantur Pontificij, dum asserunt liberum arbitrium in ijs, quae ad vitam, & pietatem pertinent, Adami defectione solummodò laesum, non penitus extinctum fuisse, virésque aliquas etiam in naturâ corrupta remansisse, sed sopitas, & semimortuas. *Bell Contr.* 3. *lib. c.* 11. *&* 15.

50. Statum corruptionis sequitur status regenerationis, in cuius opere tres diuinae gratiae gradus obseruandi sunt, qui etsi tempore simul sint, alij tamen aliis priores sunt, & posteriores, in ordine causae & effectus (f. 1656.)

51. Primus est, quo Deus ex merâ εὐδοκίᾳ nos in peccatis nostris mortuos viuificat in Christo, primùm, adoptando sibi in filios, qui *Eph.* 2. 3. naturâ eramus filij irae, deinde verò, in communionem eius inserendo, vt mortis, & resurrectionis illius facti participes, ab eo, tanquam à capite nostro, spiritualis vita in nos defluat.

52. Secundus ex priori immediatè procedens, est, quo Deus nos virtute huius adoptionis, & communionis cum Christo iam viuere incipientes, qualitatibus ad hanc vitam ritè constituendam necessariis instruit & nobilitat, iustitiâ nempe duplici, vnâ imputatiuâ & communi omnium electorum, quae iustificatio coram Deo; alterâ inhaerente, & vniuscuiusque propriâ, quae sanctificatio appellari solet. Vtraque (etsi inhaerens imputatiuae consectaria sit) huius secundae gratiae effectus est, vnde & ipsa duplicem hanc denominationem sortita est gratiae iustificationis, & gratiae sanctificationis.

53. Gratiam iustificationis appellamus, secundùm quam Deus nos non in nostrâ, sed in Christi persona respiciens, perfectam illius iustitiam, licet extra nos existentem, imputatione nostram facit, eiùsque sensum per fidem mentibus nostris ingenerat.

54. Sanctificationis verò gratiâ, est operatio interna Spiritus Sancti, quâ homo ex Dei misericordiâ iam in communionem Christi insitus, & absolutissima eius iustitiâ (quae sola coram supremi iudicis tribunali consistere potest) indutus, in imaginem illam Dei per peccatum primùm amissam sensim transformatur, dum ipse Spiritus (qui nobis datus dicitur ab Apostolo εἰς σφραγῖδα τῆς υἱοθεσίας ἡμῶν, *Ephes.* 1. 14.) in eius mente prius obtenebratâ creat nouam & coelestem lucem, in voluntate peruersa & à Deo auersa rectitudinem, in omnibus affectibus denique ueram sanctitatem.

55. Tertius autem diuinae gratiae in nostrae regenerationis opere gradus, est ipsa nostri ad Deum conuersio, seu actio promanans à noua creatura, tum mentis in cognoscendo, tum voluntatis in amplectendo Deum in Christo; quae nouitas vitae, *Rom.* 6. 4. *& Gal.* 5. 21. fructus spiritus in Sacris literis passim appellatur.

56. Hi tres sunt praecipui nostrae regenerationis actus, in quorum duobus primis merè παθητικῶς nos habemus, licet non vt trunci, aut stipites; Sicuti enim ad sui generationem

generationem nihil confert homo naturalis, ita nec carnalis ad spiritualem sui regenerationem. In tertio autem, qui praecedentium effectus est proprius, Spiritui principali agenti incipimus cooperari, & acti agere; vnde in hoc statu quae sunt ipsius spiritus in sacra Scriptura non rarò nobis attribuuntur.

57. Verumtamen, quandiu in his terris versamur, inchoata est tantùm sanctitas illa renouationis, & in optimis etiam quibusuis semper remanent reliquiae quaedam impuritatis, vtpote in quibus homo vterque est, vetus & nouus; hinc fit, vt in hoc statu, libertas arbitrij sit certo modo, partim ad bonum, & partim ad malum, prout voluntas à duobus his principiis, carne & Spiritu, inter se confligentibus (Spiritu tamen superante) agitur, ab vtroque quidem liberè, sed necessariò ex tertio necessitatis genere.

58. In statu verò gloriae, conditio nostra simplicissima futura est, eáque voluntas liberrima, sed ad id tantùm, quod bonum est, propendens, ídque necessariò, & in aeternum, etsi non coactè. Tunc enim vetus noster homo penitus abolebitur, & angelis facti similes, 1. *Cor.* 15. 49. coelestis illius hominis Christi imaginem perfecte gestabimus, cui cum Patre, & Spiritu Sancto, sit honos, & gloria in secula seculorum. Amen.

COROLLARIVM.

Prouidentia Dei non fuit in causā cur Adam laberetur, nec vllam etiam benè agendi necessitatem voluntati eius attulit, dum integer esset.

XXIII. DE LEGE DIVINA.

Ex liberi arbitrij indagatione innotuit quàm nos deficiant vires nostrae ad eius iustitiae comple(f. 1657.)*mentum, quae coram Dei tribunali consistat intrepidè: Ex lege tanquam ex limpidissimo speculo melius agnoscetur infirmitas.*

THESIS I.

LATINIS vox legis à legendo, id est publicando: Graecis νόμος, à singulis suum cuíque tribuendo: Hebraeis *Thorah* vicissim à publicando nomen sortita est. Eam sic in genere definimus. *Lex* est ordinatio rationis ad commune bonum ab eo qui curam communitatis habet. Legum aliae humanae, aliae diuinae. Humanae ab hominibus feruntur, quarum regula proxima est duplex: vna innata, quam legem naturalem; altera caelitus reuelata, quam diuinam vocamus. Ab his si aberrent sunt degeneres, etsi ὁμωνύμως vulgo ita appellentur. De diuinis tantum ex instituto agendum est.

2. *Lex diuina* est lex Domini nostri per Mosem tradita populo Israelitico: quae partim est ἠθικὴ, partim ἱερατικὴ, partim πολιτική. Istae leges in quinque libris Mosis, veluti sanguis per totum corpus spartae, vt sunt variis temporibus à Deo traditae, sic à Mose non eodem tenore sunt descriptae: & sunt exemplum perfectum legis aeternae, naturalis & diuinae & humanae. Ex his legibus integra lex moralis, iudiciales

ciales verò ex parte, & ceremoniales ante Mosem exstitere, sed ἄγραφοι, à patribus tanquam per manus traditae posteris, eos informando in viis Domini.

3. *Lex moralis* (quae in tota Scriptura V. & Noui Testamenti sparsa est, & cuius summa in decalogo continetur) est immutabilis rectè viuendi norma, in qua legis parte est expressa Dei natura atque iustitia, & quae fuit in natura integra, lex naturalis, nunc verò per peccatum ita corrupta, vt bona pars eius sit obfuscata, & tantùm particula eius in mentibus remanserit humanis, adeo vt vix tenuiter quis degustet, quis sit Deo acceptus cultus. Proinde hebetudinis nostrae ergô Dominus legem scriptam posuit, quae certiùs testificaretur quod in lege naturali nimis obscurum erat, & mentem, memoriamque viuidius feriret.

4. Vsus legis moralis est triplex in natura corrupta. I. vt, cùm oculis subiiciat eam iustitiam quae sola Deo probatur, sit instar speculi, in quo nostram impotentiam, tum ex ea iniquitatem, & ex vtraque maledictionem contemplemur. *Rom.* 3. 20 & 5. 20. *Gal.* 3. 19. & 2. *Cor.* 3. 7. Hoc officium legis praecipuè ad fideles spectat, vt de sua infirmitate conuicti, gratiae medicinam in Christo quaerant: quin etiam ad impios pertinet, eiusdem legis fluctibus eorum conscientias exagitari & reddi inexcusabiles, ad manifestandam diuini iudicij aequitatem. 1. *Tim.* 1. 9. 2. vt dum impij diras legis sanctiones audiunt, poenarum formidine suam prauitatem saltem intus cohibeant quam alioqui petulanter essent effusuri; filij verò Dei ante vocationem Spiritu Sancto destituti, aliqua ex parte ferendo iustitiae iugo assuefiant. 3. vt fideles ex lege melius Domini voluntatem edoceantur, & frequenti eius meditatione excitentur magis ac magis ad obsequium. *Deuter.* 31. 12. *Psal.* 1. 1.

5. *Leges Ceremoniales* sunt praecepta de externo Dei cultu, in Ecclesia Veteris Testamenti obseruando: quae vel significant, vel ad ordinem spectant. Significant autem Sacrificia, Sabbathum, circumcisio: Ad ordinem verò spectant circumstantiae temporis, loci, &c.

6. Vsus Ceremoniarum in primis hi sunt. 1. Paedagogia ad Christum & ipsius regnum, *Galat.* 3. 24. fuere enim typi ac vmbrae rerum spiritualium ac coelestium, quarum corpus procul expectabatur in Christo. *Col.* 2. 17. 2. discrimen Iudaeorum à gentibus, donec diruta maceria cum iis in vnum corpus coalescerent. *Ephes.* 2. 12. 14. 3. Retractio ab Idololatrico cultu, ad quem propensione naturali ferebantur, praesertim nondum penitus extirpatis Chananaeis & idololatris vndique conterminis. *Deut.* 12. 30.

7. *Leges Iudiciales* sunt praecepta de externae disciplinae defensione secundum vtramque tabulam, siue de gubernatione politica in populo Iudaico, id est, ordine, officio magistratuum, iudiciorum, contractuum, distractione bonorum, &c. Hae leges duorum sunt generum: aliae spectant ad ius commune, videlicet in sua substantia, in suis circunstantiis verò ad ius singulare, aliae simpliciter ad ius singulare, vt ciuitatis receptus, &c. (f. 1658.)

8. Vsus proximus fuit, vt hae leges essent omnis politiae Mosaicae nerui, ordinaréntque statum populi Dei secundum iustitiam omnem aequitatémque. Vsus autem ex consequenti fuit, vt & aliquid figurarent, quia status illius populi qui per huiusmodi praecepta disponebatur, erat typicus, *Ezech.* 37. nec enim minus reges & principes Christi regis fuerunt typi quàm sacerdotes. Messias igitur oculis veteris populi, quasi in duplici speculo fuit obiectus, Ceremonialibus & Iudicialibus legibus.

9. Omnes hae leges, sicut vmbrae, sole iustitiae exorto, iusto ipsarum complemento abrogatae sunt. Moralis lex abrogata est fidelibus quoad maledictionem, *Galat.* 3. 13. *Rom.* 6. 14. non solùm applicatione obedientiae Christi (vt ante Christum) sed etiam exhibitione illius: At non quoad obedientiam, *Deuter.* 32. 46. *Matth.* 5. 48. & 19.

& 19. 17. cùm ad singula legis praecepta hortetur Christus, qui nos in hac vita iubet contendere ad eam perfectionem quae erit in coelis: quid enim magis ἄλογον quàm filium Dei pro nobis mori, vt in peccatorum coeno volutaremur.

10. *Lex Ceremonialis* quia non est de lege naturae, (quae sola est immutabilis) abolita est vsu, & quoad obedientiam, sed non effectu, in cuius abolitione melius refulget veritas. *Matth.* 11. 13. *Marc.* 15. 38. *Act.* 15. 28. *Rom.* 6. 14. Lex enim per Mosem data est, Gratia & Veritas per Christum. *Ioan.* 1. 17.

11. At quoniam non omni tempore eadem ratio Ceremoniarum fuit, distinguenda tria sunt tempora. Vnum ante Christi passionem, quo legales ceremoniae erant ad vitam piorum ordinatae: alterum post tempus Euangelij, in publicum satis diuulgati, quo tempore legales ceremoniae typicae mortiferae fuerunt. Tertium denique inter medium tempus, quod pertinuit à passione Christi ad promulgationem Euangelij, quo tempore quoniam iam mortuas legales ceremonias efferri oportuit, & honestè sepeliri, ad tempus pro ratione hominum diuina sapientia sunt dissimulatae.

12. *Leges Iudiciales* salua & incolumi pietate sunt abrogatae quoad circumstantias & constitutionem externam, at non quoad aequitatem, cuius ratione constitutio fundata est ac nititur. Plena igitur libertas singulis gentibus relicta est, condendi quascumque sibi conducere prouiderint leges, modò ad perpetuam charitatis regulam omnes exigantur, vt forma quidem varient, rationem verò habeant eandem. Manent item iuramenta, & ius belligerandi, magistratus, &c. Verum haec de quibus seorsim tractatio instituitur, aliò referenda sunt.

XXIV. DE EVANGELIO.

1. Cvm Lex sit paedagogus ad Christum, & Christus se nobis exhibeat Euangelio suo, postulat ratio vt à lege, de qua proximè dictum est, ad locum de Euangelio transeamus.

2. *Εὐαγγέλιον* modò latiùs, modò strictiùs sumitur: latius quidem, vel pro praemio quod dari solebat laetum afferenti nuntium, *Rom.* 1. 16. vel pro solenni sacrificio quod fiebat pro re feliciter gesta. *Ierem.* 31. 33. *Rom.* 11. 27. *Hebr.* 8. 8. 10. Strictius verò, & magis propriè, pro ipso bono faustóque nuntio; quomodo & nomine κατ' ἐξοχήν Apostoli gratiae in Christo exhibitae promulgationem appellarunt: *Eph.* 1. 10. Est ergo Euangelium, vt ex instituto breuiter & cum Apostolo dicam, δύναμις θεοῦ εἰς σωτηρίαν παντὶ τῷ πιστεύοντι, id est, doctrina Dei, virtute Spiritus coniuncta, in salutem omni credenti. *Rom.* 1. 16.

3. Gratuitum etiam Dei & nouum foedus appellatur, quod (relicto priori operum foedere à cuius obligationis necessitate hoc gratuitum non absoluit) nobiscum pepigit Deus, spem ac promissionem salutis amissae nobis faciendo sub conditione (extrà quàm manet inutile & inefficax hominibus) quae consistere cum Christo & mera Dei gratia possit: ea conditio est fides, habens pro obiecto suo Christum & misericordiam Dei in Christo: nam Christus ipse cum misericordia Dei in ipso caussa est propriè cur Deus impleat foederis promissionem in nobis iustificandis & seruandis. (f. 1659.)

4. Huius autem Euangelij, siue foederis gratuiti: pars contrahens praecipua, siue *caussa efficiens* & author est Deus, sicut & author est salutis hominum: non enim solùm eos elegit in Christo, sed etiam electos & praedestinatos, quos adoptaret in filios

filios sibi gratos in eo, gratis per eum redemit, prout ab aeterno decreuerat, in pleni temporis dispensatione omnia sub vno capite Christo recolligere. Pars verò altera contrahens sunt homines cuiuscunque generis temporis, loci, & nationis fuerint: nam omnes saluandi per hoc Euangelium introducendi erant ad medicum animarum nostrarum Christum, qui perfectè legem adimpleuit nostro nomine, in se transferens culpam nostram, vt verè poenitentes à reatu absolueret; & ideò voluit in nomine suo praedicari poenitentiam. Vbi enim remissionem peccatorum offert Deus, resipiscentiam vicissim stipulari solet.

5. In his duobus, vt *partibus* suis, summam Euangelij ex S. Scriptura ritè constituimus. quum enim venia & remissio per Euangelij praedicationem ideò offeratur, vt à tyrannide Satanae, peccati iugo, & misera seruitute vitiorum liberatus peccator in regnum Dei transeat, certè Euangelij gratiam nemo amplecti potest, quin ex erroribus vitae prioris per odium peccati in rectam viam se recipiat, totúmque suum studium applicet ad poenitentiae meditationem, ita vt quod olim Plato dicebat vitam Philosophi meditationem esse mortis, verius nobis dicere liceat, Christiani hominis perpetuum esse studium & exercitationem carnis mortificandae, donec ea planè interemta Spiritus Dei regnum in nobis obtineat, cordibúsque nostris remissionem peccatorum & reconciliationem nostram, factam cum Deo Patre per Christum filium, obsignet, prout est arrhabo haereditatis nostrae, & acquisitae nobis possessionis in coelis.

6. *Materia* Euangelij siue fundamentum praecipuum huius foederis est Christus crucifixus, mortuus, &c. siue (quod idem est) mediator Dei & hominum in sanguine suo: cuius efficacia duplex. prima est ad satisfaciendum iustitiae diuinae & irae Dei aduersus nos accensae propter peccata nostra, & violatum foedus illud operum. altera est ad nobis promerendum nouam Dei gratiam & misericordiam: hoc enim est quod nobis annunciat Euangelium, vnde appellatur Euangelium Iesu Christi, cum à caussa efficiente quòd sit à Christo, tum à materiali quòd sit de Christo eiúsque beneficiis.

7. A nominibus autem, quae ex *effectis* imposita, liquidò patet quid & qualis sit Euangelij doctrina, quae eius effecta & proprietates: laeta enim est & bona, vt vox ipsa sonat; quia Christum annuntiat omnia bona afferentem offerentémque & praestantem credentibus: Proinde vocari solet bonum Dei verbum, bona doctrina, bonum semen, sermo sanus, verbum vitae, verbum reconciliationis, Euangelium pacis, Euangelium salutis, brachium Dei, odor vitae ad vitam. quòd enim quibusdam sit etiam odor mortis ad mortem, hoc ex accidenti est, non culpa Euangelij, cùm neminem perimat, sed illorum vitio qui ipsum contemnentes ei non credunt, cùm sint *σκεύη ὀργῆς κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν.*

8. Hinc surgit Euangelij *finis* duplex, proximus vnus, & remotus siue vltimus alter: ille est electorum eóque credentium salus omnium: postquam enim venit plenum tempus misit Deus filium suum factum ex muliere, factum legi subiectum, vt eos, qui erant legi obnoxij, redimeret, & à regno Satanae in regnum Dei transferret: qua de caussa & Euangelium salutis nostrae & regni Dei appellatum est. Vltimus verò est gloria Dei, ad hanc enim & electi & vocati & iustificati & tandem glorificandi sumus, vnde ait Apostolus Deum praedestinasse nos in laudem gloriae gratiae suae.

9. *Forma* eius duplex, interna vna & externa altera: illa est diuina veritas & impletio prophetiarum per Patriarchas & Prophetas olim prolatarum: Externa verò forma (modum alij vocant) est oratio, quae vt contemperata est, & dicentis maiestati & rei dicendae dignitati, captuíque illorum ad quos habetur, ita simpliciter rem narrat, & summam ostendit diuinitatem, & incomparabilem de se prodit maiestatem. Spiritus enim Dei est qui in ea loquitur, & efficacem facit in cordibus hominum. vt enim is est qui tum nouam & coelestem lucem in mente prius obtenebrata (nam ex se nec vidit,

nec videre potuit, quae sunt ipsius spiritus (f. 1660.) Dei.) in voluntate prorsus peruersa, ac à Deo auersa rectitudinem, & in affectibus nouam sanctitatem creat; ita ille idem est qui mentis illuminatae actionem in cognoscendo & voluntatis sanctificatae actionem in amplectendo apprehendendóque Deum in Christo principaliter operatur.

10. Quod autem hoc Euangelium non sit ab hominibus nuper inuentum & fictum, sed antiquitus Ecclesiae reuelatum ac semper in ea retentum, habemus (vt missos faciam Veteris Testamenti locos penè infinitos, fidem eius clarè facientes) cùm graues authenticósque testes: tum rationes à S. Scriptura deductas firmissimas. quòd enim ipse Christus dicit Iudaeis incredulis? Scripturae sunt quae testantur de me. & paulò post: *Si crederetis Mosi, crederetis mihi, nam ille de me scripsit.* Quid ipsi Apostoli? Petrus ait de hoc salutis Euangelio inquisiuisse & scrutatos esse Prophetas, imò eos testimonium huic Christo dedisse remissionem peccatorum accepturum quemuis qui crediderit in eum. Paulus similiter ait hoc Euangelium antè promissum fuisse per Prophetas in Scripturis Sanctis. *Ioan.* 5. 40. 46. *Act.* 3. 18. *&* 10. 43. *Rom.* 1. 2.

11. Deinde, si non frustrà Deus iam olim per expiationes & sacrificia voluit se illis patrem testari, nec frustra hoc modo sibi populum consecrari, haud dubiè sequitur in eadem imagine fuisse cognitum Christum, in qua nunc pleno fulgore nobis apparet. Non enim ita fuerunt stupidi ac caeci Patres, vt à pecude mactata peccati expiationem sperarent; in externa aquae irrigatione animae purgationem quaererent; perinde ac si frigidis ceremoniis (tanquam valdè oblectaretur Deus) eum placare vellent. Sed vmbrae fuerunt & typi, quibus Ecclesiam in infantia sua Deus voluit erudire, erigens tamen eam per haec, vt media, ad corpus ipsum, & veritatem typo adumbratam, & ad spem non carnalium, terrenorum, temporalium, sed spiritualium, caelestium & aeternorum bonorum, immortalitatísque beatae, quorum, vt filij, promissiones habuerunt nobiscum in Christo mediatore, per quem non dubitarunt, & Spiritum sibi administrari vt benefacerent, & ignosci quoties peccarent: haec enim beneficia sunt Christi in Euangelio oblati.

12. Hic verò duo hominum genera grauissimè impingunt, Iustitiarij scilicet & Epicurei; illi quidem, propterea quod ex operibus suis merita salutis & caussas iustificationis faciunt, legem aut naturale iudicium rationis pro Euangelio docentes; hi verò, quia gratuita iustificatione & salute gloriantes omni turpitudini sese prostituunt, & cupiditatibus carnis seruiunt, euertentes hoc modo vtrique meritum Christi in Euangelio oblati, & respuentes gratiam salutarem Dei: cui gloria, Amen.

XXV. DE FOEDERIBVS ET TESTAMENTIS DIUINIS.

Thesis I.

Generale vocationis nostrae medium & semen Ecclesiae, est verbum Dei: cuius si consideremus substantiam, varias Dei cum hominibus communicationes, illo factas fuisse, animaduertemus. De his iam acturi sumus, eas tantùm inuestigantes, quibus ad Ecclesiam colligendam vsus est ille coelestis Pater.

2. Vt ergo duplex hominis status ex S. literis conspicuus est: integer ex creatione Dei, & corruptus ex defectione hominis voluntaria: ita duplicis dispositionis à diuina sapientia

sapientia hominibus traditae, pro ratione oppositarum hominis conditionum, in eodem verbo fit mentio.

3. Prior est foedus à Deo Patre in filio delectionis suae cum primis parentibus nostris, in horto Hedenis, initum; quo vitam supernaturalem promittens, eos vicissim ad sui cultum, reuerentiam, & obsequium obstringebat, minis mortis vtriusque adhibitis si secus facerent.

4. *Foedus* siue pactum dicimus, non propria illa significatione qua pro mutuo contractu & duarum partium dispositione sumitur; (Nam eiusmodi foedus in(f. 1661.)-ter partes, personarum & iuris aequalitatem quandam praesupponit, quae inter Deum & creaturam nunquam esse potest.) Sed eo sensu vsurpamus, quo vnius tantùm partis dispositio denotatur; vt, cum bello *Liu. lib.* 4. *bell. Maced.* victis indicuntur leges. Nam quamuis Deus iure sanctissimo, non vi aut armis; suos possideat; in eo tamen conuenit, quod vt victores victis, sic etiam certas suis indicit leges.

5. Quapropter *auctorem* statuimus Deum solum, qui, merâ voluntate sua, à nulla re mota, foedus illud cum homine pepigit conuenientissimum ad eum è natura sua euehendum. Sed etsi illud beneficium singulare, sit Dei Patris, Filij, & Spiritus Sancti communiter, particularis tamen hic filij ratio est: vt enim electionis est vinculum, sic & gratiae, quae electioni substernitur fundamentum. *Ephes.* 1. 3. *&* 4. Nam cùm nihil in hac causa ab homine exigatur, nisi quod iure debet, promissio gratuita est dicenda, vt ne hîc quidem meritum locum habere possit, sed merces detur & promittatur ex gratia.

6. *Materia* circa quam, siue obiectum duplex est, I. Deus auctor promittens vitam sub conditione cultus sui. II. Homo stipulans gratiam, & spondens obsequium. Nam cùm res aeternae, quales foedere proponuntur, aeternum subiectum requirant, sola Dei imago illius capax est. Nec tamen istius foederis materia est Adamus cum Eua, sed considerati in integritate illa primigenia, in qua conditiones sibi impositas praestare poterant. Etenim hic valet illa propositio, statuens Deum non praecipere impossibilia; quae intempestiuè adducitur vbi alia est mens Dei exigentis debita, & hominis, à conditore pressi, conditio diuersa.

7. Materia verò ex qua, in conditionibus foederis commodè collocatur; quae duum sunt generum. Primum est earum quae à Deo spondentur. Alterum verò earum quibus praestandis sese obstringit homo, spondens bona opera, &c.

8. *Forma* est partium secundum conditiones obligatio mutua: cuius indicium certum est earundem conditionum obseruatio: vtpote quâ cessante, irritum fit foedus, quod ex conditionibus initum.

9. *Finis* generalis fuit gloria Dei, à quo, per quem, & in quem sunt omnia: *Rom.* 11. 36. Particularis verò fuit hominis salus, quatenus illud foedus ita erat constitutum, vt per se hominis bonum spectaret; quamuis vitio eius non fuerit ipsi salutare.

10. *Instrumenta* verò (praeter generale illud, de quo thesi 1.) fuerunt duplicia, in visibilibus rebus posita. Primùm fuit Dei, proponentis arborem vitae, vt homini esset Sacramentum vitae supernaturalis, per Christum ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς, obtinendae: *Gen.* 3. 22. *Act.* 3. 15. *Apoca.* 2. 17. Alterum verò fuit pignus obedientiae hominis erga Deum, dum ex Dei mandato abstineret ab esu fructus arboris scientiae boni & mali. *Genes.* 2. 17.

11. Nam quamuis hominis sponsio illius conditionis generalis esset, quam ante attulimus; tamen, in re tam parui momenti, fidem & gratitudinem ipsius, probare voluit Deus. Ex quo transgressio fiebat indignior, vt non mirum sit, si postea laesae maiestatis diuinae tam contumaciter reus, per mandati illius contemptum, sibi, posterisque omnibus corruptionis caussa extiterit, quibus tamen, si Dei praecepta obseruasset,

uasset, nihil per se contulisset, praeter ea quae creatione à Deo acceperat. *Gen.* 3. 6. *Rom.* 5. 12. Hic euentus omnem spem salutis ex hoc foedere consequendae homini abstulit.

12. Cùm autem sit impossibile vt vllus ex iis quos elegit Deus, pereat, *Matth.* 24. 24. ille sapientissimè, ex misericordia sua, viam proposuit iustitiae suae conuenientem (qua peccator, in se perditus, in gratiam redeat & metam propositam consequatur) dum filium suum nobis fecit iustitiam, redemptionem & sanctificationem, 1 *Corinth.* 1. 30. vt per mortem eius reconciliati ipsi, haeredes fiamus vitae aeternae, 2. *Cor.* 5. 19. sine vlla conditione *Rom.* 8. 17. ex parte nostri; *Rom.* 3. 27. proinde nostrae salutis principium, media & finem in Christo agnoscere debeamus, nihil autem in nobis, *Rom.* 8. 32.

13. Nec tamen negamus fidem apprehendentem Christum fontem bonorum, in homine ad salutem necessariam esse: sed praeterquam quod & illa Dei donum est, cùm tantum instrumentum sit & manus reci(f. 1662.)piens beneficia, essentialis conditio dici non potest. *Eph.* 2. 8.

14. Atque illa est altera Dei generalis dispositio gratuita & vnica salutis via, sine qua nullus vnquam hominum in gratiam cum Deo rediit, aut redibit: Nam non est aliud nomen sub coelo per quod salus contingat, praeter Iesum. *Act.* 4. 12. Meritò igitur blasphemi dicuntur qui Iudaeos per legem, & Ethnicos per philosophiam, antè Christum natum, salutem acquisiuisse autumant.

15. Vtimur autem generali nomine dispositionis, quia foederis, & Testamenti ratio non solùm in reipsa respicitur, sed potissimùm ex modo externo & solemnitatibus rei adhibitis, deducitur. Hîc verò rem ipsam nudè extra rationem modorum aut circumstantiarum vllarum, proposuimus. Materia ergo foederis, & Testamenti, haec dici potest; quae cùm à modo externo & circumstantiis varias habuerit formas & facies, eòque diuersa nomina, singula sequentibus delineare conabimur.

16. Varietatis istius fons in eo esse videtur, quòd quum omnibus fidelibus Christus fuerit cum beneficiis suis exhibitus, tamen qui ante tempore aduentus ipsius in carnem, vixerunt, credebant illum pro peccatis nostris omnium moriturum &c. Nos verò post Christum passum, &c. credimus & nouimus à seruatore nostro illa impleta esse quae ad redemptionem nostri pertinebant: Redemptionis inquam, actum, non fructum. Nam etiam promissiones habemus, quarum complementum speramus, *Rom.* 5. 2. & cuius gratia Christus qua Redemptor regnat, donec perfectis omnibus, Deus sit omnia in omnibus. 1. *Corinth.* 15. 24.

17. Ex hac circumstantia temporis, generalem modorum, quibus gratiam illam suam Deus hominibus declarauit, distinctionem obseruabimus; eorum scilicet qui ante Christum natum obtinuerunt, & qui post aduentum eius.

18. Atque vt de primo dicamus, etiam ante Seruatoris nostri aduentum, diuersis modis voluntatem suam Ecclesiae exposuit Dominus, quod ad salutem in Christo consequendam attinet: *Heb.* 1. 1. Quapropter trium seculorum rationem habebimus, quibus alia facies & forma illi eidem rei substantiae, quam declarauimus, super addicta fuit.

19. Primum quod fuit à temporibus lapsi Adami primi parentis nostri vsque ad Abrahamum patrem fidelium, promissionis dicitur; quia tunc salutis via tantùm promissione illa, quae exstat *Gen.* 3. exposita erat luculenter, quamuis succinctè; vnde piorum fides illi promissioni firmiter haerebat.

20. Etsi verò hic tantùm spondebat Deus (vnde foedus dici non potest) tamen consequens erat manifestissimum vt homines Deum colerent, & gratum animum suum pietatis, charitatísque officiis, testarentur: quod vtrumque fecerunt pij à quibus inuo-

 catum

catum fuisse nomen Domini, narrat Moyses, *Gen.* 4. 26. Nec tantum verbo, sed & signis aliis, dum oblatis Deo hostiis sua peccata confiterentur, & gratiam postularent. *Genes.* 5. 20.

21. Haec autem promissio fuit quidem rerum futurarum: vt quod de Christi morte per eum denotabatur, &c. Sed cùm persona τοῦ λόγου promissa omnia in se suscepisset implenda, tanti sponsoris promissio non minorem apud Patrem fidem habebat, quàm si illo ipso momento, debita nostra persoluisset; ex quo factum est vt Christus fidelibus beneficia, quae erat ipsis suâ exinanitione meriturus, contulerit, regenerando eos, iustificando, &c.

22. Quod si ita est, nullâ auctoritate demonstrari potest ante Christum passum Patres illos coelorum aditu caruisse; sed contrà, certum est eum qui potuit remissionem peccatorum illis obtinere, eòsque ad adoptionem filiorum Dei promouere, iisdem haereditatem caelestem tradidisse, cùm illorum eadem sit ratio. Inde limbi illius, quem finxit superstitio, ruit fabrica; Anabaptistarùmque, post Seruetum, error crassissimus profligatur, asserentium Patres illos ante natum Christum, nihil praeter hanc vitam infelicem & miseram à Deo expectasse; Nam & sequentibus seculis confirmata fuit promissio, non abolita; vnde rectè basis ac fundamentum vtriusque Testamenti dicitur. Haec de primo seculo.

23. Secundum, quod fuit ab Abrahamo vsque ad (f. 1663.) liberationem populi ex Ægypto, foederis tempus appellatur. Cùm enim ab hominibus obliuioni tradita esset promissio, & vix vnus in terris esset qui Deum sincero corde coleret, atque perdito mundo, paucis antè annis, ne ipsa quidem Tharae familia idololatriae crimine vacaret, *Iosu.* 25. 2. Deus euocato Abrahamo è generali illa corruptione, renouans promissionem, foedus cum eo semine ipsius sanxit *Gen.* 17. 1. spondens fore vt Ecclesia ex Abrahamo patre progignatur in Christo, quae hereditatem coelestem & ipsius typum Chananaeam possideat; Deinde verò stipulans, vt ambularet coram se indesinenter.

24. His Sacramenta addidit, quae foedus obsignarent. Primum fuit initiationis, circumcisio scilicet quae statim foederi apposita fuit. *Genes.* 17. 10. 11. Secundum verò fuit continuationis, Pascha scilicet quod Deus, populum liberaturus ex Ægypto, foedus ante initum cum Abrahamo augens & illustrans, imperauit. *Exod.* 12.

25. Hoc ergo habuit commune foedus cum promissione, quòd eandem gratiam & salutem per Christum venturum, proponeret. In hoc verò differentia fuit. I. quòd quae implicitè sequebantur ex promissione, vt obsequium, &c. clarè in foedere exposita fuerunt stipulatione sponsioni opposita, & hâc etiam de causa foedus dicitur. II. quòd foedus Sacramentis fuerit obsignatum: sub promissione verò nullum propriè fuit Sacramentum. III. quòd cùm promissio esset omnibus proposita, foedus cum Abrahamo & ipsius posteris tantùm initum fuerit. Haec de secundo seculo.

26. Tertium, quod à consessu populi Israelitici in defecto, ad aduentum vsque Christi fuit, Testamentum nominatur. ibi enim Deus non quidem foedus aboleuit, sed illud cum Sacramentis ipsi adiunctis continuans, ita exposuit, vt doceret beneficia sua esse testamentaria ex legatione filij sui pro peccatis nostris mortui. Nam *berith* Hebraeis generaliter est dispositio; Apostolus autem *Hebr.* 8. 8. 9. non alludens, sed locum ex professo tractans, testamentariam fuisse dispositionem docet, ex circumstantiis determinans & specificans quòd generali nomine expresserat Moses.

27. Huius Testamenti partes duae fuerunt, sibi inuicem subordinatae. Primâ testabatur Deus in Christo se constituere Ecclesiam Israelitarum haeredem vitae aeternae sub conditionem perfectae obedientiae; cuius quidem absolutissimam omnibúsque numeris perfectam normam & regulam (quicquid obstrepant Anabaptistae, & Pontificij,

ficij, quorum illi duntaxat externa haec fuisse: Vtrique verò perfectiora mandata in No. Testam. à Christo imperata fuisse, asserunt; cùm reuera legis rectum sensum tantùm apparuerit) in lege proposuit, vt ex summa illius à Mose tradita, & à Christo confirmata apparet, *Deuter.* 6. 5. *&* *Leuit.* 19. 18. *Marc.* 12. 30. *Luc.* 10. 27. qua quid quaeso maius requiri poterit, quàm vt homo totis viribus Deum colat & amet, deinde proximum tanquam semetipsum diligat?

28. Et haec quidem pars ad alteram fuit veluti praeparatio, si scopum Dei respiciamus: Hic enim fuit, non vt in ea consisterent Israelitae, sed vt qui sibi plurimùm tribuebant, (quod ex sponsione patet, qua pollicentur se omnia seruaturos quae Deus praecipiebat, *Exod.* 19. 8.) Legali & conditionali Testamento edocti quod esset *τὸ ἀκριβοδίκαιον τοῦ νόμου*, & quanta esset ipsorum miseria & paupertas, in Christo fierent locupletissimi. Atque haec pars in se considerata, fuit legitimus iustificationis & vitae aeternae consequendae modus, quo secundum misericordiam Dei, peccatis praecedentibus remissis, per sanguinem Christi, vt sanguis Testamenti docet, denuò obedientia perfecta in hominibus requirebatur.

29. Sed cùm illa conditio esset impossibilis, *Rom.* 8. 3. vt ipse populus statim sua idololatria declarauit: Altera pars Testamentaria successit, qua Deus testabatur fore misericordiam suam perennem, quamuis hominum infidelitas repugnaret; quia per Angelum foederis conditionibus impletis, per & propter eundem Christum instituebatur, sine conditione vlla; vitae aeternae haeres Ecclesia Catholica.

30. Cùm autem Iudaeis haec non ita clara fuerint, (f. 1664.) sed, vt futura omnia, paulò obscuriora; Deus sapientissimè pro ratione infantiae priscae illius Ecclesiae hanc partem exposuit typis & vmbris, quae tanquam Testamentum typicum fuerunt in quo per Pontificem maximum, sacrificia, altaria, &c. Christus Sacerdos aeternus cum sacrificio suo semel in cruce peracto depingebatur. *Hebr.* 5. 7. 8. 9. *&* 10. *capit.*

31. Atque illae duae partes testamentariae ita tunc dispositae erant, vt secundùm suam promissionem teneretur populus sub legis iugo manens, conditiones primae illius partis praestare; Altera verò, non eximeret illum à seruitute illâ, sed ipsi esset refrigerium & medicina, ad quam vulneratus per legem, singulis momentis confugeret, oblatis sacrificiis tanquam chirographis à Christo in cruce, suo illo sacrificio, delendis. *Coloss.* 1. 14.

32. Hunc modum à Prophetis, expositoribus eorum quae à Mose tradita erant, passim obseruatum videmus. Nam contestatione facta peccatorum grauissimorum populi, eóque fractae conditionis Testamentariae, Christi venturi ad salutem peccatorum, statim mentionem facere solent.

33. Causa autem siue finis, propter quem ordinem illum sic disposuit Deus, fuit vt homines sapientissimo illo ordine docti se plenè tantum gratiae in Christo consequi, quantum ipsis opus esset, non ingrati fierent; quod vt caueretur, non sufficiebat si illi tantùm qui in deserto fuerant, suae miseriae arguerentur. Nam posteri parentum peccata accusare potuissent: sibi verò plus tribuere, haud secus ac imbelles extra periculum Thrasonicè gloriantur. At verò postquam tot annorum centuriis ne vnus quidem homo secundùm conditionale illud Testamentum seruari potuit, sed contra, omnes pij suam agnoscentes infirmitatem, chirographum contra se apposuerunt, testantes se soli Christo confidere, non sibi, quis est cui ignotae suae vires esse possint?

34. Quamobrem postquam tandem optimo illi Patri sufficienter probata visa est humani generis miseria, per Prophetas affirmat se rationem illam nolle amplius exigere: sed solùm foedus gratiosum proponere, ac alteram illam partem testamentariam solam, imò ipsum verum Testamentum Nouum, per mortem filij introducere velle; *Ierem.* 31. 31. *&* 32. 37. de quo consequens est vt agamus ex generali illa distinctione

distinctione quam thesi 17. proposuimus, cuius alterum membrum fuit de modo qui post natum Christum in Ecclesia obtinuit.

35. De natiuitate autem Christi mentionem hîc facimus, non quòd statim ab aduentu illius Seruatoris nostri in carnem, noua planè veteribus successerint, cùm ipse Christus se legi morali & ceremoniali submiserit; sed quia ab eo tempore coeperunt impleri quae Veteri Testamento praedicta fuerant, ad constitutionem Noui. Primùm quidem ipso aduentu in carnem; posteà verò oeconomiâ & administratione in carne, dum successiuè ea praestabat Christus, quae ad redemptionem nostri pertinebant, speciatim moriens pro peccatis nostris; quâ morte Testatoris Nouum illud Testamentum, vetere antiquato, succedebat.

36. Iohannes ergo Baptista, quamuis Prophetis luce praedicationis maior fuerit: tamen nec Euangelista fuit, nec N. Testam. oppositè sumpti minister; quare medius quidam locus rectè illi assignatur, prout elogia quibus à Christo insignitur, confirmant: *Matth.* 11. 11. Siquidem anteambulo fuit praeparans viam Domini, & monens regnum coelorum appropinquare, non autem praesens esse.

37. Morte autem Christi cùm dicimus vetus antiquatum fuisse, id iure ipso non actu, intelligendum est. Nam antequam innouationis illius promulgatio praedicationis Euangelij sono, ad populi aures peruenisset, etiam qui fidem habebant, vt patres ante mortem Christi, verè fideles erant. At qui auditâ diuinae illius gratiae annuntiatione, V. Testam. adhaerebant, corpus ipsum reiicientes, vmbras tantùm habebant, & promissionem, foedus, & Testamentum proprium repudiabant in Christo, in quo est illorum complementum & augmentum.

38. Ad naturae illius N. T. indagationem (ne nimis prolixi simus) illud erit conuenientissimum, si compa(f. 1665.)rationem eius cum Veteri instituamus: quod commodè fiet ex attributorum, vetustatis puta illius, & nouitatis istius declaratione.

39. Vetus Testamentum absolutè dicebatur, quod partes duas illas continet, quarum vna est alterius praeparatoria: Altera verò typis variis adumbrata. Huic nouum opponitur non substantia, sed praeparatione ad eam, tum etiam illius designandae modo. Nam quamuis lex maneat regula bonorum operum, tamen praeparatio ipsius per seruitutem duram illam, iam non requiritur, vbi pro confesso esse debet, nullum hominem ex operibus legis iustificari posse. Modus verò proponendi Testamenti talis esse debet, vt in tantâ luce Euangelij vmbrae cedant aduenienti corpori.

40. Quod si oppositè Vet. Testam. sumatur pro primâ parte Testamentariâ in se consideratâ, certè ea ratione Nouum illi opponitur quod sine conditione salutarium operum salutem proponat in Christo, cùm Vetus vitam offerret cum conditione, maledictione contrauenientibus addita: quae seruitus cùm fuerit durissima, vt clarè docet Apostolus *Rom.* 7. similitudine à coniugio desumpta, vbi de liberatione à legis istius seruitute, eum agere, vel ex eo clarum est quòd, exempli gratia, meminit mandati prohibentis concupiscentiam, quod planè est morale.

41. Atque in illum sensum accipienda est illa comparatio quâ Vet. Testam. litera occidens, ministerium mortis & damnationis, & lex scripta in tabulis lapideis, dicitur; 2. *Cor.* 3. 6. Nouum autem ministerium spiritus & vítae, inscriptum cordibus, &c.

42. Tertiò Vet. Testam. sumitur pro ratione alterius partis testamentariae per legem ceremonialem & vmbras declarandae, eáque non ordinatè ad rem figuratam considerata, sed oppositè; Inde dicuntur vmbrae fuisse in Veteri Testam. corpus autem in Nouo, &c. *Hebr.* 10. 1.

43. Quarto denique loco, illae duae acceptiones postremae ita coniunguntur, etiam oppositè consideratae, vt secundum eas dicatur Vetus Testamentum: quo sensu sumit Apostolus, cùm de Testamento Vetere disserit in epistola ad Galatas. Nam in illis duabus

duabus rebus sita erat paedagogia, vt patet ex ipso tractationis principio, *Gal.* 3. 12. vbi legem, de qua loquitur, describit Apostolus, ex promissione conditionali vitae, moralem innuens; postea verò plerisque locis ceremonias multas recenset, vt ipsum de illls duabus coniunctè agere, appareat. *Galat.* 4. 10. &c.

44. Huc pertinent illa Testamentorum discrimina, I. quod Veteris mediator fuerit Moyses, Noui autem Christus. *Deut.* 5. 26. *Hebr.* 8. 6. & 12. 24. II. quod Vetus in monte Sina promulgatum fuerit: Nouum autem è Sione & Hierosolymis exiuerit, &c.

45. In haec omnia ita impingunt Pontificij, vt nouitatem huius Testamenti à vetustate alterius nullomodò discernere videantur. Nam I. Testamenti illius conditionalis, quod planè morte Christi fuit abolitum, iugum ceruicibus Christianorum imponunt: ídque absolutè, vt iustificetur quisquis aeternae vitae futurus est haeres, quod ne in prisca quidem Iudaeorum Ecclesia obseruatum fuit. II. Ceremoniales vmbras, si non easdem reuocant, saltem analogice (quod magis est impium) fingere & obseruandas tradere Christianis, sibi assumunt: Etenim Pontificem, Sacerdotes, sacrificia expiatoria, & altaria habent, praeter Pontificem N. Testam. Christum ipsiúsque sacrificium semel in cruce peractum, cui cùm omnes vmbrae debebant cedere, non aliae succedere, an hoc non sit Testamentum Filij repudiare, ipsi viderint. III. Minoris momenti sunt superstitiosae vestes, gesticulationes, locorum obseruationes & sanctificationes, olei, aquae, & salis abusus, &c. Sed impietate non carent, cùm sint contra rationem Testamenti Noui, praesertim vbi conscientiis ex necessitate obtruduntur.

46. Atque haec de Testamentis suffecerint; sed cùm foedus cum Abrahamo initum etiam cum Testamento Veteri manserit, quaeritur quid eo factum fuerit in Nouo?

47. R. Vt optimè cum V. Testam. absolutè sumpto conueniebat foedus: ita Christus seruator noster Testamento suo foedus, quod substantia sua Euange(f. 1666.)licum, non aboleuit, sed confirmauit. Nam & hodie Deus, qui ex filij sui Testamento nos regno coelorum donat, etiam per modum foederis se piorum & seminis eorum Deum fore spondet, & stipulatur à nobis, vt in praeceptis suis ambulemus: qua ratione fideles, etiam hoc tempore, Abrahami dicuntur filij, non secundùm carnem, sed secundùm promissionem.

48. Quapropter hinc rectè Anabaptistis occurrimus, negantibus filios piorum foederatos esse qui sub eodem foedere ante Christi aduentum & in foedere censebantur, & Sacramento Circumcisionis in eo initiabantur, *Genes.* 17. 8.

49. Sed haec clariora fient ex differentiis quae sunt in circumstantiis foederis post & ante Christi aduentum. Nam in hoc est discrimen praecipuum quod amplificatum fuerit à Christo, ita vt intermedio pariete disrupto, quod erat vni genti quasi alligatum, iam sparsum sit inter omnes gentes communiter.

50. Deinde typus, qui in foedere proponebatur, possessio scilicet terrae Chananaeorum, ex consequente superioris discriminis sublatus est. Nam illa inter se non conueniunt, omnibus gentibus commune esse, & promissio terrae illius, omnibus iis qui sunt sub foedere.

51. Postremò Sacramentorum non est mutata res, sed ceremonia: etenim in Baptismo circumcisionem habemus non manufactam, & in coena Domini Pascha nostrum pro peccatis nostris mactatum scilicet Christum. *Coloss.* 2. 11. 12. 13. 1. *Corinth.* 5. 7. Alioquin in ceremoniis obseruandum est eas ante fuisse cum sanguine; Christus verò eas ita mutauit vt nullae essent cruentae: quia cùm Patres ipsum redemptionis modum non ita clarè intelligerent, id optimè sanguis exprimebat. At cùm vel rudioribus inter nos historia sanguinis Christi effusi pro nobis notissima sit, praestat vt Sacramentorum ceremoniis & signis exponatur corporis Christi fracti & sanguinis effusi efficacia, quod egregiè fit aqua, pane & vino.

52. Quòd

52. Quòd autem ad prouisionem attinet, quia futura respiciebat, quae nobis sunt praesentia, non tam abolita, quàm impleta dicenda est: vnde fit, vt cùm salutem proponeret pro modo temporis Christum praecedentis, circumstantiam illam venturi Christi in foedere, & Testamento ponendam; iam verò ipsa impleta, nec in foedere nec in Testamento ponendam esse.

53. Ex his omnibus manifesta fit Dei sapientia, misericordia, & iustitia, quòd tam variis modis, pro ratione temporum & personarum, eandem viam salutis hominibus monstrarit: quòd miseros in gratiam receperit, lapsos releuarit, titubantésque miris modis confirmarit: denique quod haec omnia ita praestiterit, vt ne apex quidem legis transierit, quin omnia in Christo confecta sint.

XXVI. DE VETERI ET NOVO DEI FOEDERE.

Thesis I.

1. Dei *foedus* in Sacra Scriptura propriè significat Pactum quoddam à Deo cum hominibus initum: minus propriè notat partem quamdam diuini illius pacti. Aliquando foederis nomine veniunt tam omnes leges & promissiones sacrae vniuersim sumptae, quàm quoduis speciale mandatum aut promissio accensa foederi. Sed & metonymicè ipsi libri, in quibus foedera Dei sunt perscripta, foedera appellantur.

2. Nos omissis nunc aliis foederibus aliſque significationibus vocis foederis, de veteri & nouo foedere agemus, quà inter se comparari solent.

3. *Vetus* foedus prius cum Abrahamo coeptum tunc temporis potissimum fuit firmatum, cùm Deus populum Israeliticum educeret è terra Ægypti, *Ierem.* 31. 32.

4. Eius autem genus est ordo relatiuus, seu respectus quidam Sacer.

5. Relatum est Iehoua, *Deut.* 29. 12. pactum Iehouae Dei tui (f. 1667.)

6. Correlatum Israelitae, & qui sese Israelitis in foedere associabant. *Deut.* 29. 14. 15.

7. Fundamentum, seu causa efficiens proxima huius foederis est solennis Relatorum obligatio.

8. Solennitas à parte Dei fuit illud potissimum, quòd Moses, internuncius illius foederis accipiens dimidium sanguinis holocaustorum & sacrificiorum Eucharisticorum Iehouae sparsit super altare, & dimidium super ipsum populum. *Exod.* 24. 5. 8. *Deut.* 29. 1.

9. Solennitas à parte Israelitarum, alia in initiatione, aliae in continuatione huius foederis adhibebantur.

10. Initiationis sacramentum fuit Circumcisio.

11. Continuationis Sacramenta fuerunt esus Agni Paschalis, & victimarum quarundam mactatio.

12. Promiserat autem Iehoua Israelitis terram Chenaan, terram peregrinationis eorum, & sub bonis terrenis spiritualia & aeterna bona.

13. Populus verò Israeliticus erat obstrictus ad seruandum omnia illa quae scripta sunt in libro Legis.

14. Fines huius pacti fuere, vt esset certa gens & certus populus à quo Deus ritè coleretur, cui Deus insigniter benediceret, ex quo Messias promissus expectaretur, vtque ex parte in se haberet vmbram noui seu aeterni foederis, & esset paedagogus ad Christum.

15. Atque

15. Atque ita vetus foedus fuit ordo inter Iehouam, populúmque Israeliticum, & eos qui sese Israelitis adsociabant, ortus ex mutua huiuscemodi duarum illarum partium obligatione; vt Iehoua per Mosen cum solenni taurorum & vitulorum sanguinis profusione testaretur Israelitis se terram Chenaan daturum, séque ipsis in Deum futurum: vtque Israelitae promitterent se seruaturos omnia ea quae scripta sunt in libro Legis, séque Deo in populum futuros; ídque profiterentur Circumcisione, esu Agni Paschalis, nec non victimarum mactatione; ad hoc vt esset certus populus, à quo Deus ritè coleretur, cui Deus insigniter benediceret, & ex quo Messias promissus expectaretur, vtque esset vmbra aeterni foederis, & paedagogus ad Christum.

16. Vt ergo Lex Dei eatenus est abrogata, quatenus fuit fundata super Sacerdotium Leuiticum, *Hebr.* 7. 11. 12. ita etiam vetus foedus, quo ad vmbras & ceremonias abolitum est: alias in substantia idem est cum nouo & aeterno foedere.

17. Noui & aeterni foederis *genus* est foedus seu pactum, id est, ordo seu respectus, siue relatio quaedam.

18. *Subiectum* seu materiale huius foederis sunt, Deus, & omnes Gentes.

19. *Correlata* sunt, Deus, & populus Christianus.

20. *Fundamentum* seu causae efficientes sunt duûm generum; vniuersalis, vel particularis.

21. Vniuersalis est Deus, seu diuinum beneplacitum, & Dei misericordia.

22. Particularis causa efficiens proxima est solennis mutua obligatio; Dei promittentis se fore homini in Patrem, & hominis promittentis se fore Deo in Filium.

23. Solennitas quae in hac mutua obligatione adhibetur, alia est à parte Dei, alia est à parte hominum.

24. A parte Dei est mysterium illud, quod Deus suo sanguine redemit Ecclesiam, ipsa inquam sanguinis Filij Dei profusio. Vnde ipse Christus dicit de poculo consecrato, *Hic calix est nouum illud foedus in meo sanguine*, *quod pro vobis effunditur*, id est illud foedus quod per & in meo sanguine pactum & sancitum est, *Luc.* 22. 20.

25. Solennitas ab hominibus iussu Dei alia adhibetur in initiatione, alia in continuatione huius foederis.

26. Initiationis sacramentum est Baptismus, quando homo in nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti aquâ tinctus nomen suum dat Christo, & fit vnus ex confoederatis huius noui foederis.

27. Continuationis sacramentum est Coena Domini, quando confoederati pane & vino consecratis fruuntur, pro grata & sancta memoria mortis Christi, foedus hocce stabilientis.

28. Quae habent rationem causae finalis exprimuntur vno nomine κοινωνίας nostrae cum Christo & Deo Patre per Spiritum Sanctum. Atque huc pertinet (f. 1668.) remissio peccatorum salúsq. nostra; & declaratio summae bonitatis, misericordiae & iustitiae diuinae in salute nostra.

29. Est ergo nouum foedus eiusmodi pactum quod constat ex mutua & solenni obligatione Dei & hominum: Dei quidem promittentis per mortem filij sui dilectissimi gratuitam remissionem peccatorum & vitam aeternam. Hominis verò pollicentis fidem & obedientiam in Baptismo & Coena Domini: vt hominibus hic & in aeternum bene sit; & summa Dei bonitas, misericordia & iustitia à multis aeternùm depraedicetur.

XXVII. DE PERSONA CHRISTI.

ΘΕΑΝΘΡΩΠΟΥ.

Cùm haec sit vita illa aeterna, solum Patrem verum Deum cognoscere, & quem misit Iesum Christum, adeóque de Persona Christi recta cognitio maximè fideli sit necessaria; idcircò inter Ecclesiam & haereticos arte Satanae excitatos disputata semper acriter variéque haec controuersia fuit: vt meritò homo Christianus in tam graui causa semper munitus esse debeat diligentissimè.

Thesis I.

1. Hic igitur de ea tractaturi, vt faciliorem eius intelligentiam assequi possimus: definitionem eius in fronte proponemus, sic nobis definitur Christus: Θεάνθρωπος: *Persona in qua duae naturae, diuina, & humana, hypostaticῶς sunt vnitae; Et vnum ex illis singulare ὑφιςάμενον Iesum Christum constituunt; quamuis retinente vtraque essentiales suas proprietates, quibus vna ab altera distinguitur: ad vnum nostrae salutis* ἀποτέλεσμα *perficiendum.*

2. Conuenienti methodo definitionem per partes prosecuturi, frequentiorum vocum significata explicemus; posteà de re: prima igitur occurrit *Personae* vox, quae Theologis est, Substantia, Rationalis, indiuidua, & incommunicabilis; à se, non in alio, nec ab alio sustentata, nec ad aliud dependentiam habens quâ est Persona nec pars alterius.

3. Sequitur deinde *Naturae* vox, quam pro principio intrinseco rem ipsam constituente sumimus, siue pro Forma per quam res est id quod est. Ea autem consideratur non tantùm simpliciter, sed vt cum suo formato coniuncta est, siue essentialibus proprietatibus vestita; quae quidem ita ad ipsam pertinent, vt & illis aliquando à Philosophis naturae nomen tribuatur.

4. Superest tertia vox, *vniri* scil. siue *vnionis* (sunt enim coniugata) quam in genere diuersarum rerum coniunctionem definimus, qua fit vt duae res siue plures inter se copulatae vnum quid fiant.

5. Post voces rerum signa, de ipsis rebus agemus, duabus Naturis diuina scilicet & humana Christi Personam constare diximus. Haec autem diuina natura, non est tota Dei essentia tres simul personae, non Pater, nec Spiritus Sanctus, sed solus Filius, secunda Trinitatis persona, λόγος ille, per se subsistens, & realiter à Patre, & à Spiritu Sancto distinctus, eiusdem tamen cum illis essentiae, & coaeternus Deus; atque (vt loquitur Apostolus) *idem heri & hodie idem in secula.* Heb. 13. 8.

6. Planè Patrem à Filio, & Filium à Patre & Spiritu Sancto distingui; necessarium esse vsus ostendit. fuerunt enim quidam haeretici, quorum caput Sabellius, qui humanam naturam assumptam à Deo aeterno profitentes, Filium à Patre, & Patrem à Filio, distinctum negarent, nomina tantùm & varia Dei attributa esse statuentes. Nos verò, ex Dei verbo, distinctionem inter Patrem & Filium, & personas distinctas affirmamus: quod satis confirmant Patris & Filij vocabula, quae cùm sint relata, & opposita, de eodem non mutato respectu ad alium dici nequeunt. Di(f. 1669.)uersae item operationes ita vni propriae, vt alteri convenire non possint: satis distinctas personas arguunt. *Gignit* enim Pater: *genitus* est Filius: *procedit* ab vtroque Spiritus Sanctus,

Sanctus, non contra. Accedit & Christi dictum cùm *alium testem Patrem* appellat, *Ioann.* 5. 32. & *Spiritum Sanctum alium Paracletum Ioan.* 14. 16.

7. Vidimus quid sit Filius, iam & qualis videamus: est autem eiusdem cum Patre essentiae siue ὁμοούσιος, ac non ὁμοιούσιος: vt concedebat Arius. nam cùm vnus sit tantùm Deus, vt Filius Deus sit vnus ille Deus oportet. quae vnitas Patri diuinitatem non tollit, nec Spiritui S. quin vna eademque essentia tribus illis personis tota (vt pote infinita & impartibibilis) sit communis, vnde Iehouae nomen ei tribuitur, essentiam diuinam maximè notans, & Dei proprietates de illo praedicantur, *quòd sit rex gloriae*, 1. *Cor.* 2. 8. καρδιογνώστης, *Ioan.* 2. 24. cui & operationes diuinae attribuuntur, *Creare. Ioa.* 1. 3. *Col.* 1. 16. *Heb.* 1. 10. *remittere peccata*, *Mat.* 9. 8. &c. quod posse Iudaeis mirantibus ipse miraculo probauit, &c.

8. Hinc emergit ipsius aeternitas, si enim Filio Dei essentia competit: eum ab aeterno esse sequitur. Cùm (vt ait Iacobus *cap.* 2. 17. *in Deo non sit mutatio nec mutationis adumbratio.* Itaque malè Samosatenus, qui Filium tunc primùm aiebat extitisse, cùm in virginis vtero conceptus est, & à quo non longè abest Seruetus qui tantum vt in Patre decretum, non realiter distinctam à Patre Personam extitisse tradit, nobiscum facit Ioannes qui dicit, *In principio cap.* 1. 1. *fuisse:* & ipsa Sapientia de se testatur & praedicat, *Prou.* 8. 25. *se antè colles formatos genitam esse*, & perspicuè Christus in Euangelio, *Ioan.* 17. 5. *Pater glorifica me illa gloria quam tecum habui antè iacta mundi fundamenta.*

9. Sapientissimo verò altissimóque Dei consilio secunda illa Trinitatis persona potius naturam humanam assumpsit, non Pater aut Spiritus S. nec enim Pater qui fons diuinitatis, & à quo personae aliae, humiliari poterat: sed congruens Filio fuit vt qui (qua Filius & à Patre) quodammodo eo *minor esset*, vt loquitur Basilius, *Phil.* 2. 6. vnde per omnia Patri se obedientem praestitit, etiam vt Filius fieret in humanitate, qui & in diuinitate est, non verò in vna Pater, in altera Filius: sed vbique vtraque natiuitate, nam si mitteretur Pater, ab alio non à se putaretur. Spiritus quoque Sanctus, quia à Patre & à Filio procedit, ita conuenientissimè post Filium mundo declarari debebat, cuius proprium est Christi beneficia applicare, regenerare, & illuminare corda nostra. nam si ante Filium, Filius ab eo procedere putaretur, non ab hoc ille: ita seruatur personarum ordo.

10. Hactenus de diuina natura, iam de humana: quam ita veram in Christo esse asserimus, vt omnibus modis assumpserit etiam cum illius defectibus qui sine peccato sunt, licet à peccato vt poena: proinde cùm non ex sola anima aut corpore, sed vtrisque coniunctis nostra natura constet, haec etiam in ipsius natura cum suis proprietatibus essentialibus reperiuntur.

11. Primò Christum *animam* habuisse, nec pro anima vnitum λόγον, contrà Apollinarem testatur Scriptura: cùm ipsi distinctè animam attribuit, etiamque facultates animae. Christus enim dolet, *animam suam tristatam ad mortem*, *Matth.* 26. 38. facultates verò statuuntur ipsi animae propriae: dum in *Sapientia profecisse* (quod intellectus humani proprium) Lucas meminit, 2. 40. & aliam à diuina voluntatem distinctam se habere ostendit, cùm ait, *non mea sed tua voluntas fiat Pater mi. Luc.* 22. 42.

12. Corpus verò non *phantasticum* habuisse, vt docuit Marcion (cui enim corporis proprietates essentiales, qui non & veri corporis nomen tribuetur?) palpabile, *Luc.* 24. 39. loco circumscriptiuum, *Act.* 3. 21. nobis est indubitatum, vt post resurrectionem Thomae phantasticam quandam apparitionem suspicanti, fecit: *Spiritus carnem & ossa non habet sicut me videtis habere. Luc.* 24. 39. nec sanè imaginaria & phantastica passio, peccatorum tantorum vera & realis satisfactio esse potuisset.

13. Nec iuxtà Anabaptistarum noua deliria *coeleste corpus* de coelo exportasse

 credimus,

credimus, sed semen mulieris, Abrahae Filium, & Dauidis, fructum eius renum: vt *quemadmodum pueri carnis & sanguinis participes sunt facti, ipse quoque carnis & sanguinis fieret particeps; vt per mortem, aboleret eum penes quem est mortis robur, hoc est diabolum. Heb.* 2. 14. Vnde posteà, *non vtique Angelos assumpsit: sed semen Abrahae.* quod enim de spirituali eius corpore legitur, id de qualitatibus eius non de substantia accipi debet (f. 1670).

14. Atque vt argumentum primum in tuenda veritate corporis Christi contra Marcionitas ab essentialibus proprietatibus depromitur, ita quicunque ipsam corporis veritatem profitentur, illas nunquam separare debent: quare Pontificij, & alij qui glorificationis respectu istas proprietates illi adimunt, vt potè infinitum & incircumscriptum facientes, Marcionitis meritò accenseri debent.

15. Superioribus, de personae Christi naturis illam constituentibus dictum est, restat nunc, ut illarum vnionem & vnionis modum distinctè demonstremus. haec igitur vnio in personam, non in naturam facta fuit: quae propriè definitur duarum naturam perfectissima, & substantialis in vnam personam coniunctio.

16. Hinc patet quomodo harum vnaquaeque sese habeat, assumit enim diuina, assumitur ad humana: non vt ex his quasi partibus tertium quid confletur: sed humana prius ἀνυπόστατος in vnitatem personae assumpta est à λόγῳ, & facta ἐνυπόστατος.

17. Cùm autem variè rerum fiat vnio: mixtione enim rerum mixtarum fit, aut conuersione, aut sola compositione: aut alio quodam modo. Vnionem Naturarum optimè contra varios haereticos expresserunt 4. vocabulis prisci Patres, quorum vestigia relegentes ad maiorem rei intelligentiam ordine singula elucidabimus.

18. Ista duo priora ἀτρέπτως incommutabiliter & ἀσυγχύτως inconfuse contrà Eutychen posita sunt, eò quòd confusionem naturarum fingeret. his vero ita vnam alteri vnitam & coniunctam esse denotatur, vt non mutentur, sed integrae eaedem naturae distinctè maneant, omni confusione, mixtione, & conuersione explosa. Nam & vnicuique naturae peculiariter actiones proprias scriptura attribuit: *Mortificatus* enim *est carne, & viuificatus spiritu:* 1. *Pet.* 3. 18. & vt optimè Leo, *non est mutatus miseratione Deus nec dignitate consumptus homo: sed semper integrum vtrumque perstitit, operante verbo, quod verbi est & carne exsequente, quod carnis est. Epist.* 10. *cap.* 4. *ad Flau.*

19. Ita naturas coniungebat Eutyches, vt confunderentur: in alterum prorupit extremum Nestorius, dum contrà ita diuideret vt illis duas personas faceret cui Patres his vocibus restitere, ἀδιαιρέτως. καὶ ἀχωρίστως, inseparabiliter, & indiuisè factam esse demonstrantes, vt vnum sit ὑφιστάμενον: ita distinctas inter se manere tamen, vt quod vnius naturae proprium est, alteri communicari non posset, licet in persona communia sint: & vnius naturae figuratè fiant, quae alterius naturae propria.

20. Ex ista naturarum distincta consistentia, & arctissima vnitate personae, tres resultant etiam loquendi modi. vnus proprius, quo vnicuique naturae tribuitur quod ei propriè conuenit: vt humanae pati: & quo toti personae tribuitur quod in persona vtrique naturae commune est, vt mediatorem esse Christum, &c. 2. Improprius, διὰ συνεκδοχῆς cùm quod toti personae commune est, vt mediatorem esse, alteri naturae tribuitur, vt humanae. 3. Improprius maximè, cùm scilicet quod vni est naturae proprium, alteri in concreto tribuitur: Nomine totam personam connotante: qua ratione verum est, vt *Deus sibi acquisiuit Ecclesiam suo sanguine, Act.* 20. 28. sic *crucifixus rex gloriae.* 1. *Cor.* 2. 8. Quae locutio à Patribus obseruata ζεῦξις ὀνομάτων, & ἰδιομάτων κοινωνία, dicta fuit.

21. Quorsum verò hae naturae in personam vnam Christi θεανθρώπου sic vniantur, manifesta est ratio. num enim sola diuinitas nos liberare valuisset? num & sola humanitas

nitas sua passione sine diuinitate peccata expiasset? Diuinitas quidem per se poterat, sed quomodo Deus voluit secundum sapientiam & iustitiam potentiae suae, nam per hanc morti suae infinitam vim tribuere potuit, & etiam fecit vt esset efficax, & plenè Patri satisfaceret. Quare illas in vnum sapientissimè Deus coniunxit ad salutis nostrae opus perficiendum.

XXVIII. DE OFFICIIS PERSONÆ CHRISTI.

1. Filivm illum Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, mysterio incarnationis in temporum plenitudine salutariter exhibitum fuisse nobis nuper est demonstra- (f. 1671) tum: qua ratione Immanuel siue *θεάνθρωπος*, verus Deus, Homo, in vnitate personae existit, vt mediationis illius salutaris opus inter Deum & homines vnus Iesus Christus Deus & homo perficeret.

2. Est autem vniuersum illud diuinum mediationis salutaris opus sic in eo contemplandum, vt ipsum quidem verum Deum, verum hominem, eúmque solum mediatorem inter Deum & nos agnoscamus velut fundamentum, subiectum, principiumque illius operis, à quo nulla potentia & actio salutaris non proficiscitur, quae ad mediationem sit opus: sed finem insuper, eoque pertinentia media necesse est à nobis comprehendi: vt mediatoris, quem in se credimus absolutissimum, etiam pro nobis absolutissimum opus consummatum, & in nobis quotidie agnoscamus consummari.

3. Finis est mediationis, vt sit Iesus, id est seruator noster: *Mat.* 1. *Act.* 4. nam seruat populum suum à peccatis ipsorum: & nullum aliud nomen quo seruemur est sub coelo datum. Media sunt dona atque vocatio: quorum respectu Hebraeis *Messiah*, Graecis *χριστός*, nobis Messias, Christus, vnctus est appellatus: prout in Symbolo Apostolorum nos in Iesum Christum credere profitemur. De fine sequetur alio tempore dicendi locus: iam de mediis uidendum est.

4. Media igitur cùm duo sint, nimirum dona atque vocatio, vt modò diximus, duobus modis vtraque considerari necesse est: primùm, vt à Patre sunt data filio: secundò, vt à filio secundùm Patris decretum occupata. Nam dona rationem habent instrumenti ad tantum opus necessarij. Vocatio à Patre authoritatis est, secundum quam à Patre fecit & facit filius quaecumque mediationis illius sunt vniuersè & singulariter.

5. Dona communiter in Scripturis olei siue vnctionis nomine designantur, prout & Christus ex eo dictus. *Ioa.* 3. 34. *Ioan.* 1. 14. *&* 16. Nam spiritum accepit à Patre, non ex mensura nostra, sed illam spiritus plenitudinem, ex qua omnes accipimus, prout plenus gratiae ac veritatis est, qua vnctione in testamento vetere sancti Dei serui, qui ex mensura accipiebant, olim fuerunt vncti oleo aspectabili, pro sua parte singuli: Christus vniuersam in se, non ex parte habet, quam & cum illis olim & cum omnibus suis communicat admetiturque in hac temporum plenitudine, non symbolico oleo, sed gratiae & veritatis, quod oleum laetitiae Psaltes appellauit, Psalm. 45.

6. Atque haec dona à Patre accepit Christus in persona sua, vt verus Immanuel *θεάνθρωπος* & mediator noster, secundùm personam personaliter atque realiter, vt ita dicamus: secundùm naturam verò hanc aut illam pro modo ipsius: quando natura quaeque agit quod suum est, tam in accipiendo quàm in dando, seruatis integris ipsius proprietatibus. Proinde filius Dei secundùm deitatem ex natura quidem potest & possidet omnia, nec augeri, minui aut mutari potest vlla donorum communicatione: sed quia

sed quia voluntate factus caro ex muliere sub lege, per eandem voluntatem exinaniuit se, & cessit Patri vsum exercitiúmque illius omnipotentiae diuinae in caussa mediationis solùm: per dispensationem voluntariam etiam in caussa mediationis recepit à Patre dona vsus & exercitij salutaris illius de voluntate Patris, quem vsum cesserat voluntate sua, quum se ipse forma serui accepta exinaniuisset. *Philip.* 2. Secundum humanitatem verò, quae ex natura sua nec possessionem nec vsum donorum illorum habere potuisset, dona spiritus accepit, tum in se quaecumque à natura creata capi potuerunt, tum in persona per gratiam vnionis, quaecumque ad diuinum illud mediationis mysterium fuerunt opus. Quapropter idem à Patribus recte vngens & vnctus appellatur.

7. Sic donorum plenitudine instructus Christus sibi ipsi hunc honorem mediatoris non sumpsit, sed à Deo patre vocatus est auctoritatémque accepit perficiendi mysterium mediationis inter Deum & nos, ex decreto eius: quo, quae officia, apud quos faceret, fuit praestitutum, *Gal.* 3. Nam cùm mediator non sit vnius, Deus autem sit vnus & immutabilis, omnino mediatorem nostrum illum vtrimque curare oportuit, & praestare quicquid opus fuit in vtramque partem, (quam rem nemo qui non esset Deus praestare potuit apud Deum, & qui non esset homo, pro nobis atque in nobis perficere) & officia perfungi, quae ad vitium eximendum, & bonum inter partes stabiliendum sunt necessaria.

8. In Deo, qui semper vnus & idem est, vitium nullum. Cùm itaque vitium à nobis & in nobis esset, quo (f. 1672.) miseri à Dei gratia excidimus, pro ratione vitij illius expungendi, & comparandi stabiliendíque boni diuina virtute (nam humana aut vlla creata simpliciter nunquam id opus ministrasset, quia gratiae salutaris est, Deus autem solus gratiae author est, nos à gratia exsules natura, & gratiae egentissimi) authoritatem officiorum à Patre imperari, & à mediatore suscipi necesse fuit, quae vitio nostro curando, & bono parando, vtrimque conuenirent.

9, Tria sunt autem quae in omni actu rationalis potentiae oportet concurrere, & sine quibus nihil nisi vitiosum ab homine proficisci potest, scire, velle, posse: ex quibus vitiis omnibus homo inde à primo parentum nostrorum lapsu grauissimè totus laborauit semper. Nam vitium suum: & Dei voluntatem vitium detestantis & gratiam offerentis homo neque sciuit, neque voluit scire aut curare, neque (vt sciret) potuit, neque curauit, nisi medicantia mediatoris officia à patre fuissent instituta, Prophetae siue Doctoris, & sacerdotis, & Regis siue Domini: quo respectu Pater eum fecisse Dominum & Christum à Petro dicitur. *Act.* 2.

10. Officium Prophetae est quo Christus à patre mittitur, nobis factus sapientia: & veniens nos docet totam vitiositatem, necessitatem, & malum nostrum, & voluntatem Dei vitiis infensam, necessitatibus prospicientem, & mala perfectè perfecto bono commutaturam per gratiam suam. Hoc officium Christus inde à principio, tolerantia, misericordia & fide maxima, potens dictis & factis, diuinitus praestitit: tum mediatè per Prophetas, Apostolos, & homines quosque Dei ad ministerium sacrum illius officij pro suo modulo obeundum vocatos ab ipso, velut Domino & capite Ecclesiae suae: tum immediatè, semel quidem in carne, quum factus est in carne conspicuus, semper verò per Spiritum aeternum suum, quo & Deum (quem nemo vidit vnquam) vnigenitus ille filius qui est in sinu Patris nobis exponit, & nos ipsos nostri nescios nobis ipsis aperit salutari illuminatione illius, etiam quo tempore medio praedicationis externae informamur: & rediens ad patrem rationem reddidit legationis suae.

11. Officium Sacerdotis est, quo Christus à patre mittitur dicente, pete à me, item, tu es Sacerdos in aeternum: *Psal.* 110. & prout missus est, plenas sacerdotis partes τὰ πρὸς θεὸν καὶ τὰ πρὸς ἡμᾶς perficit. Nam si ad Deum patrem respexeris, sacerdos

sacerdos ille noster Christus, verus Deus, verus homo personae ac vitae sanctitate, adeoque omni deitatis plenitudine perfectissimus (quo quis sacerdos praestantior?) seipsum hominem inculpatum per Spiritum aeternum in sacrificium verè propitiatorium, & diuinitus absolutum (quo quid praestantius?) in cruce obtulit Deo & patri, extinctóque peccato & morte, & deleto chirographo, in Sanctuarium celeste (cuius est minister) ingressus est, sedauit iram Dei, gratiam & reconciliationem peperit, & vna pro peccatis oblata sui victima considet in perpetuum ad dexteram Dei, intercedens pro nobis. Sin autem ad nos oculos conuertamus, perfungitur pro nobis & in nobis quicquid ad iustitiam sanctificationémque nostram perfectam opus est, per eundem Spiritum aeternum, iustificans nos coram Deo, & vnica sui oblatione consecrans in perpetuum ac perficiens eos qui sanctificantur, sacerdotes faciens Deo & patri, & in iustitia, sanctimoniáque dirigens, vt sistamus corpora nostra hostiam viuam, sanctam, acceptam Deo, rationabilem cultum nostrum, in perfecta & salutari communione ipsius.

12. Officium Regis est, quo Christus fungitur à patre in regni possessionem missus dicente, dabo tibi gentes haereditatem tuam, &c. *Psal.* 2. Pater enim ipsum, dedit caput Ecclesiae, vt res Prophetia demonstratas, & sacerdotio partas, apud ipsum & apud nos sua sapientia, iustitia, potentia perficiat coram Deo, Patre pro nobis, & in nobis regnum suum colligat, id est, Ecclesiae Catholicae membra singula per Spiritum illum omnia in omnibus operantem & aduersus diabolum, peccatum, mortem, mundum, omnia denique impedimenta tueatur, donec omnes inimicos posuerit sub pedibus eius: quo demum tempore Dominus noster & seruator Christus defunctus voluntaria huius regni oeconomia, siue dispensatione, omnique imperio & omni potentia ac virtute abolita, regnum suum hoc oeconomicum Deo ac Patri traditurus est, vt Deus sit omnia in omnibus (f. 1673).

XXIX. DE HVMILIATIONE ET EXALTATIONE CHRISTI IESU,

Et ex vtraque beneficiis ad fideles redeuntibus.

Thesis I.

1. Officii Christi duae sunt partes, ταπείνωσις & ὑπερύψωσις, quas vulgo Statum Humiliationis & Exaltationis vocamus. *Luc.* 24. 26. 1. *Petr.* 1. 11. *Philip.* 2. 6. *&c.* *Heb.* 2. 9. Status humiliationis duos habet gradus, Incarnationem & personae Demissionem in carne: provt statuit Apostolus, *Philip.* 2. 7. 8. Primus est, cùm Christus existens in forma Dei, seipsum exinaniuit, forma serui accepta; atque haec est maxima humiliatio, quae etiam exinanitio dicitur, *Philip.* 2. 7. Quid enim admirabilius, quàm quòd Deus immensus & altissimus eò se demiserit, vt factus sit homo? Alter est, cùm homo factus humiliauit semetipsum, Patri per omnia ad mortem vsque se subiiciens, atque hic status communi nomine humiliatio siue submissio appellatur. Inter duos hosce gradus haec est differentia, quòd prior sit perpetuus, quia naturam humanam quam semel assumpsit Dei filius in aeternum retinet: (vnde Deus gloriae crucifixus

crucifixus esse, & Deus nos suo sanguine redemisse dicitur, 1. *Cor.* 2. 8. *Act.* 20. 28.) Alter verò temporarius, quia per ignominiam transiuit in gloriam. *Luc.* 24. 26. Nos hâc disputatione vbi de statu humiliationis & exaltationis Christi Iesu acturi sumus, secundum humilitatis gradum (cui soli Paulus Exaltationem, tanquam cõnsequens praemium opponit *Philip.* 2, 9.) intelligimus, & hoc modo definimus.

2. Status *Humiliationis* est conditio personae Christi, propter Officium Sacerdotale ei maximè incumbens, quâ in his terris à momento natiuitatis sese magis ac magis vltro demisit, vsque ad ignominiosissimam mortem crucis, *Philip.* 2. 7. & proximum resurrectionis terminum.

3. Caeterùm haec humiliatio non est tantùm humanae naturae Christi, sed est personae ϑεανϑρώπου, secundum vtramque naturam, seruato tamen actionum & proprietatum discrimine. Nam humiliauit se secundum diuinam naturam, non quòd mutauerit vel imminuerit essentiam suam, aut gloriam diuinam amiserit in se (quippe in quam nulla per se mutatio vel diminutio cadit) sed 1. quòd istam humanae naturae passionem voluerit. 2. quòd in humana natura, infirmitatibus nostris verè & realiter obnoxia, gloriam suam & maiestatem, ad peragendum redemptionis mysterium, apud homines non exercuerit, ut post Resurrectionem & Ascensionem, sed veluti represserit & occultam continuerit: vel (vti loquitur Irenaeus, *lib.* 3. *cap.* 21.) quieuerit, vt humana natura tentari, crucifigi, & mori posset, quamuis interim diuinae naturae quaedam indicia ad fidei confirmationem prodierint.

4. Secundum humanam verò naturam se humiliauit, dum verè infirmitates nostras in ea suscepit, expertus est, atque sensit. Haec humiliatio partim *Interna* fuit, seu animi quâ suam voluntatem, hoc est, appetitum naturalem, séque totum voluntati diuinae subiecit, & hominum saluti sua commoda & honorem postposuit: partim *Externa*, in conformatione totius vitae & mortis ad internam illam humilitatem, quod Dei gloriae & hominum conuersioni ac saluti, in summa coram mundo abiectione, ad mortem vsque, variis modis inseruierit, quam humiliationem insigniter declarat Apostolus, *Phil.* 2. 8. cùm ait, *factus obediens* (sc. Patri) *vsque ad mortem.*

5. Nam duplex omnino in Christo notanda est obedientia, vel potius duae partes: Obedientia vitae & mortis, seu obedientia ante mortem & in morte. *Obedientia vitae* sita fuit I. in perpetua iustitia legis, *Matth.* 3. 15. *&* 5. 17. 18. seu perfecto amore Dei & proximi, *Ioann.* 8. 29. 46. II. In opportuna & fideli collectione Ecclesiae, per doctrinam, miracula, Sacramenta; *Ioann.* 4. 34. III. In perpetua patientia variarum perpessionum inde ab ortu ipsius; quae quidem perpessiones adeo fuerunt crebrae, vt vita Christi (πάθος dicta à Graecis Patribus) non im(f.1674)meritò perpetua quaedam passio dici possit, quemadmodum ex historia Euangelistarum apertè constat. Obedientia verò mortis complectitur 1. voluntarium ad mortem, secundum Patris voluntatem subeundam, & inculpatum studium (quia ad iustitiam nihil profuisset Sacrificium nisi sponte oblatum) ita tamen vt non proprio se affectu abdicaret: *Psal.* 40. 9. *Esai.* 53. 7. *Matth.* 26, 4. 2. *Ephes.* 5. 2. *Hebr.* 10. 5. 9. Hinc est quòd historia Euangelica narrat eum prodiisse obuiam militibus, *Ioann.* 18. 4. & coram Pilato, omissa defensione, stetisse ad subeundum iudicium, *Matth.* 27. 11. 2. Huius studii causam, summum nempe Dei & proximi amorem. Ac Dei quidem, quòd non solùm ad mortem, sed etiam, quod amplius est, mortem crucis (nempe ignominiosissimum & maledictum mortis genus, non humana tantùm opinione, verùm legis decreto, *Deut.* 21. 23. *Gal.* 3. 13.) se lubens demiserit. Proximi verò, quòd pro hostium suorum salute animam suam impenderit: *Ioann.* 15. 13. *Rom.* 6. 5. 8.

6. Vnde quanuis totâ obedientia Christi seruemur, tamen synecdochicè hoc morti Christi quasi peculiare ac proprium plaerumque adscribit Scriptura, *Matth.* 20. 28.

Rom.

Rom. 3. 24. & 4. 25. & 5. 9. *Ioann.* 1. 29. quo certius modum clausulámque salutis definiat; non vt reliqua pars obedientiae, qua defunctus est in vita, excludatur: (nam Paulus, *Phi.* 2. 7. ab initio ad finem vsque totam comprehendit, quòd seipsum exinaniuerit, forma serui accepta, & patri fuerit obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis) sed potius vt sub mortis obedientia, tanquam colophone & fastigio, contineatur. Nam frustra sanctâ vitâ iustitiam promeritus fuisset Christus, nisi chirographum, quod erat contrarium nobis, in cruce pendens, tanquàm iustitiae & perpessionis colophone, deleuisset.

7. Atque haec de humiliatione Christi Iesu, cui ex aduerso respondet ipsius *Exaltatio:* de qua videndum I. Quid sit. 2. Quae causa eius efficiens. Quod ad primum, Status exaltationis est conditio personae Christi θεανθρώπου, pro ratione officii ei incumbens, quo peracto in his terris ministerio, id est satisfactione pro peccatis generis humani praestita, de voluntate Patris se Dominum omnium gloriosè ostendit, & gloriam suam plenè perfectéque manifestauit. *Luc.* 24. 25. 26. *Philip.* 2. 9. *&c.* 2. 14. 15. *Hebr.* 2. 7.

8. Conditionem personae Christi θεανθρώπου exaltationem esse cùm dicimus, hoc volumus, Christum scilicet exaltatum esse suo modo, secundum vtramque naturam. *Ephes.* 1. 20. *&c. Phil.* 2, 9. 10. *Hebr.* 2. 7. 8. Vt enim humiliatio secundum vtramque naturam, sed variè contigit; ita exaltatio non solùm ad humanam naturam, sed etiam ad diuinam, suo modo, pertinet. Ac I. vt humiliatio secundum diuinam naturam contigit non absolutè & in se, mutatione aliqua essentiae & gloriae internae & aeternae, sed tantùm relatae, ratione occultationis illius temporariae coram hominibus, qua maiestatem suam diuinam sub infirmitate carnis assumptae texit, carnémque suam ad redemptionem electorum mori voluit: sic exaltatio secundum diuinam naturam consistit non in vllo gloriae illius incremento in se, sed in illustriori & pleniori gloriae antea latentis manifestatione ac patefactione, (*Act.* 2. 36. *Rom.* 1. 4.) coram Angelis & hominibus, de qua re loquitur Christus, *Ioann.* 17. 5. Glorifica me, pater, ea gloriâ, quam habui apud te, priusquam mundus esset. II. Vt humiliatio secundum humanam naturam sita fuit in animi humilitate, & vitae ac mortis crucis obedientia: ita exaltatio sita est non in virtutis, sed in infirmitatis ablatione & donorum habitualium susceptione. Exaltatio enim Christi, quoad humanam naturam, Duas habet partes. Prima est, depositio seruilis conditionis & infirmitatum omnium, quas Christus omnes vnà cùm humana natura, excepto tamen peccato, assumserat, *Hebr.* 4. 15. vt sunt fames, *Matth.* 4. 2. & 21. 18. sitis, *Ioann.* 4. 7. Defatigatio, *Ioann.* 4. 6. Lacrymae, *Ioann.* 11. 35. ignominia, *Matth.* 11. 19. & 12. 24. *Ioann.* 8. 48. ignorantia, *Marc.* 13. 32. patibilitas, mortalitas, &c. Secunda est humanae naturae glorificatio, tum quoad corpus, tum quoad animam. Corpus enim Christi est gloriosum redditum, *Philipp.* 3. 21. *Matth.* 17. 2. *Ephes.* 1. 20. 22. *Hebraeor.* 1. 9. ita vt sit & maneat in aeternum incorruptibile, impatibile, immortale, auctum robore & agilitate, resplendens fulgore & gloria coelesti atque diuina. Caeterùm corpus Christi vtcunque hoc modo glorificatum, tamen solidum, circumscriptum, finitum, visibile, (f. 1675.) palpabile, certo loco situm esse, semper fuisse, & perpetuo mansurum statuimus, *Luc.* 24. 39. Animae verò dotes auctae sunt & perfectae, vsque ad summam, quae in naturam creatam cadere potest, perfectionem, siue Intellectum spectemus, siue voluntatem.

9. Quoad intellectum attinet, scit iam Christus in gloria sua, humana mente, omnia quaecumque in sua humiliatione, propter nos, ignorauit; *Marc.* 13. 32. *Matth.* 21. 19. adeo vt nihil tam arduum sit. nihil tam minutum in omnibus Dei operibus, hoc est suis, praeteritis, praesentibus & futuris, quod non in promptu sit, quocumque momento

mento velit, & quotiescumque velit scire & cogitare intellectu suo humano, ac si obiectum esset oculis & sensibus ipsius corporalibus. Verùm haec omnia, & quaecumque dici possunt, scit & cogitat distinctis & successiuis cogitandi actibus, siue ideis, siue speciebus intelligibilibus, secundum creatae mentis proprietatem essentialem. Nam haec omni scientia plurimum differt ab increata Dei sapientia, qua Deus seipsum, & omnia opera sua, & aliena, vno aeterno & immutabili actu in se intuetur. Quod voluntatem concernit, omnes virtutes tale incrementum in ea acceperunt, quale in creaturam cadere potest. In summa, dotes tum corporis, tum animae Christi, plures maiores & perfectiores sunt, quàm omnes aliae creaturae possint capere, *Psalm.* 45. 7. *Ioann.* 3. 34. quae tamen licèt supra naturam sint, & proprias atque essentiales dotes naturae humanae non tollunt, nec destruunt, vt caro nostra & semen Dauidis in caelesti gloria aeternum regnet.

10. Hactenus, quid sit exaltatio explicuimus. Reliquum iam est, vt de causa illius efficiente agamus. Ac causam quidem efficientem principalem cum Apostolo *Phil.* 2. 9. statuimus Deum patrem, non ita tamen vt filius & Spiritus Sanctus ab hac actione excludantur, sed vt ordo personalis & oeconomia redemptionis indicetur. Pater enim vt reliquarum deitatis personarum principium est, non temporis, sed ortus & ordinis, sic in agendo similiter: nam agit à se per filium & Spiritum Sanctum: ideóque per excellentiam ordinis ei tribuuntur ea quae filio & Spiritui sancto aequaliter conueniunt, ratione actionis, quae vna eadémque est. Deinde quoniam dispensatione voluntatis filius se humiliauit ac patri subiecit, ideo exaltatio, licet commune Trinitatis opus, ad Patrem aptè refertur.

11. Causam verò efficientem impulsiuam statuimus, non humiliationem & obedientiam Christi, sed officij sui executionem. Nam cùm hanc conditionem de voluntate Patris susceperit, propter officij executionem, vtique ipsius humiliatio, obedientia & mors, non potest statui causa & meritum exaltationis, quasi humilitate sua exaltationem sui spectarit, suáque perpessione meritus sit, vt attolleretur super omne nomen *Philipp.* 2. 9. sed tantùm antecedens & modus, seu via, quo ad gloriam peruenitur. Nam iuxta oeconomiam consilij diuini oportebat Christum prius in his terris sacrificium offerre, & humani generis expiare, quàm plenè perfectéque regnaret, adeo vt humiliatio antecedens sit, exaltatio verò consequens, quemadmodum *Philipp.* 2. 9. docet Apostolus, cùm inquit, *Quapropter & Deus exaltauit illum*, &c. Non enim disserit illic de causa exaltationis Christi, sed consequentiam rerum duntaxat ostendit, vt nobis esset exemplo: nec omnino aliud voluit, quàm quod dicitur *Luc.* 24. 26. Oportuisse Christum pati & ita intrare in gloriam. Nam particula illa (*Quapropter*) non respicit tantùm proximum illud Pauli dictum de perpessione & morte Christi, sed totam illam summam historiae Euangelicae, quam ante posuerat. Nam postquam iussit vt simus itidem affecti provt fuit Christus, ilico subiicit, *qui non duxit rapinam*, &c. Ex quibus verbis illud conficitur, Christo proprie nihil accessisse, provt se ipse abiecit. Se autem abiecit dispensatione. Ergo quicquid accepit, eiusdem dispensationis ordine acceperit necesse est, quo deposuerat. Et vt propter nos, non propter seipsum humiliatus est, ita etiam propter nos exaltatus est: *Rom.* 8. 32. & 5. 10. *Ioann.* 17. 19. Huc pertinent loquutiones propheticae, *Puer natus est nobis* Iesai. 9. 6. Item, *exulta filia Sion*, *ecce Rex tuus venit tibi*, Zachar. 9. 9.

12. Beneficia porro quae tam ex humiliatione quàm exaltatione Christi Iesu ad fideles redeunt, summatim complexus est Apostolus, *Rom.* 4. 25. cùm dicit *Christum mortuum esse propter peccata nostra, & suscitatum propter iustificationem nostram:* 1. morte eius sublatum peccatum; & Resurrectione, quae primus exaltationis gradus est, (f. 1676) instauratam restitutámque iustitiam, adeo vt nulla iam comdemnatio sit iis qui

iis qui sunt in Christo Iesu: *Roman.* 8. 1. Huic, cum Patre & Spiritu Sancto sit laus, honos & gloria in omne aeuum. Amen.

XXX. DE RESVRRECTIONE CHRISTI.

Thesis I.

1. Cvm duo fides in Christo mediatore intueatur, 1. ταπείνωσιν, secundum quam ipse Patri suo ὁμοούσιος se abiecit, forma serui accepta, adeóque Patri obediens factus est vsque ad mortem crucis: *Philipp.* 2. 7. 11. ὑπερύψωσιν, secundum quam glorificatus & euectus est in summam sublimitatem, secundum personam personaliter, & naturam vtramque pro modo ipsius, *Phil.* 2. 9. *Ephes.* 1. 21, Ordo symboli postulat, vt de exaltatione ipsius deinceps agamus: cuius pars prima est Christi Resurrectio, & primus quasi introitus totius consequuturae gloriae.

2. Surgere Latinorum, Graecorum item ἀνίςασθαι & Hebraeorum *Kum*, de iacentibus ex somno vsurpantur plurimum; quemadmodum & suscitari ἐγείρεσθαι, & *iakats* Hebraeis: postea verò haec omnia, maximè tamen resurgere, κατ' ἐξοχὴν, quomodo & *Schacabh* apud Hebraeos occumbere & obdormire, κατ' ἐυφημισμὸν, pro mori posita, de ea resurrectione in Ecclesiis Christianis familiariter dici coeperunt, quae ἡ ἀνάςασις ἐκ νεκρῶν dicitur. Haec autem resurrectio variè in scripturis accipitur, modò pro resurrectione spirituali, quae resurrectio prima dicitur, *Apoc.* 20. 5. estque tantùm fidelium: modò pro resurrectione corporum, quae in nobis secunda dicitur: eáque aut Christi est primogeniti ex mortuis, *Coloss.* 1. 18. aut hominum, tum particularis paucorum in hac vita; quo de genere ante passum Christum sunt exempla sex:tum vniuersalis omnium, quae in nouissimo mundi declarabitur. *Ioann.* 5. 29. De resurrectione Christi nunc agimus, in qua fidelium vtraque resurrectio suum fundamentum habet.

3. Haec igitur resurrectio Christi, est, qua Christus, animâ per diuinam potentiam in corpus redeunte, secundum humanitatem reuiuiscens, tertio die è sepulchro, depositis carnis infirmitatibus, gloriosè exiuit, & per quadraginta dies hîc commoratus est, donec in coelum ascenderet, vt plenam & omnimodam suam de morte victoriam nobis obsignaret, & resurrectionem nostram vtramque in sese initiaret, in nobis deinceps suo tempore perficiendam.

4. Partes igitur resurrectionis Christi duae constitui possunt, prima est actus interni, puta viuificatio, anima in corpus redeunte & corpore ex animae vnione reuiuiscente. Secunda est actus externi, puta exitus è sepulchro, & quae sequuntur. Vt enim mortuus fuerat & sepultus, ita reuixit & è sepulchro exiuit, obstaculis omnibus ad ipsius nutum cedentibus, etiámque terrae motu sublatis. *Math.* 28. 2. Hunc sequuta est commoratio in terris per 40. dies: quo intermedio tempore, quamquam humilis adhuc conditionis sua quadam argumenta dabat, nihil tamen futurae resurrectioni fidelium ipsum praeiudicauisse putandum est. Voluit enim Christus, provt 40. dierum numero suum in terris munus Domino consecrauerat, ita idem ipsum honestè deponere, & 40. dies initiandis discipulis & in vocatione sua instituendis tribuere.

5. Atque hanc resurrectionem suam multis τεκμηρίοις comprobauit: *Actor.* 1. 3. cùm enim videri potuisset à morte superatus, quae & animam illius à corpore seiunxerat & corpus exanime in sepulchrum abiecerat, resurrectionem suam omni argumen-

torum

torum genere certam facere ipsum oportuit. Horum alia coelestia sunt, alia terrestria. Coelestia sunt Angelorum duorum. Terrestria partim Christi ipsius (si hoc terrestre dicendum est) veritatem tum resurrectionis suae, tum corporis etiam sui, quamquam gloriosi, probantis: partím(f. 1677)que hominum siue fidelium decem vicibus: quod quidem nobis constat: siue infidelium, velint nolint resurrectionem ipsius testificantium & gloriae ipsius ministrantium: caetera quae sunt argumenta aequè pertinacibus Iudaeis confundendis ac fidelibus erudiendis seruiuerunt.

6. Resurgenti Christo quaedam communia nobiscum resurrecturis (ipsius enim resurrectio nostrae resurrectionis quasi hypostasis est) quaedam propria ipsi fuerunt. *Communia* sunt I. quòd, quemadmodum secundum corpus idem illud suum, non animam, resurrexit (resurgere enim non potest, nisi quod cecidit & extructum est) ita etiam totus resurrexisse dicitur: quia illa instauratio, nisi anima in corpus redeunte, fieri non potuerit. II. Quòd facto resurrectionis omnes corporis infirmitates deposuit, & gloriosi corporis conditiones, quamquam modo tanto excellentiore, quanto ipse omnibus creaturis est excellentior, assumpsit; corporis tamen veritate neutiquam abolita, in quam sententiam dicebat, Spiritus carnem & ossa non habet, vt me videtis habere: *Luc.* 24. 39. Nec obstat quòd tangi à Maria noluerit, *Ioann.* 20. 17. cùm id alias discipulis suis imperauerit, *Luc.* 24. 39. quemadmodum nec quod disparuit, cùm ἄφαντος, non ἀόρατος factus fuerit, *Luc.* 24. 31. quod autem comedit, *Luc.* 24. 43. fecit ex oeconomia voluntaria, non necessitate naturae vlla.

7. *Propria* ipsi sunt, I. quòd diuinâ suâ potentia illa ἀπαθεῖ, non autem vlla precaria καὶ ἔξωθεν ἐπελθούσῃ, non tantùm corpus suum παθητὸν καὶ φθαρτὸν à corruptione reseruauit, sed etiam ipsum τεθνηκὸς resuscitauit; cùm nostra corpora non nisi virtute illius resurgant, atque hoc vtrumque indubitatum Deitatis est testimonium. Neque aduersatur his quod *Ephes.* 1. 20. Pater ipsum resuscitauisse dicitur; itémque Spiritus Sanctus, *Rom.* 18. 11. vt enim Deo Patri & Spiritui S. est ὁμοούσιος, ita cum Patre & Spiritu S. vno eodémque opere communicat. Neque verò cùm Christus *Ioann.* 10. 18. dicit, ego pono animam meam à me ipso & recipio eam, Patris aut Spiritus S. ἐνέργειαν excludit, quam exeruit in Christo, excitans eum à mortuis, sed ἐξουσίαν suam diuinam exeruit, quam à se & in se, non ab alio extra se habet, & secundum quam ipse solus, non Pater, corpus quod assumpserat ipsum πάλιν ἔλαβε. II. quod primus resurrexit, vnde & primitiae dormientium & resurgentium dicitur: 1. *Cor.* 15. 20. *Coloss.* 1. 18. Nam per & propter resurrectionem Christi, quicùmque ante ipsum etiam in hanc vitam resurrexerunt, resurrectionis suae beneficium perceperunt: virtus enim passionis & resurrectionis Christi semper apud Deum valuit, apud quem non est heri, hodie & cras.

8. Resurrectionem Christi duae circunstantiae illustrant: locus & tempus. *Locus*, communis quidem ἐν τῷ κήπῳ: vt vita quae in horto amissa fuerat, eadem in horto gloriosa resurrectione Christi repararetur, proprius est sepulchrum καινὸν καὶ λαξευτόν, in quo nondum quisquam positus fuerat: ne quis, vt ait Theophylactus, ipsius resurrectionem calumniaretur, quasi alius quis ex eo sepulchro surrexisset. *Tempus*, cuius signum in historia Ionae, est post triduum συνεκδοχικῶς, *Matt.* 12. 40. non enim hoc de ratione typi, vt tres integros dies in sepulchro iacens occupet, sed vt μετὰ τρεῖς ἡμέρας, i. interprete Scriptura, τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ resurgat. Resurrexit autem die prima hebdomadis, quàm Graeci propterea κυριακὴν siue ἀναστάσιμον, nos Dominicam vocamus; vt scilicet, quo die ἡ πρώτη κτίσις initium coeperat, quâ mundus conditus fuerat. eodem ἡ καινὴ κτίσις initiaretur, quâ mundus instauratus est: vnde non septimus, sed ipse resurrectionis dies in Ecclesia Christiana sanctificatus est, 1. *Cor.* 16. 2. vt symbolum aeterni illius sabbathi quod Christus nobis comparauit.

9. Finis

9. Finis resurrectionis, quâ Christum spectat, duplex est, Vnus, *communis*, vt totam salutaris illius operis, quod ipsi pater imposuerat, περίοδον decurreret & se compararet ad partes gloriosas mediatoris subeundas: quâ pontifex, in caeleste tabernaculum ingressurus, coram Deo patre suo aeternùm compariturus, & sacrificium suum ipsi exhibiturus. Harum enim rerum omnium fundamentum in resurrectione ipsius iactum est, provt & nostra fides, ὑπόςασις eorum quae sperantur, absque resurrectione inanis est (quae propterea ab Apostolo θεμέλιον τῆς πίςεως appellatur, *Hebr.* 6. 1.) quâ Propheta, Spiritu suo & verbo Ecclesiam perfusurus: qua Rex verò eandem ad omnibus suis hostibus potentissi(f. 1678.)mè asserturus, vsque dum omnia sit Deus in omnibus. *Proprius* verò, vt se victorem mortis plenè declararet, à qua quidem capi potuerat, & grauiter oppugnari, sed non teneri & expugnari, quia θεάνθρωπος: id enim cùm fecit, filium se Dei potenter declarauit, *Rom.* 1. 4.

10. Quum autem omnes actiones Christi fideiussoriae sint, vt qui omnia causa nostra non sua fecerit, sequitur vt quem fructum resurrectio Christi nobis adferat, porro videamus. *Fructus* igitur resurrectionis est, quem nobis describit Apostolus, *Rom.* 4. 25. nostri iustificatio. Cùm enim salutis sint duae partes, Vindicatio à malo, & missio in possessionem boni; Christi morte peccatum quidem abolitum & mors extincta est, & omnes sumus in ipso mortui: sed resurrectione iustitia ad vitam, & vita ipsius, nobis viuentibus est in ipso impetrata: adeo vt quemadmodum ira Patris in morte filij sui se prodidit, ita ipsius beneuolentia in resurrectione ipsius conspicua facta est, quum apertè declarat se iudicis partes deponere velle, nósque in filio suo intueri, qui nostra peccata in corpore suo tulit, iustitiámque indebitam nobis vt nudis contulit. Atque hic fructus resurrectionis, provt eum in Christo obtinemus; tanquam fons est omnium deinde bonorum, quae in toto salutis curriculo consequimur, Patre nos sibi in Christo acceptos habente, & nobis de plenitudine ipsius haurientibus, qui resurrectio atque vita nostra esse dicitur, *Ioann.* 11. 25.

11. Ex hoc fonte duo maximè *beneficia* in singulos fideles dispensantur, in quibus tota ipsorum cum capite suo συμμόρφωσις est constituta. I. Secundum Spiritum, quod idem ille Spiritus qui Christum viuificauit, eandem vitam in nobis singulis qui credimus operatur, vt ita paulatim peccato mori incipiamus & virtute ipsius in vitae nouitatem suscitati, non amplius ipsi nobis, sed ipse in nobis viuat: quae resurrectio nostra spiritualis est, secundum quam verus in nobis homo paulatim moritur ac tandem interit, nouus autem resurgit, & ad perfectionem suam feliciter assurgit in Christo Iesu. II. secundum corpus, quod à priore illo quasi trahitur (provt mors animae secum trahit mortem corporis) nempe quòd idem ille Spiritus, qui caput viuificauit, membra etiam conformia capiti suo reddet, & corpora nostra, vbi in cinerem versa & ab omni inhaerente labe quasi expurgata fuerint, rursum animabus suis advnabit, integrósque nos vita illa aeterna donabit, quam & ipse iam habet, & nos spe certa in illo repositam nobis credimus, & fide certa in illo iam obtinemus, in quo supra quam victores sumus, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi, atque huius rei testis nobis est, non tantùm Christi capitis nostri resurrectio, sed etiam multorum sanctorum, fratrum nostrorum, qui post Christum è sepulchris exiuerunt. *Matth.* 27. 12.

12. Huius autem resurrectionis virtus non ad omnes pertingit, qui resurgent in nouissimo mundi, (quum illis nihil commune sit cum Christo, qui sunt extra Christum, & impios ad vocem Christi, licet non in Christo, resurrecturos S. Scriptura nos doceat, *Ioann.* 5. 28.) sed ad eos tantùm qui palmites illius salutaris vitis sunt per vinculum Spiritus, succúmque vitae spiritualis per veram & viuam fidem ex illo hauriunt. Atque haec causa est cur soli fideles filij resurrectionis appellantur, *Luc.* 20. 36. cùm vita illa impiorum, mors potius aeterna, quàm vita appelletur: soli autem fideles vnum

vnum cum ipso sint, & omnia in illo possideant, à quo 1. quidem redimimur. 2. iustificamur. 3. sanctificamur. 4. tandem verò animis intus fide purgatis, corpore verò peccati putrefacto, potentiá Christi in vitam illam beatam resurgimus, quâ donet nos benignus ille Pater. Amen.

XXXI. DE VOCATIONE HOMINUM AD SALUTEM.

Thesis I.

Cvm Deus, naturae ipsius luce, credatur author esse & principium omnis boni, praesertim verò salutis illius sit aeternae author, quae nobis per Christum parta est & in coelis conseruata: profecto quo iure (f. 1679.) praedestinatio sanctorum ei tribuitur, eodem quoque iure vocatio ferenda est eidem accepta; provt dicit Apostolus, quod praedestinauit eos & vocauit. *Roman.* 8.

2. Est autem *vocatio* haec actio gratiosa Dei in Christo Iesu, qua certos homines pro bona voluntate sua vocat foris communiter, aut intus singulariter ad conscientiam & communionem adoptionis vitaeque aeternae in coelis ad gloriae suae declarationem.

3. *Genus* est actio, non quidem naturalis, sed voluntaria atque gratiosa Dei in Christo Iesu, vt in quo omnes sunt thesauri gratiae reconditi. Atque hoc pacto excluditur vocatio vniuersalis, qua secundum naturam etiam in hac corruptione nostra homo vocatur ad conscientiam & studium salutis suae, tum vniuersalibus naturae documentis (nam coeli enarrant gloriam Dei. *Psal.* 19.) tum singularibus principiis & notionibus communibus intellectui nostro à natura inditis.

4. *Differentia* per caussas exponitur. Prima est *efficiens*, nimirum gratia Dei in Christo Iesu vocantis nos ad se pro bona voluntate sua, quoscumque, aut prouidentia visum est ad conscientiam, aut praedestinatione vocare ad communionem & fructum vitae aeternae in coelis.

5. Secunda, *materialis* est; quòd homines non vniuersos & singulos hac vocatione vocat, provt naturae documentis quamuis corruptae, & nationum praeceptionúmque communium, id est principiorum ingeneratione facit, sed tantum certos ipsi homines ab aeterno, quamvis nobis non peraequè certos, vocat pro instituto sapientissimae prouidentiae, aut gratiosae praedestinationis suae.

6. Tertia, *formalis*, in relatione siue applicatione gratiosae actionis illius posita est: qua vocat homines ex mundo in coelum ex natura in supernaturalem gratiam, siue foris communiter, siue intus singulariter ad conscientiam & communionem adoptionis salutaris vitaeqùe aeternae in coelis. Est itáque haec forma duplex: vna communis, & particularis ac singularis altera.

7. Communis vocatio est, qua Deus commune humani generis vocat foris verbo, sacramentis, & communi Ecclesiae piorúmque membrorum illius ministerio secundum communem & publicum vocandi modum, iubétque conuerti à tenebris ad lucem, & à potentia Satanae ad se (vt Paulus loquitur *Act.* 26.) ex placito prouidentiae suae.

8. Singularis vocatio est, qua Deus commune electorum suorum, eorúmque singulos vocat intus, non solùm verbo, sacramentis, & singulari Ecclesiae piorúmque membrorum illius ministerio, verum & testificatione interna, & alloquutione Spiritus Sanctificationis in mentibus ipsorum, docetque & dat eis conuerti à tenebris ad lucem,

lucem, & à potentia Satanae ad ipsum ex beneplacito suae praedestinationis in Christo Iesu.

9. Haec eadem vocatio non malè particularis appellatur, velut communi opposita, quia Deus per vocationem hanc internam de communi hominum siue mundi particulam quandam seu corpus particulare excipit, secundùm electionem gratiae; quemadmodum aiebat Christus, *Matth.* 20. & 22. Multi vocati, pauci electi, id est donati vocatione singulari secundum electionem áeternam & singularem ipsius.

10. Differunt haec duo vocationum genera, quod haec à gratia singulari est, illa communi gratia: haec piorum, electorum puta, illa multorum est, hominum puta promiscuè: haec internam efficacitatem Spiritus Sanctificationis: Illa externam aut communem, aut certè non vsque adeo agentem habet in audientibus, vt sanctificationem salutarem ex ea consequantur: haec metae, salutis, & perfectionis est: illa inchoationis, & praeuia salutis solùm: denique haec vocatio est Ecclesiae, quà inuisibilis viuens intus in corpore Christi de Spiritu Christi, illa Ecclesiae communiter, quâ est visibilis, habens in corpore Christi etiam membra adnascentia, & non viuentia de Spiritu Christi.

11. Finis est vtríque vocationi duplex: proximus & summus: *Proximus* communis vocationis est electis conscientiam affici, & sensum indi efficaciter mali ipsorum, & vsum tradi ipsis diuinae gratiae erga ipsos salutaris, aliis verò, mali ipsorum (vt qui non credunt voluntati eius, sed resistunt Spiritui gratiae) sensum indi & conscientiam, qua euincantur iustissimae iustitiae Dei. *Sum*(f. 1680)*mus*, declarari gloriam Dei in nobis gratiosam, & misericordem, in aliis iustam, in omnibus sapientissimam ac potentissimam.

12. Quatuor sunt itáque vocationis genera, quae secundum modos ipsius ex antecedentibus distingui possunt. *Primum* est aequiuocè dictum, vocationis vniuersalis, qua Deus secundum naturam omneis & singulos homines ad salutem vocat vniuersè. *Secundum*, vocationis communis, qua vocat homines communiter, licet non singulos, testimoniis & documentis externis gratiae. *Tertium*, vocationis particularis, qua de communi hominum inuitatorum numero corpus electorum vocat particulariter, testimoniis & documentis etiam internis gratiae efficaciter per Spiritum. *Quartum* denique vocationis singularis, qua singula corporis electorum & catholicae illius Ecclesiae membra ad singularem sensum particularis vocationis illius, & singularis suae ipsorum adducuntur gratia Dei Patris in Christo per Spiritum S.

XXXII. DE VOCATIONE HOMINUM AD SALUTEM.

Thesis I.

Primvs actionum Dei in praedestinationis executione, gratiaeque illius manifestatione, gradus & modus est *Vocatio:* dicta idcirco ab Augustino ingressus ad salutem, & primus ad fidem aditus. *Lib.* 1. *ad Simpl.* q. 2.

2. Vocationem autem intelligimus non vniuersalem illam, quam vulgo naturalem, aut politicam, quam personalem vocant: sed eam quae ex ordine graduum ad salutem initium est reuelationis gratiae diuinae ordinariè in nobis, siue externè reuelatio tantum fiat

fiat inefficaciter, siue tum internè tum externè efficaciter ad salutem. Priore modo, multi dicuntur vocati, posteriore pauci electi. *Matth.* 21. 16.

3. Vocatio enim haec gratiosa ad salutem distinguitur, provt ab effectu in efficacem & inefficacem, ita modo vocandi in externam & internam, seu in communem & singularem. Quae licet in ordinaria vocatione ad salutem subordinatae sunt, pro diuerso tamen respectu & subiectorum varia ratione differunt, provt ex subsequente causarum comparatione patebit.

4. Nam vocationis externae (vt de illa priore loco agamus) *causa efficiens* est φιλανθρωπία Dei, seu propensa ex se ad hominibus benefaciendum voluntas, quo respectu animarum amans & Saluator hominum in scriptura appellatur. 1. *Tim.* 4. 6.

5. *Materia*, seu Subiectum, sunt omnes homines, ad quos pertingit praedicatio verbi Dei, & participatio Sacramentorum, per Ecclesiae ministerium, absque discrimine nationum, sexuum & statuum.

6. *Forma*, est externa illa verbi praedicatio, Sacramentorum administratio, Ecclesiae membrorúmque illius in se & inter se communio, quae omnia ex parte Dei gratiosè offeruntur, ex hominis parte sensibus percipiuntur externis, non tamen ἁπλῶς sufficienter & efficienter ad salutem.

7. *Finis* remotus, est gratiae illius diuinae manifestatio. Proximus, vt vel reprobi reddantur ἀναπολόγητοι, vel vt electi per gradus à Deo destinatos adducantur ad finem suum, id est, salutem aeternam.

8. *Vocationis* verò *internae*, efficacis & salutaris (quam tamen à priore in electis non separamus, nec vnquam in ordinariâ ad salutem viâ & ratione separari posse affirmamus) *causa efficiens* est, εὐδοκία illa Dei in Christo Iesu, seu gratia Dei singularis propter Christum. Duo enim haec in hac efficiente causa concurrunt, Dei beneplacitum tanquam causa προηγουμένη, vnde & ab Apostolo dicitur vocatio secundum propositum Dei: & Christi λύτρον, tanquam causa meritoria.

9. *Materia*, seu subiectum huius vocationis, sunt soli praedestinati & electi; ad communionem gratiae & gloriae (f. 1681) ab aeterno, & in tempore ad vtriusque communionem efficaciter vocati.

10. *Forma*, praeter verbi praedicationem, Sacramentorum administrationem, Ecclesiae communionem, est actio illa efficax Spiritus Dei in nobis, & secundùm illam, tota hominis renouatio, quae vulgo regeneratio in Scripturis dicitur. Finis remotus, gloria Dei vocantis: proximus, salus hominis vocati.

11. Est ergo *vocatio ad salutem*, actio efficax & gratiosa Spiritus Sancti obsignantis in electis verae fidei instrumento, verbi praedicationem, vsum Sacramentorum, Christi Ecclesiaeque illius communionem, ad salutem illorum, & aeternam Dei gloriam.

12. Ex qua definitione & causarum enumeratione, tria πορίσματα tanquam *consectaria* concluduntur. 1. Vocationem efficacem, prout gratuitam, ita & ἀμεταμέλητον esse, cuius Deum non poeniteat. 2. Non omnes internè à Deo vocari qui externè mouentur, licet internae illius vocationis sensum prae se ferre aliquando videantur. Nam idcirco effectum vocationis illorum, gustus duntaxat; internae verò, verbi cum fide συγκρασις in S. Scriptura (*Hebr.* 4. & 6.) nominatur. 3. Vocationem hanc esse doni, non meriti, gratiae non naturae, ideo Deum gratiosè vocare quos vult, iustè quos vult, non vocare, aut non vocare efficaciter; vtrumque verò liberè, absque προσωποληψίᾳ aut culpa.

XXXIII. DE

XXXIII. DE FIDE IVSTIFICANTE.

Quandoquidem hactenus de humiliatione & exaltatione, de merito Christ, & beneficiis erga nos dictum est; ordinis & salutis nostrae ratio postulati vt de fide qua Christum cum omnibus ipsius beneficiis apprehendimus, agamus.

Thesis I.

1. Qvvm vox fidei ὁμωνύμως accipiatur in Sacris literis, antequam de ea dicamus, oportet à nobis tolli homonymiam. Duplicem enim fidem nobis Scriptura S. proponit: vnam firmam & perpetuam, quam iustificantem; alteram infirmam & temporariam, quam non iustificantem vocant. De priore nos hîc agimus, quae sola propriè & verè fides appellari potest (nam temporaria & mortua illa fides reuera non est fides) eáque vel est adultorum, vel est infantum.

2. *Fides* adultorum non tantùm notitia est & assensus doctrinae nobis per Prophetas & Apostolos traditae: sed etiam certa firmáque fiducia & apprehensio, quae gratuitae in Christo promissionis veritate fundata, per Spiritum Sanctum reuelatur in mentibus nostris, & in cordibus obsignatur.

3. Fidem non nudam tantùm notitiam; sed & fiduciam esse certam, ipsum vocabuli ἔτυμον ostendit. Deriuatur enim hinc (teste Cicerone, lib. 1. Offic. & lib. 4. de Republ. apud Non.) quasi *fiat quod dictum est.* Hebraeis non dissimili ratione dicitur *Æmunah*, ab *Aman*, quod significat firmatum esse. Graecis πίςις & πεποίθησις: eo quod persuasum habeamus id quod credimus.

4. *Subiectum*, seu materia in qua, huius fidei est mens, voluntas, & cor hominis, in quibus sita est, non solùm acquiescentia: sed & summa illa laetitia, ex certa persuasione & πληροφορίᾳ promanans. Nam Spiritus Sanctus & mentem illustrat, vt intelligat verbum, & voluntatem mouet, vt verbo intellecto assentiatur, & vtrunque confirmat, vt cor in eo firmiter acquiescat.

5. *Forma* est agnoscens Christi apprehensio cum omnibus beneficiis ad salutem necessariis, & singularis applicatio gratuitae remissionis peccatorum in ipso.

6. *Caussa efficiens* prima & principalis est Spiritus Sanctus, 1. *Corinth.* 12. 9. 2. *Corinth.* 4. 6. *Galat.* 5. 22. *Ephes.* 2. 8. qui eam actione speciali in omnibus & solis electis, supra naturae ordinem gignit, perpetuò alit & fouet. *Matth.* 13. 11. 12. *Ioann.* 10. 26. *Act.* 13. 48. *Rom.* 8. 30. 2. *Thessal.* 3. 2. Proprium verò & ordinarium organum, quo ad fidem hanc in nobis gignendam, alendámque vtitur, est praedicatum Euangelium, *Rom.* 1. 16. *&* 10. 12. 1. *Corinth.* 4. 15. *&* 15. 2. & vsus Sacramentorum: nam per haec operatur Spiritus Sanctus, & (f. 1682) absque his ordinariè nunquam generat in adultis fidem iustificantem.

7. *Obiectum*, seu materia circa quam, *in genere* est totum verbum Dei per Prophetas & Apostolos declaratum: nec magis ab eo fides diuelli potest, quam radij à Sole vnde oriuntur; vt non immeritò fons & basis fidei esse dicatur: vnde si declinat corruit. Rursus obiectum fidei *in specie* est bonitas, misericordia, & promissio Dei, in Christo Mediatore & Domino nostro fundata, & in Euangelio nobis proposita. *Rom.* 4. 16. Obiectum verò hoc, tum in genere, tum in specie, nobis proponit id quod non videtur: est enim fides eorum quae non videntur, *Hebr.* 11. 1.

8. *Finis* duplex est: *primus* est gloria Dei, quae in eo consistit, vt aestimationem

Deo

Deo dignam concipiamus: *proximus* verùm est salus nostra, quae sine hac comparari non potest. Necesse enim est, vt quicunque saluari volunt, prius obtineant testimonium, quòd placuerint Deo: cùm autem fieri non possit (vt inquit Apostolus, *Heb.* 11. 6.) vt sine fide quisquam ei placeat, rectè concludimus, non minus singulos vitam aeternam sperantes, fide opus habere, quàm fructum viua radice arboris.

9. *Effecta* denique fidei, quae continentur ab ea, sunt, Regeneratio, & Sanctificatio, *Act.* 13. 39. *Rom.* 3. 28. & 10. 10. per consequens Pax cum Deo, *Esai.* 32. 17. *Rom.* 5. 1. Hanc fidem nos habere scimus, I. ex testimonio Spiritus S. *Rom.* 8. 15. 16. 26. *Gal.* 4. 6. 2. *Tim.* 1. 12. 1. *Ioann.* 5. 10. II. ex lucta fidei cum dubitatione: ea námque est fidei nostrae natura, vt semper cum dubitatione aliqua certet. Exemplum habemus in Dauide, quem non semper pacato fuisse animo, innumerae ipsius Prophetae quaerimoniae satis ostendunt, *Psalm.* 27. 14. & 31. 23. & 42. 6. & 43. 5. & 77. 10. & 116. 7. III. ex effectis & fructibus fidei, *Gal.* 5. 24. quae effecta tamen non informant ipsam fidem, vt ineptissimè somniant Sophistae, sed sunt fidei τεκμήρια.

10. *Adiunctum*, & indiuidua fidei comes, est spes, *Hebr.* 11. 1. quae nihil aliud est, quàm constans expectatio plenae fruitionis eorum, quae verè à Deo promissa fides credidit. Conueniunt in eo quòd vtraque feratur in res aeternas promissas nobis à Deo salutares. In eo autem differunt, quòd fides apprehendat & praesentia, spes autem futura. Fides ergo fundamentum est cui spes incumbit; Spes fulcrum, quo alitur ac sustinetur fides.

11. Caeterum haec praeterea obseruanda *cognata* sunt: I. Quòd fides, quam in omnibus electis necessariò requiri diximus, vna sit, *Ephes.* 4. 5. non multiplex (specie scilicet, non numero, *Habac.* 2. 4. *Matth.* 9. 22. aut gradu *Matth.* 6. 30. & 8. 10. & 13. 23. & 14. 31. & 15. 28. *Rom.* 4. 20. & 14. 1. 2. *Cor.* 10. 13.) quam propterea ἰσότιμον appellauit Apostolus, 2. *Petr.* 1. 1. II. Quòd fides, etiam summa in hac vita semper sit imperfecta, & tamen vera; quandiu enim hic sumus, ex parte tantùm cognoscimus, 1. *Cor.* 13. 12. tantam tamen in suis electus generat Deus, quanta ad obtinendam victoriam opus habent. Voce autem imperfectionis non intelligimus figmentum Scholasticorum de fide implicita vt loquuntur. Nam fidem habere dici non potest, qui implicitè credit quod non intelligit: non enim in ignoratione, sed in explicita cognitione, non Dei modò, sed & diuinae bonitatis & misericordiae sita est fides. III. Obseruandum est quòd haec fides, licet infirma, semper tamen coniuncta sit cum dono perseuerantiae finalis, quae est perpetua fidei possessio, quia dona Dei sunt ἀμεταμέλητα, *Rom.* 11. 29.

12. Haec de fide adultorum. Eandem verò secundum semen (vt vocat Ioannes, *epist.* 1. *cap.* 3. *v.* 9.) seu principium habitus etiam in electis infantibus esse statuimus. Certum enim est piorum infantibus & electis foedus competere; *Act.* 2. 39. & 3. 25. & regnum caelorum promissum esse; *Matth.* 19. 14. proinde eos renatos esse: nam solis renatis in vitam caelestem ingressus patet: *Ioan.* 3. 3. & habere fidem, sine qua nemo Deo placere potest: *Hebr.* 11. 6. Quo referre nonnulli voluerunt illud Christi dictum, *Matth.* 18. 6. Quisquis offenderit aliquem ex paruis istis qui in me credunt, praestiterit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, ac demergatur in profundo maris. Est autem haec fides habitus (vt ita dicamus) seminalis absque ministerio verbi in infantibus, accensus immediatè à Spiritu Sancto ex promissionis gratiosae verbo, qui pro ipsorum captu & modulo nouos motus & nouas inclinationes paulatim in ipsis excitans fidem illam adultorum profert, vt Deo viuant & seruiant Spiritu (f. 1683).

XXXIV. DE RESIPISCENTIA.

Quanquam Resipiscentia significet primam conuersionem ab operibus mortuis, & ad vocationis beneficium pertineat, cóque remissionem peccatorum, quà etiam actum applicationis nostrae comprehendit, praecedat: (nam Deus actu nemini remittit peccata nisi de iis dolenti) quia tamen vitae quoque mutatio & sanctificatio naturae nostrae corruptae significatur eadem voce, potest quoque ad beneficium glorificationis inchoatae referri. Atque haec causa est cur doctrinae de Remissione peccatorum, haec de Resipiscentia *subiungatur. Nos, hac disputatione, de* Resipiscentia *in vtraque significatione agemus.*

THESIS I.

RESIPISCENTIA Hebraicè dicitur S*chuba*, quae propriè conuersionem mentis significat. huic respondet vox Graeca, μετάνοια, & Latina *conuersio.* Altera vox *Nicham* externum dolorem significat: Graecè μεταμέλεια. i. sollicitudo post factum, Latinis *paenitentia* vocatur. Hanc vocem Pontificij mordicus retinent (*Bellarm. de poen. lib.* 1. *cap.* 7.) quia cùm tantùm afflictionem externam significet, facit pro stabilienda ipsorum sententia, qua *actum exteriorem*, *qui est inter poenitentem & absoluentem*, Sacramentum esse dicunt: *Durand. lib.* 4. *dist.* 4. *quaest.* 1. ideo meritò à multis, vt incommodior reiicitur. *Valla in* 2. *Cor. cap.* 7. *Erasm. in annot. ad* 3. *cap. Matth. Beza ibid.* Differunt μετάνοια & μεταμέλεια, quòd illa sit mentis, haec cordis: illa praesupponat dolorem cordis, haec non praesupponat: μεταμέλεια sit etiam impiorum, *Matth.* 27. 3. μετάνοια tantùm piorum. Sunt qui regenerationem & resipiscentiam synonyma putant: nobis non ita videtur: nam Resipiscentia pertinet ad vocationem, regeneratio ad glorificationem. Illa remissionem peccatorum antecedit: *Luc.* 3. 3. haec sequitur. Resipiscentiae *termini* sunt duo facta; peccatum commissum & bonum faciendum. Regenerationis termini sunt duae qualitates, nempe inhaerens corruptio, & sanctitas quae introducitur. Et si autem Resipiscentia habeat mutationem aliquam animi, tamen illa tantùm praeparatio est ad regenerationem: in regeneratione mutatio est perfectior. Quanquam ergo tempore simul sint, efficax Vocatio, Resipiscentia, Iustificatio, Regeneratio, distinguendae tamen sunt naturae ordine.

2. Definitur autem sic. *Resipiscentia* est mutatio quaedam mentis & animi, à malo in bonum, ex dolore secundum Deum profecta. Ab aliis definitur per odium peccati & amorem iustitiae. Si pro Regeneratione ponitur, nimis angusta erit haec definitio: quanquam enim in his affectibus μετάνοια se maximè prodat, tamen comprehendit quoque perfectiorem totius mentis & omnium facultatum eius mutationem. Commodè itaque definietur hoc modo: *Resipiscientia* est dolor post peccatum perpetratum, propter offensum Deum, & ex dolore mutatio totius animi à malo in bonum.

3. *Causa* efficiens principalis est Spiritus, siue gratia. *Ezec.* 36. 25. 26. *&c.* 2. *Tim.* 2. 25. Instrumentalis, facultates animi nostri: *Ier.* 31. 19. non quales sunt naturâ sed per Spiritum sanctificatae. Errant itaque qui huic gratiae substituunt libertatem arbitrij & Naturae vires excitatas per naturam praeuenientem: gratiam verò statuunt tantùm adiutricem & cooperatricem, ad excitandum voluntatem, quò vires suas expediat, quae vbi infirmiores sunt adiuuentur à Spiritu Sancto. *Ephes.* 2. 1.

Col. 2. 13. Nos hanc συνέργειαν operationum Spiritus S. & operationum liberi arbitrij non agnoscimus. *Instrumentalis* externa, doctrina legis excitans agnitionem peccati, concio Euangelij ex qua fiducia de remissione peccatorum. Iterum lex tamquam regula vitae. Interna, fides, ex qua dilectio, vnde existit conuersio. Adiuuantes, crux, tum nobis, tum aliis immissa: item beneficia & poenae.

4. *Materia circa quam*, est prauitas nobis inhaerens, tum originalis, tum actualis ex illo fomite orta. Materia *in qua* Resipiscentiae amor peccati & odium iustitiae quae mutantur in amorem iustitiae & odium peccati. Pro rege(f. 1684.)neratione si accipiatur, subiectum sunt intellectus voluntas & omnes affectus hominis. *Ex qua* est Spiritus S. operans mortificationem virtute mortis Christi; Viuificationem, virtute resurrectionis. *Rom.* 4. 25. & 6. 4. Materiam *Sacramentalem* poenitentiae quidam ex Pontificiis dicunt esse peccata, alij peccatorem confitentem, alij actus poenitentiae; alij contritionem, confessionem & satisfactionem. Sed quia contritio non est visibilis, & satisfactio sequitur susceptionem illius Sacramenti, ideo solam confessionem quidam pro materia ponunt. Concilium Tridentinum sess. 4. c. 3. *Actum poenitentiae* dicit esse materiam sacram, *vel quasi materiam*. Haec est firmitas illorum Canonum.

5. *Forma* Resipiscentiae est inchoata mutatio affectuum carnis in affectus spirituales. Regenerationis autem, innouatio plenior intellectus, voluntatis & cordis. Forma *externa* sunt ritus quidam externi, qui interdum veram poenitentiam arguunt, sed non semper. In vetere Ecclesia habitus poenitentium erant, pulla vestis, cilicium, caput detonsum: excipiebantur tamen foeminae. *Tertull. lib. de poenit. Optat. lib.* 2. *prope finem. Gregor. Nazianz. in epist Canon.* Loci vbi poenitentes consistebant erant varij. I. Primus locus qui erat extra portas Ecclesiae πρόσκλαυσις dicitur, à fletu eorum qui ibi consistebant. II. Intra portas, vt audire verbum Dei possent ἀκρόασις dictus est III. ὑπόπτωσις, q. d. substratio: nam qui ibi consistebant orantes, spectabant solùm de longinquo communionem, sed non admittebantur ad eam. IV. σύστασις, quia de propinquo astabant sacrificio fidelium, licet ipsi non communicarent. V. μέθεξις, q. d. participatio, erat eorum qui poenitentiam expleuerant, & solenniter reconciliabantur, *Innoc.* 1. *in epist. ad Decen. Eugub. Episcop. c.* 7. Omnibus autem, ne iis quidem exceptis, quibus poenitentiae ad multos annos erant impositae pax dabatur feria quinta Maioris hebdomadae. Poenae erant variae. *Cypr. lib.* 3. *epist.* 8. abstinere à participatione diuinorum mysteriorum: *Innoc. in epist. ad Decen.* carere vnctione infirmorum. capita submittere sacerdotibus diebus ieiuniorum, vt iis manus imponerentur. Die paschali, cùm fideles stantes orabant, genua flectere inter preces. *Concil. Carthag.* 4. *can.* 80 & 82. Forma *sacramenti* Poenitentiae, quibusdam videntur esse verba absolutionis. Sed cùm absolutioni non sint certa verba à Christo praescripta, alij ipsos actus sacerdotis absoluentis formam esse putant.

6. *Finis* praecipuus & vltimus, gloria Dei, quae plurimùm illustratur, si populus ipsi sanctificatus & peculiaris sit studiosus bonorum operum. finis medius, conformatio nostri ad imaginem Dei, secundum quam creati sumus: *Ephes.* 4. 24. Minus principalis, conuersio aliorum: *Luc.* 22. 32. finis poenitentiae publicae, vt sit medium quo satisfiat Ecclesiae, in qua peccata remittuntur, vt optimè loquitur *Cassander in Consult. art.* 11. & metus incutiatur peccantibus; 1. *Tim.* 5. 20.

7. *Partes* sunt duae, odium peccati seu auersio à malo, & amor iustitiae, seu conuersio ad bonum: 2. *Cor.* 7. 11. Sub odio comprehenditur dolor, idq. duplex. *Prior* est propter poenam, & horror potius dicendus est, cùm sit ex Spiritu seruitutis: *Rom.* 8. 15. Hic dolor oritur ex Lege, quae primo parit cognitionem peccati: *Rom.* 3. 20. quam sequitur specialis notitia facti nostri, & mortis insequentis. ex vtroque oritur stimulus conscientiae: primò propter mortem nostram, deinde propter peccatum,

tum, quà mortem operatur & poenam. Quemadmodum enim dedolentia est ex ignoratione, *Ephes.* 4. 19. sic dolor est ex cognitione. Sed hic dolor nisi coniungatur cum Spiritu adoptionis, operatur mortem, & dolor mundi rectè dicitur; 2. *Cor.* 7. 10. fatente Bellarmino, lib. 1. de poenit. c. 19. *Secundus* dolor propter offensum Deum per peccata dilatat guttur nostrum, & est ex Spiritu adoptionis: *Rom.* 8. 15. Gignitur autem ex praedicatione Euangelij, excitantis in nobis cognitionem gratiae Dei in Christo, & fiduciam quòd ea ad nos pertineat, ex qua rursus oritur dolor ob offensum Deum. Sunt itaq. haec duo simul: laetitia ineffabilis, 1. *Petr.* 1. 8. & suspiria, *Rom.* 8. 23. Posterior ille propriè pars est resipiscentiae, efficiens mutationem illam consilij mentis, voluntatis, & cordis. Vulgo has partes vocant Mortificationem veteris hominis & viuificationem noui. Sed hae sunt partes Regenerationis, quae versatur inter duas qualitates, terminum à quo, habens naturae corruptionem; terminum ad quem, sanctitatem: Resipiscentia autem versatur inter duo facta, praeteritum & futurum.

8. *Effectus*, Nouitas vitae & omnia officia pietatis erga Deum & charitatis erga proximum. *Matt.* 3. 9. *Act.* 26. 20. Effectus hi sunt duorum generum, quosdam operatur Deus communiter in electis & reprobis, vt videant quàm stultè egerint. Talis effectus est dolor ob peccati (f. 1685.) conscientiam. quosdam verò singulariter in electis, odium nempe peccati quà peccatum. foris itaq. vtrique habent multos effectus communes: sed differunt inter se, quantitate seu modo, & applicatione. Quantitate, quia piis communicatur fons ipse & radix & causa formalis; reliquis riuuli tantùm, sed citra fontem. Applicatione, quia piis haec beneficia insident & percipiuntur corde: à reliquis tantùm primoribus labris aut aliquatenus degustantur.

9. Pontificij tres partes Poenitentiae statuunt, contritionem cordis, confessionem oris, satisfactionem operis. *Lombard. lib.* 4. *dist.* 16. Has partes ponunt etiam quidam ex nostris, *Confess. Virtemberg. art.* 12. *Perkius. in Cathol. reform. contr.* 21. sed longè alio quàm Papistae sensu. *Contritionem* admittimus: nouimus. n. Deum non infundere oleum misericordiae nisi in vas contritum: *Esa.* 66. 2. sed volumus abesse omnem opinionem meriti: solius enim Christi contritione peccata nostra expiata sunt. nam est in *glossa de Poenit. dist.* 1. *c.* 1. Si subtiliter intueamur, gratiae Dei, non contritioni, attribuenda est peccatorum remissio. Bellarminus, *de poenit. lib.* 2. *cap.* 12. contritionem dicit esse causam remissionis peccatorum, quicquid sit de vocabulo meriti. Sic ille tacitè improbat sententiam quorundam Scholasticorum (*Bonauenturae in* 2. *sent. dist.* 28. *art.* 2. 9. 3. *Scoti*, *Durandi*, *Vegae*) in contritione meritum de congruo statuentium, quod tamen negant alij *Capreol.* 2. *Sent. dist.* 4. *Dominic. à Soto lib.* 2. *de Nat. & grat. c.* 4.) qui tantùm dispositionem ad remissionem peccatorum contritioni tribuunt. Idem agnoscit, *de poenit. lib.* 1. *c.* 19. virtutem poenitentiae, cùm sit habitus, partes non habere, ac contritionis signa seu effectus esse confessionem & satisfactionem; quae ad contritionem referuntur, non vt partes ad partem, sed vt effectus ad causam: partes verò dici, quia isti tres actus ex parte poenitentis necessarij sunt, & ex virtute poenitentiae, licet non aequae, immediatè & principaliter oriuntur. Fatetur quoque, *de poenit. lib.* 2. *c.* 1. contritionem inde spe remissionis peccatorum esse non posse. Sed post dicit, *cap.* 2. posse esse sine certa fide remissionis peccatorum. Hinc est quod nostri, quando Concilium Tridentinum meminit in contritione fiduciae de diuina misericordia, intelligunt Concilium loqui de fiducia remissionis peccatorum non propter Christi meritum, sed propter motus & actus nostros, eósq. externos: nam cùm materiam Sacramenti oporteat externam esse & sensibilem, manifestum est aduersarios non contritionem interiorem, nec confessionem quae Deo fit, nec internum emendationis propositum partes poenitentiae facere, sed actus externos. Volumus praeterea abesse

omnem

omnem opinionem perfectionis, quasi contritio, vt sit sufficiens, charitate, Deum super omnia diligente, formata esse debeat: aut vt Bellarminus loquitur *lib.* 2. *de poen. cap.* 11. summa esse appretiatiuè, cùm nequeat esse summa intensiuè. Nam per has sententias desperationi aperitur ianua.

10. *Confessio* quoq. à nobis non reijcitur; quamuis signum non pars resipiscentiae à nobis esse statuatur. Quadruplex autem Confessio enumeratur. I. Coram Deo priuatim. 2. Publica coram Ecclesia. 3. Confessio fraterna ad proximum offensum placandum: sub qua continetur quoq. illa, qua cùm Ecclesiam laesimus, eam rursus culpae agnitione placamus. 4. Còram ministro Ecclesiae aut alio in lege edocto; sed haec facienda est absque opinione necessitatis, cùm animus peccatoris tentationibus perplexis oppressus est. Quod verò confessionem auricularem attinet, qua Bellarm. *lib.* 3. *de poenit. cap.* 13. agnoscit nihil esse molestius & onerosius; & *Cassander in Consult. art.* 11. fatetur in multis conscientiae carnificinam gignere, eóq. à nemine moderato approbari; nos eam reijcimus, quia ore tacente veniam consequi possumus: *de poenit. dist.* 1. tum quia Ecclesia ad annum vsq. 1200. & Concilium Lateranense Libera fuit à Papalis confessionis iugo, cuius Bellarminus ex antiquitate non potuit inuenire idoneum testimonium: dicit tamen (*lib.* 3. *de poenit. cap.* 12. & 13.) neque à Concilio, neq. à Papa esse institutam, & se credere tutò appellari posse mendacium, quod docemus, nondum 300. annos esse, ex quo confitendi necessitas sit introducta. Ille credit; nos non credimus illi, sed Gratiano, qui postquam Patrum sententias de Confessione in vtramque partem attulisset, addit, *Can. Quamuis*, *de Poenit. dist.* 1. cui autem potius adhaerendum sit, Lectoris iudicio reseruatur: vtraque enim fautores habet religiosos & sapientes viros. Et *Glossa ibid* statuit, Melius dici confessionem institutam fuisse à quadam vni(f. 1686)uersalis Ecclesiae traditione, potius quàm ex Noui vel Veteris Testamenti authoritate. Alit praeterea Papistica confessio dubitationem de salute: nemo enim scire potest, an satis diligenter se excusserit: fieri quippe potest, vt in actu discutiendi ita se habeat aliquis ac si parui faceret integritatem confessionis (h. e. negligenter se discutiat) quod cùm fit, dimidiabitur ex Bellarmini sententia (*lib.* 3. *de poenit. c.* 16.) confessio formaliter, ideóq. nulla erit remissio. fouet quoq. opinionem meriti, cùm tamen in iure Canonico sit, *De Poenit dist* 1. *c. Omnis qui* confessionem fieri, ad ostensionem poenitentiae, non ad impetrationem veniae; in signum veniae aceeptae, non in causam remissionis accipiendae.

11. Satisfactionum quoque in vetere Ecclesia vsum non improbamus, quibus non Deo sed Ecclesiae satisfiebat: sed haec nihil ad Pontificiam. Nam quidam docent (*Tupp. artic.* 6. *Louan.*) ante peccatorum remissionem posse hominem satisfacere pro culpa & poena aeterna. Item, *Thom. in* 4. *Sent. dist.* 16. *art.* 1. actum humanum per quandam compensationem tollere offensam culpae praecedentis. At Bellarminus *lib.* 1. *de poenit. cap.* 17. agnoscit satisfactionem non esse partem essentialem, sed videri (nota ipsius firmitudinem) esse partem integralem secundariam, fatetur quoque, *lib.* 4. *de poenit cap* 1. ad perfectam aequalitatem non posse Deo satisfieri pro culpa, nisi acceptatio aliqua intercedat: sed postea addit, *cap.* 7. pro poena temporali posse Deo satisfieri ex condigno, aliquo modo ex propriis, & ad aequalitatem. Nec dubitat asserere, *lib.* 4. *de poenit. cap.* 1. Satisfactionem nostram habere aliquam infirmitatem ex parte principij satisfacientis: cùm sit opus Spiritus sancti. Facit hoc Bellarminus, vt saluet communem opinionem, *Caietan in Summula* quòd sicut medicina debet esse proportionata infirmo, infirmitati, & fini; Sic satisfactio peccatori, peccato & fini. Nos contrà cum Cassandro in *Consult. art.* 12. solam passionem & mortem filij Dei dicimus satisfactionem esse pro peccatis nostris,

nostris, quae nobis offertur & applicatur ministerio Euangelij, accipitur autem fide, quae ipsa est donum Dei. Si donum, non potest dici opus nostrum vllo modo, neq. aliquo modo per eam ex propriis satisfacimus: imò Deus, quando eam coronat, suum non nostrum opus coronat, idq. non ordine iustitiae, sed respectu gratiae. Distinctionem, verò illam *Concil. Trident. sess.* 6. *c.* 14. post remissam culpam remanere poenam temporalem, reiicimus. nam *primò* qui temporaliter puniuntur propter peccata, illi quoque in aeternum puniendi sunt: temporales quippe poenae initium sunt aeternarum, quae verò castigationes piis immittuntur post remissum peccatum, poenae dici non debent: aut, si sic vocare libet, non dicentur poenae pro praeteritis peccatis purgandis, sed pro futuris vitandis. *Secundo*, Christus remittit nobis omnia debita, *Matth.* 18. 32. debiti autem nomine non propriè venit culpa, sed obligatio ad satisfaciendum pro culpa. *Tertiò*, vult vt nos condonemus nobis mutuò, ita vt Christus condonauit nobis. Si ergo Deus culpam & non omnem poenam donat, neque nos tenebimur omnem vltionem remittere. *Quartò*, Christus factus est nobis plena redemptio & satisfactio: ergo satisfactum est quoque pro omni poena. *Denique*, quomodo sublata causa, videlicet culpa; poterit manere effectus, hoc est, poena?

12. Negamus poenitentiam esse Sacramentum, siue accipiatur pro sola mentis conuersione atque interna peccati detestatione: quo sensu ipse Bellarminus negat, *de poenit. lib.* 1. *cap.* 8. Poenitentiam esse sacramentum, siue vt habet externa signa coniuncta, moerorem, lachrymas, afflictiones. Etsi enim sunt in ea actus poenitentis, verba sacerdotis absoluentis, non tamen possunt esse signa. Nam neque à Christo instituta sunt, neque naturam signi habent, quod debet non solum esse audibile, sed etiam visibile: vel, vt Durandus ait *in* 4. *sent. dist.* 16. *quæst.* 1. sensibile, neque tantùm ritus, sed elementum externum, vt aqua in baptismo, panis & vinum in Eucharistia. Damnamus quoque Nouatianos, qui Lapsis negant poenitentiam, cùm omnibus possint peccata remitti, iis solùm exceptis, qui toti, id est, intelligentia & voluntate, de tota, id est, doctrina tota & vocatione Dei bonísque oblatis & perceptis absistunt voluntariè, & in totum deficiunt, atque in Deum ipsum malitiâ suâ feruntur; quod est peccatum in Spiritum Sanctum, quod à Deo punitur impoenitentia, ideóque ad hunc locum non pertinet, nam fieri non potest, vt tales renouentur ad resipiscentiam à Deo, *Hebr.* 6. 6. (f. 1687).

XXXV. DE IVSTIFICATIONE MISERI PECCATORIS CORAM DEO.

Thesis I.

Tota deprauatio in Articulo Iustificationis, à duplici caecae rationis axiomate sumpsit originem: primum, legem habere conditionem humanis viribus proportionatam, iuxta barbarum versiculum, *Vltra posse viri non vult Deus vlla requiri:* vnde plausibilis opinio mox gignitur de facili & possibili impletione legis: sic populus dicit Mosi promulganti legem, *Exod.* 19. 8. Cuncta quae locutus est Dominus, faciemus, hoc est, vt de Pelagianis aliquandò Augustinus, *non deest qui faciat*, *sed deest qui imperet.* Alterum, est persuasio meriti & propriae iustitiae ex praestatione legis

legis, quam obtrudunt iudicio Dei, ad reconciliationis & vitae aeternae consequutionem. Ex hisce rationis principiis sequutae sunt conclusiones, quae continent ipsissimos regni Pontificij neruos, quibus gladio Spiritus resecatis, magna inde luxatio in reliquis superstitionis membris consequutura est. Ex propriis igitur fundamentis explicanda veritas, quae est sui & falsi index, vt huius Articuli puritas semoto fuco patefiat.

2. Ex definitione verò nominis, cuius explicatio hic multum praestat, Vocabuli (iustificare) πολυσημία tollenda est. In scriptura non reperitur, alias pro augere in iustitia nouae obedientiae, iam per Spiritum S. infusae. *Apo.* 22. 11. Qui iustus est iustificetur adhuc: quo sensu semper praesupponitur gratuita propter Christum acceptatio, tanquam fundamentum. Interdum modo forensi, cum duplici tamen diuersitate. 1. enim significat accusatum & in iudicio deductum absoluere ab intentato crimine, ne iudicialiter condemnetur, & pronuntiare absolutum. *Esa.* 1. 23. *Exod.* 23. 8. 2. tribuere laudem, testimonium, & praemium iustitiae, quae iustis & innocentibus debentur, 1. *Reg.* 8. 31. Vtrumque significatum vsum habet in illis scripturae locis, in quibus agitur de hoc negotio, idque per modum processus & actus iudicialis, in quo accusatam, conuictam, & aeternae damnationi subiectam peccatoris conscientiam, Deus à lata sententia absoluit, & propter sponsorem in gratiam recipit, adiudicans haereditatem vitae aeternae. Nec vel sono tantum admittendum est Etymon Pontificiorum ex Philosophia petitum, de expulsione peccati inhaerentis per succedentem virtutis infusionem, reclamat enim Apostoli oppositio: *Ro.* 8. 32. nec (hoc sensu admisso) ab ἀντιλογίᾳ vindicaretur dictum sapientis, *Pro.* 17. 15. quia non esset abominatio coram Deo, si iudex iniquus iustificando impium, infunderet ipsi qualitatem iustitiae. In hac autem doctrina quae longè supra omnem rationis conspectum posita est, vocabula, non ex Aristotelis Physica, sed idiotismo Scripturae peculiari petenda sunt, vt ex vocum diuersitate rerum repugnantia appareat.

3. Sicut igitur duplex est promissio iustitiae & salutis, vna in foedere operum, qua agnoscimus Deum esse bonum, sed iis qui legi satisfaciunt: altera in foedere gratiae, cuius conditio extra nos in Christo reperitur: ita duplex est applicatio iustitiae, quae dicitur iustificatio. Prima *legalis*, quae redditur planè nulla, non ex vitio legis cuius promissiones nec sunt incertae nec fallaces, sed propter infirmitatem carnis, *Rom.* 8. 3. *Gal.* 3. 17. Alia *Euangelica* qua Deus hominem sensu peccati expauescentem, *Matt.* 11. 28. & ad gratiam confugientem, sola φιλανθρωπίᾳ, *Tit.* 3. 4. remissis peccatis, iustum, à damnatione liberum, & vitae aeternae haeredem reputat, propter imputationem iustitiae Christi vera fide apprehensam. Breuius Oecumenius *in* 3. *Epi. ad Rom. est absolutio & liberatio à peccatis à quibus lex ipsa absoluere nec voluit nec potuit.* De hac agit praesens institutum.

4. Etsi verò opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa, vt tota salutis series, non minus vni personae quàm alteri in solidum referri debeat, ex ordine tamen causarum patris gratia & misericordia impulsiua προηγουμένη dicitur, cum ratione εὐδοκίας nos praedestinantis in adoptionem filiorum, *Eph.* 1. 4. qua non est superior causa, tum ratione ordinationis filij, vt esset victima & propitiatio. 2. *Ti.* 1. 9. aliorumque mediorum ad perfectionem gratiosi operis redemptionis, tum denique ratione applicationis beneficij nobis à filio parti, idoneos nos reddens ad participationem sortis sanctorum: *Col.* 1. 12. efficiensque vt Christus sit nobis iustitia & perfecta redemptio. 1. *Cor.* 1. 30. Respectu itaque causae efficientis, omne iustitiae fundamentum extra nos in intentione primi Agentis (vt loquitur Thomas *lib.* 1. *c.* 44. *adu. Gent.*) (f. 1688) hoc est in Dei gratiae, ponitur, quae sola remittens peccata, sola pariter iustificat, cúm haec duo aequipollentia faciat Apostolus. *Act.* 13. 38.

5. Vt porrò cognatae sunt vnius vocis significationes, praesertim à causa ad effectum,

tum, ita vocabulum Gratiae modo fauorem Dei erga homines, *Ro.* 3. & tum habet rationem causae: nonnunquam qualitates nouas ex illo diuiti misericordiae fonte fluentes, significat, *Ro.* 12. 16. tum verò vt effectus consideratur: quo sensu à foro iustificationis relegatur, vt nec propter solam inhaerentem nouitatem, nec partim misericordiâ, partim infusis donis iustificemur. Etsi enim non possunt diuelli, cum omnis reconciliatus sit etiam renouatus, possunt tamen & debent distingui, cum tanta sit ἀντιδιαίρεσις gratiae & operum, non solum eorum, quae naturale iudicium rationis sine spiritu producit, sed τῶν ἐν δικαιοσύνῃ, *Tit.* 3. 5. & quae sunt fructus nouae creaturae, *Eph.* 2. 8. vt si iustificatio sit ex gratia, itaq; non ex operibus. *Ro.* 11. 6. eadem insuper est gratia qua sit iustificatio & electio ad ipsam, quae quoniam non consideratur extra Deum dicitur ἰδία πρόθεσις, quoniam verò non est quid infusum in tempore dicitur aeterna. 2. *Tim.* 1. 9. Contrà verò habitum charitatis, quam gratiam gratum facientem vocant inimici gratiae, esse donum consequens, non efficiens iustificationem, ostendunt particulae exclusiuae Vnius, *Ro.* 5. 15. Gratis, *Rom.* 3. 24. quae posterior, opposita merito & solutioni pretij, *Gen.* 29. 15. *Matt.* 10. 8. duo complectitur: vnum, in credentibus non esse fundamentum, cuius respectu iustitia ad salutem imputetur: alterum, propter naturae prauitatem verum mortis fundamentum & causam reperiri: ex misericordiâ tamen indebita legi, ne imputetur.

6. Interim sola Dei patris misericordiâ iustificari peccatorem ita profitemur, vt Christum cum officio mediatoris causam proximam agnoscamus: qui sibi non natus, sed nobis, *Esa.* 9. 5. ita offensi patris sempiternam iustitiam absolutissimae perfectionis λυτρῷ, miseris hominibus reconciliauit, vt sic Deus iustitiae laudem in media misericordia non amitteret. Etsi enim vt agens liberrimum, quos & quomodo cunq; velit iustificare potuit, obedientiam tamen filij necessariam fecit: tum natura ipsius quá infinitè iustus, tum patefacta in lege voluntas, quae in Deo est aeterna & immota iustitiae regula: quae insuper immutabiliter requirit satisfactionem pro peccato & impletionem legis per obedientiam, cum iustificare impium sine vlla iustitia βδέλυγμα esse dixerit. *Pro.* 17. 15. facta igitur est translatio legis, *He.* 7. 12. quae non potuit viuificare, *Gal.* 3. 21. in Christum, qui pro nobis sub lege factus, *Gal.* 4. 4. legi omnimodo satisfaceret.

7. Quum igitur, post hominis lapsum, duplex sit obligatio: vna ad obedientiam, altera ad poenam, iustitia Christi vtramq; complectitur: pro poena enim substituitur ipsius passio quâ factus κατάρα, maledictum: *Gal.* 3. 13. pro culpa & ἀταξία naturae qua inepti ad bonum, Dei voluntati non subiicimur, *Rom.* 8. 7. vt sic iustificatio legis impleatur in nobis. Tantum enim abest, vt gratuito beneficio Christi, iustitia legis aboleatur, *Rom.* 3. 31. vt contrà, eadem sit iustitia legis & Euangelij respectu Christi, qui ideo perfectio legis dicitur *Rom.* 10. 4.

8. Agnoscunt quidem Pontificij necessitatem meriti Christi, non vt sit id solum propter quod mens perterrefacta cognitione peccati, & sensu irae Dei, consequatur remissionem peccatorum, absoluatur à sententia condemnationis, & acceptetur ad vitam aeternam, sed vt tantum conciliet bonis operibus, dignitatem & vim satisfaciendi pro peccatis, & per ipsam formaliter iustificandi: *Bel. li.* 2. *c.* 2. *&* 10. *de iust.* qua ratione ampliari meritum Christi asserunt, nos cum Apo. *Gal.* 5. 4. euacuari contendimus, & obedientiam ipsius esse id ipsum profitemur cuius intuitu tantum Deus peccata dimittit, quae ex opere operato gratiam aeternam nobis meretur & iniustitiam nostram tum actiua tum passiua (vt loquuntur) iustitia cumulatè pensat, vt potè cum sit perfectissima, non solum ob personae dignitatem, quòd eam praestitit vnigenitus Dei, humanitatis sanctitatem ab essentiali λόγου sanctitate, cui personaliter vnita, & cum illo facta vnum ἀδιαίρετον ὑφιςάμενον, sed etiam quod cum non esset propriè

propriè legis debitor in se nec respectu humanae naturae (aliàs. n. propter identitatem ὑποςάσεως, λόγος ipse pro se ad legis obsequium teneretur, quod in legis authorem foret contumeliosum) nec respectu personae, sed respectu dispositionis voluntariae: omni tamen ex parte legi satisfecit, vt exuberans infiniti plane meriti plenitudo nobis in Christo parata: nullae operum sutelae supplementi loco, vel in nobis, vel in aliis requirantur.

9. Quia verò hoc beneficium personaliter in Christo existens, nobis otiosum prorsus foret, nisi efficaci imputatione nostrum fiat; duplex (vt ita dicamus) appropriationis modus considerandus est: vnus ex parte Dei, non imputantis peccata quae in nobis inhaerent, *Ro.* 8. 4. & vice versa imputantis iustitiam Christi totumq; quantum (f. 1689) est ipsius meritum. Illa negatiua, haec affirmatiua imputatio dici potest: neutra interea, ἐν δοκήσει & inanis, sed eâdem prorsus veritate, qua impositio nostrorum peccatorum in Christum, quae tanquam agnus Dei non sustulisset, nisi realis fuisset imputatio, cùm nulla in ipso potuit esse eorum formalis inhaesio. Nec sic dicendo adumbratam & putatiuam iustitiam fingimus, vt opinatur *Bellarm. lib.* 2. *c.* 3. *de Iustif.* quòd ea extra nos, in Christo subiectiuè collocetur & inhaereat. Non enim quaeritur quid in nobis ipsis, sed quid in iudicio & cogitatione Dei, quae infallibilis est veritas, habeamur. Vt verò remittit peccatum propter Christum, non vt non insit in hac vita, sed ne imputetur, sic perfecta iustitia fideiussoris & capitis Christi imputatur peccatori: non vt per modum habitus insit, sed vt in iudicio Dei non minus iusti reperiamur, ac si perfectam haberemus iustitiam inhaerentem. Ratione enim inhabitantis in nobis Christi Spiritus, communicamus vt membra, non solùm personae, sed etiam omnibus beneficiis capitis, quae ab ipso nunquam separantur, vt hoc pacto sit perfectus seruator, & merito & efficacia. Nec solùm in primo vocationis salutaris articulo, dum iustificat planè impium, locum habet haec imputatio iustitiae, sed & in media sanctificationis cursu, vt tegatur peccatum in carne habitans, & in ipso statu gloriae, vt conseruetur à secundo lapsu perfecta in nobis tunc formaliter inhaerens iustitia.

10. Etsi igitur eiuscemodi imputationem alienae iustitiae, mutatio in mente & voluntate comitetur, sunt tamen diuersi Christi actus in nobis, & non confundenda beneficia. Illae enim qualitates inhaerentes, & inchoatae post acceptionem personae obedientiae fructus, placent quidem Deo, sed non placant Deum, & rectè Bernardus, Non potest esse pura iustitia vbi non potest adhuc deesse culpa. *In serm.* 5. *de verbis Esai.* Cùm enim dona per gratiam recipiantur non pro ratione dantis, sed pro modo recipientis, imperfectione semper laborant, & vt ait Propheta, *Esa.* 64. 6. Omnes iustitiae tanquam panniculus menstruatae, (illud autem *Caph.* non tam est similitudinis nota quàm expressiuum veritatis, vt loquuntur Iurisconsulti) non solùm verò iustitiam carnis seu opera moralia quae praecedunt conuersionem, nec scelera insignium peccatorum hac contumeliosa appellatione reiicit, vt vellet Bellarminus, *lib.* 4. *c.* 20. *de Iustif.* sed bonorum operum florem post Iustificationem, (loquitur enim Ecclesia per Prophetam) quae tanquam σκύβαλα cum Apostolo reiicienda, *Phil.* 3. 8. vt formaliter per & propter Christi iustitiam imputatam perfectissimè iusti habeamur. Non eam quidem quae est ipsius essentialis Deitas: haec enim nulli creaturae extra λόγου ὑπόςασιν existenti communicabilis est, nec illam, quâ habitualiter & à natura immutabiliter est Sanctus, innocens &c. *Hebr.* 7. 26. Sed per eam obedientiam, quâ extra nos in diebus carnis suae *Hebr.* 5. 87. voluntati aeterni Patris satisfecit, à capite in membra influentem.

11. Ex parte autem nostri alter applicationis modus est fides, quae in genere τῶν πρός τι considerata, non iustificat in quantum habitus à Spiritu S. in iustificandorum

dorum cordibus infusus, sed ratione differentiae relatiuae, quae gratuitam iustitiae & vitae aeternae promissionem fiducialiter amplectitur: Illis enim tantum dedit potestatem fieri filios Dei qui receperunt eum: *Ioan.* 1. 12. & 3. 13. Cumque insuper duplex sit huius medij apprehensiui ἐνέργεια: vna, quâ immediate, sine aliarum virtutum adminiculo, respicit in Euangelio Christum: altera, qua mediatè per charitatem est efficax, remotis aliis virtutibus, non à natura, sed ab Actu fidei, iustificandi virtus & dignitas priori ἐνεργείᾳ conseruanda est. Non quòd sit facilior salutis via, non tamen sola vt Pelagius, vel initium tantum, aut instrumentum primae iustificationis, quae spem & charitatem impetrat vt posteà coniunctim iustificent, vt disputat Bellarminus, sed vt vnicum instrumentum, in cuius firma apprehensione & speciali applicatione, quae vnumquemque indiuiduum credentem sub promissione generali includit, tanquam proprio fidei actu, voluitur vitae aeternae cardo. *Gal.* 2. 20. Neque ipsa charitas, etsi praestantissima virtutum ad Dei promissionem fertur eâ relatione vt cum fide accipiat & applicet beneficium gratiae (versatur enim circa diuersa obiecta, legem scilicet & Euangelium) sed est fidei consectaria per quam operatur fides. Idcirco vt nec causa sit, meritum, forma aut pars iustitiae, nec medium Applicationis, prorsus remouetur ab Apostolo, qui principium, medium, & finem iustitiae & salutis nostrae fidei sine operibus in solidum tribuit, *Rom.* 5. 2. & praeclarè Nazianzenus, περὶ εὐταξίας. Δικαιοσύνη μὲν γὰρ καὶ τὸ πιςεῦσαι μόνον, *Iustitia quidem est, vel credere tantùm.* (f. 1690.)

12. Vnde liquet particulam ἄγραφον *Solam* sine Scripturae iniuria Ecclesiam pro sua libertate retinere. Sententia enim de vno tantùm affirmans, de caeteris verò negans, significantius nequit explicari, quàm per exclusiuam *Solam.* haec enim propositio, *sit Deus verax, omnis autem homo mendax*, huic aequipollet, solus Deus verax: quod enim Apostolus multò fortius, expressè & explicitè suis locutionibus, *sine operibus, non operantem*, &c. derogat operibus iustificationem, illud Ecclesia facit implicitè per particulam *Sola*, qua euanidae Pontificiorum argutiae, quibus retia veritatis effugere conantur, distinctiones (inquam) de Synecdoche, quando Apostolus loquitur de gratia: de fide formata, cum simpliciter fidem iustificare affirmat; de lege ceremoniali, cum in euangelio sine lege iustitiam reuelari docet: denique de operibus, liberi arbitrij uiribus factis, cùm excludit opera, sine adiectione legis, hac vnica neruosa exclusiua, *Tantummodo crede, Mar.* 5. 36. in aeternum discutiuntur.

13. Illam interea non opponimus gratiae Dei, aut pretio satisfactionis Christi, quasi vel haec à virtute iustificandi excludat, vel sine his innatam quandam vim aut dignitatem habeat, nec tamquam velamine malitiae abutimur, nec denique regulam de illo, *Noli amplius peccare, Ioan.* 8. 11. ἀχώριςως cum remissione peccatorum coniunctam diuellendam censemus, oportet enim praecedere contritionem, tanquam aditum ad poenitentiam hoc est, ad latentem in poenitentia *fidem*, & in fide latentem Christum. Secundo, in ipsa iustificatione adesse opera bona, non enim fides sterilis, sed ἐνεργουμένη per charitatem iustificat. *Iac.* 2. Tertiò post iustificationem sequi studium obedientiae, propositum enim peccandi cum vera fide subsistere non potest. non etiam quaeritur quae quibus coniuncta sint, sed quod sit cuiusque proprium officium & virtus, vbi verò additur opinio meriti, & iactantur pro causa siue partiali siue formali, ad iustitiae diuinae tribunal: non solùm opera, vt fructus fidei, sed & ipsa fides & virtus, vt τὸ credere simpliciter vt dignum opus consideratur: non saluant, sed salutem penitus euertunt.

14. Necessitatem igitur operum in renatis ponimus, non coactionis, aut quae sit obligatio ad perfectam obedientiam, tamquam ad causam & meritum salutis, illud enim debitum est legale, à quo dimittimur beneficio Christi qui fregit baculum exactoris,

toris, *Isa* 9. 4. sed Euangelicae gratitudinis, tum propter mandatum & voluntatem Dei debitae, 1. *The.* 4. 3. *Ioan.* 15. 12. tum ratione ipsorum renatorum qui ideo mundantur vt sint populus ζηλώτης bonorum operum, *Tit.* 2. 14. quibus imaginaria à vera fide discernitur, qui enim non diligit manet in morte 1. *Ioan.* 3. 6. tum denique ratione proximi, vt videntes bona opera glorificent Deum. *Mat.* 5. 16. Extra hosce terminos si protrahatur necessitas operum, fit iam conscientiarum venenum, & lethifera vox Antichristi.

15. Finis huius beneficij remotus & principalis Deum respiciens est manifestatio gloriae ipsius, sic enim Apost. *Eph.* 1. 5. ad laudem gloriae gratiae suae, qua nos gratificauit. Proximus, & qui respicit credentem, est possessio vitae aeternae, cuius primitias cordibus obsignari, *Ephes.* 14. firma fiducia per Spiritum S. in hac vita oportet, vt in futura finem fidei reportent, salutem animarum, 1. *Pet.* 1. 9. iuxta catenam Apostoli, *Rom.* 8. 30. quos iustificauit eos glorificauit.

Corollarium.

Ἐποχὴ Pontificiorum est animarum carnificina.

XXXVI. DE IVSTIFICATIONE HOMINIS CORAM DEO.

Quum Deus sit perfectè iustus, & omnes homines sint omnino peccatores, istorum alterum necessarium est: aut vt Deus iustitiae suae renunciet, aut homines vel pereant sine discrimine, vel satisfaciant. Satisfacere eos non posse, ex lege constat, quare ad fideiussorem quem Euangelium offert, confugiendum, ex quo vera fide apprehenso iustitia nostra coram Deo resultat. Quae cùm sit velut nucleus Euangelij & consolationis nostrae caput, tantò diligentius perpendenda, & à vocibus ad res descendendo, examinanda nobis erit.

Thesis I.

Ivstificare, si vocis compositionem spectes, idem est quod *iustum facere*, sicut viuificare viuum facere, & similia. Vtrum verò in hac significatione reperiatur nec ne, etsi parum nostra interest, tamen cum id ipsi aduersarij negent, accipimus (f. 1691).

2. In sacris certè literis, vbi ratio, quâ homo coram Dei iudicio subsistere, & salutem consequi possit ostenditur, nunquam eo sensu vsurpatur. Neque enim aliter verbum *tsadak* quod Hebraeis iustificare est, & quod verbo *Raschaa* opponitur, accipiendum esse quam pro eo quod *iustum censere*, *à poena absoluere*, & *innocentem declarare*, innumeris propè SS. testimoniis ex V. T. petitis, probari potest: eodémque sensu N. T. scriptores voce Graeca δικαιοῦν, nempe secundum vsum linguae sanctae, in qua plerique nati, educati & instituti sunt, vsos esse, praesertim in hoc negotio non est dubium.

3. Quorum iudicio & authoritati plurimum tribuentes, contra omnes aduersarios constanter

constanter asserimus; scripturam quoties de iustificatione hominis peccatoris coram Deo loquitur, iustum Dei in Christo nos absoluentis, in foro illo diuino & caelesti tribunali latam sententiam, & iustorum pronunciationem intelligere, atque vocibus etiam iudicialibus ac forensibus describere. Non autem aliquam alterationem aut qualitatum infusionem, aut denique per opera nostra acquisitionem, quam aduersarij ex Philosophorum scholis in Ecclesiam Dei introducere conantur.

4. Quamuis autem fateamur vocem iustificandi, interdum quibusdam locis variè vsurpari, vbi istius processus iudicialis non fit mentio: vt cùm iustificare ponitur. 1. Pro Deo iustitiae laudem tribuere. 2. aut testimonium perhibere, vel falsam & inanem iustitiam ostentare. 4. vel denique in sanctitate & puritate vitae progressum facere. 5. Item in iustitia instituere, instruereque. 6. vel postremò, iustitiam testari coram hominibus. Tamen haec, cùm ex textus diligenti obseruatione perspicua euadant, sententiam nostram, supra allatam, nequaquam conuellere possunt.

5. Imò verò ex his manifestè apparet: iustificari aliquem vel coram Deo, vel coram hominibus. *Coram hominibus*, cùm quis ex operibus charitati conformibus iustus censetur ab hominibus *Coram Deo* vel ex operibus vel ex fide. *Ex operibus*, cùm quis suorum operum perfectione & integritate, vniuersae legi diuinae perfectè satisfaciens, in iudicio Dei iustus censetur. Quam iustitiam cùm perfectam & *omnibus numeris absolutam* esse oporteat: cumque neminem hominum eam praestare posse, imò contrà semper in eam impingere ac perpetuò delinquere certum sit, inde euincitur, hac iustitiâ operum, quae & legis iustitia & propria dicitur, neminem coram Deo iustificari posse, ac proinde aliam iustitiam nobis quaerendam esse si seruari cupimus, nimirum *Dei ac Christi*, quae etiam iustitia *fidei*, *imputata*, *Euangelica* dicitur.

6. Quae autem sit illa nostra iustitia, facilè cognoscemus, cum quae sint caussae illius, Svbiectum, & Finis perspiciemus. 1. Igitur; *caussa efficiens est solus Deus*, vt pote, contra quem solum delinquimus, & qui tanquam supremus iudex solus absoluere vel condemnare potest. Etsi verò vt alia opera Trinitatis ad extra, indiuisa, non minùs vni personae quam alteri conpetant, ita & hoc ipsum: peculiari tamen modo, Deus Pater, cùm ratione εὐδοκίας, nos praedestinantis in adoptionem filiorum, tum ratione ordinationis filij vt esset victima & propitiatio: tum ratione applicationis huius beneficii à filio parti, efficiens caussa dicitur: ac horum omnium sola gratuita misericordia eius & dilectio, causa προηγουμένη dicitur.

7. Veruntamen ita gratuita est haec iustificatio, vt etiam iustitiae diuinae non repugnet; atque cum gratis ex gratia, data, donata, imputata dicitur, non *meritum* illud sufficientissimum & ἀντίλυτρον filij Dei voluntariè persolutum, *iudicio Dei* satisfaciens pro nobis, *ac vitam aeternam* promerens, excluditur, sed nostra opera & merita, quae nulla praecesserunt aut futura sunt.

8. Neque enim verò Deus, qui est omnis iustitiae fons & exemplar, quique in lege sua maledictum pronuntiat eum, qui iustificat impium, ita nos peccato absoluere voluit, vt poenam peccatis debitam prorsus negligeret (id enim iustitiae eius aduersaretur) sed potius dilectum filium misit in mundum, qui & poenam peccatis nostris debitam in se susciperet, & legem pro nobis impleret, atque sic immotae Dei iustitiae satisfaceret, & Patri offenso nos planè reconciliaret.

9. Quae sanè Christi obedientia & satisfactio siue iustitia, per quam promissionum Dei, participes efficimur, quod quidem per legem fieri non potuit, non legis sed naturae nostrae vitio: si essentiam ipsius spectes, *eadem est cum legali*, neque enim Deus aliam iustitiam, quam quae cum lege ipsius congruit, agnoscit, neque fides iustitiam legis abolet, sed stabilit. *Efficiente* tantum & fine differunt: Efficiente, quia haec ab alio non à nobis praestatur: *Fine*, quia (f. 1692.) non hominum, sed solius Dei

Dei gloria quaeritur: quare etiam rectè *iustitia Dei & iustitia aeterna* dicitur, cùm contra in legali vtrumque aliter se habeat.

10. Cuius admirabilem vim & efficaciam vt magis intelligamus variè nobis sese offert in SS. consideranda. I. Aliquando proponitur vt *causa impulsiua* προκαταρτικὴ siue meritoria, cuius pretio & dignitate Pater permotus, nos in gratiam recepit: II Aliquando vt *caussa materialis*, ex qua iustitia nostra, id est vera *peccatorum remissio*, & *iustitiae imputatio*, constat. Cùm enim ad vtrumque lege obligaremur, hoc est, & ad poenam pro peccatis, & ad legis impletionem: vtrumque hoc merito Christi est compensatum & restitutum, atque malo poenae ac culpae sublato, diuina gratia & fauor, obedientia & iustitia integritasq; collata. III. Interdum, *vt causa formalis*, quatenus non tantum à Christo parta & acquisita, sed etiam à Patre ita accepta & reputata acsi nos ipsi eam praestitissemus, ipsique plenè satisfecissemus.

11. Sed quia tantum beneficium minimè nobis prodesset, nisi applicaretur, sequuntur applicationis instrumenta duo: vnum ex parte Dei, qui nobis satisfactionem filij sui *per verbum internum & externum* applicat: alterum ex parte nostrâ, qui eam *vera fide*, (licet & hanc ipsam à Deo habeamus gratis) donatam & applicatam, tanquam manu apprehendimus.

12. Et licet alia quoque media, quibus ad recipiendam hanc gratiam à Deo praeparamur, h. e. motus quosdam iustificationem, si non tempore, saltem natura praecedentes, vt sunt *agnitio peccati*, *horror*, *ac dolor*, *&c.* quae sub nomine *poenitentiae* conprehenduntur & quibus homines ex peccato omnes quidem communiter, sed electi singulariter euocantur, non inficiamur: tamen nihil horum ad rationem causae efficientis, non tantum de condigno, sed ne de congruo quidem, vt nugantur sophistae, admittimus.

13. *Subiectum* recipiens hanc iustificationem sunt homines electi, naturâ quidem *peccatores & impii*, ac proinde legis accusationi ac maledictioni obnoxii, credentes tamen & per veram fidem in Christum insiti. Neque verò absurdum videri debet nos iustitia illa quae Christi est *subiectiuè*, tanquam aliena iustificari, cùm ita sit aliena, vt etiam sit nostra *imputatione:* pro nobis enim propriè praestita, & à Deo tanquam nostra *accepta:* quemadmodum fideiussoris pro debitore solutionem, perinde recipit creditor ac si debitor ipse eam fecisset. Et quod est proprium *capitis* nostri Christi, iure communicationis reliquo corpori id est Ecclesiae & singulis *membris* tribuitur.

14. Finis est duplex: I. *Supremus*, est gloria Dei ex hoc admirabili iustitiae & bonitatis temperamento. II. *Proximus*, non tantum pax & tranquillitas conscientiarum, sed etiam sanctimonia vitae & studium iustitiae: gloriatio in domino iustificatorum: & tandem salus ac vita aeterna.

15. His ita positis designationem hanc elicimus: iustificatio est actio Dei gratiosa, qua electos suos legis accusationi & maledictioni obnoxios, gratis sine vllo ipsorum merito, tantùm propter satisfactionem Christi verâ fide apprehensam absoluit in suo iudicio, & peccata remittendo, & iustitiam Christi actualem imputando in communione ipsius, ad laudem gloriosae gratiae suae, & aeternam salutem ipsorum.

16. Ex his videre licet, quàm sit nostra de iustificatione hominis coram Deo, cum scripturis ac orthodoxis Patribus consentiens sententia, cum dicimus nos sola fide iustificari: etsi vox sola non totidem literis sed sensu in S. Scriptura exprimatur. Non solùm omnia opera & merita nostra vel aliena, sed fidem etiam ipsam quatenus vt opus vel qualitas consideratur à causa seu actu iustificandi absolutè remouemus, h. e. virtute aut merito illius nos iustificari negamus, sed correlatiuè tantum (vt loquuntur) quatenus meritum Christi apprehendit, tanquam manus mendici eleemosynam: idque propterea vt Domino constet illibata sua gloria, & conscientiis nostris vera pax.

17. Ideoque

17. Ideoque ab actu iustificandi charitatem & alias virtutes excludimus, non quod fides sit sola, id est otiosa & mortua, sed quòd iustificet sola instrumentaliter & metonymicῶς. Atque cùm Sanctificationem & bona opera à causis iustificationis alienamus, non continuò haec, quae indiuiduo nexu inter se cohaerent diuellimus, & à iustificatis tollimus, peccatis (vt nos impudentur calumniantur) frena laxantes: sed vt effecta à causis prudenter distinguimus; vt rectè monet August. *Bona opera non praecedunt iustificandum, sed sequuntur iustificatum.*

18. Et licet homines, Spiritu Dei regenerati, aliquam operum iustitiam habeant, ea tamen talis ac tanta non est, quae consistat coram iudicio Dei: tum quia ea opera non illorum, sed Dei sunt: tum quia debita obsequia: tum imperfecta, & (f. 1693) peccatis contaminata: proinde fixum illud manet: Nos fide sola in Christum, absque operibus non solùm initio conuersionis, sed toto vitae curriculo, iustificari.

19. Contrà quàm impia & blasphema sit aduersariorum hac de re opinio, ex his etiam facile liquet. Cùm eorum qui duplicem iustitiam, ac si vna Christi imperfecta sit statuentes, inhaerente quadam & acquisita potius nos iustificari dicunt. Tum, qui iustitiae quidem suae Christi iustitiam praeferunt, tamen suam quoque concurrere ad iustificationem volunt necessariò. Praeterea qui iustitiam quandam essentialem, diuinam, (quamuis ea sit incommunicabilis) transfundi in homines comminiscuntur. Denique qui iustitiam Christi initio tantum nostrae conuersionis necessariam dicunt, post suam subrogant. Postremò, qui iustitiam Christi exemplarem tantùm, cui nos similem si modò velimus praestare possumus, vt olim Pelagius & Samosatenus, hodie plerique Anabaptistae, Ebionitae, Samosatiniani & caetera fex Arianorum. Quorum & similium sententiam verbo Dei δὶς διά πασῶν aduersantem detestamur.

Absurdum duplex.

Hominem per se legem Dei implere posse; & tamen esse certum de sua ipsius salute non posse.

XXXVII. DE VITA CHRISTIANA.

Thesis I.

Qvemadmodvm certos fines habet Philosophia, ad quos omnia bene viuendi rectéque faciendi consilia referat, ita neque suo ordine destituitur in hac parte S. Scriptura. Quin oeconomiam philosophicis omnibus multò certiorem tenet, quae in duabus hisce partibus potissimum sita est, *Amore Iustitiae, & eiusdem Regula.* Ad illum (ordinem) spectant paraeneses quae passim in sacris occurrunt.

2. Hanc duo termini constituunt, *A quo* & *Ad quem.* Prior est *Abnegatio nostri;* hoc est, Concupiscentiae, Superbiae, Auaritiae, & similium pestium quas secum trahit φιλαυτία, & ex quibus vetus homo & corpus peccati constat, componitúrque. Posterior est *obligatio nostri* facta Domino.

3. Huius summa est, 1. vt totam ingenij vim ad obsequium Deo debitum applicemus. 2. quae ex Domini voluntate sunt, & ad gloriam eius promouendam faciunt,

ciunt, quaeramus. 3. Si quid prosperè cedat, Deo non nobis imputemus. 4. Si ex animo non succedat, ab impatientia abstineamus, neque ideo nos miseros existimemus nostra sorte non contenti, sed de omnibus ei gratias agamus.

4. Nec tantùm haec Deum respiciunt, sed etiam homines, quamuis secundariò, & quatenus eius imaginem referunt: adeo vt Christiani officij sit; 1. Quosvis honore praeuenire. 2. in procuranda aliorum commoda totis viribus incumbere. 3. erga extraneos, abiectos, immeritos, imò & inimicos, vti liberalitate, quae nemini noceat, & precibus pro his obsecrare. Ad quae omnia nemo perueniet, nisi qui animum à sui consideratione abduxerit.

5. Horum porrò terminorum media praecipua sunt tria. *Primum*, Tolerantia crucis, seu rerum aduersarum, quarum causas sapientibus huius seculi prorsus ignotas Deus in Ecclesia sua patefecit, vt ex iis etiam consolationes firmas peteremus. Consolatio 1. est, vt obedientiam discamus. 2. vt imbecillitas nostra nobis ob oculos versetur. 3. vt augescat in nobis inuocatio, patientia, vitae nouitas. 4. vt conformes Christo reddamur, doctrinae eius testimonium dantes, & ita haereditatis futurae indicia praeferamus.

6. Vera tolerantia siue *patientia* non est ἀπάθεια aut ἀναισθησία, quae omnem doloris sensum auferat, qualem Stoici somniant, simulachrum magnanimitatis depingentes, quod nusquam repertum est: sed in eo apparet, si fidelis, grauissimo afflictionum pondere pressus, timoris Dei cancellos non perrumpat: considerata scilicet aequitate & clementia Dei in nobis castigandis, necnon consilio eius paterno quo saluti nostrae ita consulere vult.

7. Vnde perspicuum est, tum Ethnicos (quorum e(f. 1694.)gregia facta superarunt praemia & fines propositos, quique vera consolatione destituti necessitati succumbebant) à vera patientia longè abfuisse: tum etiam Haereticos & Libertinos, aliósque eiusmodi, qui nulla charitate erga Deum aut homines moti, suos errores pertinaciter ad mortem vsque defendunt, Satanae potius, & portentorum suorum martyres, quàm Christi esse.

8. Medium *alterum*, est venturae beatitatis seria meditatio, quae comites habet fastidium & contemptum vitae terrestris; quatenus Deus tum de huius vitae vmbratilis vanitate, miseriis assiduis, & de corruptione nostra naturali per quotidianos lapsus nos instruit, tum vitae futurae gaudia per Spiritum suum nobis delibanda praebet.

9. Ista duo autem, moderatus contemptus terrestrium, & immoderatus amor sui, adeo repugnantia sunt, vt illis simul detineri nullus possit. Moderatum dicimus: nec enim ita odio habenda est praesens vita, vt non eam benedictionibus Dei adnumeremus, cùm ad nostram salutem promouendam faciat: partim quia Deus nobis variis beneficiis & documentis suam in ea bonitatem testatur: partim verò quia per varia certamina ad coronam coelestem nos praeparat. Quae si exceperis, cum iis verissimè senties, qui optimum esse dixerunt vel non nasci, vel citò vitam cum morte commutare.

10. Cùm autem fideles id Deo debeant, vt nomen eius vel per mortem, vel per vitam glorificent: ipsius verò sit decernere media suae gloriae illustrandae: ita eius arbitrio mortis vitaeque terminum relinquere debent, vt mortem sibi temere non consciscant, more hominum vera religione destitutorum, nec eam plus aequo reformident: sed medium tenentes, quod ostendit Paulus, 1. *Corinth.* 5. *Rom.* 8. ad mortem alacriter pergant, non quia velint exui, sed quia superindui cupiant.

11. Quin & ex illa contemplatione hunc fructum consequuntur, vt etiam si opes & honores impiorum amplissimos intueantur, si splendorem, si luxum, si delectamentorum denique omnium affluentiam cernant, sorte sua contenti laetitia exiliant, subiicientes animis suis diem quo Dominus absterget ab eorum oculis omnem lacrymam,

stola

stola gloriae ipsos induet: impiis autem in hoc mundo furentibus summam ignominiam inuret, delicias eorum in cruciatum. risum in stridorem dentium permutando.

12. *Postremum* medium, est rectus bonorum terrestrium vsus, quo fit vt hoc mundo vtamur tanquam non vtentes, fruentes quidem bonis à Deo concessis ad corporis sustentationem & recreationem, sed temperanter & cum gratiarum actione. 2. vt eorundem penuriam placidè feramus, proximóque egenti liberaliter ea impertiamur, ac denique intra metas vocationis contineamur, semper cogitantes nostrae dispensationis rationem esse reddendam Deo.

COROLLARIA.

1. Et si fideles incipiunt Deo morem gerere, & propositum ei obtemperandi secundum omnia eius praecepta habent; tamen quia nec perfectè Deum cognoscere, nec obedientam quam lex requirit praestare possunt, eos assequi vitae perfectionem, dum hîc viuunt, negamus, contra Pontificios & Anabaptistas, patrum suorum Pharisaeorum & Pelagianorem vestigia persequentes.

2. Contrà verò, quamuis vita illa non semper in eis appareat, & nonnunquam in peccata grauiora incidant: fieri nunquam posse contendimus, vt eorum folia penitus exarescant, quia humorem semper retinent in radice, quae fructum fert tempore suo. *Psal.* 1.

XXXVIII. DE LIBERTATE CHRISTIANA.

Quum iustificationem hominis coram Deo Christiana libertas *consequatur*, *cóque haec illius sit appendix*, *ordo postulat*, *vt*, *illâ* κατασκευαστικῶς & ἀνασκευαστικῶς *superioribus disputationibus propositâ*, (f. 1695) *ad huius explicationem maximè salutarem & necessariam transeamus; &*, *quousque se extendat*, *quídve contineat*, *videamus: ne incauti ad effrenem carnis licentiam & fratrum infirmorum euersionem ea abutamur.*

THESIS I.

LIBERTAS Christiana est gratuita & spiritualis verè fidelium manumissio, quâ per Christum à maledictione legis, seruitute peccati & legalium ceremoniarum rerúmque per se indifferentium iugo asserti & Spiritu sancto donati sunt, vt sponte in sanctitate & iustitiâ Deo seruire incipiant, ad suam salutem, fratrum aedificationem, & Dei gloriam.

2. Manumissionem vocamus non corporalem, sed (qualis etiam opposita seruitus est) spiritualem, vt aliam à politica vel ciuili, & ficta aliarum sectarum libertate esse sciamus: respicit enim pacificationem conscientiae, quae scit & sentit, se merito Christi cum Deo in gratiam rediisse. Potest tamen cum externa quoque libertate & seruitute consistere: nam externâ libertate donati etiam internam habere, & externa seruitute pressi internam libertatem nancisci & retinere possunt. 1. *Cor.* 7. 21. 22.

Hinc

Hinc appositè Augustinus *lib.* 4. *de ciuit. Dei*, *cap.* 3. bonus si seruiat liber est; malus si regnet seruus; nec vnius hominis, sed, quod grauius est, tot dominorum quot vitiorum.

3. *Causa efficiens remota* libertatis Christianae est Dei gratia & beneuolentia singularis, non operum praeuisorum merita. *Propinqua*, est Christus Jesus, in quo hoc beneficio fruuntur electi, quos merito & efficacia suae passionis ex seruitute vindicatos vera libertate donauit: *Ioan.* 8. 32. 36. 1. *Cor.* 7. 23. *Galat.* 5. 1. 1. *Petr.* 1. 18. 19. Subiectum seu *materia in qua*, sunt verè pij & fideles omnes singuli & soli, qui vera fide praediti se seruos peccati agnoscentes fructus mortis dominicae sibi applicant: ante enim beneficio libertatis nemo frui potest, quàm fide saluifica illud sit amplexus. Obiectum seu *materia circa quam* est maledictio legis, seruitus peccati, & legalium ceremoniarum rerúmque per se mediarum iugum.

4. Forma est Spiritus Sancti sanctificatio & testificatio, qua in verè fidelium animis indubitatam persuasionem & πληροφορίαν de eorum in filios Dei ex filiis Diaboli adoptione, eóque & immunitate à seruitute praeterita obsignat. *Rom.* 8. 13. 14. 15. 2. *Cor.* 1. 22. *Galat.* 4. 6. 7. *Ephes.* 4. 30. finis *propinquus* est, vt sponte in sanctitate & iustitia Deo seruire incipiant: serua enim libertate liberi sunt, qui ei libera seruitute seruiunt. *Medius*, libertate vtentium salus, & infirmorum fratrum aedificatio: 1. *Cor.* 9. 19. 20. 21. 22. 23. *Remotus*, Dei gloria: 1. *Cor.* 10. 31.

5. *Partes* Christianae libertatis sunt tres: Manumissio à maledictione legis, seruitute peccati, & legalium ceremoniarum rerúmque per se mediarum iugo. *Prima* pars, nempe manumissio à maledictione legis, in eo sita est, quòd verè fidelium conscientiae liberae sunt & immunes à legis seueritate & rigore; 1. *Rom.* 8. *Gal.* 3. 10. 11. 12. 13. & 5. 1. 5. quo maledictionem omnibus qui vel in vno apice transgressi fuerint denunciat. *Iac.* 2. 10. *Gal.* 3. 10. *ex Deuter.* 27. 26. neque salutem confert cuiquam, nisi omnia mandata planè & plenè seruarit, *Rom.* 10. 5. *Ezech.* 20. 11. ideóque quandiu rigor iste dominium obtinet, & viget, omnes in vniuersum homines sub condemnatione inclusi, & ab aeternae haereditatis spe exclusi sunt, cùm nemo sit, qui legis requisitis ex se vllo modo satisfacere queat. Eo autem sublato, fidelibus lex superuacua non est: manet enim ipsius doctrina immota & immutabilis, quae eò spectat, vt viam & rationem ostendat, quâ vitam suam ad Dei voluntatem conforment, conscientiâ tamen coram eius tribunali libera & pacata.

6. *Secunda* libertatis Christianae pars est immunitas à seruitute peccati regnantis, ita vt tyrannidem suam non amplius exerceat in fideles: *Ioann.* 8. 34. 35. 36. *Rom.* 6. 14. 17. 18. qui se in subiectionem iustitiae addixerunt, lege Dei delectantur, eiúsque voluntati obtemperant: non vt legis imperio coacti, sed libero & pacato spiritu, propter inhabitantem in ipsis Spiritum regenerationis. Vnde *Ambros. lib.* 2. *epist.* 7. liber est, cui peccatum (f. 1696) dimissum est, nulla iam trahens aera peccati. Hinc pij ad suam consolationem sibi certò persuadent, obsequia sua, imò vel conamina tantùm melioris vitae instituendae, optimo Deo placere, *Malach.* 3. 17. eóque alacrius & promptius ad verum eius cultum sese accingunt, 1. *Ioann.* 5. 2. 3.

7. *Tertia* pars est manumissio à legalium ceremoniarum iugo, eo quod verè fideles, ceremoniis aduentu & morte Christi abrogatis, ab obligatione eas obseruandi liberati sunt: *Ephes.* 2. 15. *Coloss.* 2. 14. 16. ideóque etiam generatim conscientiae eorum nulla à rebus externis, per se mediis, necessitate legari possunt. *Res* verò *mediae* dicuntur, quae suaptè natura nec bonae nec malae sunt; ac proinde quibus vel bene, vel malè, aut planè non vti quis possit: *Matth.* 15. 11. *Rom.* 14. 14. 20. 22. 1. *Cor.* 6. 12. 13. & 8. 8. & 10. 23. 25. 27. *Coloss.* 2. 16. 17. *Tit.* 1. 15. quarum vsus ἀδιάφορος iis, qui de libertate sua nondum sunt certi, ideóque in vsu haesitant, dubitant,

dubitant, aut ex aliqua superstitiosa opinione laborant, non est concessus, quia quod faciunt, ex fide non faciunt, *Rom.* 14. 5. 14. 22. 23.

8. Haec autem libertas circa res medias non semper & vbique locum habet, sed coerceri potest & debet, tum in genere, tum in specie. *In genere* per legem Charitatis, quae Catholica est, & exigit, vt fratrum infirmorum, qui in doctrina Euangelica rudiores, & de libertatis suae praerogatiua non satis edocti sunt, ratio habeatur: *Rom.* 14. 1. 13. 15. 19. 20. 21. *&* 15. 1. 2. 1. *Cor.* 8. 9. 13. *&* 9. 12. 22. *&* 10. 24. 28. 29. 32. 33. *Galat.* 5. 13. ne quidquam ἀδιάφορον per se, fiat, quo destruantur, vel non fiat, quo aedificentur. Vt autem pateat quid fieri vel non fieri debeat, semper ex Dei verbo iudicandum est: vt enim quid prosit, charitas iudicat sic, quid liceat, fides determinat. Sciendum autem est, licet nos proximo accommodemus, libertatem nihilominus manere illibatam, vsum tantummodo restringi: 1. *Cor.* 9. 4. 15. 19. 22. aliud enim est libertas, aliud libertatis vsus. Nam libertas in conscientia est, & Deum respicit: vsus autem est in rebus externis & negotium habet non cum solo Deo, sed hominibus, apud quos non omnia expediunt, licet omnia liceant, cum libertate vtendum non sit, nisi aedificet: 1. *Cor.* 6. 12. *&* 10. 23. *Rom.* 14. 19. 1. *Cor.* 10. 27. 28.

9. Peccant igitur qui importunè & intempestiuè vtentes sua libertate fratribus sunt offendiculo; *Matth.* 18. 6. 7. *Luc.* 17. 1. 2. *Rom.* 14. 15. 1. *Cor.* 8. 11. 12. qui aliorum conscientias temere iudicant: *Rom.* 14. 3. 10. 13. quíque vtilitatem & quietem suam magis, quam proximi aedificationem quaerentes, in eius vsu simulant: *Galat.* 2. 11. 12. *&c.* Sin autem cum Pharisaicis & peruersis hominibus negotium sit, ad eorum malitiam retundendam libertas parta sollicitè est asserenda & defendenda, nec eorum tyrannidi & abusui subiicienda, ex consilio Christi, Pharisaicum scandalum susque deque habendum docuit, *Matth.* 14. 15. & exemplo Pauli, qui ad lucrifaciendos infirmos Timotheum quidem circumcidit, *Act.* 16. 3. Titum verò, ne se falsis fratribus submitteret, & eorum errorem approbare & confirmare videretur, circumcidere vel circumcidi noluit. *Galat.* 2. 3. 4. 5.

10. *In specie* verò rerum mediarum usus coercetur per constitutionem, quae duplex est, politica & Ecclesiastica. Etsi enim propriè solus Deus conscientias ligat, Magistratus tamen, quando Reipublicae bono aliquid per se ἀδιαφορον fieri iubet, vel vetat; & Ecclesia propter εὐταξίαν & aedificationem, leges aliquas de rebus mediis condit; *Act.* 15. 28. 29. nemo rebellionis studio citra peccatum iis resistere potest. & hoc est quod Paulus inquit, *Rom.* 13. 5. Potestatibus supereminentibus necesse est subiici propter conscientiam, quae rebellione nostrâ damnum patitur; nec tamen tali casu propriè libertas conscientiae impeditur, quandoquidem non ipsa sed externum opus ligatur.

11. Quae ita sunt intelligenda, vt res mediae non simpliciter intelligantur fieri necessariae, sed tantùm quovsque se circumstantiae, ob quas necessitas imperata est, se extendunt: quibus cessantibus, extra casum scandali & destinatae rebellionis, propter commune bonum, non peccat, qui contra constitutiones istas fecerit. Modus ergo vbique tenendus est, nec temere eiusmodi leges mutandae, nec pertinaciter retinendae sunt. Verùm haec omnia ad media & indifferentia tantùm sunt extendenda, non vlterius: quia nullius offendiculi aut periculi causâ, vel quod Deus iubet negligendum, vel quod prohibet faciendum est: ideóque nec (f. 1697) in gratiam proximi Deus offendendus, *Matth.* 5. 29. 30. *&* 10. 34. 35. *Luc.* 14. 26. *Rom.* 3. 8. nec Magistratui contra Dei verbum quid statuenti, & facienti vim conscientiis, parendum est, *Act.* 4. 19. 20. *&* 5. 29.

12. Errant proinde grauissimè.

1. *Libertini*, qui praetextu Libertatis Christianae, omni distinctione sublata, totam

Legem reijciunt, statuentes Christiano homini nihil illicitum, nihil prorsus vetitum, legisque nullam amplius rationem habendam esse: & res medias vel indifferentes dici putant, quod sine exceptione vlla, quoties & quomodo libet, eas vel vsurpare vel omittere liceat absque peccato; ideóque libertate Christiana, ad explendam libidinem, & simulationem quoque religionis abutuntur. *Galat.* 5. 13. 2. *Petr.* 2. 16.

2. *Pontificij*, qui miseras hominum conscientias suis traditionibus onerant.

3. *Iudaei*, qui Christi regnum mundanum somniantes, terrenam libertatem per eum expectant, & nihil de spirituali dominio Christi in Ecclesia sua, & libertate Spiritus, intelligunt, *Ioan.* 18. 36.

4. *Anabaptistae*, qui libertatem externam etiam fingentes, politici Magistratus omne iugum excutiunt, & Christianos mille annos ante nouissimum diem regnaturos somniant.

XXXIX. DE ADORATIONE.

Thesis I.

Latinis Adorandi vox idem notat, quod Hebraeis *Schakah*, & Graecis προσκυνεῖν; significat enim apud Hebraeos *Schakah* prosternere sese toto corpore ad terram, passis manibus & pedibus, vt Psal. 95. 6. *Boù nischttakaué*, *venicraha*, *nibreca Lipnei Iehoua hischenu.* id est, *venite adoremus & incuruemus nos: genuflectamus*, *ad facies Iehouae factoris nostri*, i. coram Domino creatore nostro. Vbi primum verbum accipitur significatione iam dictâ, plurimùm in Hitpaël. Alterum significat capitis inclinationem cum flexu corporis. Postremum autem est genuum inclinatio vsque ad terram, *Rabbi Dauid Kimki.* Graecorum verò προσκυνεῖν etiam de gestibus externis dici, indicat deriuatio ipsius, propriè enim Etymologia huius verbi à cane, qui κύων illis, deducitur, cùm πρὸς τοὺς πόδας sui heri sese prouoluit, quasi pedes illius deosculaturus, illíque adulaturus, vel etiam à κύω, κυνῶ, vel κυνεύω, quod osculor significat, vnde *Psal.* 2. 12. Osculamini Filium. Priscianus & Nonius autor est, verbum adorandi deduci à nomine indeclinabili *ador*, quod purissimum frumentum sonat, vnde conficiebantur placentae, quae Romanis in Sacrificiis adhibebantur. Iuxta hanc Etymologiam propriè ad solum Dei cultum refertur. Licet verò Laurentius Valla *Elegantiarum lib.* 5. *cap.* 11. idem vocabulum deriuet ab oro, quod est ore precor, dicit tamen ibidem, Adorare nihilominus sine ore fieri, non sine flexu genuum, ac gestu corporis, vt & Supplico, quod etiamsi à plico originem trahat, fieri tamen sine plicatione genuum, ac gestu corporis, non autem sine ore & voce.

2. Atque ita constat, Hebraeam, Graecam, Latinámque vocem propriè externam humiliationem, corporísque vel totius prostrationem, vel alicuius partis, capitis nimirum, aut genuum inclinationem, aut etiam manus deosculationem denotare, quae honoris & reuerentiae caussa fiat, etiamsi nihil ores aut petas: quemadmodum Iacob septies adorauit fratrem Esaum, reuerentiae tantùm caussa, non autem, vt aliquid peteret: imò ipse obtulit, & dedit ipsi Esau fratri dona, *Gen.* 33. 3.

3. Per hanc externam corporis reuerentiam, interna Animi obseruantia, honos, & subiectio declaratur, quòd externa propter internam inuenta sit. Vnde fit, vt *Adoratio* distinguatur in externam & internam: corporalem & spiritualem. *Externa* est, illa corporis prostratio vel inclinatio: *Interna*, illa Animi dimissio & humiliatio, qua homo

homo se illi subiicit tanquam superiori, & Domino, cui externum defert honorem ac reuerentiam.

4. Exhibetur autem Adoratio, hoc est, honor, re(f. 1698)uerentia, & subiectio, tùm Creatori, & dicitur *Religiosa*, quòd religionis ergò fiat; tùm creaturis, & *Politica* vocatur, quòd τοῖς πολίταις, Regibus, Principibus, ac ἐν ὑπεροχῇ constitutis, deferatur. Sic πολιτικῶς Abraham adorat filios Heth, tanquam superiores, & terrae illius tum quidem Dominos. *Gen.* 23. Isaac benedicens Iacobo ait: Adorent te filij matris tuae. i. superiorem agnoscant, & tibi seruiant. *Gen.* 27. Manipuli fratrum dicuntur adorasse Iosephi manipulum: & ibidem Sol & Luna Iosephum ipsum adorasse videntur. *Gen.* 37. Dauid Ionathae hunc defert honorem. 1. *Sam.* 20. Abigaël Dauidi. 1. *Sam.* 25. Talis certè adoratio non improbatur, neque S. Litteris damnatur. Quare etiam Sancti eo sunt vsi, & sibi idem honoris deferri passi sunt. Dauid eo vsus est erga Ionatham, & se ita adorari passus. Et vt refert Iosephus, Alexander Magnus Ioiada Sacerdotem Hierosolymis sic salutauit.

5. Fuisse autem publicam consuetudinem, ostendi potest, quòd praeter exempla allata ex S. Literis, Gentilium historiae testantur, Persarum, Medorum, ac Indorum populos suos Reges solitos fuisse sic salutare. Apud Xenoph. Persae Cyrum adorant. *Lib.* 8. *Cyropaediae.* Orientalium hic mos fuit, ac vitio carere potuit: Europaeis non ita familiaris. Nam Graecis non fuisse consuetum, satis indicat Ismeniae Thebani historia, qui cùm deberet Artaxerxem adorare Persico more, annulum in terram abjecit, eúmque tollendo simulauit speciem adorationis. Et Lacones, apud Herodotum in Polymnia, testantur apud ipsos non esse moris adorare hominem. Romanis erat satis honoris de via cedere, genu flectere, aperire caput, de nomine salutare. Hinc Principes ipsi secum habebant suos Nomenclatores, qui de nominibus ciuium admonerent, vt salutando nomina exprimerent, quod vicissim ciues Principi praestabant.

6. Porrò, Religiosae adorationi non Solùm Animi pia affectio & certa fiducia inest, sed externi quoque ritus & gestus. Dicit enim Abraham se cum puero velle in monte adorare, ac redire ad seruos, hoc est, diuinum obire cultum. *Gen.* 22. Populus adorat ad ostium tabernaculi sui, dum Moses cum Domino loquitur in tabernaculo Dei *Exod.* 33. Sic *Iohan.* 12. Graeci Hierosolymis sunt qui volunt adorare, & cupiunt videre Iesum, &c.

7. Est autem adoratio Religiosa duplex: Vera, & Falsa, seu Pontificia. Illa soli, omnipotenti, omnipraesenti, omniscio Deo exhibenda est. Non habebis deos alienos coram me. *Exod.* 20. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. *Deut.* 6. Sic Christus Satanam repellit, *Matt.* 4. Et Angelus, *Apoc.* 19. Iohanni dicit: Deum adora. Haec fit, cùm creaturis honos soli Deo debitus exhibetur. Ex his quidem vel viuis, vt summo illi Pontifici, vel Antichristo Romano, qui eò processit temeritatis, vt diuinos palàm honores inter homines adfectet, dum se cogit adorari religiosè, ad pedes suos procumbere, eósque deosculari, etiam supremi ordinis Antistites, imò & summos Principes. Vel Mortuis, & viuentibus in coelo, vbi duplex Adoratio excogitata est Papistis, videlicet Δουλεία, quae sit promiscua adoratio, Angelis, Sanctis, vitâ functis, & eorum sepulchris, ossibus, tumulis, statuis, & picturis exhibenda. Ὑπερδουλεία, quae Mariae Virgini, Humanitati Christi, & cruci, cui adfixus fuit, exhiberi consueuit: etsi de hac non satis inter ipsos conuenire ex Actis patet Nicaenae 2. Synodi. Cultum verò Λατρείας ad Deum pertinere statuunt.

8. Sacrilegum & ineptum esse hoc Sacrificulorum commentum, res ipsa clamat, discrimen enim hoc non obseruatur à S. Litteris, *Matth.* 6. 24. *Luc.* 16. 13. *Rom.* 16. 18. *Gal.* 4. 8. 9. *Rom.* 1. 9. 1. *Thess.* 1. 9. 1. *Pet.* 2. 16. *Apoc.* 22. 6. *Rom.* 12. 1. Nam Δουλεία etiam est, quae Deo debetur, hinc Apostolus frequenter se δοῦλον Dei vocat,

Dei vocat; Et contrà *Λατρεία*, seruitus quae homini praestatur, & nominatim propter mercedem, *teste Suida*. Sed ista missa faciamus. Illi qui hanc distinctionem introducunt, eam non seruant. Nam Sanctos ita adorant, vt praeter Dei nomen omnia illis quodammodo tribuant, omniscientiam, omnipotentiam, omnipraesentiam, & quid non? inanis igitur redditur distinctio, & nihil nisi inania habet nomina.

9. Quid, quòd Sancti in hac terra noluerunt adorari & coli, vt liquet ex Act. 10. cap. Petrus à Cornelio noluit admittere, Act. 14. Paulus & Barnabas à Lystrensibus oblatos honores diuinos respuunt, indignantur. Sic de Angelis sentiendum; Angelus Iohannem prohi(f. 1699.)bet, ne se adoret. *Apoc.* 19. *&* 22. Itaque inuocatio Sanctorum & Angelorum impia est. Quomodo inuocabunt eum in quem non crediderunt? *Rom.* 10. 14. Neque verò posset ista Christo conuenire, nisi, vt homo est, sic etiam Deus esset: non enim adoratio ad humanitatem refertur, per se consideratam, sed ad Deitatem, cui caro ὑποςατικῶς vnita est, & ad personam totam, ex Ephesina Synodo 1.

10. Atque creaturam nullam inuocandam esse inde apparet, quòd nullum hac de re mandatum exstat. Nam in Religionis negotio oportet inniti verbo Dei, cùm ἐθελοθρησκεία à Deo in Scriptura damnetur; Frustrà me colunt mandatis hominum. *Matth.* 15. 9. Accedit quòd res ista exemplo caret in vtroque Testamento. Praetereà, quòd solius naturae omnipotentis est iudicare motus cordium, & φρόνημα spiritus discernere. Qui verò scrutatur corda, nouit quì sit sensus spiritus; quia secundum Deum interpellat pro Sanctis. *Rom.* 8. 27. At Iesaias contrarium ipsis Sanctis adscribit, qui Abrahamum nescire nos, & Iacobum ignorare nos dicit. *Es.* 63. 16. *Iob.* 14. 22. Demum, quòd solus Deus est *Schadaï* & αὐταρκέςατος, *Gen.* 17. *Act.* 17. 25. Sancti non sunt per se sibi sufficientes, sed Dei virtute sunt, quod sunt, ideóque honos ille sacrilegè eis defertur. Nec admittimus quod hic excipiunt, Deo permittente eos iuuare posse: nam Deus honorem suum non dat alteri. *Ies.* 42. 8. Sed contrà iubet ad se venire omnes oneratos & adflictos, ac certam promittit requiem. *Matth.* 11. 28.

11. Nec vlla hic vilitas, quae nos debeat excludere, cum Christus omnibus peccatoribus sit praestò, Latroni etiam in cruce, Petro defectori, discipulis dubitantibus: nulla igitur vilitas nos debet ad alios Mediatores detrudere, qui quantum velint aut possint, scire nullo modo potes. Honorare tamen si vis Sanctos, honores igitur eos donorum Dei approbatione, grata nominum recordatione, & sanctâ imitatione morum & vitae. *Gal.* 1. 24. 1. *Thess.* 5. 13. *Phil.* 2. 29. 1. *Tim.* 5. 17. *Heb.* 13. 7. 1. *Cor.* 11. 1. *Phil.* 3. 17. *Ioh.* 8. 39. *& August. lib. de verâ Relig.*

12. Omninò igitur persuasum habeamus, solum verum Deum inuocandum & adorandum esse, ídque non in certo aliquo loco, vti in V. Testamento fieri solebat, videlicet templo Hierosolymitano; 1. *Reg.* 9. 2. *Paral.* 7. *Esai.* 27. *Psal.* 99. *Psal.* 132. sed vbique, quouis loco, teste Apostolo, 1. *Corinth.* 1. *& alibi. vt Matth.* 6. *Iohan.* 4. *Marc.* 6. *Luc.* 6. *Iohan.* 6. *Matth.* 14. *Luc.* 4. 1. *Timoth.* 1. *Act.* 3. *Act.* 10. *Act.* 11. *Act.* 20. Nec quouis modo, videlicet lapide, statuâ, ligno, hominis aut bestiae imagine, non simulatè aut tepidè, sed puro pectore, religiosè & piè, & vt Christus dicit, in spiritu & veritate, *Ioh.* 4. & vt Moses, totâ animâ, toto corde, & omnibus viribus, *Deut.* 6. Hic amor in Adoratione sese aperit. I. Vt tribuas ei potentiam iuuandi; hinc nascitur auxilij imploratio II. Voluntatem exaudiendi; hinc spes & fiducia in adoratione confirmatur, nempè. III. Gratum esse hunc cultum Deo. IV. Nos eum Deo ex officio debere, quae grati Animi nota futura est.

13. Huc pertinet forma Adorationis, hoc est, quo genere adorationis sit vtendum. Hanc Christus praescripsit *Matt.* 6. *Luc.* 11. Sed vtuntur aliis formis etiam Pij, vt Stephanus in Actis, Petrus in carcere, Paulus in conuersione. Pro re nata verborum

forma

forma libera est (respicit enim magis orantis animum, quàm verborum numerum) sed substantia cum illa orationis formula conueniens.

14. Intereà Adorantes oportet adhibere gestus modestos & compositos, tanquam in conspectu Domini: non autem insolitos & superstitiosos, quale hodie fermè est, quòd expansis brachiis orant, aut cilicio inuoluti, cereis abhibitis, in terram coram imaginibus procumbunt, noctu certis horis, certo loco, certus precum fit numerus, quae omnia superstitiosa sunt & cauenda. Hinc Apostolus monet, vt viri aperto capite orent, mulieres verò tecto. 1. *Cor.* 11. Atque hanc significationem optimè dictat Spiritus ipse Sanctus, qui in Piis format & verba, & motus, & gestus competentes.

XL. DE CVLTV INVOCATIONIS.

Thesis I.

Oratio seu Inuocatio est actio sacra seu diuinus cultus, quem pia mente & feruente animo exhibemus Deo in Christo Iesu per Spiritum, gratias agentes de acceptis bene(f. 1700.)ficiis, & de accipiendis implorantes, ad gloriam eius & nostrum ipsorum bonum.

2. Actionem sacram appellamus, seu diuinum cultum, quia species est diuini cultus, & quidem facilè principem locum in isto *genere* obtinens: adeo vt frequenter διὰ συνεκδοχῆς totus diuinus cultus nomine inuocationis denotetur.

3. Posito autem genere diuini cultus, etiam *differentia* secundum causas adhibetur ad iustam definitionem illius.

4. *Causa efficiens* est pia mens & feruens animus, id est, intelligentia piè informata, & voluntas zelo feruente commota ad iustum hunc cultum religiosè atque legitimè ei ad quem pertinet adhibendum.

5. *Materia* orationis ex speciebus eius cognoscitur: nam aut est gratiarum actio, de acceptis beneficiis, aut petitio rerum ad gloriam ipsius & bonum nostrum pertinentium. Sunt igitur beneficia Dei materia orationis nostrae.

6. *Forma* est actio religiosè & legitimè instituta specie ipsius, & fine, & circumstantiis.

7. Secundum speciem religiosè & legitimè instituta est oratio, quae à iusto principio fertur ad iustum obiectum ipsius. Est autem principium eius Iesus Christus per Spiritum in nobis habitans: obiectum vnicum, Deus.

8. *Finis* secundùm quem religiosè legitiméque instituitur oratio est, si oramus Deum propter gloriam ipsius, & bonum commune atque singulare nostrum. De circumstantiis, quia non sunt de natura rei, alibi dicturi sumus.

9. Ac *species* quidem illae sunt duae, quas antè diximus: sed earum vni, id est, gratiarum actioni ratio simplex est & vnica: petitionis verò, pro diuersis ipsius argumentis, ratio diuersa est.

10. Tres autem species à Paulo numerantur, προσευχὴ, δέησις, & ἔντευξις, quae propriè quidem inter se distinctae sunt, sed figuratè saepe cum suo genere commutantur, & pro eo vsurpantur.

11. Est enim propriè προσευχὴ, quum successum rerum nostrarum prosperum exoptamus à Domino: δέησις, quum mala praesentia aut impendentia deprecamur: ἔντευξις denique

denique, quum pro necessitate aliena ex officio charitatis precibus nostris appellamus Deum.

12. Duo autem hic considerari à nobis necesse est: 1. dispositionem nostram orantium. 2. dispositionem & substantiam orationis nostrae.

13. *Dispositionis* orantium duae sunt *partes:* vna ad praeparationem ipsorum: altera ad constitutionem in orando pertinens, & intus, & foris.

14. Praeparat intus hominum mentes, & animos ad orationem accendit, tum pia & diligens miseriae ipsorum, & misericordiae Dei, & mandatorum eius frequens meditatio, tum singularis publicorum, priuatorúmque malorum sensus, atque eorum affectio.

15. Praeparat foris, conueniens rerum externarum citra superstitionem eò facientium repraesentatio: quemadmodum veteres sese ab omni antiquitate persaepe ieiunio, & vestibus luctum & indignitatem suam testificantibus ad hoc officium excitarunt, & à Prophetis fuerunt excitati.

16. Constitutio iusta intus est orantium, quum piè legitiméque comparati, ex toto animo studióque comparent coram Deo solo, Patre, filio & Spiritu sancto, certa cum fiducia promissionum eius in Christo Iesu vnico mediatore nostro.

17. Quum constitutionem in animis piorum efficit, & operatur idem, qui & veram resipiscentiam, & fidem salutarem donat, Spiritus sanctus in ipsis habitans & omnia efficiens in omnibus.

18. Constitutio iusta foris est, in conueniente & decora manuum, oculorum, genuum, & corporis totius ratione: quum manus purae ad coelum attolluntur, animi ad Deum fide transuolantis & supplicantis indices: oculi in argumentis fidei suspiciunt coelos, in peccati confessione terram versus deijciuntur: genua flectuntur abiectum supplicémque animum testificantia: corpus denique aut stat ad ministerium, aut procidit ad adorationem Domini.

19. Hac constitutione coram Deo solo comparendum statuimus, quia solius est Dei nosse, velle, posse, & praestare omnia postulata omnium ad se accedentium (hic enim Pater noster qui est in coelis, & cuius est regnum, potentia, & gloria in secula) & sibi soli hunc cultum (f. 1701.) vindicauit.

20. Itaque sanctorum, defunctorúmque, & eorum omnium qui non sunt naturâ dij, duliam & hyperduliam cum Apostolo, *Galat.* 4. 8. abdicamus.

21. Nec leuiter eos errare censemus, qui fidei certitudinem insimulantes securitatis & arrogantiae nomine, in dubio haerere orantes iubent.

22. Nec eos denique qui Christo mediationem redemptionis tribuentes, intercessionis ei officium aut adimunt planè, aut cum aliis partiuntur.

23. Dispositio & *substantia* orationis nostrae nusquam breuius aut clarius quàm in sanctissima illa precationis Dominicae formula traditur.

24. Continet autem haec *precatio* petitiones alias directè ad Deum spectantes, alias directè ad nos & per consequens ad Deum nostrum.

25. Earum quae ad Deum spectant prima est, qua communem finem aliarum petitionùm omnium exoptamus: nempe vt nomen Dei sanctum & celebre sit atque demonstretur passim.

26. Secunda est medij primarij ad finem illum pertinentis, vt Deus ipse mundi & Ecclesiae Rex suum regnum quàm latissimè diffundat Euangelium auctoritate, & perficiat virtute suâ.

27. Tertia est medij secundarij ad finem eundem pertinentis, vt nos subditi eius imperio & voluntati ipsius fideliter obsequamur, quemadmodum in coelis Angeli, atque ad rem istam dirigamur hoc beneficio eius.

28. Petitionum ad nos spectantium prima est de rebus corporeis & omnibus ad vitam hanc pertinentibus, quibus nos habere opus nouit coelestis Pater: reliquae duae bona ad vitam spiritualem necessaria complectuntur.

29. Secunda enim est, vt mala praeterita deleat, & offensas commissas nobis condonet Deus: quam rem cùm impudenter petant ij qui non ipsi remittunt omnibus omnia (quod filiorum Dei officium est) professio adiecta est, nos omnibus mala in nos admisse condonare.

30. Tertia denique, vt nobis aduersus mala futura caueat, neque nos in posterum permittat peruersis Satanae suggestionibus aut vitiositati nostrae, sed liberet ex iis omnibus gratiosè.

31. Atque haec petenda sunt omnia ad gloriam Dei: spiritualia quidem simpliciter & sine exceptione vlla; corporalia verò & temporalia, addita conditione, nempe quatenus expedire nouit iis qui singula dispensat cuique sapientissimè.

32. In primis enim hic religiosè caueri necesse est, ne Deo modum aut tempus praescribamus, sed omnino faciendum vt patienter ipsum ac suspensis desideriis, quamuis persuasi certò nos exaudiri ab eo, exspectemus.

XLI. DE ORATIONE.

Cum aliquot praecedentibus disputationibus inopia nostra, in nobis demonstrata sit: & in Christo copia eorum omnium quae nobis ad salutem sunt necessaria; simul etiam instrumentum quo nobis gratiam à Deo gratis oblatam applicamus, cuius tamen infirmitatem conscientia nostra testatur, ita vt eius incrementum à Deo quotidie petendum sit; Id quia fit oratione ad Deum, de ea in praesenti disputatione agere instituimus.

Thesis I.

De Oratione religiosa acturis, ante omnia eius *definitionem* ob oculos ponere conuenit, ad quam caetera quae deinceps dicenda sunt commodius referantur. *Oratio* itaque est praecipua diuini cultus pars illa qua à solo vero Deo, quae, & qua ratione voluit (1. *Ioan.* 5. 14) petimus ad nominis ipsius gloriam. Quoniam autem tota haec de oratione consideratio maximè in vsu posita est; duo hîc summatim explicabimus, deinde abusum multiplicem redarguemus. In genuino autem (f. 1702.) Orationis vsu duo requirimus: primum quidem rectam orationis constitutionem: deinde verò aptam orantis dispositionem.

2. In recta orationis constitutione duo consideramus: primùm, *A quo:* secundò, *Quid* petendum sit. De priore ita statuimus: Orationem religiosam non esse referendam nisi ad vnum solum verum Deum, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: *Deuter.* 5. 13. *Matth.* 4. 10. Siue ad Patrem solum referatur nominatim, tanquam principium & fontem diuinitatis, *Matth.* 6. 6. siue ad solum filium, tanquam Mediatorem & vnicum intercessorem nostrum apud Deum Patrem: *Rom.* 10. 13. idque non quà homo, aut homo tantùm (nam carnem Christi per se simpliciter adorandam pernegamus)

negamus) sed quam Deus & homo est in vnitate personae, duabus naturis inseparabiliter vnitis: rectè enim inquit Athanasius; *Creaturam non adoramus*, *sed Deum in carne creata*. Siue denique ad Spiritum Sanctum solum, qui vt nos orare docet, ita nobis orantibus omnia salutaria dona distribuit.

3. Deum autem solum inuocandum esse, cum maximè mandatum diuinum, quo sibi soli eum honorem tribui voluit; *Exod.* 20. ostendit: tum ratio euincit euidentissimè. Nam in inuocando tria desiderantur; scire, velle, posse. Scire necessitates nostras solus Deus potest etiam cùm non petimus, & plenè perspicere cùm petimus: quia ipse solus Omniscius, vbique praesens, & cordium penetralia inspicit vnus; *Rom.* 8. 27. *Ies.* 64. 2. Solus voluntate, singulari modo, & distincto actu, ad nobis benefaciendum propendet, quia Pater est. Solus denique petitioni nostrae potest satisfacere, quia Omnipotens. Quibus haec non competunt frustra quis oratione interpellet, & surdis quod in prouerbio dicitur narret fabulam.

4. Nec sufficit Deum solum inuocare, nisi ipsum talem inuocemus qualem se inuocari voluit & eo modo. *Matth.* 15. 9. Deum enim per imagines nequaquam colendum, expressum Dei in lege mandatum cogit: *Deuter.* 4. 16. *Exod.* 20. 4. & ipse se exprimi non posse non vno in loco grauissimo demonstrat, *Esa.* 40. 18. séque fortem & seuerum maiestatis suae vindicem futurum in eum profitetur, quisquis honorem Deo soli debitum ad imagines deriuauerit. Dictat ad haec ratio longè esse absurdissimum, immensum illud & infinitum Dei numen, quod se in manufactis templis habitare negat, *Act.* 17. 24. exiguo ligni aut qualiscunque materiae manu artificis elaboratae, corpore velle exprimere eóque circumscribere: cùm vbique praesens sit, & praesentiam eius nullo non loco & tempore sit animaduertere.

5. A quo, & quomodo petendum sit, vidimus: nunc *quid* petendum videamus. Id nos ipse Dominus noster, perfectissima illa oratione compendio docuit, *Matth.* 6. 9. Omnia videlicet quae gloriae Dei primò, deinde etiam bono nostro inseruiunt, siue bona nobis petamus, siue mala deprecemur. Quae autem bono nostro inseruiunt duplicia sunt. nam aut spiritualia sunt & animae nostrae inseruiunt primò & principaliter, qualia sunt omnia Spiritus Sancti dona, quibus cùm salutem nostram operamur, tum aliorum vtilitati inseruimus: aut sunt corporalia in vsum vitae nostrae in hoc mundo comparata, eáque aut necessaria aut commoda, priuata aut publica. Quae vniuersa cùm nobis ipsis, tum proximo ex charitatis & Christianae communionis regula petimus. *Ephes.* 6. 18. *Act.* 12. 5. Haec de Orationis constitutione.

6. Rectam verò Orantis *dispositionem* dupliciter consideramus: internam, & externam. *Internam* intelligimus, Animi orantis constitutionem, in relatione ad Deum à quo petitur: in qua duo potissimum desideramus; Inopiae conscientiam & impetrandi fiduciam. Inopiae conscientiam, quia hoc verum est ad orandum incitamentum, cùm animus inopiae suae & nuditatis conscius, opem Dei omnipotentis implorat: *Matth.* 11. 28. *Psal.* 143. 2. Horum Deus se certò certius orationem auditurum eorúmque misereri velle profitetur. Impetrandi verò fiduciam, *Marc.* 11. 24. quia nihil nisi per fidem impetrare possumus, certi Deum & Patrem nostrum in amorem nostri procliuem omnia, cùm animae tum corpori necessaria, suppeditaturum, quia promisit. Sed quemadmodum duplicia sunt quae petimus, spiritualia & corporalia: ita circa haec fiducia nostra variat. Illa enim indubitata fiduciâ petenda sunt, nos omnino ea esse impetraturos: haec verò fiduciâ conditione limitata, nos tum (f. 1703.) demum ea impetraturos, cùm Deus ea nobis necessaria cognouerit aut vtilia, qui vnus optimè vtilitatem nostram nouit operari; *Matth.* 6. 8. & aduersis saepe exercet atque excitat è veterno mundanae securitatis.

7. *Externam* orantis dispositionem in duabus rebus potissimum consideramus: in

verbis

verbis idoneis, & gestibus compositis. *Verba* enim animi indicia sunt, quae quoniam aut publice fiunt ab vno plurium nomine, aut ab vno priuatim, siue ea simplicia sint, siue honesto cantu modificata (*Iac.* 5. 13.) diuersam induunt rationem. Commune autem est vtriusque ad verborum aptitudinem, ne nimis longa oratione quis vtatur, id enim disertè à Domino nostro damnatur, *Matth.* 6. 7. cùm potius inanis quaedam verborum profusio, quàm anxij animi expressa professio videtur: nec tam explicatione indigentiae opus sit apud Deum quàm inopiae conscientia & certa fide. Deus enim, etiam antequam petamus, nouit indigentiam nostram: petere tamen nos voluit, *Matth.* 7. 7. ne segnescamus & parum de nobis solliciti simus.

8. Hoc verò in verbis singulare est, eis qui publicè inter plures in Ecclesia, siue plures priuatim in familia, orationem ad Deum fundunt, verbis vtantur communibus, & quae circumstantes intelligant: 1. *Corinth.* 14. 16. nam cùm ordinis sit in Ecclesia vt vnus verbo praeeat, reliqui animis & affectu sequantur, absurdissimum esset vti oratione quam aut is qui loquitur, aut ii qui audiunt non intelligant. **Κενολογία** enim illa est, non diuini nominis inuocatio. Qui verò priuatim solus Deum inuocat, eo vtatur sermone quem ipse intelligat, & quo optimè mentis suae conceptus potest exprimere. Deus enim non mentem ex verbis, sed ex mente verba ponderare consueuit, *Matth.* 15. 8.

9. Compositos autem *gestus* requirimus ad reuerentiam Dei, in cuius conspectu vti semper sumus, ita nos orantes coram ipso sistimus: in quibus tamen accuratè cauenda est superstitio atque hypocrisis. Licet autem positio corporis, modò animi interiora recte sint composita (parum enim refert, siue quis sedens, stans; aliòve positu corporis oret) attamen antiqua Ecclesiae Dei consuetudine receptum est, inter orandum genua flectere, & manus expandere complicaréque; vt eo testemur animi nostri deiectionem & submissionem, nihil in nobis & à nobis esse, nihil nos per nos impetrare velle, omnia à Dei gratuita misericordia expectare per Dominum nostrum Iesum Christum: caput praeterea nudant viri: foeminas propter indecorum Apostolus nudare capita vetuit: 1. *Cor.* 15. 5.

10. Hactenus verum orationis vsum vidimus, nunc abusum videamus. Variè enim hîc à diuersis impingitur, tum in rectam orationis constitutionem, tum etiam orantis dispositionem. In rectam orationis constitutionem dupliciter impingunt Pontificij (vt de Christianis solùm dicam) primùm quòd Sanctos inuocant praeter Deum, eísque tanquam internuncios adiungunt, & cultu soli Deo debito defunctos colunt. *Bellarm. de sanct. beat. cap.* 17 *&* 18. Quod non modò in Deum est contumeliosum, & rationi aduersum, vt supra ostendimus, thesi 3. verum etiam in Iesum Christum vnicum nostrum & indefessum apud Patrem intercessorem, maximè iniurium: cùm nullum in munere suo mediatorio socium aut coadiutorem admittat, aut sancti subire possint. Vnde verè in sanctorum aduocatores conuenit ille Eliae sarcasmus in Bahalis cultores, 1. *Reg.* 18. 27. quia sancti ad preces non minus surdi sunt, & in imaginario Trinitatis speculo nihil vident.

11. Alter Pontificiorum error est, in modo inuocandi Deum: quia ipsum colunt & adorant per imagines & idola: *Bellarm. lib.* 2. *Eccl. triumph. cap.* 8. praeterquam enim quod omni sui imagine Deus interdixit, vt thes. 4. ostendimus; quis Deum exprimat? Nec elabuntur hîc Pontificij, cùm imperfectam & per metaphoricas ac mysticas significationes figuram proponere se asserunt; iniussi, imò prohibiti. Friuolum autem est illud tritum Gregorij dictum, imagines idiotarum esse libros: cum Scriptura contrà lignum vanitatis doctrinam, & conflatile doctorem mendacij clamitet: *Ierem.* 10. 8. *Habac.* 2. 18. **Δουλείας** verò & **Λατρείας** distinctionem, quum in Scriptura eae voces promiscuè vsurpentur, meritò reiicimus. & si vocum proprietatem spectemus,

λατρεία minus quid quàm *δουλεία* videatur. *λάτρης* enim (vnde *λατρεία*) *ὁ μισθῷ δουλεύων*. Pontificij verò imaginibus seruitium, Deo mercenariam operam praestant: quod conuenit cum ipsorum meritis.

12. In rectam Orantis dispositionem circa verba, (f. 1704.) Primùm peccant Pontificij publicè priuatímque, quia aliena lingua & audientibus incognita, preces suas demurmurant; & inanem potius sonum, quàm anxium indigae mentis conceptum coram Deo effundunt: 1. *Cor*. 14. 16. Deinde non minus ineptè Anabaptistae precationes, quae alta voce & concepta pronuntiatione, aut in publico Ecclesiae coetu, aut intra priuatos parietes concipiuntur, damnant: & interiorem affectionem & mentis conceptum sufficere arbitrantur. Nos Deum tum in rebus aliis tum vel maximè in oratione glorificari statuimus oportere corpore nostro & spiritu nostro, quae sunt Dei, 1. *Cor*. 6. 20.

XLII. DE INVOCATIONE SANCTORUM.

Thesis I.

Religiosam Crucis, Imaginum, & Reliquiarum venerationem alia disputatione explosam audiuimus. Magis adhuc sollicitat imperitorum mentes inuocatio sanctorum, quae vulgò dicitur, quia & sanctos hac vita functos viuere creditur, & nostri amantes esse, & illos nobis opitulari debere, & velle & posse. Sanctos appellamus eos omneis qui in vnitate Spiritus communionem habent cum Christo, sanctitatis & salutis principe, & in eo perfectionis sanctitatísque verae quae coram Deo est consortes effecti sunt hîc ad vitam aeternam, illic in vita aeterna & coelesti gloria.

2. Inuocatio Sanctorum duplex est, humana siue naturalis, & supernaturalis ac religiosa. Humana est, qua homo hominem, & sanctus sanctum inuocat, opémque illius implorat praesentis siue absentis, communi naturae modo secundùm Deum. Religiosa est, qua homo hominem inuocat absentem, & vita hac functum, opémque illius implorat supra communem naturae modum, quasi Deum, aut etiam secundùm Deum. Humanam omnino probamus, quam inhumanum fuerit tollere: naturam enim tollit, qui eam sustulerit. De altera acturi sumus.

3. Religiosam ergo Sanctorum defunctorum inuocationem improbamus duobus argumentis, naturae modo, & inuocationis iure. Naturae modus est, vt praesens praesentem vocet, aut quasi praesentem, medijs naturali ordini conuenientibus. Qui enim absens absentem vocat sine naturae ordine, aut frustra vocat, & ludit operam, aut ex instituto faciat necesse est supra naturam. Omne autem institutum quod supra naturam est, id aut diuinum esse ex reuelatione certa, aut daemoniacum oportet dici. Non est autem à reuelatione diuina Sanctorum defunctorum inuocatio. Quid ergo desideretur in naturae modo, videamus.

4. Naturae modo in Sanctorum inuocatione desiderantur ista, vt praesens praesentem habeat, adloquens audientem inuocet, conscius conscium faciat, & cupiens opis appellet benè cupientem sibi in eo ipso cuius est conscius, & egens inclamet eum qui valeat sibi adiumento esse. haec omnia in Sanctorum inuocatione, vt frustranea non sit, oportet simul concurrere.

5. Praesens alter est alteri, aut corpore, aut repraesentatione aliqua naturae: quae

vulgo fieri solet nuncio aut scripto. Homini verò cuiquam in hac vita agenti non potest contingere, vt corpore, aut nuntio, aut scripto, Sanctorum qui in coelo sunt vlli praesens pro modulo naturae sit: ídque non solùm nobis natura negat, sed & Sanctis in coelo conditio sua: non enim iidem qui in coelo sunt, eodem quoque tempore hîc in terra versari possunt: nam & Angelos de coelo non simul vtrobique esse Scriptura docet, sed ascendere, & descendere super filium hominis, &c.

6. Similiter & adloquimur & audimus alter alterum corporali modo secundùm naturae legem, & significamus inter nos signáque alij aliorum percipimus sermone aut scripto. Nobis verò cum sanctis qui in coelo sunt, est quidem communio per Spiritum habitantem in nobis: sed neque id nobis à natura datum, vt eorum in coelo agentium aureis vel oculos, sermone, nuncio, scripto, aut significatione vlla possimus afficere: neque id ex conditione est Sanctorum in coelis, vt vel clamores (f. 1705) nostros in coelo audire, significationésve particulareis cuiusquam possint tanto interuallo percipere, nedum omnes multorum aut omnium eodem momento inclamantium: quae res diuinae solùm perfectionis est.

7. Quid? quòd non solùm perferri & audiri inuocationem aut significationem eius naturae modo necesse est, verùm etiam conscium eum qui inuocatur ab inuocante effici eorum omnium atque singulorum quae habet inuocatio? Tria enim hac in re opus sunt, vt qui inuocatur, sciat, velit, possit. Non est autem naturalis conditionis nostrae, ac ne coelestis quidem illius (illic enim natura perficitur, non interficitur) vt sanctus in coelo, quisquis sit, Angelus, aut homo, conscius sit rerum nostrarum singularium in terris, & nostrae conscientiae. Vtrumque opus est: & sensum nostrum singularem causámque totam ei proponi à nobis quem inuocamus, & eum penitus conscium fieri illius ad res nostras singulariter attendentem. Hoc nemo sanctus in coelo agens potest assequi in vnius inuocantis caussa, nedum multorum: nedum omnium tanto interuallo simul eodem tempore de rebus plurimis inuocantium, diuersis, remotissimis, contrariis.

8. De voluntate qui affirmant, illudunt elenchi ignoratione. Nam aliud est de voluntate dicere secundùm rationem communem ipsius, actùmque confusum in radice; vt ita dicamus: aliud de voluntate secundùm modum singularem eius & actum distinctum in causis singularibus. Etenim, est quidem secundùm rationem communem haec voluntas omnium sanctorum, vt nomen Dei sanctificetur, veniat regnum eius, & fiat voluntas eius in terra sicut & in coelo: sed neminis planè Sanctorum voluntas est, vt singulari modo & distincto actu singularem personam, rem, causam in terris agentem, è coelo videre, audire, & conscius esse velit voluntatis eius, nedum plurium, quantò minus omnium? quam rem quisquis Sanctus faceret, toto corde, tota anima, toto intellectu, totísque viribus non attenderet ad visionem Dei, quod sancti in coelis proculdubio faciunt (nam diuisus & distractus esset, quod imperfectionis est) & rem iniustam, minimè conuenientem naturae suae, impossibilémque vellet. Nam iusta est naturae diuinae perfectio, cui id soli competit: conueniens est naturae sanctorum, vt modulo illic in coelis acquiescant: impossibile est: hominem, finita potentia & operatione vestitum (quae diuina verè est) potentiam & operationem obtinere. Primum velle, est sacrilegum: secundum impium; tertium etiam stultum, quia impossibile.

9. Atque hoc si vellet sanctus in coelo (quod est falsum) tamen fieri nulla ratione posset. Obstat enim & natura Dei, & Sanctorum defunctorum, & nostra. Dei solius est proprium, vt è coelo omnes inuocantes praesentes habeat, audiat, sit conscius etiam antequam inuocent, velit, possit omnibus aut multis opitulari simul in omni loco & tempore; Sanctorum verò defunctorum omnium, etiam exempli causa sanctissimae illius θεοτόκου ἀεὶ παρθένου Mariae, ea natura est adhuc, quae à natura fuit, si qualitates

si qualitates coelestes & spiritales exceperis, qua nec per se, nec per alium eos qui in terris versantur habere praesentes, audire, conscire aut velit aut possit omnes aut multos simul, omnibus aut multis locis, tanto interuallo, vno eodémq. tempore: quod posse diuinum est, affectare diabolicum. Nostra verò natura quantoperè sit his rebus omnibus inepta, nemo ratione praeditus ignorat: cùm nec praesentem, nisi secundùm corpus, iusto interuallo videre vel audire possimus: nec alios homines praeter naturae modum conscios facere voluntatis aut expectationis nostrae, voluntatémq. ac potentiam eorum aduocare vtiliter; sed ad breue solùm, & singulariter, & iusto locorum interuallo, & iusto tempore: denique naturaliter omnia, & pro modo naturae nostrae.

10. Quae cùm ita sint, non potest legitima dici aut censeri vlla eorum hominum inuocatio, qui Sanctos homines verè in coelis agentes, aut quoscunq. in coelis versari putant, in eum modum inuocant, vt aut proprias illas Dei operationes, quae supra naturam humanam sunt, hominibus vita functis, quasi deis, aut secundùm Deum tribuant, aut in actu inuocationis contra naturae modum adfingant quicquam, aut ea opinione ducti religiosè prosequantur quocunque gradu: quia gradus cultus & inuocationis ex gradu sensus maximè aestimatur; hic autem sensus totus à veritate & pietate abest longissimè, eóque nec cultus magis ex veritate & pietate esse à nobis censeri debet. (f. 1706.)

11. Hic verò succenturiatur ab iis qui inuocationi Sanctorum patrocinantur ratio multiplex, vt probabilitate fulciant commentum suum. 1. ab hominibus aut Angelis annuntiatio. 2. à Deo aut visionis beneficium, aut reuelatio. Ab hominibus qui hinc migrant, ne veri quidem simile est: nam quotusquisque de vita decedens ad res alienas aut postulata attendit? imò quis bonus non cogitat de sua fide, & constitutione magis vt ad Deum sanctè migret, quàm de re aliena? Parentes ipsi non meliùs decedunt de vita, quàm si abiecta filiorum & mundi cura in Dei promissionibus sanctè conquiescant. Eorum qui migrauerunt id officium non est, vt ascendant & descendant: quiescunt enim. Angeli è coelo, Dei sunt Angeli, non nostri; ex officio voluntatem eius, non nostram perferentes. Illud officium eis Platonici, non Christiani, Porphyrius, non Paulus tribuit. Visionem Dei ad sanctos pertinere sanctè agnoscimus: sed aliud est visio essentiae, aliud scientiae. Vident sancti essentiam, non scientiam eius: & essentiam non pro modo infinito ipsius, sed pro modulo suo ipsorum vident: quo igitur modo scientiam? Relucet, inquiunt, in facie Dei. Accidens igitur est: aut si relucet vt proprium, quum nihil in Deo non sit vnum, ergo relucent omnia quae sunt in scientia eius: in qua nemo homo intueri potest, multò minùs quàm acies oculorum nostrorum in lumen solis. An ergo reuelatione singulari Dei? ne hoc quidem verum. Nam Pontificij petunt à Sanctis, dicentes, Orate pro nobis, non à Deo vt reuelet eis preces suas. Tum nec Angeli, nec Sancti tam multas multorum aut omnium simul & semel exaudire possunt, eásque offerre: hoc ipsum est supernaturale, & naturam quamuis glorificatam ipsorum superans. Postremò, quorsum iste ambitus? Oramus Deum scilicet vt orationem nostram in coelo repraesentet illis, quam ipsi pro nobis iterum repraesentent Deo, & quasi datatim praestent. Id verò esset quod vulgo dicitur, per plura facere quod per pauciora potest. Aliena indignáque omnia Deo Patre & Domino Iesu Christo.

12. Vt autem naturae modo, sic etiam iure inuocationis docemus sanctos defunctos inuocari minimè oportere. Nam primùm inuocationem hanc suo genere cultum esse religiosum constat, eóque in Scripturis totum pietatis officium significari passim inuocationis nomine: est autem Deus officij illius zelotypus, *Exod.* 20. prout adorandus solus, & ei soli seruiendum, *Matth.* 4. Tum differentia propria inuocationis est, quòd Deum Patrem in Christo per spiritum appellamus; non alium inuocandum, Dei

natura

natura docet: hunc solum inuocari Scriptura iubet religiosa inuocatione, atque adorari. Praetereà modus inuocationis Scripturâ imperatus, nos ab ea re deterret maximè: cùm & fide fieri inuocationem oporteat, & indubitata πεποιθήσει, *Iacobi* 1. quae duo de nullo homine viuente aut mortuo à nobis statui, ac ne praesumi quidem possunt vlla probabilitate. *Ierem.* 17. finis denique inuocationis reclamat; nam qui alium quàm Deum inuocant, verè in illud *Ieremiae.* 2. incidunt, Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt scaturiginem aquarum perennium, vt effoderent sibi cisternas, cisternas fractas, quae non capiunt aquam, & alia quamplurima.

Corollarium.

Concludimus ergo, ab ista siue Angelorum, siue Sanctorum defunctorum inuocatione abstinendum, quam diffidentia de Deo, specie humilitatis, & fiducia in creaturam specie familiaritatis & consanguinitatis cuiusdam ingenerat, & alit ignoratio gratiae, promissionum, & veritatis Dei: cui soli honor & gloria in sempiternum. Amen.

XLIII. DE ECCLESIA CATHOLICA.

Thesis I.

Ecclesia, ἀπό τοῦ ἐκκαλεῖν, vocabulum fuit apud Athenienses celebre, atque vsitatum, significans propriè coetum è suis sedibus in locum conuocatorum ad aliquid audien(f. 1707.)dum. Hinc mutuo sumptum est nomen, atque ad sanctiorem vsum traductum. Et rei certè quam significat aptissimè conuenit, quia nihil aliud est Ecclesia, si vim vocis spectes, quàm coetus hominum euocatorum. Qui enim ad veram Ecclesiam pertinent, ex hoc mundo. i. hominibus, qui in mundo versantur, in vnum corpus & quasi Rempublicam sanctam euocantur. Nulli in hunc numerum veniunt, nisi euocati à Deo: nulli suis viribus freti, sed omnes, quotquot veniunt, à Dei vocatione praeueniuntur.

2. Haec autem Ecclesia est coetus eorum, quos Deus gratiosè euocat ad cultum gloriae suae, & fructum illius: neque ab hoc Christi corpore excludimus Angelos, tum quia Apostolus de Ecclesia loquens, eos etiam in ea complectitur, tum quia & ipsi nobiscum sub vno & eodem capite Christo in vnum corpus collecti sunt, simulque omnes in aeternum futuri sumus in eadem ciuitate Hierusalem coelesti: qui etiam cùm sint sancti, meritò in ea esse dicuntur, cùm Ecclesia communio sanctorum esse definiatur in symbolo Apostolorum.

3. Huius Ecclesiae attributa vulgò ponuntur, quatuor: quòd vna sit, & sancta, & Apostolica, & catholica; *vna*, instituto Dei: *sancta*, beneficio Christi vocantis ad purgationem à peccatis, in sanctitate quidem vera, sed, quandiu hîc in mundo cum peccato luctatur, imperfecta; *Apostolica*, doctrinae veritate, quia superaedificatur fundamento Apostolorum & Prophetarum, cuius fundamentum est Christus: denique *Catholica*, I. ratione locorum, & personarum: ad nullum enim certum locum, certámve successionem alligata est. II. ratione temporis, tempore enim circumscripta est nullo. III. ratione partium, quae sine vlla circumscriptione temporis, & loci ad eum censentur pertinere.

4. Complectitur

4. Complectitur ergo haec Catholica Ecclesia omnes vniuersè homines in coelo, & n terra qui fuerunt, sunt, & futuri sunt vocationis illius Diuinae & gratiosae participes. Neq. ab ea simpliciter omnes non baptizatos excludimus: horum enim duo sunt genera, alij fidem omnino contemnentes, & á Religione vera prorsus alieni, quos Paulus τοὺς ἔξω vocat: (de his non loquimur) alij verò, qui licèt nondum externum signum acceperint, fide tamen praediti, & baptismo interno baptizati sunt, quos verae Ecclesiae membra secundùm perfectionem ipsius affirmamus. Neque etiam omnes excommunicatos si modò iniustè, qui verò iustè, eos de Ecclesia esse conditionaliter dicimus, prout conditionaliter exclusi sunt, dum spes est resipiscentiae.

5. Duplex a. est huius Ecclesiae ratio: vna in fieri, secundùm generationem & progressum, altera in facto esse, secundùm perfectam constitutionem ipsius. *Prior* militans Ecclesia dicitur, quia in hoc mundo sub cruce militans aduersus peccatum, mundum & Satanam, Spiritualibus armis pugnat: quae complectitur omnes fideles in vita degentes. *Posterior* triumphans, quae in coelesti patria de iis omnib. triumphat: atq. haec in Scripturis appellatur regnum Dei viuentis, Christi corpus, sponsa, &c. quam nullae vnquam vires inferorum poterunt euertere.

6. Constat verò Ecclesia Catholica propriè secundùm formam essentialem ipsius, prout in perfectione futura est, ex praedestinatis & electis: hos enim Christo insitos Scriptura testatur, vbi de Ecclesia, eiusque membris loquens, omnes nos ait fuisse electos in Christo, in ipso habere redemptionem, eum datum esse caput ipsi Ecclesiae, eámque ipsius corpus esse, vnde non immeritò exesse dicimus non solùm planè impios, & reprobos sed etiam hypocritas, qui licet in Ecclesia habitent, & inter sanctos versentur, illius essentialiter tamen vera membra dici non possunt.

7. Vnde porrò patet hanc Ecclesiam ita solam esse sanctam, & à Deo benedictam, vt extra eam nulla sit sanctitas, nullum salutare donum, nulla deniq. salus: in hac n. sola fulget Dei veritas, gratiosè dominatur Christus per Spiritum Sanctificationis, ita vt rectè comparetur à veteribus arcae Noae, in qua sola seruatum fuit genus humanum & extra quam quicunq. reperti fuerunt aquis diluuij periisse leguntur. Sed quod de hac Catholica dicimus, de singulis particularibus Ecclesiis, vt Romana, vel Constantinopolitana concedere non possumus.

8. Haec Ecclesia Catholica consideratur duobus modis, vel in se simpliciter, vel in suis partibus respectiuè. In se est inuisibilis, quia Catholica: in partibus suis eam aliquo modo, non tamen propriè, primò & per se, visibilem, haud inficiamur. Vt enim natura humana, qua(f. 1708.)tenus communis est in se, oculis corporis cerni non potest, eadem tamen in ἀτόμῳ videri, & tractari aliquomodo posse dicitur: sic Ecclesia catholica, quà talis, solùm mentis oculis cernitur, qua verò in particularibus spectatur & proprietatibus ὁριστικαῖς in eis afficitur, eam sic aspectabilem esse aliquo respectu fatemur. Deinde cùm potior pars in coelis triumphans sit à conspectu hominum remota, fit vt tota haec Ecclesia visibilis nobis esse non possit.

9. Militans verò in hoc mundo, partim visibilis, partim inuisibilis dicitur. visibilis respectu materiae, & formae externae, atque etiam propter externam πολιτείαν: inuisibilis respectu formae internae, quia ij qui in terris versantur, & in particularibus Ecclesiis viuunt, non possunt aliquo sensuum iudicio discerni, vtrum ad Ecclesiam verè catholicam pertineant: homines quidem videmus, & particulares Ecclesias in quibus viuunt: quinam tamen ex iis sunt electi, quinam verè fideles, hoc nullo oculorum iudicio certo constare potest.

10. Porrò cùm Christus rex sit aeternus, & perpetuum eius sit regnum, necesse est aliquot semper existere qui se pro subditis habentes eum pro rege agnoscant, ideò iam inde à prima creatione semper fuit coetus quidam hominum à Deo electorum, qui

qui verum Deum coluerunt: & hanc Ecclesiam perpetuam fore, nec vnquam penitus deficere posse contendimus, quanuis omnia tentet Satan, & nihil non moliatur, quod ad huius Ecclesiae interitum & exitium pertinere putet. Et certè quomodo rex esset aeternus, nisi haberet regnum aeternum, quod semper administraret, & subditos, quos perpetuò regeret?

11. Interea non negamus particularem hanc, vel illam Ecclesiam, posse deficere, imò quaslibet particulares Ecclesias ad eam paucitatem posse redigi, vt non sit aliqua Christi vera visibilis Ecclesia mundo in terris publicè nota; eam enim interdum externum suum splendorem amittere, hominum oculos latere, & paucis hominibus constare asserimus, si modò reliquam multitudinem spectemus: vnde patet Ecclesiam non esse in vna sede perpetuò & visibiliter duraturam.

12. Praeterea Ecclesiam Catholicam in se consideratam errare non posse certissimum est, dum consideratur, vt totum corpus vnitum capiti suo, & viuens in Christo de spiritu eius: ab eo enim ita viuificatur, & regitur, vt eam totam simul errare numquam sinat, vnde meritò columna veritatis dici potest. Longè autem aliam esse rationem illius Ecclesiae, quae in terris est, didicimus, non enim in omnibus semper audit & sequitur vocem Pastoris sui, & eam ex parte tantùm videre & cognoscere dicit Apostolus. Inde sequitur perfectionem scientiae eam in hoc mundo consequi non posse, sed contrà erroribus infectam esse, non tamen finaliter, nec etiam vniuersè; Ecclesiam verò hanc, vel illam, vt Romanam, non modò errare; sed etiam obrui tandem erroribus, & planè deficere posse experientia docuit.

Corollaria.

Errant igitur qui Romanam Catholicam Ecclesiam dicunt: quid enim hoc est aliud, quàm orbem in vrbe includere? Impiè etiam accusamur ἀποςασίας à Catholica Christi Ecclesia, illiusque vnitatem abrupisse falsò insimulamur, & pro Schismaticis habemur, qui à Romana, id est, particulari, & aequiuocè dicta, discessimus.

XLIV. DE ECCLESIA DEI.

Cùm extra Ecclesiam, quae est domus & familia Dei, non sit salus, vt nec extra Christum Dominum & Sponsum eius, ratio postulat, vt eam probè notam habeamus, ad quam tanquam Matrem germani Filij confugiamus, & cuius operâ omni cibo spirituali alamur per Spiritum S. qui est ipsius Ecclesiae anima. (f. 1709.)

Thesis I.

Ecclesiam esse, impium est apud Christianos in dubium reuocare. Cùm enim vnus sit Deus, Pater, Mediator, Spiritus, caput, fides, spes, regnúmq. vnum; etiam peculium, gregem, sponsam, corpus. Matrémq. nostram vnam, nimirum superiorem illam Hierusalem, esse necesse est. *Eph.* 4. 4. & 5. *Gal.* 4. 26.

2. Ecclesia

2. Ecclesia autem haec, Catholica rectè nuncupata, est corpus eorum qui à Deo euocantur ad laudem gloriae suae in Christo Iesu. Duplici autem respectu consideratur, ac non diuiditur: (duae. n. non sunt Ecclesiae, sed vnica). Vno, in principio suo, & progressu; Altero, in perfectione sua. Hoc modo nobis hic penitus est inuisibilis; illo verò in materia & forma externa, visibilis; in interna seu essentiali, inuisibilis. Vnde distinctio oritur Ecclesiae visibilis, & inuisibilis.

3. Ecclesiam visibilem vocamus coetum eorum qui gratiosè è corruptione euocantur ad Christum modis visibilibus; nempe praedicatione gratiae Euangelij, & Sacramentorum perceptione, siue respondeant vocationi, Christíq. iugo se verè submittant, siue non; ídq. ad nominis diuini gloriam.

4. Inuisibilem verò, corpus electorum in Christo, qui capiti adunati eius Spiritu uiuunt, & secundùm ipsorum mensuram contendunt ad Regnum caelorum in Christo Iesu obtinendum.

5. Et quoniam in fluxu haec Ecclesia est, erítque vsque quò numerus electorum compleatur; inde in Militantem sub Christi vexillo armis spiritalibus in his terris, & Triumphantem de hostibus in caelis, regnantémq. in patria cum Rege Christo (cuius regnum est in aeternum duraturum) distinguitur. *Eph.* 3. 15. *Luc.* 1. 33.

6. *Causa* efficiens Ecclesiae est ipse Deus, Pater, Filius, & Spiritus S. qui & Angelos bonos in statu rectitudinis conseruauit, & homines lapsu primorum Parentum perditos, in Christo Iesu recollegit foedere gratiae, eósque sustentat in suo progressu. *Rom.* 5. 2.

7. Inuisibilem quidem ex his Ecclesiam, quatenus tum ipsam, singuláq. ipsius membra *κατ' εὐδοκίαν*, electos efficaciter vocauit, vocatos suâ benignâ manu in Christo sustentat, & firmissimos reddit infirmitate aduersus omnes procellas: tum eos, qui in coelis sunt perfectionem consecuti, vitâ planè informat; ita vt à vero nullâ ratione diuertantur, nec à capite Christo à quo vnicè vitam hauriunt declinent.

8. Visibilem verò externis mediis & Spiritu S. operante in cordib. hypocritarum quidem qui sunt in Ecclesia, sed non de Ecclesia formaliter, ad tempus, prout eorum fides temporaria, *Luc.* 8. 13. & hypocritica est; fidelium verò, efficaciter in infirmitatibus per gratiam, quae eis sufficit, donec in cubiculum coeleste ingrediantur, & in virum perfectum euadant ad mensuram staturae adulti Christi. *Eph.* 4. 13.

9. *Materia* Catholicae Ecclesiae sunt Angeli electi, & Homines fideles: Angeli quidem qui supra naturam suam gratiosè electionis vim, & efficaciam adoptionis à Christo electorum habentes, (vnde Filij Dei dicuntur, *Iob.* 1. 6.) in statu rectitudinis vocatione Dei sustentantur, & confirmantur, per Christum Mediatorem vindicati à potentiâ illâ, quâ miseri esse & labi poterant: mutabiles enim erant in se naturâ suâ; alioquin si immutabiles fuissent, Deus fuissent, quod dictu horrendum est: etenim Deus est Iehoua naturâ suâ solus immutabilis.

10. Homines verò, qui vera membra corporis Christi constituunt, quique in Christo adoptati, ipsius Spiritum in se habitantem habent, *Rom.* 8. 9. Nec enim in hoc mystico Christi corpore membra quaedam putida sunt, sed omnia Spiritu Sanctificationis, *Rom.* 8. 9. sunt sanctificata, corporis Christi complementum, *Eph.* 1. 23. Dei habitaculum, *Ioan.* 14. 23. vnum deniq. in Patre & Filio, *Ioan.* 17. 21.

11. Quod de improbis (qui *membra sunt Satanae*, teste Ambrosio, *In Psal.* 15.) asseri nequaquam potest; quoniam ea ornamenta ipsis non competunt; nec enim sanctificat eos Christus, nec purgat, nec fouet, nec amat amore gratioso singulariter, nec denique Spiritum Sanctificationis habent, qui est vinculum quo spiritualiter membra huius corporis inter se, & cum corpore, & cum capite, adunantur.

12. Quidam verò non baptizati Baptismo externo, cùm actu insiti sint Christo, & seruentur;

seruentur; actu etiam in Ecclesia, & de Ecclesia Catholica esse, quae inde ab Adamo ad consummationem vsque seculi duratura est, nullo modo est ambigendum.

13. Idem iudicium ferendum est de quibusdam excommunicatis, siue iniustè excommunicati sint ab externa communione particularis Ecclesiae, vt nos à Romana: siue iustè: cùm ipsius Ecclesiae sententia non sit absoluta seu definiti(f. 1710)ua (quae solius Dei est,) sed interlocutoria per verbum.

14. Cum etiam à communione Sacramenti tantùm, aut Ecclesiae, ceu domus Dei fiat, non autem ab omni documentorum ad fidem & resipiscentiam reuocantium communicatione. Cùm deniq. conditionalis sit, sempérq. remaneat interna aliqua communicatio cum Christo, & Ecclesia Catholica, à qua quoniam membra sunt Christi, abscindi, *Iohan.* 10. 28. non possunt; etsi à particulari Ecclesia hac aut illa diuelluntur, vt hac ratione ad poenitentiam, 1. *Cor.* 5. 5. perducantur.

15. Visibilis Ecclesiae *materia* sunt homines, non solùm ij qui substantialiter de Ecclesia sunt vocatione efficaci, quique & corde, & corpore in ea sunt: sed in genere omnes vocati, *Matth.* 22. 14. ad communionem Ecclesiae praeconio Euangelij profitentésque.

16. Ideóque hypocritas materialiter & corpore esse in Ecclesia, *Matt.* 7. 22. non inficiamur: etenim in constitutione Ecclesiae cautè sacrilegi cum piis ingrediuntur; Vnde scitè August. *Multi lupi in hoc ouili sunt cum ouibus.* Quapropter haec Ecclesia *gregi*, *Ezech.* 34. 17. vbi oues, & hoedi simul sunt; *sagenae*, *Matth.* 13. 47. in qua boni, & mali pisces; *areae*, *Matth.* 3. 12. in qua triticum paleis permixtum; *nuptiis*, *Matth.* 22. 10. in quibus boni, & mali discumbunt, *amplissimaeque domui*, 2. *Tim.* 2. 20. in qua varia sunt vasa, comparatur.

17. *Forma* Catholicae Ecclesiae est vita Christi in omnibus suis membris per communionem Spiritus, principij vitae, omniúmque actionum sanctarum; vtpote dantis sensum motúmque ad rerum spiritalium, notitiam, & fidei obedientiam. 1. *Cor.* 12. 11.

18. Idque variis gradibus: nam non simul, nec semel illam in omnem veritatem introducit. Triumphantem quidem perfectè in suo genere, prout omnem infirmitatem & peccatum exuit: militantem verò inchoatiuè, 1. *Cor.* 13. 9. duntaxat & tenuiori quodam modo, prout infirma est & aliquid terreni habet, *Rom.* 7. 23. ex quo semper dicit, *remitte debita nostra*, *Matt.* 6. 12.

19. Inde militans duplici de causa dicta est. I. quia ei pugnandum intus, & foris: *Eph.* 6. 11. 12. *&c.* intus, contra corpus peccati, contra infirmitatem ignorantiámque suam: foris, contra hostes Diabolum, & mundum. II. quia est obnoxia multis periculis, tum ratione imbecillium membrorum, tum contradictione hostium.

20. Visibilis verò quae potiori ex parte ex vocatis cum efficacia constat, duplex est forma; interna, quae est eadem Catholicae forma, de qua supra; quae est illa professia verae Dei cognitionis visibiliter à Deo tradita & à communi Ecclesiae percepta: ortum & progressum habens cùm à praedicatione viui sermonis Dei & efficacis, *Heb.* 4. 12. tum à Sacramentis, à qua quidem politia, & professione externa, vt à materialibus suis, visibilis dicitur.

21. Finalis causa Ecclesiae in genere & specie, primaria, est gloria Dei per misericordiam declarata, vt in hoc, & futuro secula colatur & agnoscatur Deus. Subalterna v. est corporis Christi salus & perfecta adoptio ac consummatio operis gratiosi, per quam beatitudine aeternâ in & sub capite Christo perfruatur, *cùm Deus erit omnia in omnibus* 1. *Cor.* 15. 28.

22. Atque haec de causis, iam paucis quaedam *adiuncta* perstringemus; ea autem vel Vniuersali Ecclesiae attribuuntur, vel visibili duntaxat. Ac primò quidem Vniuersalis Ecclesia ordinatione Dei *Vna* dicitur, *Eph.* 4. 4. partim ratione vnius principij,

& animae Spiritus S. partim ratione vnius capitis Christi, partímq. vnius corporis, quod quoniam continuum & perpetuum est, idcirco regnum, ciuitas, domus, & familia dicitur, cuius vnitas (per quam fide & effectu charitatis inuicem vnitur & Deo) est spiritalis. *Thom. Aqu. in cap.* 12. *ad Rom.*

23. Secundum, *Sancta* duplici sanctitate. *in Symb. Apost.* Est. n. capitis sanctitas imputata, quâ membra ipsius omnia lota & perfectè iusta coram Deo iusto iudice sunt; est & interna, quâ diuinis vsibus consecrata inungitur gratia Spiritus S. quae imperfecta adhuc est in militante Ecclesia secundùm August. dicta, *Templum Dei vocatur sanctum, dum etiam adhuc aedificatur. Lib.* 6. *contr. Iulia. Pelag. cap.* 5. Et, *Non ausim interpretari de Ecclesia hac inferiore, dum est in itinere, elogia praeclara perfectionis quae in Cantico Canticorum attribuuntur.*

24. Accedit tertius modus quo Ecclesia dicitur sancta, nimirum propterea quòd Deus eam & singula ipsius membra inhabitat gratiosâ praesentiâ suâ. Inde Sion typus Ecclesiae, dicta est non absimili ratione sancta apud Prophetas passim. *Iesa.* 52. 1.

25. Tertiò *Catholica: in Symb. Apost.* ratione. 1. Locorum, quoniam & in coelis est & in terris per vniuersum Orbem diffusa. 2. Personarum, nam constat ex Iu(f. 1711)daeis, & Gentibus nulla adhibita distinctione. 3. Temporis, quia omnes electos qui vnquam & fuerunt, & erunt complectitur, & à creatione mundi duratura est ad vltimum vsque iudicium; quod fiet quando numerus electorum erit perfectus. *Apoc.* 6. 11.

26. Denique *Prophetica & Apostolica*, fundamentum suum habens in veritate doctrinae Prophetarum, & Apostolorum, quae Christo vt fundamento & angulari lapidi superaedificatur. *Eph.* 2. 20.

27. Haec autem Catholica Ecclesia in se Christo capiti vnito, non potest errare, considerata quidem vt magnus iste & pretiosus coetus, cuius membra singula vnita sunt virtute Spiritus eius in coelo & in terra. Tota enim veritas, est Capitis, Spiritus & Corporis.

28. Imò cùm Ecclesia Triumphans omnes hostes debellauerit & in capite Christo, & in sese virtute Spiritus, veterémq. hominem penitus exuerit; extra aleam omnis periculi & erroris in caelis patriâ suâ est collocata.

29. Verè autem militans sub vexillo Christi, quà sub ea verè vocati continentur, errare potest, & errat variis gradibus & modis, nam etsi Spiritus S. est semper in ea, ab eáque nunquam recedit: (in perpetuum enim in piis habitat,) tamen non perfectè semper per eam operatur, sed tantummodò pro mensura ipsius, quae minima est, pro ipsius commodo, 1. *Cor.* 12. 7. 11. pro ordine sapientiae diuinae suae, atq. prout vult, non prout potest. Est enim agens voluntarium, non naturale. Actiones autem voluntariae non potentiâ, sed voluntate sunt determinandae.

30. Deinde cùm omnes & singuli fideles duo habeant in se contraria principia, *Rom.* 7. 23. carnis quà corrupti, & Spiritus quà regenerati; Militans verò Ecclesia nihil aliud sit, quàm ipsi fideles militantes in hac peregrinatione & via; propterea infirmitatem Adami, gratiámque Christi participat, quae in ipsa habitantes inuicem pugnant. *Gal.* 5. 17.

31. Ex qua pugna laeditur quidem, vacillat, & angustiâ quadam premitur, non tamen extinguitur nec deprimitur, *Matth.* 16. 18. propter virtutem Dei, quae in hac infirmitate complementum habet. Deus enim, cuius gratia singularis euacuari non potest, fidelis est, qui ei adfore promisit; & ipse qui suos inde ab vtero atq. conceptu ipso curare ad gloriam suam paternâ sollicitudine decreuit, falli non potest. *Ies.* 46. 3 & 4.

32. Idcirco hanc Ecclesiam deficere à Deo suo fieri non potest: *Matth.* 16. 18. siue ad Deum promittentem respexeris, siue ad Mediatorem, per quem omnia bona salutaria

salutaria nobis contingunt, cuius meritum exarescere nunquam potest, siue ad ipsa dona, quibus Deus nos ornauit quae sunt ἀμεταμέλητα, *Rom.* 11. 29. Praeterea quum Christo vera fide insita sit, caróque de carne ipsius, *Eph.* 5. 29. *&* 30. ab eo abscindi atq. diuelli nunquam continget.

33. Hactenus de adiunctis Ecclesiae Catholicae, iam visibilis quaedam restant. Ac primum quidem quod errare possit non est dubium: etenim area & sagena est in quibus boni & mali locum habent. Eius etiam scientia imperfecta est . 1. *Cor.* 13. 4. ita vt mens falsum pro vero hauriat, paleámq. pro auro, fundamento superstruat. 1. *Cor.* 3. 12.

34. Verumtamen prout sunt particulares coetus, ita morbi particulares sunt (vt & vniuersales) quorum alij lethiferi, alij sanabiles; adeò vt particularis Ecclesia errare grauiter possit in fide, altera stante per Dei gratiam singularem. *Apoc.* 3. 1.

35. Deficere verò particulares Ecclesias à Deo & veritate satis liquet ex plurimarum florentissimarum Ecclesiarum exemplo. haec autem defectio fit; Vel ἀπαλλοτριώσει quum omnino respuitur Christianismus, & in Iudaismum, Mahometismum, vel Gentilismum fit ἀποςάσια; Vel φθορᾷ siue μεταβολῇ, quum adhuc verbum & sigilla, etsi valde corrupta, permanent, vt in Ecclesia Israelitica, quae filios Deo gignebat circumcisione, Diabolo verò dedicabat & alebat.

36. Tamen nullam Ecclesiam prorsus abalienatam esse à Deo & foedere ipsius dicendum est, licèt valdè aegrota & adultera, donec Deus suum foedus matrimoniale ei eripuerit, sibíq. assumpserit, eam deserens vt adulterio coinquinatam. *Ies.* 50. 1. Quod non tamdiu fiet, quamdiu ea caput, eámque caput retinuerit publica significatione gratiae vocantis. *Col.* 2. 19.

37. Hoc autem non nos latebit, dum τεκμήρια seu notas à Christo adhibitas diligenter perpendemus: quae sunt Sacra Scriptura, *Ioan.* 10. 27. instrumentum contractus gratiosi appensum fronti & pectori Ecclesiae (cuius est fundamentum) Sacramenta, *Matth.* 28. 19. *Rom.* 4. 11. sigilla ipsius, atque eorum administratio & obseruatio ex Ecclesiae ordine publico à Deo instituto. *Act.* 2. 42 (f. 1712).

38. Illae autem literae & sigilla foederis absolutè & purè sunt notae, quae nihil humani immixtum habent, nec in se vllam labem, 1. *Pet.* 1. 23. vel corruptionem contrahere possunt: horum verò administratio & nota est & simul fructus: nota, in vsu ipsorum; fructus, in substantia à notis fluens.

39. In hac autem administratione duplex est actus, Dei & hominis: Dei, quo per Pastorem exponit verbum suum, eum dirigens quà verbo suo tenaciter adhaeret, sibíq. officium demandatum exequitur: hominis, qui illud exponit secundùm sibi datam scientiam, zelum, caeteráque dona. *Eph.* 4. 7.

40. Hinc fit, vt quò purior erit administratio verbi, & Sacramentorum secundum ordinem à Deo institutum, & prout à Domino Pastores accepêre, eò purior Ecclesia futura sit. 1. *Cor.* 11. 23.

41. Hoc autem probè scitur contemplatione instrumenti fundamentalis regni Dei, nempe Scripturae Sacrae, *Ioann.* 5. 39. per quam administratio ista probatur. *Act.* 17. 11. Per vtrumq. verò Ecclesia vera ab adulterinis dignoscitur: Vnde August. *cap.* 12. *de Past. nullo modo cognoscitur quae sit vera Ecclesia Christi nisi per Scripturas.*

42. Praeter ista ad officium, decorum, & bene esse (vt vocant) Ecclesiae, requiritur mandatorum diuinorum obseruantia, quae posita est in publicis officiis communionis fidelium, in disciplina Ecclesiastica conformi S. Scripturae, in officiis pietatis erga Deum, in exercitiis resipiscentiae, & donorum diuinorum seriâ meditatione apud nos, deniq. in officiis charitatis & mansuetudinis erga proximos; tum publicâ ordinatione procuratis, 1. *Tim.* 8. 1. tum priuato cuiusq. studio.

43. Praeter

43 Praeter hasce notas, quasdam alias nobis obtrudunt Pontificij; ac primò quidem *Antiquitatem*; verùm non est Ecclesiae nota, qua nec soli Orthodoxae Ecclesiae competit, nec semper (nam principium habuit, & ad tempus recens fuit) nec à subiecto perpetuo actu fluit; sed est adiumentum duntaxat quo magis persuadeamur in agnitione cum verbi diuini, tum ipsius Ecclesiae, quorum authoritatem & dignitatem nobis commendat.

44. Secundò, *Multitudinem*, quae nec vt paucitas aliquid ad hanc rem facit. Nam I. Manente Ecclesia, ipsa perit. II. est partium integrantium & ad quantitatem pertinet, notae vero ab essentia fluunt. III. Ecclesia parua dici potius debet quam magna; ídq. ratione mundi, 1. *Cor.* 1. 23. & 26. qui suas obturat aures vocationi ad regnum gratiae.

45. Tertiò, *Vnitatem.* Sed cùm omne quod est quà est, vnum sit, profectò, vnitas vniuersale & commune multis, non speciei vni, nedum Ecclesiae proprium est.

46. Quartò, *Vnionem* per foedus, *Sanctitatem*, &c. Verùm conditiones sunt Catholicae Ecclesiae spirituales, non visibiles in se, sed tantùm quarum effecta sunt visibilia, vt anima est visibilis per suas operationes: quò fit, vt notae, quae necessariò in sensus incurrunt dici nequeant.

47. Quapropter Antiquitas, multitudo, successio localis non sunt Ecclesiae τεκμήρια nam I. non sunt ei essentialia. II. sunt veritati & mendacio communia. III. probatione, & à veris notis approbatione opus habent.

48. In hunc autem finem Deus in familia sua notas constituit. I. vt increduli in ipsius sinum se recipientes gignantur in fide. 1. *Cor.* 4. 15. II. ne fideles temporibus nebulosis à veritate aberrent, sed contrà pabulo vitae alantur, in fide permanentes, mandatísque Dei obtemperantes ductu Ecclesiae. *Rom.* 5. 2.

49. Tertiò vt hoc pacto gloria Christi eluceat, regnúmque eius adueniat secundùm petitionem nostram quotidianam, *Matth.* 6. 10. Denique vt vera Domini Ecclesia ab omnibus sectis discernatur. *Gen.* 17. 10. 11. *&c.*

50. Cùm itaque Deus velit Filium suum in mundo agnosci, & ipsi ex genere humano peculium, *Luc.* 12. 32. & *cap.* 14. 22. & 23. à quo inuocetur excerpere, suámque voluntatem gratiosam in Ecclesia declarare, in qua sonat vox Euangelij, ministeriúmq. diuinum conspicitur, per quod Deus se patefacit & operatur; ex officio nos ei submittere debemus, quam occupatam conspicimus in aedificando Christi corpore, & dolandis lapidibus viuis.

51. Quare errant grauiter illi, ac se in condemnationem coniiciunt, qui Ecclesiae alicui nomen dare dedignantur, eam docentem ex verbo Dei audire, *Matth.* 10. 40. confessionem & inuocationem suam precibus & inuocationi ipsius Ecclesiae voto vno adiungere; sacrámque Coenam, quâ colitur memoria Christi, participare; siue ab ea sacra actione, omnibus Christianá fide imbutis institutâ, abstineant contemptu, siue ex incuria, siue ex errore; non dicam mentis, sed voluntatis.

52. Ex hisce notis exsurgit aliqua ex parte Ecclesiae visibilitas; verùm vt festiuè Ambrosius, *Ecclesia sicut luna defectus habet & ortus frequentes, nec singulis seculis singulae Ecclesiae eodem modo se habent.* Hex. lib. 4. cap. 8. (f. 1713).

53. Nam aliquando non solùm fidelibus, sed & coram mundo conspicua est; quandoque solis fidelibus, non coram ingrato mundo, propter impietatem, infidelitatem, iniustitiam, & ipsius tyrannicam barbariem, persecutionibus saeuis exertam; quo quidem tempore pietas erga Deum, charitas erga proximum pios obstrictos tenent, vt lateant domi. *Iesa.* 26. 20.

54. Quandoque verò quibusdam piis duntaxat nota est, non singulis, 1. *Reg.* 19. 10. tum propter ipsorum peccata, tum corruptione in doctrina & confusione in ordine, tum

tum multorum ἀποστασίᾳ, *Apoc.* 13. 4. 8. 12. 14. & 17. tum denique Pastorum infidelitate, *Iere.* 14. 14. & *cap.* 23. 16. 21. & 30. vt praecedentium seculorum series nos edocet.

55. Itaque huius Ecclesiae authoritatem ministerialem solummodò agnoscentes, vt pote regulati inducti à verbo vt potentia Dei, *Rom.* 1. 17. Principalem Deo authori ipsius tribuimus: Instrumentales verò primarias Scripturae regulae perfectae; & Viris immediatè à Spiritu S. actis, & publicis notariis ex reuelatione, non ex vocatione communi ministerij dumtaxat ad scribendum à Deo constitutis. *Apoc.* 2. 1.

56. Talem autem ei tribuimus authoritatem, quia est columna, 1. *Tim.* 3. 15. ad quam nos conferimus, vt veritate ipsi affixâ frui possimus: quam quidem accepit à Domino, vt tanquam custos fidelis foueat, & vt vera mater liberis suis tradat, non tantùm materialiter, sed & formaliter rem scilicet & dogmata ipsius per interpretationem & applicationem conuenientem ministerio sacro.

57. Ex praedictis iure concludimus Ecclesiam Romanam errasse, eiúsque authoritatem Sacrae Scripturae adaequari non posse, & Orthodoxam Christi Ecclesiam non esse. Etenim apud illam nec purum verbi praeconium, nec legitimam Sacramentorum administrationem videre est. Nec notae illae quae à Pontificiis statuuntur, ipsi competunt. *Bellarm. lib.* 4. *de Eccles. milit. cap.* 3. 4. &c. Neque enim veram antiquitatem, durationem in doctrina, amplitudinem credentium, successionem doctrinae, conspirationem in doctrina cum primitiua Ecclesia, aliásque penes se habet.

58. E contrario verò nostras Ecclesias veras Domini Ecclesias esse meritò affirmamus; quoniam apud nos refulgent purum verbi praeconium, Sacramentorúmq. administratio; prout est à Domino instituta. *Matth.* 26. 26. 27. &c.

59. Neq. id tantùm; verùm etiam per Dei gratiam de successione primitiuae Ecclesiae tum in doctrina, tum in personis, non quidem per singula capita, sed tamen in communi & in corpore gloriari in Domino iure possumus.

60. Praeterea vera Antiquitas penes nos est; nam Christus est doctrinae quam profitemur author. Tempus nostrae Ecclesiae est inde à principio Euangelij; Nostra dogmata è puris fontibus S. Scripturae sunt petita tantùm. Hanc profitentes, huícq. adhaerentes sunt omnes veri martyres & fideles, inde ab Ecclesiae incunabulis. Postremò hostes sunt haeretici manifesti & latentes, imprimis verò Antichristus, qui per suas turmas decipientes & deceptas Dei veritati sese opponit. *Comprimat illum Deus Optimus Maxi. Cui laus in secula seculorum.* Amen.

XLV. DE COMMVNIONE SANCTORUM.

Postquam de sancta Ecclesia Catholica, quae corpus est Christi, praecedentibus disputationibus actum est, déque essentia & ratione ipsius secundum totum, & partes communes ipsius: deinceps nobis de proprio officio & actu ipsius videndum est, secundùm partes singulares suas, quem actum propriè Communionem sanctorum appellamus.

1. PARTES singulares seu membra ea sunt, quae sanctos ex vsu Scripturae appellamus: siue perfectè sanctos dixeris qui in Paradiso versantur, fruentes perfecta communione

munione Christi & Spiritus eius: siue imperfectè, sed verè sanctos in Christo, inchoata in ipsis conmunione Christi & Spiritus: siue non ex veritate Sanctos, sed specie solùm (f. 1714.) id est, vocatione & professione externa appellatos sanctos aequiuocè, quamuis non habeant caput & formam Ecclesiae, id est, communionem Christi & Spiritus eius.

2. Nam horum alia propriè sunt membra, alia aequiuocè. Propriè sunt membra, qui non solùm materialiter atq. extrinsecus in Ecclesia & de Ecclesia sunt; sed etiam formaliter atq. intrinsecus in Christo per communicationem Spiritus. Impropriè verò qui materialiter solùm in Ecclesia sunt, & de Ecclesia dicuntur, licet formam non teneant illius.

3. Horum autem communio dicitur esse, velut proprius actus & officium singulorum membrorum inter se ex vnione formali cum Christo & Spiritu ipsius profluens. Est igitur *Communio sanctorum* actus relatiuus in ordinatione, applicatione & conformatione positus, singulorum membrorum cum suo capite, & inter se, ab vnione illa sanctissima, quâ Ecclesia vna est, proficiscens, ad gloriam Dei in regno Christi & salute nostra aeternum testificandam.

4. Actum relatiuum ac non potentiam dicimus, quo singula membra verè tum percipiendo, tum tradendo, communicant cum Christo & inter se rebus omnibus ad perfectionem cùm suam ipsorum, tum aliorum singulariter & vniuersè pertinentibus. 1. Ordine, quâ alij sunt aliorum membra, & suo ordine & loco singuli sub vno capite Christo. 2. Applicatione, quâ alij cum aliis communicant, tradendo & accipiendo officia omnia. quae communicari iubet augusta illa vnionis in Christo necessitudo. 3. Conformatione, quâ singuli conuenienter à Christo informantur, & ad communem conformationem se ipsi comparant.

5. Atque haec vera est ratio quam describit Paulus, dicens nos adolescere in eum, qui est caput, id est Christum: ex quo totum corpus congruenter coagmentatum & compactum per omnes suppeditatas commissuras, ex vi intus agente pro mensura vniuscuiusque membri incrementum capit corpori conueniens, ad sui ipsius exstructionem per charitatem, quae omnia idem Deus agit in omnibus, *Ephes*. 4.

6. Huius autem communionis partes sunt duae. Nam prior, est communio sanctorum cum Christo, vt capite omnium. Posterior, sanctorum inter se. Vtrobique est duplex. Nam communio sanctorum aut formalis, id est, Spiritualis atque interna, aut materialis est, id est, corporalis, externa & aspectabilis, atque sub sensum cadens.

7. Christi (vt capitis) & Sanctorum (vt membrorum corporis illius) communio est duplex. Nam aut actus est Christi erga sanctos, vt membra corporis: aut est membrorum erga Christum, vt caput illius: ídque vtroque modo quem diximus, intrinseco atque extrinseco.

8. Huius communionis Christi erga sanctos actus est, quòd intus quidem verbo & Spiritu suo influit in mentes & corda ipsorum, omnia officia & beneficia gratiae praestans in singulis, pro modulo donationis ipsius, & vocationis ipsorum: foris verò externa administratione verbi, Sacramentorum & totius ordinis ac procurationis Ecclesiasticae. Nam quod Deus in nobis agit per Christum, id Christus efficit in nobis intus per Spiritum, foris per ministerium, velut externum Spiritus instrumentum, voluntatem suam externa illa administratione testans, & nos eâdem prouocans ad ordinem, applicationem & conformationem veram & sanctam ipsius.

9. Communionis sanctorum erga Christum actus est, tum quòd illi Christi beneficia intus hauriunt, & foris accipiunt, vt membra à suo capite informata, & vocata ad perceptionem salutaris gratiae, tum quòd tenuitatis suae & infirmitatis conscij, seipsos sistunt quotidie capiti suo intus spiritu, vt in conspectu Ecclesiae foris per lectionem,

lectionem, auditionem, meditationem, orationem, gratiarum actionem, omniáq. iusta membrorum officia, nihil non percipientes ex sui illius capitis (vt vocant) influentia, ad sanctam possessionem & vsum ipsorum priuatim & publicè, singulariter atque communiter.

10. Huius verò communionis Sanctorum inter se actus est varius, pro vocatione communi aut singulari ipsorum. Nam communis est actus omnium, & ad sanctos singulos pertinens, quòd intus Spiritu, fide, resipiscentia, charitate, operibúsque earum spiritualibus communicant inter se, foris verò externis operibus & professioni earum dant operam, quòd Deo sit gloriosum, ipsis conueniens, & fratribus ipsorum vtile, siue Spiritualibus necessitatibus communicent, siue corporalibus ipsorum. (f. 1715.)

11. Singularis autem vocationis, cùm duplex sit modus, priuatus aut publicus, ea verè sanctorum communio est, tum quâ alij aliorum necessitatibus spiritualibus aut corporalibus, prout viri cum vxoribus, parentes cum liberis, domini cum seruis, fratres cum fratribus, proximi cum proximis, vocatione priuata communicant: tum quâ vocatione publica communicant; siue humana atque politica Magistratus atque Populares, siue diuinâ & Ecclesiastica Pastores, presbyteri & diaconi cum grege Christi, siue vtraque magistri & discipuli, ad sanctorum societatem necessarij.

12. Atque haec quidem communio omnimoda in Ecclesia Dei est & esse debet: tum formaliter intus in Spiritu, tum verò foris materialiter corporeâ & aspectabili constitutione ipsius: ex quibus verè atque formaliter essentia Ecclesiae Dei est & agnoscitur simul, prout verbo Dei expressa & designata est. Sed eorum qui solâ specie & professione externa hanc communionem colunt, ratio planè diuersa est. Sunt enim vt in corpore adnata membra aut vitia, vt fungi & ὕφεαρ in arbore: ac proinde licet in corpore sint, non sunt tamen de corpore illo verè essentialiter, de quo censentur esse materialiter, & in quo sumus formaliter viuente in nobis Christo & nobis in Christo de Spiritu eius.

XLVI. DE POTESTATE ECCLESIAE IN FIDEI DOGMATIS.

Thesis I.

De notis & regimine Ecclesiae actum est; deinceps de eius potestate, & primùm quoad fidei dogmata, disserendum. Ipse autem Dominus & Seruator noster hanc Ecclesiae suae potestatem adeò commendauit, vt si quis eam nolit agnoscere, sit reus exitij. Voluit enim per Ecclesiam ea omnia quae fidei sunt nobis innotescere. Illa autem ad nutum Christi se totam accommodans, verbi diuini atque Euangelij lumine depellendis tenebris plus quam Cimmeriis mentium nostrarum inseruit, tanquam viuum Spiritus Christi instrumentum: aeternae salutis & vitae sermonem nobis praetendit: mysteria cognitionis Dei in Christo quam fidelissimè nobis dispensat, in cuius rectam fidem, quasi in vnicam salutis viam, quicunque non ambulat, ad aeternam felicitatem pertingere non poterit. Ac propterea in S. literis tam honorifica vbiq. Ecclesiae fit mentio, vt saepe Mater piorum & fidelium omnium, aliquando Christi corpus, nonnunquam sponsa, interdum etiam Columna & Stabilimentum veritatis appelletur.

2. Ex quibus tamen appellationibus perspicuum est Ecclesiam non habere absolutam

lutam potestatem quidvis tradendi arbitratu suo, sed Christo, id est, verbo ac doctrinae illius subiectam esse: ita vt quicquid Ecclesia potestatis habet, id certis definitisque cancellis sit circumscriptum. Nos certè Ecclesiam vt magistram perpetuam audimus & colimus: vt matrem, nutricem, tutricem veneramur: fatemur non alium esse ordinarium in vitam ingressum, nisi nos ipsa concipiat, pariat, alat, gubernet, quam diu in hoc mundo haeremus. Quòd si nos vel vno matris elogio, quo Ecclesiam Scriptura exornat, inducti, eam tanti aestimamus: cui dubium erit, quin Ecclesia corpus & sponsa Christi, sicut se vitam à capite, id est, ab vno Christo haurire agnoscit: ita sibi ardentissimo studio uocem solius sponsi audiendam esse intelligat? imò verò suae sibi imbecillitatis conscia, summa pietate, religione, constantia, tota ab ore illius pendeat? praesertim cùm Scriptura hanc Christi sponsam, columnam vocet & stabilimentum ueritatis; Retinet a. suffulcit, sustentat, conseruat ab interitu veritatem illam, quam Deus olim multis vicibus, multísque modis Patribus loquutus per Prophetas scriptis mandauit: ac tandem nouissimis temporibus Iesus Christus summus & perfectissimus Ecclesiae doctor mundo exhibitus, Apostolos viua voce docuit: Illi autem à Christo fideliter receptam & praedicatam, non modo sufficienter, sed etiam plenissimè, literis itidem consignarunt. (f. 1717.)

3. Quum enim Deus Opt. Max. praeuideret eum fore Ecclesiae suae in hisce terris statum, vt semper puram Euangelij doctrinam profitentibus, ac veris Ecclesiae pastoribus, adiuncti essent lupi rapaces gregi Christi non parcentes, falsi doctores & hypocritae, qui in perniciem certissimam coniicientes haereses subintroducerent: admirabili certè beneficio, saluti suorum prospectum cupiens, ea omnia quae ad plenam fidem, vitámque aeternam requiruntur, sanctorum hominum operâ ad nos scripto transmisit: vt videlicet ex eorum scriptis, quasi literis nobis à se missis tabulísque publicis, voluntatem ipsius luculenter & abundè intelligere, armáque validissima petere possimus, quibus nos contra exitiales doctrinas haereticorum munientes, easdem etiam reprimamus, profligemus, ac funditus euertamus. Hasce v. literas apud Ecclesiam deposuit, vt suo illa ministerio veritatem iis contentam tueatur, proponat, praedicet, & promulget: nihil eis aut addat, aut detrahat, sed pure ac sincerè retentam, summa fide, diligentia, reuerentiae filiis suis administret.

4. Quare libri S. Scripturarum rectè inscribuntur nomine veteris & noui Testamenti, vtpote continentes plenam perfectámque voluntatem Dei & Christi. Nam haec ratio testamenti est, vt perfectam voluntatem testatoris declaret, perfecti & sapientis perfectissimam atque sapientissimam. Hominis verò testamentum nemo ἀθετεῖ ἢ ἐπιδιατάσσεται, vt est apud Paulum. *Gal.* 3. 15. Ergo multò minus huic Dei Testamento ex humano iudicio addendum aut detrahendum aliquid, aut voluntas Dei alibi quaerenda est: ipso etiam Apostolo teste, cùm inquit; *Etiamsi nos aut Angelus è coelo euangelizet vobis praeter id quod vobis euangelizauimus, anathema esto. Gal.* 1. 8. Atque hoc nostrum ex his verbis argumentum confirmatur etiam iudicio Augustini dicentis: *Siue de Christo, siue de eius Ecclesia, siue de quacunque alia re, quae pertinet ad fidem vitamque nostram, non dicam, si nos, nequaquam comparandi ei qui dixit, licet si nos, sed omnino, quod sequutus adiecit, Si Angelus de coelo vobis euangelizauerit, praeterquam quod scripturis legalibus & Euangelicis accepistis, anathema sit. Lib.* 3. *c.* 6. *contra literas Petiliani.*

5. Adde quòd idem Apostolus non de se ipso tantùm, sed de omnibus quotquot sunt Ecclesiae Doctoribus, Episcopis, Pastoribus dicat: *Sic de nobis reputet homo vt de ministris Christi, & dispensatoribus mysteriorum Dei. Quod superest autem illud requiritur in dispensatoribus, vt quis fidus reperiatur.* 1. Cor. 4. 1. *Si quis enim diuersam docet doctrinam, neque accedit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei*

& ei quae secundùm pietatem est doctrinae, is turget, nihil sciens. 1. *Tim.* 6. 3. Propterea precatur Romanos, vt obseruent dissidiorum & scandalorum authores, docentes nimirum praeter doctrinam quam didicissent, & declinent ab eis. *Nam qui eiusmodi sunt*, inquit, *Domino nostro Iesu Christo non seruiunt, sed suo ventri, & per blandiloquentiam corda hominum minime malorum seducunt. Rom.* 16. 17.

6. Ecclesia igitur Christiana quum habeat firmissimum sermonem Propheticum & Apostolicum complectentem in se plenam, integram & absolutam doctrinam, ideóque perfectam regulam ac veluti mensuram adaequatam eorum omnium quibus Deus non vult certa fidei πληροφορίᾳ assentiri, rectissimè facit, cùm iam multi seductores & pseudoprophetae venerint in mundùm, quòd huic vni attendat, illiúsque robore fulta, magna certitudine, firmáque constantiâ conquiescat: quòd non cuiuis spiritui, hoc est, doctori reuelationem Spiritus iactanti credat, sed doctrinam illius probet an ex Deo sit: quòd denique non vnius alicuius hominis dogma, sed & omnium tam Conciliorum definitiones, quàm Patrum sententias, Pontificum Romanorum decreta, Traditiones, Constitutiones omnes ad praescriptam diuinorum sermonum regulam, reuocet & expendat diligenter, nihilque reccipiat nisi quod cum ea coniunctum sit & per omnia consentaneum.

7. Hoc illud est totius verae religionis fundamentum, quod tot tantísq. belli sui incursibus iugiter oppugnat Satan: cuius quidem omnes omnium aetatum administros totâ πανοπλίᾳ antecedunt, Meretricis Romanae, matris istius scortationum & abominationum terrae mancipia, & assentatores Pontificij, qui vt placita quaedam hominum, ac pestifera sua dogmata sub praetextu traditionum Apostolicarum Ecclesiae obtrudant: condendíque nouos fidei articulos potestatem, qua se aliquot iam seculis in populo Dei venditarunt, stabiliant: diu multúmque (f. 1717) dimicarunt, an S. Scriptura sit modis omnibus consummata, ita vt perfecta fidei doctrina ex ea peti possit. Negant perfidiosè omnes, & cunctas vires suas intendunt, vt Scripturarum insufficientiam nobis persuadeant.

8. Et cùm nemo haereticorum sit, vt Hilarij verbis vtamur, qui se non secundùm scripturas praedicare ea, quibus blasphemat, mentiatur; nitantúrque omnes sua dogmata confirmare, ne sine teste esse videantur, etiam Papistae quò laboriosissimos istos conatus specie vestiant pietatis & blasphemis suis commentis fidem faciant, locos quosdam S. Scripturae in patrocinium trahere nituntur. Qualis est ille 2. Thess. 2. 15. vbi Apostolus ait: *Fratres, perstate, & retinete traditam doctrinam quam edocti estis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* Ex his verbis colligere volunt omnia documenta ad salutem nostram necessaria non esse scripta, ac proinde Ecclesiam habere potestatem fidei dogmata etiam extra Scripturas praescribendi. Atque, non sequitur, si Apostolus iubet Thessalonicenses tenere non minus doctrinam à se viua voce traditam, quàm scriptam, ergo omnia necessaria in Canone nunc edito, plenè cumulatéque non reperiri. Nam nos plures nunc habemus libros, quàm tunc habebant Thessalonicenses. Ea propter in decreto Gratiani 11. Quaest. 3. *Is qui post.* Manifestè prohibetur, ne quid extra Scripturas annuncietur. Et is qui praeter id, quod in S. literis euidenter praecipitur, aliud imperat vel dicit, tanquam falsus Dei testis & sacrilegus censetur.

9. Obtendunt praeterea locum qui habetur 1. Cor. 11. 34. vbi Apostolus promittit Corinthiis, se cùm ad eos venerit reliqua dispositurum. Ostendit autem verbum disponendi, illa de quibus agit Apostolus non ad communem religionis doctrinam, sed ad externos ritus, & ceremonias pertinuisse, de quibus dicit se prouisurum, vt si quae supersint in rectum ordinem redigenda, redigat. An ergo hoc modo argumentabuntur? 1. Cor. 1. 5. *Paulus quòd ad fidei dogmata attinet Corinthios in omni notitia*

 ditatos,

ditatos, & in suis epistolis etiamnum perfectè instruens circumstantias quasdam, & ceremonias ac ritus in sacrorum mysteriorum celebratione se disponere velle promittit; ergo in S. literis non omnia fidei dogmata sunt expressa. Aut hoc modo: *Caetera, inquit Paulus, cùm venero disponam: ergo Papa, Cardinales & Praelati proprio iudicio citra Scripturas quodlibet ingenij humani monstrum parturire poterunt.* Illud profecto argumenti genus priscis Patribus admodum periculosum semper & lubricum visum est. Etenim Augustinus (*In Iohan. tractatu* 79.) ait, *Omnes insipientissimi haeretici, qui se Christianos vocari volunt, audacias figmentorum suorum hac occasione Euangelicae sententiae colorare conantur, vbi Dominus ait, Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.* Ita Papistae occasione horum, & similium verborum, audacias figmentorum suorum volunt colorare.

10. Haec de primo membro disputationis nostrae, nimirum de potestate Ecclesiae in fidei dogmatibus tradendis, dicamus nunc de potestate illius in fidei dogmatibus interpretandis. Liquet autem ex hypothesi iam confirmata, Ecclesiam habere potestatem interpretandi Scripturas, non liberam atque indefinitam, sed certis legibus ac vinculis astrictam, vt scripturas non ex ingenio suo, sed ex ipsis Scripturis interpretetur, sempérque agnoscat suam sententiam esse ad regulam diuinorum sermonum exigendam, & prout cum ea consenserit approbandam. Vti enim in Republica talis constitui iudex non debet, qui ex arbitrio ac voluntate sua legem interpretetur (tum enim quid legibus opus erat?) Sed qui legem ex lege interpretetur: alioqui iniquus iudex erit, si mentem suam non legem ipsam sequatur: Ita in Ecclesia Episcopi & Pastores Scripturam interpretari & voluntatem Dei exponere debent: sed ex ipsa Dei lege id est, Scriptura sacra.

11. Hoc nos suo exemplo docuerunt Apostoli, qui omnem suam doctrinam ex legis diuinae autoritate confirmarunt. *Act.* 4. 8 & 26. 22. Sic ante eos etiam Hezras, vt legimus Neh. 8. 9. legem Dei explanatè populo legebat, & exponendo sensum, *dabat intelligentiam per scripturam ipsam.* Laudantur Beroënses quòd non temerè ac subitò susceperint quicquid Paulus docuit, sed eius quoque praedicationem Apostolicam diligenter ad Scripturas exegerint, 1 *Thess.* 5. 21. Sic pii ac fideles omnes iubentur vt sibi caueant, & quamuis doctrinam diligenter examinent, ne falsa forsan pro veris suscipiant. Scripturarum itaque testimonio opus est, ante(f. 1718)quam aliquid omnino rectè veréque credamus.

12. At vero lucifugae Scripturarum Pontificiarij (*Coster. in Enchiridio, pag.* 49. 50. 51.) absolutam verbi Dei interpretationem penes Ecclesiam esse clamitant: sed quòd ea per vastum orbem diffusa sine gravissimis incommodis vnum in locum coïre nequeat, & pro re nata quaestiones difficiles non rarò exoriantur, Deus, inquiunt maiori compendio fidei integritati prospiciens, Christi vice vnum iudicauit in Ecclesia constituendum, veritatis suae testem, sententiae interpretem, & Christiani populi doctorem: qui seu pius, seu sceleratus, seu idololatra, seu diabolicis artibus operam nauans, seu doctus, seu indoctus, dummodo ex officio pronunciet, Spiritum S. in omnibus habeat directorem, ideóque de quaestionibus fidei decernens errare nunquam possit. Ex eo postulat sibi Papa Romanus morem geri quicquid tandem praescripserit, & sua decreta examinari nullo modo patitur. O impietas! Ecquid nos hoc loco ad horrendas istas blasphemias aliud respondebimus, quàm quod Irenaeus & Tertull. dicebant olim, *ista nouisse vicisse est?* Si superioribus & quidem sanioribus seculis sancti & fideles Ecclesiarum Pastores dictatoriam hanc potestatem, ius hoc summum Scripturas interpretandi Episcopo Romano tribuendum censuissent, in conuellendis haeresibus non tantopere laborassent. Constat inter omnes, maximas fidei controuersias ab illis authoritate non Papae, sed Dei & Scripturarum esse diremtas. Sic Macedonium, Nestorium, Eutychetem S. Episcopi ex Scripturis refutarunt. Sic

Ariani

Ariani in Concilio Niceno diuinis testimoniis sunt refutati & damnati. In hunc enim modum Imperator Constantinus Patres in illo Concilio congregatos alloquutus est: *Sunt libri Prophetici & Apostolici, qui apertè quid credendum sit docent, deposita igitur omni hostili discordia, ex diuinitus inspiratis scripturis sumamus earum rerum, quae in controuersiam vocantur disceptationem.* Atque hoc illud est quò nos petimus dirigi à Domino, & cui haeremus constanter in Domino, cui laus.

XLVII. DE DISCIPLINA ECCLESIAE.

De Iurisdictione Ecclesiae, *in genere dictum est, sequitur eius Disciplina in specie, quae triplex est, necessaria, positiua,* & *voluntaria. Nos autem de Necessaria, quae in Correctione fraternâ & Excommunicatione consistit, & κατ᾽ ἐξοχὴν* Disciplina Ecclesiastica *absolutè vocatur, tantum sumus acturi.*

THESIS I.

Disciplina à discendo dicta propriè est obseruatio legum & ordinationum passiuè; impropriè verò etiam actiuam significationem induit & ad morum institutionem restringitur; quo sensu haec *Disciplina Ecclesiastica* definitur, potestas immediatè à Christo Ecclesiae data, qua fratres in peccata lapsi monentur, corripiuntur, & si impoenitentes & contumaces fuerint, excommunicantur, ad Dei gloriam & Ecclesiae salutem. Potestatem hîc non αὐτοκρατορικὴν (quae solius Christi est, *Matth.* 28. 18. *Ioan.* 17. 2.) sed ὑπηρετικὴν, ministratoriam, subordinatam & definitam, 1. *Cor.* 5. 4. 2. *Cor.* 10. 8. (quae primae illi, cui subseruit, non repugnat) intelligi volumus.

2. *Caussa Efficiens* huius Disciplinae est Christus, qui eam instituit, Ecclesiaeque suae potestatem ligandi & soluendi dedit. *Matth.* 16. 19. 18. 15. 16. 17. 18. *Ioan.* 20. 23. Cum itaque haec potestas sit, non iuris positiui aut humani, quod mutari vel abrogari potest, sed diuini, sequitur, Disciplinam hanc immotam esse & immutabilem, quod ideo notandum est, ne quisquam putet, se Ecclesiae hanc potestatem, quae ab hominibus minime profecta, bono iure adimere posse. *Caussa instrumentalis* est, Ecclesia, id est, senatus Presbyterorum, vel, vt à Paulo vocatur, πρεσβυτέριον, quod Iudaïco συνεδρίῳ successit ex institutione Christi, & in priuatis peccatis etiam fratres sin(f. 1719)guli. 1. *Tim.* 4. 14. *Materia circa quam* sunt peccata siue privata, siue publica omnium eorum qui membra sunt visibilis Ecclesiae & per hoc fratres nuncupantur, *Matth.* 18. 15. & hi tam subditi quàm Magistratus, in regimine tam Politico quàm Ecclesiastico. 1. *Cor.* 5. 11. *Forma*, est modus à Christo praescriptus, *Matth.* 18. 15. 16. 17. 18.

3. *Partes* sunt duae, Correctio fraterna & Excommunicatio. *Correctio fraterna* est actio ad Disciplinam pertinens, quâ fratres de commissis peccatis ex charitate corripiuntur, & ad resipiscentiam seriò admonentur. Versatur autem circa obiectum duplex, peccata scilicet priuata & publica. In *Priuatis* tres gradus sunt obseruandi, quorum primus est, vt qui peccauit, priuatim & clam ab iis solis, qui peccati conscij sunt, arguatur, & si fieri possit ad resipiscentiam permoueatur: *Matth.* 18. 15. Alter, vt, si ad primam correptionem non resipuerit, adhibito vno aut altero teste rursum moneatur,

moneatur, *Matth.* 18. 16. quod etsi cuiusuis sit Christiani, speciatim tamen dirigere oportet Presbyteros, qui Ecclesiae praesunt gubernandae. Tertius gradus est, vt, si ad horum quoque admonitionem pertinax & rebellis fuerit, res ad Ecclesiam, id est, πρεσβυτέριον, deferatur, à quo sui officij commonefiat, *Matth.* 18, 17. antequam enim ad excommunicationem veniatur, omnes viae tentandae sunt, vt, si saluo Dei verbo fieri possit, peccator in Ecclesia retineatur. In *Publicis* verò peccatis haec gradatio non est obseruanda, sed, quia cum publico offendiculo commissa sunt, statim ad solennem Ecclesiae correptionem ex testimonio & exemplo Pauli procedendum est. 1. *Tim.* 5. 20. *Gal.* 2. 14.

4. In Correctione autem fraternâ obseruandum est, vt *primò*, ex charitate fiat: *secundo*, circumstantiae obseruentur, 1. loci, ne quod in occulto commissum est, in publico arguatur. 2. temporis, idque pro ratione delicti, vt hoc statim ἐν αὐτοφώρῳ, illud post factum corripiatur, frustra enim ebrius ebrietatis accusabitur. 3. personae, quae si superior sit, modestius, ne collabatur hominis auctoritatas, & vocationi illudatur: si inferior, acrius & liberius, instituenda est correctio: *tertiò*, patientia adhibeatur, & absit praecipitatio: *quartò*, mediocritas seruetur, ne aut nimiâ lenitate vitia foueantur, aut nimia seueritate homines ad salutem non adducantur, sed ab eâ abducantur. *Haec de primâ Disciplinae parte.*

5. Sequitur altera, *Excommunicatio*, quae duplex est, minor & maior: *Minor* est, quâ ij, qui in fidem, aut bonos mores, aut ordinem publicum impingunt turpiter, excommunicantur, non vt membra Christi absolutè censeri desinant, verum ad tempus tantùm à Coenâ Dominicâ arceantur, donec eorum siue poenitentia, siue fides & officium sufficiens iudicetur, & publico scandalo remedium allatum fuerit: atque hi à Veteribus vocabantur Abstenti. *Cyprian. in epist. Maior excommunicatio* est sacra Presbyterij actio, quâ iuxta normam â Christo traditam frater in peccatis contumax à communione fidelium segregatur, & extra Ecclesiam eiectus Satanae traditur, vt castigatus resipiscat & resipiscentiâ demonstratâ recipiatur; atque hoc sub V. T. fuit ἀποσυνάγωγον γίγνεσθαι. *Ioan.* 9. 22. & 12. 42. & 16. 2. Itaque per quatuor gradus in Ecclesia vetere distincta fuit excommunicatio, quorum primus, σύστασις secundus ὑπόπτωσις, tertius ἀκρόασις, quartus: πρόσκλαυσις dicebatur. Sic enim distinguunt canones, in quibus συνιστάμενοι, ὑποπίπτοντες, ἢ γονυκλίνοντες Concilij Caesariensis can. 25. ἀκροώμενοι, & προσκλαίοντες appellantur. Primi ad minorem, caeteri ad maiorem excommunicationem pertinent. Hic sequentia quatuor capita praecipuè sunt explicanda. 1. cuius sit excommunicare. 2. quinam excommunicandi. 3. ob quas caussas. 4. à qua communione fiat excommunicatio.

6. I. Potestas Excommunicandi ex auctoritate Christi ad Ecclesiam pertinet eámque veram, & à Presbyterio vniuerso legitimè electo (non autem ab vno solo pro ipsius abitrio) exercenda & in congregatione populi denuncianda est, vt cum eius consensu siue tacito siue expresso fiat, nam (vt rectè Leo Papa) *quae ad omnes pertinent, cum consensu omnium fieri debent:* vnde consequitur, Pontificiorum excommunicationes esse ipso iure nullas. *Matth.* 18. 18. II. Excommunicandi autem sunt soli & omnes ij, qui, cùm fratres nuncupantur, in peccatis sunt contumaces: *Matth.* 18. 15. Soli quidem fratres, quia de extraneis non iudicat Ecclesia, 1. *Cor.* 5. 12, & qui in communione non sunt, extra eam eiici non possunt: Soli etiam contumaces, non alij pro ipsis aut cum ipsis, nam *vnusquisque suum onus portabit: Gal.* 6. 5. iure igitur Augustinus *Epist.* 7. 5. Auxilium quendam Episcopum reprehendit quod ob Classiciani peccatum totam ipsius familiam excommunicasset: Omnes verò, vt nemo cuiuscunque status aut conditionis, Ecclesiasticae aut Politicae superioris aut inferioris, se eximendum putet, nec enim Magistratus auctoritati magis derogatur, quam

quam illa regno Christi detrahit: quod non ignorârunt pij Imperatores, Theodosius senior, *Sozom. Hist. Eccles. lib.* 7. *c.* 24. Valentinianus primus, *Theodor. Hist. Eccles. lib.* 4. *cap.* 5. & c. sese Ecclesiasticae disciplinae subiicientes.

7. III. Caussae, ob quas excommunicantur, sunt peccata tam per se publica, quàm quae ex privatis per legitimam processionem, *Matth.* 18. 15. 16. 17. talia facta sunt, eáque siue in primam siue in secundam tabulam, 1. *Cor.* 5. 11. adjuncta contumaciâ cum offendiculo Ecclesiae commissa: itaque hypocritae tantisper dum eorum hypocrisis adhuc est omnibus tecta nec de ea sunt conuicti, excommunicari nec possunt nec debent: Errant etiam Anabaptistae, dum suos ob peccata commissa simpliciter extra contumaciam sine praecedente admonitione iustóque charitatis ordine, excommunicant.

8. IV. *Communio*, à quâ excludi excommunicatus dici potest, est duplex, interna & externa. Prior *Interna*, est communio, quam quisque fidelis habet cum Deo aliisque omnibus sanctis intùs per fidem & charitatem virtute Spiritus Sancti: 1. *Ioh.* 1. 3. Ab hac nemo per Excommunicationem Presbyterij, *Rom.* 8. 38. 35. sed per proprium peccatum excluditur. *Ies.* 30. 2. Posterior *Externa*, est vel Politica vel Ecclesiastica, *Politica* est, quae versatur in rebus & negotiis ad ciuilem & praesentem vitam pertinentibus: ab hac verò neminem separat Excommunicatio ἁπλῶς: non enim prohibentur viri cum vxoribus, 1. *Cor.* 7. 12. 13. *&c.* (quod contra Anabaptistas est notandum) parentes cum liberis & c. post excommunicationem politicè communicare, cum iis degere & debita officia praestare (nam haec est lex naturae, quae tolli non potest) modò ne participent in eodem crimine & nimiâ conuersatione contagionem contrahant: secus extra huiusmodi necessitatis casum familiaritas cum excommunicatis, ne eorum contumacia foueri videatur, prohibita est, 1. *Cor.* 5. 11. hac lege vt eos non vt inimicos habeamus, sed tanquam fratres, vt sui & Ecclesiae rationem habeant, admoneamus, 2 *Thess.* 3. 14. 15.

9. *Ecclesiastica* Communio est Sacramentorum & omnium eorum quae propria sunt fidelium: illa, quae Sacramentorum est, omnino interdicitur excommunicatis. I. propter speciale mandatum Christi, *ne date, quod Sanctum est canibus, nec proijcite margaritas porcis:* 1. *Matth.* 7. 6. Item, *primum reconciliator fratri tuo, & tunc veni & offer donum tuum. Matth.* 5. 24. II. ob effectum triplicem. 1. quoad in ipsis est, polluunt Sacramenta, non quidem bonis, sed sibi, nam *omnia munda mundis, pollutis autem & infidelibus nihil est purum. Tit.* 1. 15. 2. illis non ad salutem sed ad exitium valere possunt Sacramenta: 1. *Cor.* 11. 27. 29. 3. malo exemplo bonos contaminant. 1. *Cor.* 5. 8. 15. 33. Ad verbi autem auditionem quod attinet, licet ἄπιστοι in S. Scripturâ admittantur, 1. *Cor.* 14. 23. 24. non tamen ij quos Presbyterium Satanae tradidit (quia illi doctoribus, hi correctoribus indigent, in illis scientia, in his conscientia desideratur) nisi certo ordine olim admissi sunt, *argumen. verborum* 1. *Cor.* 5. 11. *non enim habetur* μὴ *sed* μηδὲ συνεσθίειν, *confer cum* 1. *Cor.* 10. 27.

10. Per externam autem hanc Excommunicationem propriè impoenitentem ab internâ communione non separat Presbyterium, sed separatum esse declarat, vt qualis est coram Deo talis etiam habeatur coram Ecclesiâ (sic in V. T. sacerdos leprosum, quem iudicabat, non leprâ inficiebat, sed infectum esse pronunciabat) hinc rectè Scholastici quidam, *per Excommunicationem non auferuntur bona spiritualia, sed ablata esse declarantur: Ecclesia non damnificat, sed ostendit damnificatum. Gabriel Biel & Bonauentura in sentent. lib.* 4. *dist.* 18. *qu.* 2. nam iudicium Ecclesiasticum nihil est aliud, quàm promulgatio in terris sententiae in coelis decretae, cuius thesin subministrat Dei verbum, hypothesin autem res ipsa confirmat.

11. Quocirca Excommunicatio externa non est brutum fulmen, sed in coelo quoque

que fit & habetur rata per internam: & qui legitimè in terris è communione Ecclesiae eiiciuntur, iuxta promissionem Christi, *quacunque ligaueritis in terrâ, erunt ligata in coelo. Matth.* 18. 18. 16. 19. *Ioan.* 20. 23. Est autem haec eiectio non absoluta sed conditionalis, scilicet nisi, tantisper dum interueniat resipiscentia, quâ interueniente excommunicatus recipiendus est, ne ob veniae spem praecisam tristitiâ absorbeatur. 2. *Cor.* (f. 1721) 2. 7. Vnde sequitur, secundum immutabilitatem electionis, per externam Ecclesiae excommunicationem electos non desinere esse membra Christi, quamuis ad tempus ἀτροφία laborantia, et quoad vim et efficaciam spiritus non virentia sint membra, nedum fructifera.

12. *Finis* Ecclesiasticae huius disciplinae est duplex, communis & singularis. *Communis* est Dei gloriae assertio, vt 1. cum contumelia & blasphematione diuini nominis inter membra Ecclesiae non numerentur ij, qui turpem & scandalosam vitam agunt: 1. *Cor.* 5. 1. *Rom.* 2. 14. *Iescha.* 52. 5. *Iechesk.* 36. 23. 2. impoenitentes reddantur ἀναπολόγητοι. *Singularis* est Ecclesiae salus, vt 1. contumaces pudore suffusi resipiscant & castigati discant non peccare, 1. *Cor.* 5. 5. 2. *Thes.* 3. 14. 1. *Tim.* 1. 20. *Iudae* v. 23. nam vexatio (vt aiunt) dat intellectum. 2. exemplis & nimia consuetudine malorum boni non corrumpantur, 1. *Cor.* 5. 6. 7. 15. 33. nam (vt ait Augustinus. *De correp. & grat. c.* 15.) *Pastoralis necessitas habet, ne per plures serpant dira contagia, separare ab ouibus sanis morbidam, ab illo, cui nihil est impossibile ipsâ forsitan separatione sanandam.* 3. alij in officio contineantur, & à peccatis absterreantur. 1. *Tim.* 5. 20. Sacramenta & ἀγάπαι non polluantur & ira Dei accendatur 1. *Cor.* 10. 21. 22. 11. 28. 29. *Iudae. v.* 12.

Corollaria.

I. Tertiae & extremae Excommunicationis, quam Rabbini *Schemotha* (q. d. ibi mors, interprete Elia Leuita *in Thisb.*) & Paulus ex traditione procul dubio Iudaeorum μαρὰν-ἀθὰ (q. d. dominus venit, 1. *Cor.* 16. 22.) appellant, aut nullus (cum Chrysost.) aut rarus vsus est admittendus, quia tantum infligitur ob peccatum in Spiritum S. de quo non temere ac non nisi à posteriori in quemquam viuentem pronuntiandum est, cùm non cuiusuis sit illud discernere.

II. Disciplina Ecclesiastica non est nota propria Ecclesiae, à qua separari potest, salua eius substantia; non enim ad esse, sed ad bene esse Ecclesiae, absque illâ, si non subitò, sensim tamen, ruiturae, est necessaria, nam εὐταξία est rerum omnium conseruatrix, & sine ea stare diu non potest quicquam, nisi extraordinaria accedat Dei actio.

XLVIII. DE MINISTERIO ECCLESIASTICO.

Ecclesiae notas, potestatem &c. dignoscere non sufficeret, nec admodum vsui esset, nisi constituerentur quidam quibus earum administratio incumberet, & regimen quoddam externum in Ecclesia visibili esset, quo tanquam instrumento omnibus, & singulis Ecclesiae membris thesauri illi distribuerentur: ideò post theses generaliter de iis quae ad Ecclesiam positas, iam de Ministerio Ecclesiastico, vero illo medio, acturi sumus.

Ministerium

Thesis I.

Ministerium à ministrando dictum, generaliter sumitur pro eâ actione & opera aliena, quâ tanquam mediâ ad aliquid consequendum vtimur; vnde postea κατ᾽ ἐξοχὴν restringitur ad regimen Ecclesiae; siue spirituale, quod spiritum respicit, siue corporale, quod corpus tantùm (quorum etiam I. Presbyterale, II. Diaconale dicitur, secundùm personas administrantes) quia hoc Deus tanquàm medio inseruienti ad electos suos colligendos, eósque regendos vtitur. Nos hîc ministerij nomen spiritualiter sumimus pro spirituali & Presbyterali (cùm caeteris longè praestet). i. pro ministerio eorum quos dicit 1. Tim. 5. 17. Paulus duplici potissimum honore dignos, quòd laborent in sermone & doctrinâ, eos distinguens ab iis presbyteris qui disciplinae & εὐταξίας curam tantùm habent.

2. Vt autem diuersa Ecclesiae facies, sic ministerium reperitur diuersum. In veteri Testamento adumbrationibus futura praesignificantibus, & sacrificiis opus erat; ideo ministerium tale siue earum rerum administratio obtinebat. At verò cùm in N. T. vmbrae desierint & corpori cesserint, diuersum ab illo iam ministerium requiritur. Sed & in diuersa Ecclesiae eiusdem constitutione sub eodem foedere, variè ministerium constituit Domi(f. 1722.)nus ad pastum, & curationem ipsius. Nam tanquam medicamenta quibus curetur morbus Ecclesiae, in eius corruptione & quasi ruinâ, extraordinarium instituit ministerium, & aliquem ad extraordinarium opus in Ecclesia faciendum vocat secundùm vrgentem necessitatem, extraordinario aut ortu, aut motu. quale fuit ministerium Mosis qui legem tulit: Eliae, qui labefactatam Israeliticam Ecclesiam repurgauit: Apostolorum & Euangelistarum, qui Euangelium gentibus annuntiarunt; & primorum nostrorum instauratorum, qui Pontificiâ tyrannide collapsam Ecclesiam pristinae suae puritati reddiderunt. Tanquam pastum verò exhibet ordinario ministerio. Nos, cùm de Ecclesiae benè constitutae statu supra actum sit, de eius ministerio ordinario, quod maximè in eâ viget, instituimus dicere.

3. His positis, sic definimus: Ministerium Ecclesiasticum est munus siue officium, à Deo in Ecclesia pro sua φιλανθρωπίᾳ institutum, virisque ad id legitimè vocatis demandatum, ex quo vitâ, & doctrinâ praeeuntes, Verbum & sacramenta publicè administrant, & priuatim vnumquemque officij monent, ad fidelium confirmationem, infidelium vocationem, & respuentium euictionem, vt Deo pro benignitate & clementia sua erga fideles, iustitia verò in improbos, in aeternum gloria tribuitur.

4. Ex quo duos in Pastoris, siue Episcopi & Presbyteri (συνωνύμως enim illa duo sumuntur in Sacra S. *Tit.* 1. 5. & 7. *Act.* 20. 28.) gradus considerari animaduertimus: vnum communem & alterum proprium. Communis est exemplum, quo vitae probae omnibus exemplis sese praebent: hoc enim fideles quantum in ipsis est, praestare debent: sed potissimùm Pastor. *Tit.* 2. 7. qui cùm sit persona publica, in se omnium oculos habet coniectos, ideóque primùm vt in vitâ priuatâ purus sit, eniti debet: tum in tota conuersatione, (vt pium & grauem virum decet) sua, & vxoris, & liberorum, & famulitij.

5. Alter in Pastoris officio gradus, est illi proprius, quia illi competit tantùm quà Pastor, & duas partes continet: administrationem & ordinem. Administrationem autem, Verbi & Sacramentorum. Itaque prima est verbi administratio, quae est sanae doctrinae, tum publicè in concionibus fidelis propositio, tùm priuatim & apud singulos pro necessitate explicatio, maximè verò afflictos siue spirituali, siue corporali morbo precibus & consolatione leuando. Atque haec immensi sunt laboris 1. *Tim.* 4. 18. lectionemque & studium iuge desiderant. Χαρίσματα. n. illa quae in primitiuâ Ecclesiâ miraculosè

miraculosè conferebat, iam Deus conferre non solet. Et quicquid de Spiritu S. immittendo promissionum habemus, iustum illorum mediorum vsum non tollit. Nam (vt ait Augustinus) Quisquis dicit non esse hominibus praecipiendum quid, vel quemadmodum doceant, si doctores efficit Spiritus Sanctus, potest dicere nec orandum esse, quia Dominus ait, *Matth.* 6. Scit Pater vester quid vobis necessarium sit priusquam petatis ab eo, aut Apostolum Paulum non debuisse praecipere Tito, & Timotheo quid praeciperent aliis. *lib. de Doctr. Christ.* 4. *cap.* 16.

6. Modum autem quem tenere debent Pastores in docendo, satis docet ipsa Sacra Scriptura, simplice & humili stilo, materiam sublimem tradens. Nec enim plus sapiendum est quàm Spiritus Sanctus sapit, qui sese captui nostro accommodans, tantum eloquentiae ornatum rudioribus obscurum sequi noluit. Habet Paulus suam δεινότητα, nec imperitè loquitur Sacra Scriptura. Itaque, nos in sacris benè dicendi donum simpliciter non damnamus, sed affectata nimium Rhetorices praecepta, quibus ambitiosi homines humanae sapientiae verba venditant, suam non Christi gloriam quaerentes, reprehendimus. Caeterùm Pastorem oportet Verbum ὀρθοτομεῖν; 2. Tim. 2. 15. siue enim doctrinam κατ᾽ ἐξοχὴν dictam proponat, siue redarguat, siue instruat, siue corrigat (quae verbi administrandi partes dicuntur) ingenij acumen & in dicendo vis Spiritus non vulgaris requiritur.

7. Secunda pars officij proprij Pastoralis, est administratio Sacramentorum, siue sigillorum à Deo Ecclesiae datorum in singulis applicatio, quae tum demum recta est cùm diligenter obseruatur. I. *à quo* fiat, nempe à legitimè vocato ad id munus homine; Regium enim sigillum ab alio quam ab eo cui hoc munus incumbit appositum, nihil prodest: immò iram regis prouocat, & maiestatis laesae rei habentur qui talia audent: quantò magis ho(f. 1723.)nos ille Deo tribuendus est. Quod non obseruantes Pontificij, & alij, falluntur, Laicis & foeminis in casu necessitatis baptizare permittentes. Et intolerabile illud Bellarmini dogma est, *lib. de Bapt. cap.* 7. quo ait, *Non baptizatum posse baptizare, modò ritum sciat.* II. *Quibus*, fidelibus, scilicet professione, atque foederatis Dei, & quos Circumstantiae Sacramentorum non arceant. III. *Vbi & quando:* Non est ita necessarium tempus seruare, sed liberum est Ecclesiae, modo id fiat publico (quoad eius fieri potest) & iusto Ecclesiae coetu. *Quomodo*, ex institutione Domini, nihil detrahendo vel addendo, ita vt verè dicere possit Episcopus exemplo Pauli, 1. *Cor.* 11. 23. Accepi à Domino quod & tradidi vobis.

8. Hinc potestas clauium, siue ligandi, & soluendi facultas à Christo Pastoribus omnibus in persona Apostolorum data fuit: *Matth.* 18. 18. Nam cùm coelum nobis tanquam firmum domicilium proponatur, cuius porta est Christus, huius verò clauis quà nobis patere possit, fides; hanc proponunt Pastores verbi administratione amplectendam, & Sacramentis confirmandam: & secundùm Euangelicas promissiones poenitentibus gratiam certam, impoenitentibus verò & in peccato manentibus, iustum Dei iudicium denuntiant, ita vt ex promissione, *Ioan.* 20. 23. quorum remiseritis peccata remittuntur eis, si quorum retinueritis, retenta sunt, isti Deum sibi propitium sentiant, illis verò sint diuinae gratiae praeclusae fores, ex conditione semper additâ poenitentiae, aut impoenitentiae siue indurationis cordis: quod satis declarat non absolutam illam potestatem, sed conditionalem, non plenariam, sed ministerialem esse.

9. Efficaciam ministerij satis videt qui attentè cogitat esse tantùm instrumentum, non veram caussam eorum quae per id in hominibus efficiuntur; sicut enim instrumentum eatenus valet quatenus vera caussa efficiens ad aliquid efficiendum eo vtitur; sic, ministerium Deo per id operante efficax est, per se verò nihil efficit. Vnde idem ministerium in Sacra Scriptura aliquando extollitur, aliquando verò deprimitur. Extollitur, quando cum caussa principali coniunctum consideratur: & illi tribuuntur

quae

quae sunt Dei: vt, Paulus 2. *Tim.* 4. 16. Timotheo dicit illum seruaturum seipsum, & alios, quod solius est Dei, non personae administrantis. huius enim vi illa non fiunt, sed Deus per bonos & per malos ministros nihil efficiente vel officiente eorum intentione (vt in coenâ volunt Pontificij) modò bonum semen in terram proiiciant, est efficax. Cùm autem disiungitur à causa illa prima, deprimitur: vnde Paulus, 1. *Cor.* 3. 7. Neque qui plantat, neque qui rigat aliquid est, sed qui dat incrementum, Deus: oppositè nimirum loquens.

10. Tantam ministerij excellentiam non immeritò sequitur *honor* illi habitus qui eius conseruandi instrumentum etiam non minimum est: quemque his fermè partibus constare asserimus, I. *Reuerentiâ*, siue agnitione Diuinae voluntatis de Ecclesia per ministerium conseruanda, quam commendat Paulus 1. *Cor.* 4. 1. Sic de nobis reputet homo vt de Ministris Christi, & dispensatoribus mysteriorum Dei. II. *Amore*, siue beneuolentia erga ministerium & ministros: *Psal.* 84. 11. & 122. 1. idq; non solùm propter communionem Sanctorum, sed etiam propter officium. III. *Obedientiâ* in iis quae sunt ministerij, *Hebr.* 13. 17. IV. *Gratitudine*, in victu, & vestitu, necessariisque rebus ad hanc vitam, pastoribus eorumque familiae conferendo. V. ἐπιεικείᾳ in tolerandis Pastorum infirmitatibus, 1. *Tim.* 5. 19. quae manifestè scandalo non sunt, nec ministerium corrumpunt.

11. Ex his videre est quàm corruptum sit in Papatu ministerium Ecclesiasticum, ita vt in eo nihil purum habeatur. Nam ex ministerio factum est dominium, siue potius tyrannis, vbi pro libidine substantiae verbi addunt & detrahunt, Sacramenta non ex institutione Domini celebrant, & pro denuntiatione illâ ministeriali salutis, vel damnationis, sibi potestatem absolutam arrogant Rom. Pontifices: quale ministerium non reperimus à Christo fuisse institutum; cuius tamen respectu illis honos indebitus defertur, & cùm Petrus, *Act.* 10. 25. inclinationem, honoris signum à Cornelio sibi delatam reprehenderet: tamen Pontifex à Caesare pedum oscula non respuit, immò sibi debitum id esse arbitratur.

12. Atque hi quidem peccant in excessu: sed non minus hallucinantur fanatici Enthusiastae, dum ministerium nullius pretij esse statuunt; & medium illud saluberrimum quo Deus ad nostram salutem vtitur, contemnunt, idque manifestè contra Sacram Scripturam, *Ephes.* 4. 11. Ingratum animum suum produnt, dum tan(f. 1724.) tum beneficium Dei qui propter infirmitatem nostram nos per homines alloqui voluit, amplecti nolunt, sed à Spiritu immediate doceri sibi satis esse aiunt. Quidam autem inter eos aliquantulùm verecundiores asserunt ministerium non omnino rem vanam esse, sed infirmioribus prodesse, iisque qui rudimenta Religionis Christianae adhuc ignorant, non paruo adiumento esse: sed iis qui Euangelium nôrunt, & perfecti sunt (quales se arbitrantur) talibus documentis opus non esse. Nos (vt istis errorum nebulis veram sententiam opponamus) Deum ordinariè suos per ministerium Ecclesiasticum docere, asserimus.

Corollarium.

Fuga euidentis periculi contra Pastoris officium non fit, *Matth.* 10. 23. *Act.* 9. 25. modò extrinsecus in fugam (cum bonâ ouium veniâ, consilio, aut approbatione) conuersus, ad oues intentum habeat affectum, & Spiritu cum eis sit, exemplo Pauli. 1. *Cor.* 5. 5.

XLIX. DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Quandoquidem Spiritus Sanctus, vt nobis applicet quicquid ad salutem requiritur, non tantùm verbo fidei uti voluit, verum etiam alterum instrumentum, Sacramenta scilicet adhibet, idcirco cum hucusque de verbo maximè, iisque quae ad ministrationem verbi pertinent abundè satis dictum sit, ordinis series postulat vt ad Sacramenta, verbi illius appendicis & sigilla, deinceps accedamus. Atque hac quidem disputatione de Sacramentis in genere agemus.

Thesis I.

Sacramentum vox Latina est à sacrando deducta. Cuius vocis vsum Latini Theologi ex communi vsu ad coetus Christianos videntur transtulisse, mutuati scilicet hanc vocem à militari illo iureiurando quo milites reipub. primum, deinde Caesari solenni & sacro quodam ritu, etiam praescriptis verbis sese sacrare atq. obstringere solebant, eáque ratione accommodantes vocis huius vsum ad sacrum illud quasi iuramentum, quod intercedit inter Deum & fideles non simpliciter, sed interpositis & adhibitis sacris ritibus ac ceremoniis constabilitum. Atque haec quidem vox, iam à profano ad sacrum vsum translata quum sumatur vel oppositè, & quidem aut tantùm pro signo, aut tantùm pro signato per synecdochen: vel absolutè pro vtroque, id est signato simul, siue pro totâ illâ actione sacra quae salutem Sacramentorum participationem concurrit: nos, priori omissa, posteriorem eius significationem maximè hîc spectantes Sacramentum hoc modo definimus.

2. *Sacramentum* est actio sacra diuinitus instituta, in quâ fideles publicè oblatum, Euangelio Christum omniaque beneficia eius, verbo fidei exposita, sibi applicant & vniunt modo quodam singulari, vicissim autem gratitudinem & pietatem suam erga Deum profitentur, inter se mutuâ charitate copulantur, & ab incredulis tanquam populus quidam peculiaris Dei discernuntur.

3. *Causam* efficientem, autoremque Sacramentorum statuimus solum Deum, & vnicum Dei hominumque mediatorem Iesum Christum. Nam sicut Dei solius est quaecunque Sacramentis conferuntur promittere, ita etiam illius solius est obsignare quae in verbo promisit. Adeo vt hinc nulla hominibus auctoritas instituendi Sacramenta relinquatur. Nam quemadmodum illi promissionem gratiae Sacramentis semper annexam dare nequeunt, ita neque ipsis signa & sigilla diuinarum illarum promissionum vllo modo comminisci licet atq. praescribere. Vnde apparet, quàm sint illi in Deum iniurij, qui vel noua fabricantur Sacramenta, vel iis quae à Deo instituta sunt, quoad substantiam, aliquid vel addere, vel detrahere moliuntur.

4. *Materia* duplex. Externa & elementaris, quae variat in quolibet Sacramento. Interna & spiritualis quae semper genere & substantiâ eadem est. Has res etiam non incommodè partium nomine, sed essentialium (f. 1725.) censere possumus. Nam quicquid est in Sacramento, aut in sensus externos incurrit, aut res est spiritualis & coelestis, per externam illam significata. Istud signum, hoc verò signatum appellatur.

5. Materia *externa* est ea, quae quicquid sensibus subiicitur complectitur, Verbum scilicet & symbolum. Symbola, siue signa sunt res illae externae ex institutione Dei à communi vsu segregatae, & rebus internis ac spiritualibus nobis significandis, repraesentandis,

sentandis, & praebendis significatae. Symbola cùm dicimus, illud intelligimus quod in Sacramentis sensibus percipitur, non tantùm scilicet corporea illa & elementaria, vt aquam in Baptismo, Panem & Vinum, in Coenâ: verum etiam ceremoniam vel actionem ipsam ministerij & fidelium in Sacramenti participatione, institutioni diuinae congruentem. Quae quidem actio, quatenus externa est, sub materiae rationem venit, quia materialis est. Verbum Sacramentale est id quod Dominus aliâ atque aliâ formâ in quolibet Sacramento pronunciauit. Quod quidem verbum non occulta admurmuratione (vt Pontificij in Coena) sed clara voce vsurpandum dicimus: sin minus, Sacramenta rectè administrari negamus.

6. Materia interna, seu Res significata, est in primis ipse Christus, ac deinde omnia ipsius beneficia: Christus quidem, cum quo necesse est vt vnum fiamus, antequam ex ipso quicquam hauriamus. Beneficia Christi verò, quae tanquam aquae vitales ex hoc quasi fonte in nos deriuantur.

7. Negamus verò ipsum signum habere vim communicandi nobis rem hanc signatam, vt fit pyxide, paropside, &c. Neque enim alligata est gratia signis, naturali, corporali, aut locali modo, quasi particeps illius fiat quisquis signa sumit, vt vt fide destituatur. Sed vnionem signi cum signato Sacramentalem dicimus, quae non est corporea, neque item consistit in coëxistentiâ corporali rei & signi in eodem loco, multò minus in transmutatione (quam Papistae) aut in Consubstantiatione (quam alij fingunt in Coena:) sed σχετικὴ est, consistitque potius, 1. in relatione mutuâ signi, & rei signatae, 2. coniunctâ exhibitione & perceptione signorum, & rerum significatarum: quae vera demum existit in vsu legitimo, in quo solo singuli communicantes signum percipientes simul etiam rem signatam, id est, Christum cum omnibus ipsius beneficiis, verè, non imaginariè, percipiunt, etsi spiritualiter per fidem ex virtute, & efficacia Spiritus S. in nobis operantis. Per fidem dico. Fides enim, vel saltem semen fidei, praecedat necesse est, quandoquidem quicquid absque fide fit peccatum est. Imò tam necessaria fides, vt Sacramentum sine fide damnet, perinde sicuti verbum sine fide occidit. Vtut enim infideles Sacramenta percipiant, condemnationem in se trahunt: vt vt panem corporalem edant, spiritualem tamen illum non percipiunt. At verò fidelibus solus effectus sacramentorum proprius & primarius succedit, qui vt decet, Sacramentis communicant ex vsu legitimo, quando scilicet credentes conseruant eos ritus quos Deus praecepit, eo modo, ac in eos fines propter quos à Deo Sacramenta instituta sunt. Futilia igitur ac inania sunt, quaecunque Pontificij de opere operato nugantur.

8. *Forma* duplex, Externa & Interna. *Externa:* Actio illa tota sensibus externis obiecta legitimè obseruata. *Interna:* relatio sacramentalis omnium antecedentium per operationem Spiritus Sancti, consistens in arcanâ illâ bonorum coelestium cum signis similitudine, ordinatione & applicatione.

9. Neque verò forma ista signa ratione vel substantiae vel qualitatis naturalis, vel quantitatis mutat: sed solùm ratione vsus & finis, cuius gratiâ in Ecclesiâ Dei proponuntur. Quod enim signa sunt rerum coelestium & diuinarum, illud non ex sui naturâ, sed ex ordinatione Dei habent.

10. *Finis* est aut primarius, aut secundarius. *Primarius* est: non tantùm vt sint signa, verùm etiam sigilla gratiae & promissionum diuinarum quae exponuntur verbo, perinde vt sigillum obsignans promissiones in diplomate contentas. *Secundarius:* isque potissimum triplex. 1. vt sint testimonia nostrae pietatis, gratitudinis, debitique nostri erga Deum officij. 2. vt sint signa mutuae in Ecclesiâ charitatis. 3. vt sint quasi nota segregantes veram Ecclesiam à falsa, Christianam à non Christianâ.

11. Sacramentorem alia sunt V. alia N. T. Quorum (f. 1726) notanda quae sit conuenientia, quae item differentia. Conueniunt quidem 1. in causa efficiente, quae vtrobiq.

vtrobiq. Deus est in mediatore foederis Christo. 2. In reipsâ, seu materiá spirituali: nempe gratiâ Dei Christo, & beneficiis eius merito ipsius acquisitis. Differunt verò his potissimum modis. I. in forma externâ. Signa enim & ritus alios habuerunt vetera, alios habent noua. 2. in circumstantiis 1. Numero. Nam Sacramenta N. T. duo, sunt, nec plura; Veteris verò fuerunt plura. 2. in modo significandi. Nostra enim liquidius gratiam, Christum & eius beneficia repraesentant: illa obscurius, illa res exhibendas adumbrabant, nostra verò res iam exhibitas significant. 3. in duratione. Illa enim erant temporaria, quae propterea vmbrae rerum futurarum cessare Christo veniente debebant. Nostra verò sunt perpetua, quae vt Christum exhibitum repraesentantia ad consummationem seculi vsque durabunt. 4. in extensione, Quia illa ferè solis Abrahami posteris erant instituta, haec verò ad totam Catholicam Ecclesiam pertinent in terris.

12. Cùm autem N. T. illa tantum sint vera & legitima Sacramenta, quae sunt ceremoniae institutionem Christi habentes tanquam regulam formatricem praescriptam toti Ecclesiae cum annexâ promissione gratiae Euangelicae: ac in nostris quidem Sacramentis (Baptismo & Eucharistia) solis hae conditiones reperiantur, in reliquis verò Pontificiorum quinque minimè, non immeritò Poenitentiam, Confirmationem, Vnctionem externam, Ordinem Ecclesiasticum, Matrimonium ex Sacramentorum numero expungimus.

L. DE SACRAMENTIS IN GENERE.

THESES ELENCHICAE.

Quum Satan, salutis nostrae iuratus hostis, nunquam magis saeuitat quàm inter fideles, nusquam operosius insaniat quàm in Sacramentis, operae pretium erit, detecto errorum fuco, nudam veritatem intueri, vt per Sacramenta, verbi appendices, in fide confirmati, Christum cum suis beneficiis nobis applicemus: et ita palmarium quod nobis Satan eripere conatur, illi eripiamus. Ac primùm agamus de nomine; secundò de re ipsa.

Thesis I.

Vocis Sacramenti πολυσημία ex finis obseruatione duxit originem. Qualem enim indicabant Theologi fuisse finem institutoris, vel rei institutae effectum talem nominis sensum finxerunt. Vnde factum est, vt *Sacramentum* dupliciter consideretur: Politicè vel Ecclesiasticè. Secundùm primam acceptionem ἔτυμον in re ciuili dicitur à loco sacro, in quo deponebatur litigantium pecunia, quorum vincens suam auferebat, victus suam aerario relinquebat. Vel in re militaria iuramento per Sacrum quiddam sc. cùm milites sacrandi obligabant se duci suo, eiusque insignia induebant, per quae à reliquis discernebantur. quo sensu voluerunt Theologi Sacramentum, notam esse, per quam à reliquis Satanae synagogis separamur.

2. Secundùm posteriorem dupliciter denuò consideratur. Oppositè sc. cùm nomen attribuitur tantùm signo aut signato per synecdochen, vt Patres plerique locuti sunt: vel absolutè,

vel absolutè, vt Theologi veteres & recentiores. Veteres eodem sensu intelligebant quo μυςήριον & iisdem finibus cum illo terminauerunt. Mysterium autem tria significat. I. Consilium, secretum & arcanum, Dan. 2. 27. vt liquet ex ἐτύμῳ. Dictum enim est à μύω propriè, vel ἀπὸ τοῦ δεῖν μύσαντας τηρεῖν ἔνδον vel vt aliis placet à μύω & ς´μα, vel à μυέω, vel à μύσειν & τηρεῖν 2. Significat arcanum diuinum: *Coloff.* 2. 2. *Ephes.* 3. 4. 5. 1. *Tim.* 3. 9. 16. 1. *Cor.* 13. 2. & 15. 5. 3. Arcanum diuinum symbolicum, &c. expressum per ceremonias, tupos, parabolas, allegorias, imagines, signa & figuras: quo sen(f. 1727)su recte Augustinus, *epist.* 5. *ad Marcell.* Omnia, inquit signa cùm ad res diuinas pertinent, Sacramenta appellantur.

3. Recentiores habita ratione μυςηρίου dicunt Sacramentum nostrum esse arcanum diuinum, quod pro Symbolis habet signum & figuram. Habita verò ratione vsus politici dicunt esse quoddam fidelium iuramentum, per quod nos Christo duci nostro adstringimus, & velut Christi tesseram esse qua nos ornat, & pro militibus suis agnoscit.

4. Non igitur deficiendo sensum Sacramenti à mysterio separemus, vt Sacramentarij, nec excedendo mysterij sensum à sacramento diuidimus, vt Vbiquitarij & Pontificij: sed vtrumque coniunctum dicimus comprehendere nostrum sacramentum.

5. Sequeretur iam rei definitio, sed perspicuitatis gratia praemittemus decem integritatis partes, quae necessariò requiruntur, vt ista quae sensibus subiiciuntur integra sint. Necessarium est 1. vt sit signum. 2. vulgare. 3. visibile. 4. voluntarium. 5. vt habeat ἀναλογίαν ad significatum. 6. expressum mandatum in Nouo Testamento. 7. Promissionem Euangelicam. 8. &vt adiungatur signo. 9. vt sit generalis promissionis particularis applicatio. 10. vt sit ceremonia solennis & perennis.

6. His ita propositis *definitio* talis emanat. Sacramentum est actio sacra in Ecclesia, diuinitus instituta, in qua adhibitis quibusdam externis cum verbo institutionis promissionísque, tamquam signis visibilibus gratiae inuisibilis, Christus se tradit nobis ex Euangelio, & fides nostra sic confirmatur, et Iesum Christum cum omnibus eius beneficiis sibi applicet & vniat: Ecclesia verò tum gratitudinem suam ergo Deum testatur, tum mutua charitate inter se copulatur, & ab aliis gentibus secernitur.

7. Nihil igitur est quod dubitet quispiam, an possit definiri. Nam cùm sit aggregatum per accidens, non naturaliter, sed ordinatione (vt corpus ciuium) aequali iure definiri potest.

8. *Genus* sacramenti non est signum, cùm inuisibilem gratiam nullo modo complectatur, quae tamen est primaria pars Sacramenti: sed *actio* Sacra, tam Dei quàm hominis operationes comprehendens. Actio enim est naturalis vel voluntaria. Voluntaria est θεωρητικὴ vel προαιρετικὴ: & haec iterum duplex, sc. ἠθικὴ vel ἐκκλησιαςικὴ quam ceremoniam appellamus, & sub hoc titulo quicquid inest Sacramentis legitimè contineri affirmamus.

9. *Causam* efficientem statuimus solum Deum Christúmque Mediatorem, quòd eorum tantùm sit signum instituere, qui ius habent promittendi signatum, & potentiam applicandi. Nullus autem homo nouit consilia Dei: *Rom.* 11. 34. *Esai.* 41. 18, nec quisquam potest ex se vel promittere gratiam Euangelicam & remissionem peccatorum, vel actu remittere praeter solum Deum: *Esai.* 43. 25. Quapropter non solùm fallunt nos signa voluntate hominis ordinata, sed etiam Deo summam iniuriam inferunt, qui tantum authoritatis absque illius verbo in se suscipiunt.

10. *Integritas* autem *institutionis* Diuinae talis est, vt quoad substantiam nihil addere vel detrahere liceat, ne fiat Sacramenti deprauatio, quam Bellarminus, *lib.* 1. *de Sacram. cap.* 21. vocat necessitatem Sacramenti. tantam verò negamus esse, vt quoad accidentia, sc. verba & syllabas, aliquid mutare, corrumpere, transponere, vel interrumpere nefas dicamus: imò ritus Ecclesiastici addi possunt & seruari debent, modò

modò absit necessitas & superstitio. Quae enim fine suo destituuntur, & ad peccatum pronos inclinant & fouent (cùm sint ἀδιάφορα) excindi debent instar aenei serpentis.

11. *Materia* bispartita est, in externam & internam. *Externa* est quicquid sensibus subiicitur, siue symbolum sit, siue actio, siue verbum. Symbolum est illud elementu m quod manu ministri communicatur accipienti; quale est aqua in Baptismo, & panis vinúmque in Coena: quod solum à pluribus Materia dici solet. Actio est illa ceremonia ministri & fidelium in Sacramenti participatione, quae quatenus externa est materiae rationem induit. Verbum autem est duplex, institutionis & promissionis. Ad primum referuntur ista, Ite, docete, baptizantes, &c. *Matth.* 28. 19. *Marc.* 16. 15. &, Accepit panem, &c. *Matth.* 26. 26. *Marc.* 14. 22. *Luc.* 22. 17. 1. *Cor.* 11. 24. Ad secundum ista, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: & in Coena, Hoc est corpus meum. (f. 1728) quod eatenus tantum pro materia habemus, quatenus auditu percipitur, & sensibile redditur. Si enim sensum respiciamus, erit materia interna: si vnionem cum elementis & ceremoniis, tum formale dicendum est.

12. Symbolum autem, secundum institutionis sensum, loco & tempori commune approbamus, quodque vulgus ordinarium habet in mensa ordinaria: ideo eos reiicimus, tanquam veritatis inscios, qui aut extraordinarium vt Pontificij, aut miraculosum vt Vbiquitarij, in Coena Domini statuerunt. Reiicimus etiam Pontificiorum Sophisma (*Bellarm. de sacram. lib.* 1. *cap.* 14.) qui à nobis exigunt duplicem promissionem; vnam praecedentem, vt diploma sigillum, quae effecti rationem habeat: alteram praesentem (vt ita loquar) quae promittat sigillum fore efficax ad imprimendum. Cùm enim verbum tum institutionis, tum promissionis additum elementis efficiat vt sint sigilla, manente tamen integra promissione de effectu, quae est in Baptismo, In nomine Patris &c. in Coena, Hoc est corpus meum, &c. quorsum petunt promissionem particularem vt sigillum possint imprimere, nec cogente salute nostra, nec ministrante Scriptura? aut suo iure promissionem nostram de effectu restringunt ad priorem illam quam expetunt, nisi vt salutis nostrae certitudinem nobis adimant astutiis suis, dum vt praestare non possunt?

13. *Interna* materia est in primis Christus ipse, *Gal.* 3. 27. *Rom.* 6. 3. cui inseri debemus per fidem: tum beneficia eius, *Ioann.* 15. 4. quae tanquam succi vitales à radice in omnes suos ramos diffunduntur: et ita tandem in nobis fructus bonorum operum formant, & procreant.

14. Haec autem quoniam in promissione breui implicantur, negamus Sacramenta rectè administrari, nisi concione clara voce & intelligibili explicentur. Non enim mandat vel promittit Deus quicquam elementis, sed fidelibus viuentibus, & frustrá quaeritur qui apprehendat, vbi ignoratur quid apprehendendum. Verbum autem illud quà concionale, non est forma vel essentialis pars Sacramenti, sed de essentia: nec vtile tantùm, sed & necessarium: quod tum ipse Christus fecisse videtur ante Coenam, licet non exprimatur: quia summa tantum capita recensuerunt Euangelistae, cùm mandauit Apostolis, Docete, Baptizate: quae cùm Christus coniunxerit, nemini erit licitum pro libitu disiungere. Corruunt ergo eorum Sophismata & quasi magica circa sybolum incantatio: nec tacitam, imò non intellectam obmurmurationem sustentare valet absurda excusatio, scilicet si Deum tantum inuocare, qui satis callet Latinam linguam.

15. *Forma* est duplex, externa & interna. *Externa* est essentialis vel accidentalis. Essentialis est verbum institutionis & promissionis, de quo bene Augustinus, *tract.* 80. *in Ioan.* accedat verbum ad elementum & fit Sacramentum. Per hoc enim externa sensibilia proprietatem istam accipiunt, vt iam signa sint rerum inuisibilium, vbi ex natura sua nihil tale significarent, non infundendo nouam aliquam qualitatem, sed tantum mutando vsum.

16. Nam

16. Nam signum cùm multiplex sit, diuidendum cum multis in duas species: in naturale, vt fumus est signum ignis: & voluntarium, quod non sua natura, sed ex voluntate instituentis significat, vt panis est signum corporis Christi, Vinum sanguinis. At hoc demum est triplex. 1. Significans tantùm, vt effigies hominem, haedera vinum vendibile, quod θεωρικὸν vocat Bellarm. *lib.* 2. *cap.* 8. *de Sacram.* 2. significans & obsignans, quod nostris Sacramentis conuenit. 3. praebens quod significat & obsignat, quale etiam nostrum est, si occultam Spiritus sancti virtutem coniungas: si verò separetur, vt faciunt aduersarij, negamus ipsum signum habere vim istam communicandi nobis gratiam, ut pyxis medicinam. ideóque malè Bellarminus ipsum signum πρακτικὸν vocat.

17. Pater igitur vnionem Sacramentalem signi & signati non esse existentiam aut inclusionem vnius in alterum, sed σχετικὴν & relatiuam. Cùm enim signa sint voluntaria, aequum est vt valeant ex pacto instituentis. Christus autem qui dixit, Hoc est corpus meum, ab Apostolo, 1. *Cor.* 10. 16. fidelissimo interprete explicatur, Est communio corporis, 1. efficax tessera nostrae cum Christo communionis & incorporationis, secundùm vsitatam scripturae loquendi formulam. Vnde etiam sacramentalis illa praedicatio prouenit, qua signo tribuitur quod est signati, & vice versa, scilicet, propter coniunctam Sacramentali vnione similitudinem & ἀναλογίαν (f. 1729). Propterea signum dici non debet, à quo inuisibile signatum nullo modo delineatur. Nam probè Augustinus, *de doctr. Christ. lib.* 2. *cap.* 1. signum dicit quod praeter speciem, quam sensibus ingerit, aliud aliquid ex se facit in cogitationem venire.

18. Hinc etiam patet vnionem tandiu durare, quandiu ipsa relatio, qua cessante cessat & illa. ideóque pereant fictae opiniones de sanctitate symbolorum extra actionem Sacramentalem, eósque meritò pro idololatris habeamus, qui vel aquam Baptismi, vel Coenae panem, tanquam rem diuinam, & per consequens corpore Christi longè praestantiorem adorant.

19. Accidentalis forma est legitima actio secundùm Christi institutionem, qua dum Minister partes omnes congregat, & ordine ministrat, efficit vt cognoscatur essentialis forma, sed ipsius actio illa non est. Interna verò est occulta Spiritus Sancti operatio, qua nobis Christum communicat cum omnibus suis beneficiis.

20. *Finis* est duplex: proprius & accidentalis. Proprius item duplex; primarius & secundarius. Primarius est significare & designare in cordibus fidelium gratiam Dei Patris in filio suo: *Rom.* 6. 4. 1. *Cor.* 10. 16. vt sigillum obsignat promissiones in diplomate contentas: *Rom.* 4. 11. eandémque instrumento verbi & sigillo ritè vtentibus per Spiritum Sanctum conferre: *Matth.* 16. 23.

21. Secundarius triplex est. 1. vt fideles gratitudinem suam erga Deum testatam faciant, commemoratione Christi, & annuntiatione mortis illius. 2. Vt charitatem inter se vinculo societatis exerceant: 1. *Corinth.* 10. 17. 3. vt nota ista segregentur ab omnibus Satanae Synagogis.

22. Accidentalis est condemnatio indignè communicantium: 1. *Corinth.* 11. 19. Deus enim, cùm sit iustus iudex, non potest minori poena tantam contumeliam tum in se, tum in filium suum oblatam, vlcisci, quàm aeterna condemnatione.

23. Reiicimus ergo eorum sententias, tanquam noxias & haereticas, qui Sacramentum nimium extenuando vnum tantùm ex his finibus seligunt, & docent sacramenta esse tantùm signa gratiae, ante & extra Sacramentum collatae: vel notas Christianorum: vel sola Symbola mutuae Charitatis: vel, picturarum instar, quasdam esse commonefactiones.

24. *Effectus* rei totidem sunt quot efficientis causae finales. Sed cùm aduersarij in primario illo effectu plurimum haereant, & in ignorantiae tenebris libenter latitent, ansam

ansam subterfugij admota veritatis luce illis adimemus, quod vt assequamur, duo sunt consideranda. 1. Effectum praecedentia. 2. Effectus ipse.

25. Praecedentia, respectu Dei & hominis. Deus Pater ex mera gratia nobis affert filium suum Iesum Christum, id est, eum qui pro omnibus mundi peccatis satisfecit, & pollicetur conditionaliter sub signo ministri & Symbolorum se daturum singulis Iesum illum pro peccatis nostris sponsorem, vt per illius beneficia iustificati vitam aeternam obtineamus, modò in illum credamus, & per fidem oblatam Christi apprehendamus.

26. Respectu hominis igitur necesse est vt praecedat fides, vel saltem foedus & semen fidei (vt in infantibus, quod coram Deo idem cum actu valet:) nam sine fide nullus Iesus, *Ephes.* 3. 17. Extra Christum nihil nisi mors est, *Ioann.* 3. 38. & sine Christo nulla gratia; *Ephes.* 2. 5. imò quicquid sine fide fit peccatum est, *Rom.* 14. 23. Ideóque si viuere velimus fide opus est, *Abac.* 2. 5. *Galat.* 2. 16. si iustificari propter Christum, id fit sola fide. *Galat.* 3. 11. Nec tantùm fidem necessariam volumus, vt remoueatur obex, sicut siccitas in ligno comburendo consideratur: sed vt agentem & instrumentum, quae velut manu apprehendatur Christus.

27. Eadem enim est ratio verbi & Sacramentorum: in vtroque fides aequè requisita, aequè necessaria. Verbum sine fide occidit: *Ioan.* 12. 47. 2. *Corinth*, 2. 16. Sacramentum sine fide damnat. 1. *Corinth.* 11. 27. 29. In hoc tantùm differunt verbum & Sacramentum: quod illud accendat fidem, hòc foueat: illud sit instar diplomatis, hoc sigilli: illud omnibus offeratur, & ad ipsum sacramentum necessarium sit, hoc non item. Non (vt perperam Bellarminus, *lib.* 2. *de sacram. cap.* 11.) illud manum porrigentem, hoc operantem nuncupamus. Nam si manus operans ad fidem referatur, in vtrisque est operans: si ad Dei instrumenta, ambo sunt porrigentes, & Deus per illa operans. (f. 1730.)

28. Sequitur iam ipse effectus, qui pro ratione praecedentium variatur. Deus enim singulis infallibiliter gratiam suam offert cum Symbolis, sed non alligauit Symbolis, ita vt infideles panem Domini capientes, & non panem Dominum, condemnationem suam in se trahant, quia corporali manu apprehendunt signum: sed spirituali deficiente indigno contemptu abigunt signatum.

29. Dicuntur autem infideles indignè comedere, non quòd panem spiritualem capiant, sed quòd corporalem edentes spiritualem contemnant. quod etiam fatetur Bellarminus; licet idem alibi (*lib.* 2. *de sacram. cap.* 4.) si fortè infidelibus detur illis non prodesse. *Si enim malus edere posset* (inquit Origenes in Matth.) *non scriberetur, Qui edit hunc panem viuit in aeternum.*

30. Cum verò fideles communicant Sacramentis, vt decet, tum succedit effectus proprius & primarius, sc. confirmatio fidei & arctior communio cum Christo capite suo. Modum si quaeras, sic habe.

31. Fidelis respiciens iustificationis causam efficientem in Patre, Filio & Spiritu sancto, speciatim verò materialem in filio, ac velut instrumentalem in Sancto Spiritu verbo manifestatam, certò credit ad se pertinere gratiam istam; sed tamen dubitat: audit, sed tanquam per parietem. Hanc infirmitatem vt sustentaret Deus, verbo suo signum adiecit, quo nobis confirmaretur: non quòd maiorem auctoritatem illi adferat (nam tota est à verbo αὐτοπιστῷ) sed quòd claritatem addat maiorem. Licèt enim promissio per se nota sit, & auditu percepta, tamen rei visibili, tangibili, & gustabili adiecta, clarior, certior & notior nobis redditur. Quo sensu bene Augustinus verbum visibile nuncupat: *contra Faustum, lib.* 19. *cap.* 16. Malè aduersarij mutum: *Bellarm. de sacram. lib.* 1. *cap.* 14.

32. Non solùm confirmant Sacramenta, sed etiam praebent maiorem fidei mensuram,

suram, non autem virtute signi: *Bellarm. lib. 2. de sacramen. c.* 11.) quia corporalia vltra corpus se non extendunt, nisi quid physicè vltra suas vires agere possit. & si virtute diuina eleuetur signum, vt animam purget & enutriat, vbi nobis innotescent, si desit testimonium? Nam à potentia ad voluntatem, vel à praedicatone Sacramentali, non valet consequentia. & similitudo de fimbriis negatur, cum illic videre esset fimbrias sanasse morbos; hîc non item. ideóque non iniuria quaerimus, quomodo.

33. Praebent ergo virtute Spiritus Sancti tanquam κυϱίου αἰτίου. Signa enim obiectiuè mouent, vt radij solares: sed Spiritus facultatem videndi, scilicet fidem, dat & auget. Illa persuadent vt firmissimum argumentum: sed spiritus intellectum praebet, quo capiat argumentum. Hoc sensu intelligendi sunt Patres. August. *Aqua corpus tangit, & cor abluit.*

34. Quapropter flaccescunt quae de opere operato garriunt aduersarij. Nam praeterquam quod peccant in regulas Grammaticae (*Bellarm. de sacram. lib. 2. cap.* 1. quia falsò citatur autoritas, *Hebr.* 13. 16. vbi non est *promeretur Deus*, sed *talibus delectatur*: nunquam probabunt ipsam externam actionem sacramenti; quae consurgit ex debita applicatione formae & materiae conferre gratiam absque fidei operatione, imò damnat, vt vidimus supra.

35. Hinc patet externa sacramenta non esse necessaria simpliciter, vt pessimè aduers. *Bellarm. lib. 2. de Sacram. cap.* 4. *Qui credit & non baptizatur, damnatur.* sed κατά τι, tanquam medium commodum. Nam priuatio baptismi externi non est priuatio gratiae, sed contemptus: & dum *Latroni voluntas baptismi non obfuit, sed tantum non accipiendi necessitas adfuit*, sola fide saluatus est. *Augustin. contra Donatist. lib.* 4. *cap.* 23. vt iam etiam adulti vera fide iustificantur, prius quam Sacramenta receperint.

36. Cùm verò persona Ministri non concurrat ad Sacramenti essentiam, duo necessariò eliciuntur. Primò dignitatem eius vel indignitatem nihil addere aut detrahere sacramentis, ideóque nec prodesse, nec deesse communicanti. Secundò intentionem eius non promouere vel impedire effectum, modò omnia celebrentur secundùm institutionem.

37. Si enim minister intentus sit actionibus suis, facit quod debet. Si peccet, illius vitium est, non propterea & Deum mendacem reddet. Nam vt verbum Dei virtus est ad salutem omni credenti. *Rom.* 1. 16. si (f. 1731) purè praedicetur, licèt ipse minister sit infidelis. *Philip.* 1. 15. ita Deus per Sacramenta fideli suam gratiam confert & Christus per baptismum efficax est, licèt Iudas ministraret. Quippe quòd talis sit Baptismus, in cuius potestate datur, non per cuius ministerium.

38. Pereunt ergo aduersariorum Sophismata de intentione virtuali qua forma Sacramenti determinetur, vt materia verbi. Hoc enim falsum est, illud perniciosum, vtpote quod certitudinem salutis nostrae labefactat, dum ignorantes aliorum intentiones de effectu Sacramentorum dubitaremus.

39. Sacramenta sunt duplicia: temporaria & perpetua. *Temporaria* sunt illa Veteris Testamenti, qua Christi aduentu finem sumpserunt. Súntque communia vel miraculosa. Communia sunt significatiua vel obsignatiua. Significatiua tantùm sunt Sacrificia futurum Christi aduentum figurantia. Obsignatiua sunt Circumcisio & Agnus Paschalis. Per illam scil. praeputij abscissionem peccatorum remissio significabatur, & credenti obsignabatur. Per hunc analogicè significabatur fideli Spiritualis animae nutritio propter Christum mactandum. Miraculosa sunt transitus per mare rubrum, nubes, columna ignis, manna, aqua ex petra, & aeneus serpens. *Perpetua* sunt illa Noui Testamenti, quae duratura sunt ad Mundi consummationem. Súntque duo communia toti Ecclesiae, Baptismus & Coena Domini.

40. Vt autem sciamus quid Sacramenta, sc. Baptismus & Eucharistia commune habeant cum veteribus, quid particulare, obseruanda est praedicta distinctio, quâ veterum Sacramenta in significatiua tantùm, & obsignatiua cum significatione diuisimus. Nam priora illa scilicet sacrificia cùm salutem non contulerint, sed tantùm Saluatorem promiserint, & futuram Christi incarnationem figurauerint, nullo modo cum nostris conuenire affirmamus, sed duas aduersas constituere species.

41. Ita tamen cum nostris vinculo rationis vniuntur, vt istis positis necessitate quadam nostra sequantur, quatenus illa fuerunt vmbrae, nostra sunt corpora: illa figurae, nostra figurata; illa venturum Christum indicabunt, nostra iam in carne exhibitum demonstrant: & vt probè Augustinus contra Faustum, *lib.* 19. *cap.* 14. Illa fuerunt promissiones complendarum, haec sunt indicia completarum.

42. Obsignatiua verò ita cum nostris conuenire asserimus, vt in substantia eadem sint, in circumstantiis diuersa. Nam quoad substantiam, eadem illis oblata erat gratia, eundem cibum spiritualem comederunt, eundem habuerunt Spiritum fidei, eandem vitam sperabant, & ad eundem Patrem aspirabant. In signis, inquit Augustinus, diuersa fuerunt, in rebus quae significabantur paria. *tract.* 26. *in Ioan.*

43. Quoad *circunstantias* differunt septem modis. 1. modo communicandi gratiam, scilicet signo. 2. numero. 3. claritate. 4. executionis facilitate. 5. extensione. 6. duratione. 7. quantitate effecti, quatenus nostra maiorem gratiae quantitatem conferunt. Malè autem distinguunt Pontificij, dum dicunt illa contulisse gratiam ex opera operantis, haec ex opere operato: illa promissiones temporales habuisse tantùm, haec spirituales: illa seruitutem generasse, haec libertatem; illa veterem hominem tantùm spectasse, haec renouare: illa sanctitatem legalem operasse, haec spiritualem.

44. Qouad veterum sacrificia, confitemur illa nostris sacramentis longè inferiora esse; imò ne nomen quidem nostris competere, cùm in sacrificiis nostra Deo offerimus, in sacramentis Deus nobis confert; nisi pro diuersa partium Sacramentalium consideratione dicere velimus Deum in persona ministri ἱλαςικὰ nobis tribuere; nos contrà pro beneficiis Deo εὐχαριςικὰ referre.

45. Cùm iam viderimus conuenientiam inter Veteris Testamenti & Noui Sacramenta, restat vt discrepantiam inter nostra & Pontificiorum Sacramenta breuiter delineemus.

46. Asserimus igitur numero duo tantùm esse totius Ecclesiae sub Nouo Testamento Sacramenta, quae vt vera & legitima sint requirunt Christi institutionem, tanquam regulam formatricem toti Ecclesiae praescriptam in communicatione gratiae & Euangelij totius obligatione & applicatione publica in singula membra ipsius. Et propterea cùm in nostris tantùm Sacramentis, scilicet Baptismo & Eucharistiâ, haec re(f. 1732)periantur, non immeritò reiicimus septenarium numerum Pontificiorum, cuius primùm substantia conuenit cum nostris, ideóque non iteramus, secundum nomine tantùm, ideóque improbamus: ambo numero consentiunt, in eóque non dissentimus: sed reliqua quinque, vtpote ex humano cerebro decerpta, Ecclesiae iniuriâ obtrudi pro Sacramentis affirmamus.

47. Nam primò nulli eorum competit tota definitio Sacramenti. Dein poenitentia non habet signum visibile. Si enim solus auditus posset sufficere ad maiorem fidei confirmationem, quidni etiam concio Sacramentum erit? imò deberet potius esse, cùm clarius sit quod pluribus verbis explicatur, quàm cùm dicitur, *Ego te absoluo*, &c.

48. Denique in Confirmatione desideratur verbum mandati, & promissionis Euangelicae. In extrema vnctione promissio (nobis) facta. In Ordinibus Ecclesiasticis signum à Christo institutum & promissio Euangelica. In matrimonio verbum tum promissionis, tum institutionis. Non enim quaeuis parabola & similitudo Sacramentum

dicetur

dicetur Noui Testamenti, quin, non dico septem, sed & infinita penè Sacramenta statuamus.

LI. DE PÆDOBAPTISMO.

Quandoquidem Anabaptistae multis rationibus Infantium Baptismum conuellere contendunt, operae pretium videtur, doctrinae huius veritatem, fundamenta, & ortum ex verbo Dei ostendamus, eámque ab aduersariorum telis vindicemus.

Thesis I.

Constat, Deum quo tempore foedus cum Ecclesiâ suâ sanciret Sacramenta instituisse, quibus insignirentur omnes qui foederis essent consortes, vt iis insignitus tanquam symbolis & sacris tesseris ab infidelibus discernerentur. Infantes autem fidelium in foedere esse probatur, tum ex formulâ ipsâ foederis eius *Deus tuus, ac seminis tui. Gen.* 17. 1. Tum ex eo quod Paulus eos dicat esse sanctos (sancti enim esse non possunt, nisi qui in foedere sunt.) 1. *Corinth.* 7. 14. Vnde sequitur nec posse, nec debere eos signo Baptismi priuari qui sacramentum est eorum quoque aetati conueniens & destinatum à Deo, vtpote signum receptionis in Christum & Ecclesiam, à quâ non magis debent arceri quàm à salute. Quae enim Deus coniunxit, non sunt separanda, communio scilicet foederis & signum communionis, receptio in Ecclesiam, & signum receptionis.

2. Deinde Sacramentorum veritas ex promissionibus diuinis & sacris mysteriis, quibus applicandis & obsignandis, instituta sunt, prorsus dependet; adeo vt dicere possimus, ad quos beneficia Christi, & promissiones Dei pertinent, ad eos etiam pertinere signa Sacramentalia quae sunt promissionum appendices. Et hanc esse videmus argumentationem quâ vtitur Petrus: *Act.* 2. 38. 39. Probaturus enim baptizari debere, in remissionem peccatorum, Iudaeos quos alloquebatur, hanc adfert causam, *Quia vobis* (inquit) *facta est promissio.* Infantibus autem fidelium factas esse promissiones: nemo negarit: Quum testetur Deus Abrahamo se fore illi Deum & semini eius: Iuxta illud Petri, *Ad vos & ad liberos vestros facta est promissio.* Adde quòd ad eos etiam pertinent & mysteria sacra illis signis adumbrata: Remissionem enim peccatorum consequuntur in Christo, qui, vt ait Paulus, Ecclesiam, cuius sunt membra, mundauit lauacro aquae. *Ephes.* 5. 26. 27.

3. Idem probatur firmissimo argumento ex analogiâ circumcisionis sumpto. Si dabatur olim infantibus circumcisio, debet & hodie illis dari Baptismus. Cùm enim Deus cum patre credentium Abrahamo foedus iniret (fundatae autem erant promissiones & foedus ipsum in Christo) dedit ei Sacramentum Christi venturi veritatem significans. Consummatâ verò (f. 1733) illâ veritate, quae Circumcisione denotabatur, id est, corpore exhibito, conueniens etiam fuit, vt cessaret vmbra. Idcirco Dominus (cuius solius est instituere fidelibus suis Sacramenta) illius veteris vice nouum subrogauit, nempe Baptismum, qui idem prorsus designat ac Circumcisio; nisi quod haec exhibendum, ille exhibitum dicat: modus autem non mutat rei substantiam. Cum igitur, vtriusque idem sit vsus, confirmandi scilicet promissiones diuinas fidelibus,

vtriusque

vtriusque eadem efficacia, in vtroque eaedem promissiones, idem fundamentum, *Coloss.* 2. 11. 12. nec aliud sit corpus peccatorum carnis exuere per Circumcisionem, quàm baptizari in mortem Christi, sepeliri cum Christo per Baptismum, cum eo resurgere, & viuificari: Continuò sequitur, aut baptizandos esse infantes sub Euangelio, qui circumcidebantur sub Lege, aut Christi aduentu angustiorem factam esse gratiam Dei, quod absurdissimum est.

4. Praeterea Christi ipsius factum firmas nobis suppeditat rationes. *Matth.* 19. 14. 15. Quos iussit Dominus ad se adduci, eos iure ab eo arcere non possumus, denegando eis Baptismum, quo in Ecclesiam fit aditus, quóque in Christum inserimur. Quos amplexus est, quibúsque manus imposuit, (familiare enim tunc erat hoc symbolum, & huic nostro cognatum) eos Sacramento hoc & gratiâ suâ, quam iis abundè testatus est, interdicere absurdum esset. Quos Christus benedictione & precibus Deo consecrauit, illos Christo, precibus Ecclesiae & Sacramento ingressus in communionem foederis, commendare non verendum. Quorum est regnum coelorum, eis Ecclesiae (cuius membra facti, cohaeredes regni coelorum tandem futuri sunt) aditum occludere, impium esset. Dictum etiam Apostoli, argumento nobis est ad hanc rem validissimo. Si enim in Christi corpus baptizandi omnes electi, si omnes Christum induere debent, infantes non secus ac adulti, eos à Christi corpore separare, & Christo non inserere, nefandum esset.

5. Ad haec generale Christi mandatum pro nobis facit. Profecti, inquit, *Discipulas facite vel docete omnes gentes*, &c. *Matth.* 28. 19. Sic enim gentes in foedus inseri iubet, vt cum eis eorum infantes sint foederis participes. Nam si parentum nomine, filij in veteri Testamento, ex Ecclesiâ Dei esse censebantur, idem erit etiam sub nouo. Foederis enim cum Abrahamo initi aeterna est veritas & substantia; etsi Sacramentorum externa forma mutata fuerit. Omnes denique baptizari iubet, quos in foedus asciuissent Apostoli. Infantes non excludit. Porrò familias integras baptizatas fuisse legimus: familiae autem nomine infantes contineri nemo sanus negabit. Et perpetuam hanc fuisse Ecclesiae consuetudinem, testes habemus Origenem, *lib.* 5. *in Rom.* 6. Cyprianum, *lib.* 3. *epist.* 8. Hieronymum, *lib.* 3. *contra Pelag.* Nazianzenum, *Orat. in sanctum lauacrum.* Basilium, *Orat. exhortatoria ad Baptismum.* Augustinum, *Lib.* 1. *de Gen. cap.* 3. *&* *lib.* 4. *de Bapt. c.* 24. & varia Concilia. *Concil. Mileuit. Can.* 2. *Gerundinum*, *Can.* 5. *&c.*

6. Obiiciunt aduersarij, nusquam in Scripturâ imperari Paedobaptismum nec vllum baptizatorum infantium exemplum extare. Respondemus, Alia in Scripturis dici explicitè & ad literam, alio implicitè, quae necessariò, ex apertis Scripturae testimoniis secundum fidei analogiam, concluduntur. Baptismus infantium cum internâ & spirituali Scripturae veritate conuenit. Nam licet expressum non habeamus mandatum, tamen habemus generale de baptizandis omnibus foederatis. Posito autem toto etiam necessariò ponuntur partes, etsi non fiat earum singularis enumeratio. Deinde si mandatum est sub Lege de circumcidendis infantibus, in eo etiam erit de baptizandis: Quia quum perpetui sit iuris in Ecclesiâ, infantibus obsignari foedus; quúmque Sacramentum vetus abolitum sit, necesse est vt nouo quod veteris in locum successit, obsignetur. Exempla requirunt: Sed nos asserimus, vbi sunt leges & praecepta, exemplis nihil opus esse: Quum probatio quae per regulas fit longe sit eâ potior, quae fieri potest, per exempla. Nec tamen desunt, vt iam diximus, integrarum familiarum ab Apostolis baptizatarum, sine exceptione infantium. Dicimus denique ex authoritate negatiuè nihil concludi.

7. Dicunt insuper Baptismum signum esse fidei, poenitentiae, & regenerationis. Cùm autem infantes horum capaces non sint, nec baptizari etiam debere (f. 1734). Respondemus

Respondemus primùm vniuersè nullo Scripturae loco haec actualia in Christo desiderari; sed contrà ex Baptismo sequi in communione Christi. Deinde speciatim de fide; aliud esse eam considerare, vt est actu primo, (vt aiunt) aliud secundo. Si de fide, vt est actu primo, loquamur, dicimus eam requiri, saltem in specie, (de occultis enim & secretis Dei, iudicare non est hominum) & principio suo, quia est accidens inseparabile foederati, seu baptizandi. Si de fide, vt est actu secundo, id est, actuali, negamus esse simpliciter necessariam, sed tantum secundum quid, id est, adultis: Nam per eam hi sibi debent ad foedus aditum parare. Dicimus itaque, si absolutè dicatur Infantes non esse fidei capaces, falsum illud esse, quia fidem habent in principio habitus, spiritum habent fidei. Omne autem principium rationem habet totius, & ad categoriam sui totius referri debet. Concedimus verò eos actualis fidei non esse capaces, nec proinde sequi baptizandos non esse. De poenitentiâ: dicimus, esse eodem modo poenitentes quo sunt peccatores. Quum ergo sint peccatores principio in Adamo priore & habitu tantùm, principio in posteriore Adamo & habitu poenitentes esse fatemur, non autem actu. De regeneratione, aliter consideratur in fundamento, id est, in Christo habitu, aliter in nobis actu. Prima regeneratio (quae dici potest transplantatio à vetere Adamo in nouum) tanquam causa est, altera tanquam fructus sequitur. De prima loquitur Christus *Iohan.* 3. Apostolus vtramque coniungit, *Rom.* 6. Hac regenerantur infantes electi, cum Christo inseruntur, & huius obsignatio fit iis dum baptizantur.

8. Tertium eorum argumentum maioris momenti non est. Si infantes non debent admitti ad Coenam Domini, nec etiam debent ad Baptismum: quia (inquiunt) pari ratione ad vtrumque possunt admitti: nos contrà dicimus longè disparem esse rationem, quum nullae à baptizandis requirantur actiones. Iis verò qui Sacramento Eucharistiae communicant, haec imperantur, vt accipiant, comedant, & bibant, faciant in memoriam, annuntient mortem Domini, probent se ipsos, quae omnia in infantes cadere non possunt. Praeterea Baptismus est Sacramentum ingressus, Coena est signum commemorationis in Ecclesia.

9. Vt autem errorem suum fulciant, asserunt Baptismum non esse noui foederis Sacramentum: sed tantùm signum obedientiae à Christo mandatae. Posterius exclusiuâ semotâ concedimus; prius negamus. Nam quae sunt sigilla à Deo instituta ad obsignandas in fidelibus Dei promissiones, nouo foedere factas, ea sunt sigilla Sacramentalia noui foederis. Baptismus autem eas obsignat ex diuina institutione: Baptizabat enim Iohannes in remissionem, id est, in signum remissionis peccatorum; *Mar.* 1. 6. Baptismus etiam dicitur lauacrum regenerationis, *Tit.* 3. 5. signum insitionis in Christi corpus. *Rom.* 6. 3.

10. Dicunt etiam in pangendo foedere, ab vtraque parte Capita foederis, agnosci debere & partem vnam alteri spondere: Infantes autem illud non faciunt. Regerimus, Foedus considerari duobus modis: communiter, cum corpore Ecclesiae, & particulariter cum singulis, verè membris eius. Cùm baptizantur infantes, Deus offert & confert omnia bona foederis, & stipulatur. Illi autem, vt eorum vocatio est communis, sic in communi respondent, quà in principio suo, i. parentibus, intelligunt habere foedus. Deus verò hanc sponsionem acceptat, donec per aetatem, si electi fuerunt, & particulari vocatione vocati, particulari etiam respondeant.

11. Obiiciunt praeterea prius docendos esse eos qui baptizantur; Secundùm institutionem Domini, Docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. *Matth.* 18. 19. Dicimus primùm Graecum μαθητεύειν esse discipulos facere. Iubet enim ibi Christus Apostolis suis, non vt doceant simpliciter (quod posteà sequitur) sed vt in suum foedus & in suam domum omnes nationes adducant. Praeterea, etsi concedamus illis priorem expositionem,

sitionem, nihil inde sequitur, praeterquam baptizari debere qui possunt, & doceri eos qui doctrinae sunt capaces. Nam hîc Apostolici muneris constituuntur partes in baptizando, & docendo, nullâ ordinis factâ mentione. Genus autem praefigitur verbo μαθητεύειν, quia disciputi fiunt docentúrque signis & doctrinâ: paruuli prius signis quàm doctrinâ, vt quae in sensum ipsorum cadant (f. 1735).

12. Quod circa differentiam Circumcisionis & Baptismi cauillantur, futile est. Dicunt masculos tantùm baptizandos, quum soli circumciderentur, seruandúmque etiam octauum diem. Sed hoc nihil ad rem. Sacramentum enim Euangelicum successit legali, sed tantùm quod finem, vsum, & rem significatam; expressè Deus restrinxerat Cicumcisionem ad mares, quia sic infirmiori sexui parcere volebat, soli sunt praeputiati, sunt authores generationis, vir caput est foeminae, in iis typus fuit ceremonialis Christi: denique mulieres in maribus censebantur circumcisae, Circumcisione non manu factâ Quod attinet ad diem octauum, Nullis sumus adstricti ceremoniis; In Christo complementum habuerunt. Causae autem praecipuae ob quas in diem octauum differebatur Circumcisio, ceremoniales fuerunt; Quia septem primos dies impurus erat partus ex sanguine menstruo; *Exod.* 22. 30. *Leuit.* 12. 3. *&c.* Octauo autem purus habebatur. Praeterea erat Sacramentum octaui illius diei quo Dominus resurrexit ad nostri iustificationem & sanctificationem, vt Patribus nonnullis placuit. *Cyprian. ad fid. lib.* 3. *Epist.* 10.

Corollaria.

1. Paedobaptismum ex Scripturis probari non posse, quod dixerunt Pontificij nonnulli: N.
2. Baptismum externum infantibus salutem conferre ex opere operato: N.
3. Infantes sine externo baptismo in aeternum perire: N.

LII. DE COENA DOMINI.

Rectè statuunt veteres Dominum nostrum Iesum Christum, postquam de carne sua spiritualiter manducandâ, & de sanguine suo spiritualiter bibendo disseruisset, tandem externum aliquod Sacramentum antè instituisse, quàm iret ad Patrem, quo (vt loquitur Augustinus contra Faust. lib. 19. *cap.* 11.) *ipsa Christi, de spirituali manducatione, & potu, verba quodammodo aspectabilia redderentur. Itaque nos in praesenti pauca de hoc Sacramento dicemus, & primùm de nomine.*

Thesis I.

Sacrosanctum hoc mysterium varia sortitum est nomina; primò, ratione materiae, secundò ratione circumstantiarum; ratione materiae, triplex Primum à materiâ coelesti huius conuiuij, quando nimirum Christus hoc mysterium, *Matth.* 26. 26. corpus & sanguinem suum vocat. Secundum & tertium à materiâ terrestri, & elementari; vocatur enim à Paulo, 1. *Cor.* 10. 16. *&* 21. panis & poculum, &c. & paulò post, mensa

mensa Domini, per metonymiam subiecti, sc. pro sacro illo cibo & potu, qui in mensa apponi solet conuiuis Domini.

2. Ratione circumstantiarum, varia. Primum impositum fuit ab Apostolo vocante id *Κυριακὸν δεῖπνον* (1. *Cor.* 11. 20.) quo allusionem facit ad vespertinum illud tempus, quo Dominus noster ad mortem iturus hoc conuiuium instituit Paschatis celebrationi substituens, quod inter vesperas celebrabatur ex lege. Manet autem hoc Coenae vocabulum (non enim moramur circumstantias accidentales) licet matutino tempore, vel meridie celebretur. Appellatum est deinde ab Ecclesiasticis scriptoribus *συναξις* à congregatione Ecclesiae, quae certo tempore, & loco conuenit. *Εὐχαριστία* à solemni gratiarum actionis ritu de toto opere redemptionis nostrae. Sacrificium, non *ἱλαστικόν*, sed sacrificij semel peracti *μνημόσυνον*, vt rectè docet August. (*lib.* 10. *de Ciuit. Dei*, *cap.* 5.) Sacrificium hoc visibile, inuisibilis sacrificij Sacramentum, id est, sacrum signum est, Tandem Pontificii Missam vocarunt, de cuius nominis origine disceptatur inter ipsos. Nos, vt missam ipsam, ita & vocabulum repudiamus, tanquam rei, de quâ nunc agitur, nullomodo conueniens.

3. Hoc mysterium, siue (vt loquitur Paulus) hanc coenam Dominicam sic definimus. *Coena Dominica* est actio sacra à Christo in Euangelio instituta, in quâ, distributione & sumptione visibilium elementorum, nimirum Panis, & vini, testatur se spirituale epulum & panem viuificum esse nobis credentibus, quo animae nostrae ad veram & beatam immortalitatem pascuntur.

4. *Causa* efficiens est Dominus noster Iesus Christus, cui soli tradita est omnis potestas à Patre, & cura regendi, conseruendi & gubernandi Ecclesiam, quíque solus potest interiùs (f. 1736) praestare ea, quae externa symbola nobis repraesentant.

5. *Materia* duplex est, vt cum Ireneo loquamur, *lib.* 4. *cap.* 34.) vna terrestris, altera coelestis, prima est panis & vinum, secunda, corpus & sanguis Christi. Illam vulgò nomine signi, per quod res inuisibiles (non naturâ suâ) secundùm imbecillitatis nostrae captum nobis repraesentantur (signum enim cùm sit ex genere *τῶν πρός τι* semper facit aliud in cogitationem venire, quàm sit ipsum) hanc verò nomine significati designamus, quod est res illa, quae nobis credentibus per symbola simul figuratur & exhibetur.

6. Vt autem duplex est *Materia*, ita duplex est instrumentum materiae percipiendae: vnum visibile, & corporale, os scilicet corporis, alterum inuisibile & spirituale, nimirum fides. Constat enim requiri ad rem quamuis percipiendam instrumentum conueniens: deinde, vnumquodque recipi secundùm modum percipientis. cùm autem corpus, & sanguis Christi sint nobis cibus & potus spirituales, non possunt ore corporali percipi, sed spirituali. Itaque frustrà dicitur corpus Christi ori nostro imponi, vt eâ quasi ianuâ patefactâ in animum nostrum ingrediatur, quandoquidem sola fides est ianua, quâ Christus ingreditur in animos nostros, teste Apostolo: *Ephes.* 3. 17. Per fidem (inquit) Christus habitat in cordibus nostris.

7. Nec obstat quod obiicitur: Si manducatio corporis Christi intelligitur spiritualiter, corpus Christi non iam esse corpus; sed spiritum. Nam differentia constituenda est inter rem ipsam, & inter modum participationis. Agnoscimus quidem corpus Christi verum esse corpus post glorificationem vt & fuit antè, nec eam ei aliquid detraxisse quoad suum esse. Deinde dicimus corpus Christi esse cibum animarum nostrarum, & rationem habere cibi, non quia est corporea substantia, quo modo esset cibus corporalis, sed quatenùs corpus Christi est datum pro mundi vitâ 1. Tertiò, asserimus illud non impedire, quò minùs modus participationis sit spiritualis (non tamen imaginarius, vt falsò calumniantur Pontificij) & verus. Nam manducatio corporis Christi nihil aliud est, quàm arctissima cum Christo coniunctio, Qui edit meam carnem, & bibit

bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo *Ioh.* 6. 56. Hunc locum optimè explicat Beda, in 6. c. Ioann. *hoc est manducare* (inquit) *illam escam, & illum potum bibere in Christo manere, & illum in se manentem habere. ac per hoc non manet in Christo, & in quo non manet Christus, nec manducat spiritualiter eius carnem, licet carnaliter & visibiliter premat dentibus Sacramentum corporis & sanguinis Christi, sed magis tantae rei Sacramentum in iudicium sibi manducat & bibit.*

8. Consistit *forma* in ordinatione & relatione symbolorum ad res significatas: proinde vnio illa signi cum signato non est physica, localis, aut vnius in alterum transsubstantiatio: sed Sacramentalis, in qua tria consideranda sunt. Primum, significatio, secundum, obsignatio rei signatae, tertium denique exhibitio. Significatio, quia res spirituales conuenientissima quadam similitudine & ἀναλογίᾳ velut χειραγωγίᾳ, oculis nostris subiiciuntur. Obsignatio, quia eo signo Deus bona ex Christo fluentia in nobis plenius & sigillatim obsignat. Tertiò denique, exhibitio, quia id quod significatur & obsignatur, id etiam verè nobis credentibus praebetur, & datur, & à nobis accipitur.

9. His positis, tres praecipuos Pontificiorum errores, quibus summa autoritas in Concilio Tridentino indita fuit, refutabimus. Primus est, fieri mirabilem & singularem conuersionem totius substantiae panis in corpus, & totius substantiae vini in sanguinem, manentibus tamen speciebus panis & vini: Verbis Christi (*hoc est corpus meum*) malè tamen intellectis, tanquam fundamento nituntur, quo euerso (adductâ sc. verâ huius loci interpretatione) corruet & ipsa transsubstantiatio. Primum ergo explicandum est demonstratiuum *Hoc.* id verò eius est naturae, vt rem praesentem actu existentem referat & demonstret. Demonstrat autem aut corpus Christi, aut accidentia panis & vini, aut ipsum panem cum suis accidentibus: non datur quartum. Si demonstrat corpus Christi, Ergo corpus Christi est in ἐυχαριςίᾳ ante consecrationem, quod illi tamen negant. Si accidentia, Ergo quae dicuntur de fractione & distributione vana sunt, quia accidentia non possunt frangi & distribui. Restat tertium, nimirum panem illud esse quod demonstratur. Nam quod accepit Christus, illud demonstrauit, & de eo dixit, *Hoc est corpus meum.* Panem autem accepit, vt testantur Euangelistae, *Matth.* 26. 26. *Marc.* 14. 22. *Luc.* 19. 22. 19. 20. & Paulus 1. *Cor.* 10. 16. 17. & 11. 23. 24. 25. Ergo Christum demonstrasse panem, fregisse, & dedisse discipulis omninò necessarium est (f. 1737).

10. Nullam autem Transsubstantiationem fieri manifestum est. Nam verbum *est* quum indicatiuo modo, & praesenti tempore, enuntiatur, non dat rebus naturam, multò minus in eam immutat, sed notat tantum, & declarat, quid sit id de quo dicitur. Verùm, quia Dominus illo, quod demonstratur, non figurat tantùm rem, cui repraesentandae consecratum est, sed verè etiam exhibet, ideò signum nomine signati vocatur. Nam (vt ait August. Epist. 23. ad Bonif.) *Si Sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, vtique Sacramenta non essent: Ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quendam modum Sacramentum corporis Christi, corpus Christi est, sic Sacramentum sanguinis, sanguis Christi est: ita Sacramentum fidei fides est.*

11. Sequitur, hanc enunciationem, *Hoc est corpus meum*, non simpliciter & ad verbum accipiendam esse. hoc enim posito multa absurda sequerentur, vno tamen contenti erimus: nimirum si haec enunciatio ad verbum accipienda est: identica est oratio; si identica, ergo termini sunt conuertibiles, ac proinde, quàm rectè dixeris, *Hoc est corpus meum*, ita vice versa, *Corpus meum est hoc*, quo nihil est absurdius. Figurata est ergo, ídque ex vsu Sacramentalium enunciationum; quales sunt hae: *Luc.* 22. 20. Poculum est Nouum Testamentum per sanguinem meum. Circumcisio

est foedus:

est foedus: *Genes.* 17. 10. Agnus est transitus: *Exod.* 12. 43. Petra erat Christus. 1. *Corinth.* 10. 4. Itaque firmum manet, nullam transsubstantiationem fieri, nullámve differentiam esse inter panem Coenae, & panem communem, quoad substantiam, quoad quantitatem, aut quoad qualitates naturales sed tantùm quoad relationem, hoc est, quoad vsum & officium.

12. Secundus error originem à primo ducit. Nam, statuendo panem in corpus Christi transsubstantiari, concludunt sanguinem Christi esse in corpore per concomitantiam: ac proinde nos corpori & sanguini communicare, quotiescunque hostiam manducamus, & per consequens poculum praeberi laicis non esse necesse. Sed quis hanc auctoritatem mortalibus tribuit, res diuinas prohibito tractandi? Paulus *Gal.* 3. 15. ne hominis quidem testamento rato vult addi posse aut deleri quidpiam: multò minus testamento filij Dei, cuius vltima voluntas nobis in Euangelio reuelata est *Matth.* 26. 26. 27. vt accipiamus, edamus, & bibamus ea, quae nobis porriguntur. Nec locum habere debet haec cauillatio, hoc solum imperatum fuisse discipulis: nam eadem ratione, Laici quos vocant essent arcendi à communione corporis. Praetereà notandum, corpus Christi nobis in coena offerri, quatenus mortuum, & exsangue in cruce oblatum fuit pro nobis, & sanguinem eius nos bibere, non quatenùs est in venis corporis, sed quà effusus fuit. Hoc est sanguis (inquit Christus, *Matth.* 26. 28.) qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.

13. Tertius denique error nascitur ex duobus praecedentibus. nam iactis his fundamentis, panem transsubstantiari in corpus Christi, deinde sanguinem esse in corpore per concomitantiam, concludunt, infideles participes fieri corporis & sanguinis Christi. quod quàm sit à veritate alienum, patet ex sequentibus. Primo, quia, *Ioh.* 6. 56. quisquis edit carnem meam (inquit Christus) & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo: at dicere Christum manere in infidelibus, & infideles in Christo, est blasphemum: Ergo, & dicere infideles manducare carnem & bibere sanguinem Christi. Secundò, *Ioh.* 6. 54. qui manducant Christum habent vitam aeternam. Impij non habent vitam aeternam. Ergo, &c. Tertiò, corpus Christi nunquam separatur à spiritu & virtute diuina, ac proinde omnes sumentes corpus Christi viuificantur.

14. Nec tamen sequitur fidem efficere, vt corpus sit praesens in coenâ: haec efficacia est Spiritus: imò fides recipit id, quod in Coenâ nobis offertur, corpus scilicet Christi. Notandum enim Sacramenta dupliciter consideranda esse, primùm in in se, secundò in nobis, vel in vsu ipsorum. Ratione Sacramentorum in se, adunatur verè corpus Christi pani & vino: non tamen corporaliter. Verùm, vt totius Sacramenti fiat quis particeps, aliquid requiritur à parte ipsius, nimirum fides. Exhibetur ergo cum pane & vino corpus Christi, ratione Sacramenti in se considerati, etiam infideli: tamen cùm constet infideles destitui & recta voluntate, & instru(f. 1738) mento, quo vno recipi potest, ac debet corpus Christi, nempe fide, non est quòd Deum incusent, quasi non praebentem quod promisit. Manet interea vis mysterij integra, quantumuis eam impius, quoad in se est, exinanire studeat; nec eius ingratitudine aliquid detrahi aut intercidere potest de fide promissionum Dei.

15. *Finis* alius primarius, alius secundarius. *Primarius* est vt hac actione commonefiamus Christum mortuum esse pro nobis. Carnem, & sanguinem suum esse verè cibum, & potum nostrum spiritualem, & nos communione Christi viuificari sentiamus. *Secundarius* est, vt sit testificatio debitae gratitudinis erga Christum coniuncta cum solenni gratiarum actionis ritu: Symbolum, & pignus mutuae charitatis, vinculum dilectionis, & nota quâ Ecclesia Dei ab infidelibus distinguitur.

LIII. DE MISSA.

Thesis I.

Missa à missione dicta est, *Isidor. etymol. Honor. lib. de Euchar.* vt olim orationes illae & preces quibus absoluebantur conciones (collectae hodie Pontif.) vt oblationes missae à fidelibus Missae dicebantur: vt Cyprianus, *epist.* 14. *& lib. de bono patientiae*, remissam peccatorum pro remissione dixit: ídque à vetere hac formula à Diacono ante concionem pronunciari solita, *Catechumeni*, *& quisquis non communicat*, *foras exeant:* & altera, *cum pace ite*, *missa est.* qui ritus progressu temporis postmodum ante concionis dimissionem repetebatur. Hinc est quòd liturgiam suam non aliter quàm Missam appellare consueuerit populus, postquam in singulis Eucharistiis formulam illam bis audiit: teste *Polyd. Virgil. lib.* 3. *cap.* 11. quam, vt pleraque alia, vetustior Ecclesia ex priscorum institutis & moribus deriuauit, quorum sacra simili clausula dimitti solita; quemadmodum absolutis sacris Isidis, γραμματεὺς domuitionem populo renuntians dicebat, λαοῖς ἄφεσις, *Ite*, *Missa*, populo scilicet *est.*

2. Sunt qui ab Hebraeo *Massa*, quod illis tributum est, ex *Deut.* 16. 12. Missae nomen & institutum deducunt. Nae illi Missam tributariam, séque tributorum in Ecclesia exactores, tum videlicet & proprietatis linguae, & ceremoniarum in Christo abrogatarum, ignaros profitentur. *Manip. curat.* Secundum *Innocent. Pap. & Hugon. de Eucharist. cap.* 10. & alij. Sunt qui aliunde etiam originem quaerant; at sine ratione.

3. Ex quotidianae Eucharistiae administrationis, tum populo, tum sacrificalis molestae, compensatione, Missa locum inuenit; cuius tot superstitionibus, ceremoniis, κακοζηλίᾳ denique Iudaica, omnem propemodum antiquam formam S. Coena exuit: in primordio enim nascentis Ecclesiae (vel ipso Durando confitente, *Ration. diuin. offic. lib.* 4. *cap.* 1.) Missa aliter quàm modo dici solita: ac Pontificio Hist. *VValafr. Strab. de reb. Eccles. cap.* 2. teste, in haec verba: *quod nunc agimus multiplici lectionum*, *cantilenarum*, *& consecrationum officio*, *totum illud Christus*, *Apostoli*, *& post illos proximi oratione & commemoratione passionis dominicae*, *sicut ipse praecepit*, *agebant simpliciter: & relationis Maiorum est ita in primis temporibus Missas fieri solitas*, *praemissa oratione solum Dominica.* Accessit mistio aquae cum vino, quod ne hactenus quidem Orientales plerique, neque etiam hodie Armenij seruant. Accessit priuata illa à populo substractio, *cùm illud quod dominicum est*, secundùm Chrysost. homil. 8. ad populum, *nullius priuatum & peculiare fieri debeat*, *sed omnibus commune.* Quare VValafridus, de reb. Eccl. cap. 22. *illam legitimam esse Missam* dicit, *cui intersint Sacerdos*, *respondens*, *offerentes*, *cum communicantibus. Quae si omittantur* (vt in Concilio Nannetensi est, cuius decretum extat apud Burchard. lib. 3. cap. 68.) *sacrificium imperfectum est*, *& verba Canonis* (vt in eo dicebat Abbas Rhegino) *frustra recitantur.* Denique haec omittentes condemnationis reos facit. Quae vt strictius obseruarentur, dominicis diebus tantùm panem offerri, & sacrificia fieri, Laodicaea Synod. can. 49. statuit. Hinc est quod adhuc apud Moscouitas (test. Sigis. lib. comment. rerum Mos(f. 1739)couitic.) singulis septimanis vnicum tantùm sacrum fit, ídque Sacerdote, Diacono ac populo praesentibus: ac sub vtraque specie, pane scilicet vino immerso, communicantibus: ideóque in singulis templis vnicum tantum altare est, quò praepostera ea vitentur, tum frequentia sacrificiorum, tum à grege substractio: (*exposit. ord. Rom.*) quandoquidem *Ecclesiastica officia tunc tantùm celebranda sunt*, *cùm populus ad Ecclesiam solenniter conuenit*, *offert*, *communicat.* Accessit postmodum denique (*Gregor. lib.* 4. *de diuin. offic.*) Exorcismus, & infinita alia;

alia; *cùm olim* (teste Ruperto) *minimè tanto apparatu exterioris decoris solennia Missae celebrabantur atque nunc*, lib. 2. cap. 21.

4. Cuius ornatus ac pompae priorem causam Rupertus ibidem citat, *decuisse*, inquiens, *maxime*, *vt fides quae Christi & Apostolorum tempore rudis adhuc & incondita erat*, *vbi ornari potuit*, *maximè in hac parte*, *tanquam in capite suo deauraretur.* Mirum certè vnde ornamenta ea protraxerint pontifices, quae Christus ipse reuelare noluit, Apostoli proferre non potuerunt. Alteram huius rei causam Thomas refert, *quia in hoc Sacramento totum mysterium nostrae salutis comprehenditur*, *ex eo prae caeteris Sacramentis cum maiore solennitate in Ecclesia peragi debere statuens*: Part. 3. quaest. 38. art. 4. Quasi verò Sacramenti huius dignitatem Christus ignorauerit, quod tamen nudè absque his ornamentis instituit. Equidem modestiam & pietatem discipulorum Christi non decet, vel splendidissima hominum inuenta praeferre simplicitati Christi & Apostolorum. Deinde verò in ceremoniis humanis obseruandum, ne Iudaismum referant, ad copiam scilicet & similitudinem eorum, quae veteris Testamenti erant, compositae.

5. Quanquam hoc ita est, nihilominus Missam suam Sacrificium verè propitiatorium definiunt, quo Christus à Sacerdote, Deo, pro viuorum & mortuorum peccatis immolatur. *Concil. Trid. sess.* 22. *cap.* 2. *Bellarm. lib.* 1. *cap.* 5. *de Miss.* Nos contrà, eam Sacrae Coenae dominicae abusum Diabolicum, ac εἰδωλομανίαν dicimus. Quàm illi falsò, quàm verè nos, videamus ordine. *Primò*, Missa aeternum Christi Sacerdotium euertit: neque enim successorem, cùm sit immortalis Christus admittit: quandoquidem ipse à Patre suo factus ac cognominatus est Pontifex in aeternum, secundùm ordinem, hoc est, ad similitudinem Melchisedec, vnicus, cuius typicum Sacerdotium impleuit. *Hebr.* 5. 5. 1. & 7. 7. Asserunt aduersarij panem & vinum Abrahae à Melchisedeco oblatum, typum fuisse futurae Missae. Resp. Munuscula illa humanitatis Melchisedeci in Abrahamum ex via defessum, indicia recitare Mosen; nulla sacrificij facta mentione. Vrgent hic, quod in textu dicatur fuisse Sacerdos altissimi. Resp. D. Paulum illud ad benedictionem referre, quam à Sacerdote, quippe maiore se, accepit Abraham, *Hebr.* 7. 6. 7.

6. Nec quicquam iis Patrum authoritas patrocinatur. Esto, Coenam sacrificium vocent. At quale? vnici illius Christi sacrificij in cruce peracti memoriam, *August. lib.* 20. *contra Faust. cap.* 8. gratiarum actionem atque commemorationem, *lib. de fide adu. Petr. Diacon.* imaginem ac testimonium, *lib. contra aduers. legis & proph.* omne bonum opus Deo placitum, *de ciuit. Dei*, *lib.* 10. *cap.* 6. serias & pias preces, *Tertullianus ad Scapul.* Hinc Coena Irenaeo eucharistia dicta, *lib.* 4. *cap.* 32. & 34. Ita eucharisticum sacrificium benè dicitur, vt orationem suam incensum vocat Dauid, *Psalm.* 141. 2. gratiarum actiones sacrificia laudis, *Psalm.* 51. 21. easdem vitulos labiorum Oseas, *cap.* 14. *vers.* 2. ea ratione fideles omnes oportet esse sacerdotes, *Apocal.* 1. 6. sic bona opera in nouo Testamento passim sacrificia dicuntur; *Rom.* 15. 16. *Philip.* 2. 17. *Apocal.* 5. 8. *Hebr.* 5. 15. *Rom.* 12. 1. sic ipsi fideles sacrificium sanctum vocantur, ad offerendum Deo spirituales hostias, 1. *Petr.* 2. 1. Huiusmodi S. Coena est, non ἱλαστική, quae noui Testamenti vnica tantùm est, Iesu Christi, in cruce semel peracta. *Hebr.* 6. 24.

7. *Secundò*, vt Sacerdotium, ita crucem & passionem Christi euertit Missa, dum altare erigit, in Canone maiore & minore. Quòd si summus hic Pontifex semel per immolationem sui ipsius patefactus est, *Hebr.* 9. 26. Si vnica eius oblatione in perpetuum consummati sumus, *Hebr.* 9. 4. & 10. 10. adeo vt vbi est peccatorum remissio (est autem ea fidelium omnium) ibi non sit amplius oblatio pro peccato. *Hebr.* 10. 18. v(f. 1740)bi post acceptam cognitionem veritatis peccatum, ibi nulla pro

pro peccatis reliqua sit hostia, *Hebr.* 10. 26. quàm impiè ea in Missae altari iteratur? aut enim sacrificio Christi semel pro nobis in cruce peracto, aeternae purgationis potestas defuit: aut si affuit, vnicum seculis omnibus sufficit, eam verò fide nobis, non missâ applicamus, *Galat.* 2. 16. 20 *&* *toto* 3. *cap.*

8. *Tertiò*, dum nouam peccatorum veniam, dum nouum vt gratiae ita & iustitiae adipiscendae modum promittit Missa, mortem Christi ex hominum memoria excussam, sepelit. Praeterea si oblatam hostiam caedi ac immolari oportet vt sacrifices, quot vbiuis Missae recitantur, toties tot locis mori Christum necesse est. At quid est vnicam Christi mortem extenuare, si hoc non est? Sin vna sufficit, quorsum illa in Missa repetitio? At, inquiunt, Missa incruentum sacrificium est, non itaque in ea mors Christi iteratur, quae non nisi cruenta est. Verùm hoc nimis futile est: quomodo enim satisfactorias Missas dicere audent, si sacrificia sunt ἀναίματα? dum enim absque sanguinis effusione remissionem fieri negat Apostolus, *Hebr.* 9. 22. Missam aut propitiatorium Sacrificium non esse; aut si est, incruentum esse fateantur necesse est.

9. *Quartò*, S. Coenae mera profanatio est: quid enim Missa? Ipsa pro peccatis indies offert Deo. quid S. Coena? vnicae Christi oblationis fructum & applicationem requirit à Deo. Ita haec petit, quod illa dat: haec suum ipsa officium exhibet; illa Christi gratiam per Spiritum requirit. Coena Deum beneuolum ac gratiosum Patrem agnoscit, quem Missa debitorem suum facit. In illa Christus à Deo nobis offertur; in hac Christus à Sacrificulis Deo offertur. Missa repeti vult quotidie sacrificium illud, cuius semel oblati, neque amplius offerendi, S. Coena μνημόσυνον est. Transsubstantiatione denique posita, Missa Christum coelo eripit, vbi ad dextram Dei sedet, ac mansurus est ad extremum iudicium, secundùm articulos fidei.

10. Ad haec Missam suam non sumentibus etiam quibuslibet prodesse, contra Sacras literas affirmant. Ait Apostolus, 1. *Corinth.* 11. 29. indignè edentes condemnationem sibi non aliis edere; consequens ergo dignè edentes gratiam sibi solis edere. Quis itaque mortuis eorum fructus? ac cùm vel in sinum Abrahae statim ab obitu recipiantur, *Luc.* 16. 22. eóque Missâ opus non habeant; vel ad aeterna tormenta, eóque Missa iuuari nequeant, quis pro defunctis Missae vsus est, nisi euacuandis creduli popelli crumenis?

11. *Quintò*, Missa verè sacrilegium est, dimidiatam Coenam Ecclesiae obtrudens, dum laicis potum eripit, aduersantibus I. institutione Christi, siquidem de eo omnes edere ac bibere iussit, *Matth.* 26. 27. *Marc.* 14. 23. II. Ratione, siquidem potus effusi pro se Christi sanguinis quibusuis testamento est, non minus quàm panis corporis pro se mortui. quibus itaque res signi competit, cur adimatur signum? III. Antiquitate denique. Chrysostomus vnum panem & calicem omnibus propositum ait, résque has tam laico quàm sacerdoti communes esse, *Homil.* 18. *in* 1. *ad Corinthios.* item sacrificium quotidianum frustra fieri, si nemo sit qui communicet: et qui dignus non est hostiae communione, eum nec Ecclesiae precibus dignum esse: *Homil.* 51. & 61. *ad popul.* Quem abusum cùm superioribus seculis irrepere videret Carolus ille Magnus, strictissima lege vetuit, quasi Canonibus Apostolicis, Nicaeno, pluribúsque Conciliis interdictum. *lib.* 1. *Constit. cap.* 6. 66. *&* 132. Sic Clemens Romanus tanta in altari holocausta, quanta toti populo ad communionem sufficiant, offerri vult. *Epistola secunda.* Hinc est quòd in Romano ordine (iuxta quem olim Missarum solemnia recitabantur) Archidiaconus tantas panis viníque oblationes, quantae possint vniuerso populo satisfacere, super altare ponere dicatur. Vnde Rabanus, *libro secundo*, *capite trigesimo primo.* Quando (inquit) officium Missae agitur, ea tum hora fideles quique Sacramentum corporis & sanguinis Christi percipiunt. Seruant illud Moscouitae etiamnum, ac plerique Orientales, tum etiam in regno Presbyteri Ioannis, formato ex

oblationibus

oblationibus libo vnico, quod toti coetui sufficiat, cui tantundem vini additur. *Sigism. libro in descript. Moscou. & Fr. Aluares in descript. Æthiopiae* (f. 1741). Magis illud mirum, quod apud illos sacrum hoc non nisi lingua vernacula peragi, apud hos libum quod dixi vulgari tantùm patrióque sermone consecrari soleat, seruato exemplo Christi, Apostolorum & vetustioris Ecclesiae, quod impiè negligunt Pontificij.

12. *Sextò*, mitto histrionicas in Missa gesticulationes, ac tragicam illam actionem, qua nunc demissa, nunc elata fronte, eo incessu, eo habitu, illis colloquiis, funestissimae Dominicae passionis non memoria, sed ludibrium exercetur; adeo vt totus ille missaticus apparatus, sacrae, h. e. abominandae scenae, quam Sanctae Coenae similior sit. Vt finem faciam, vbi in Missa fractio illa panis, quam in Coena communionis sui symbolum Christus, ac ab eo Paulus Apostolus appellat? 1. *Cor.* 10. 10. Quocirca ad superiora vsque secula mos ille obtinuit, de quo ita habet Ordo Rom. *Pontifex veniens ad altare diuidit oblationes ad frangendum, & communicat omnis populus ordine suo.* Cuius vsum bene annotauit Beda, *frangit,* inquiens *Christus panem quem discipulis porrigit, vt ostendat corporis sui fractionem non absque sua sponte & procuratione, vsumque eorum futuram.* Haec ille in Marc. cap. 14. Totum illud in Missa exaruit, postquam liba illa Nummularia, crucis imagine insignita, à ieiunis, immansa, deglutiri cautum est: ex quo tempore in meram idololatriam conuersa S. Coena est, adoratione vel huius libi in theca inclusi, vel Christi in illo, vbi non est, cùm loquentem audiamus Apostolum, *Coloss.* 3. 1. Quaerite quae sursum sunt, vbi Christus est, ad dextram Dei sedens: & veterem Ecclesiam, *Sursum corda: habemus ad Dominum.* Huic soli in aeternum honos omnis ac gloria. Amen.

LIV. DE MATRIMONIO.

Deus rerum omnium Creator potentissimus idem & Conseruator est benignissimus: Ideóque viro, totius sui operis in natura hac ἀρχιτεκτονήματι, viram siue vxorem, ad speciei propagationem sacris quibusdam coniugij vinculis adiunxit, & de sanctitate, & honestate illius secundum sui verbi normam iudicari voluit. Cum itaque variae & grauissimae de hac re controuersiae incidant, non inutile erit eas ex Dei verbo paucis examinare & decidere.

Thesis I.

Omissis omnibus λογομαχίαις, quae de vocum proprietatibus oriri possent, cum optimis Theologis & Iurisperitis (qui non de verbis sed rebus disserunt) Matrimonium, Connubium, nuptias, coniugium, pro eodem sumimus. his autem vocibus non minus eleganter quam aptè variae matrimonij causae & effecta notantur. Dicitur enim *Matrimonium*, teste Gellio, *lib.* 18. *noct. attic. c.* 6. à nomine matris non adepto iam, sed spe & omine mox adipiscendo. Connubium & nuptiae à nubendo, *Gen.* 24. 65. antiquo illo velandi ritu, quod verecundiae & subiectionis in mulieribus erat argumentum, *Isidorus de offi. Eccl. l.* 2. *c.* 19. Coniugium deniq. eleganti metaphora à iugo, teste Aposto. 2. *Cor.* 6. 14. quo inter se iunguntur vir & mulier, deducitur. Nec minus acommodata est Hebraeae & Graecae vocis etymologia: dicitur enim à nomine coniugis

coniugis coniugium *Schegal*. à generationis actu *Ps.* 45. 10. vt & Graecis, γάμος (ex nonnullorum sententia) ἀπὸ τοῦ γεννᾶν deriuatur.

2. Quandoquidem autem (teste Ambrosio) matrimonium aut coniugium, desponsatione initur, commixtione perficitur, primum de desponsatione, siue sponsalibus, (à spondendo dictis, *Gell. lib.* 4. *c.* 4. & ex antiqua & laudabili consuetudine nobis traditis) acturi sumus.

3. Haec desponsatio, ex Dei instituto, *Deu.* 22. 23. *Matt.* 1. 10. *Luc.* 1. 27. exemplis piorum, & honestate publica coniugij celebrationem praeiens, definitur iusta, sancta, legitimáque coniugij inter duos promissio, ad iuris diuini & humani inter ipsos communicationem. Idéoque fieri solet ad(f. 1742)hibitis idoneis testibus, *Ruth.* 4. 10. 11. qui de contrahentium Parentum, aut eorum quorum interest, consensu & personarum aptidudine testari possunt. Ad cuius rei certitudinem, non inutiliter, in Ecclesia primitiua, vt & hodie, promulgatio publica fuit instituta, & confirmatio, & benedictio Ministro demandata: quòd cùm hodierno die vt minus necessarium reiiciant Pontificij, videant qua ratione conciliare possint decreta suorum Pontificum Gregorij, Euaristi, &c. qui clandestina sponsalia, vt illegitima, imò vt stupra, fornicationes, & μιαιγαμίας damnant. *Innocent.* 3. *in cap. vlt. extr. de Clandest. despons. Bellarm. de matrim. c.* 7. *Decret. lib.* 4. *tit.* 3. *cap.* 3.

4. Fit autem promissio vel cum conditione honesta, qualis est si Parentes consenserint, &c. & dicuntur Canonistis sponsalia de futuro; *Lomb. lib.* 4. *dist.* 28. vel sine conditione, cùm categoricè promittitur coniugium, & dicuntur sponsalia de praesenti; quibus propriè initur matrimonium; & ita desponsati, in Sacris literis dicuntur coniuges *Deut.* 22. 24. *Matth.* 2. 20. vxores, mariti, *Gen.* 19. 14. generi, &c. talis enim promissio matrimonium facit, copula autem perficit.

5. Perfectum autem & consummatum matrimonium quod à Deo est institutum, *Gen.* 2. 24. à Christo honoratum, *Ioan.* 2. 2. ab Apostolo laudatum, *Heb.* 13. 4. definitur a variis variè, nos definitionem nostram ex Dei verbo sic stabilimus, *Matrimonium* est ex Dei instituto vnius viri & mulieris liberè consentientis, iusta, sancta, legitimáque in vnam carnem coniunctio, vt Deo simul sanctè viuant, scortationem & vstionem vitent, sobolem procreent eamque piè educent ad Dei gloriam & Ecclesiae aedificationem indiuidua vitae consuetudine *Genes.* 2. 24. *Matth.* 19. 5. *Ephes.* 5. 31.

6. *Causa* efficiens Matrimonij est duplex; prima & *instituens* est Deus, secunda & *constituens* est vtriusq. partis contrahentis & quorum interest consensus expressus, vel tacitus, ex libera voluntate, & sano iudicio profectus. 1 *Cor.* 7. 36. *Gen.* 29. 23. *Deut.* 22. Itaque vbicumque est metus, coactio, error in persona eiusque castitate, vt qualitate requisita eius, & similia quae cum libera voluntate pugnant, item vbicunque est furor, ebrietas, fatuitas, & caetera quae sano iudicio aduersantur, ibi consensus nullus est.

7. *Materia* coniugij sunt vir & mulier: tot enim & tales sufficiunt ad generationem, ideóque, duos tantum in initio creauit Deus, vt in iis perfecti matrimonij formam proponeret. Qui autem huic primo & sancto instituto contrauenerunt, aut planè impij fuerunt, *Ge.* 16. 2. 3. & 26. 34. *Iud.* 8. 30. *c.* 1. *Sam.* 25. 42. & pij infirmitate quadam lapsi falluntur itaque, & fallunt grauiter, qui cum veteribus nonnullis, sanctos illos Patres ab omni culpa liberos pronunciant, dum morem, consuetudinem, intentionem, & finem bonum (qualis est sobolis propogandae studium, non voluptatis perficiendae concupiscentia) praetexunt, quando non videndum est solùm quid & quo animo (quod quidem nonnihil excusat) Patres id fecerint, sed quid is qui ante omnes & omnia fuit fieri mandauerit. Illud autem mandato diuino & iustitiae aduersatur. vide *Aug. de nupt. & concup. lib.* 1. *cap.* 9. *Chrysost. in Genes. Lombard. lib.* 4. *distinct.*

distinct. 33. *Bellarm. de Matrim. cap.* 11. *Gen.* 2. 24. *Leuit.* 18. *Malach.* 2. 14. 15. *Matth.* 19. 5.

8. Contrà, multis nominibus suam ignorantiam prodiderunt Cathari et Montanistae veteres, qui secundas nuptias absolutè damnarunt: vt & recentiores qui eis benedictionem subtrahunt, & si qui eas contraxerunt, eos ad res sacras administrandas ineptiores ipsis adulteris & scortatoribus iudicant, cùm tamen expressis Sacrae Scripturae locis sanctissimorum Patrum exemplis, & augustissimo B. Augustini & Hieronymi testimonio, contrarium demonstratur quàm manifestissimè. Vide *Tertull. lib. de monoga. Bellar. lib. de matrim. cap.* 9. *Eund. de Clericis cap.* 23 *Aug. de fide ad Pet. cap.* 3. *&* 42. *Hieron. tom* 2. *Epist. ad Oceanum.*

9. Deinde tales tantùm contrahere possunt, qui verè sunt vir & mulier, id est, per aetatem & naturam, ad coniugium habiles. Itaque materia coniugij nondum sunt impuberes, nunquam verò spadones, *Matth.* 19. & in perpetuum impotentes, siue naturae vitio, siue aliquo graui accidente quod ante contractum Matrimonium superuenit: talium enim matrimonium in Sacris nusquam legitur, & iure optimo decretis Pontificum & legibus Imperatorum prohibetur. *Grego. lib.* 4. *tit.* 15. *cap.* 2.

10. Sumitur porrò vir & mulier indefinitè & communi(f. 1743)ter ex sententia Apostoli, *Hebr.* 13. 4. *τίμιος ὁ γάμος ἐν πασί*, & *Cor.* 7. *κρεῖσσον ἐστὶ γαμῆσαι ἢ πυροῦσθαι*: quod non modò Laicis sed & Clericis dictum est: praeter nuptias enim aliud remedium in Sacris literis vstioni non datur: vruntur autem tam Clerici, quam Laici, qui donum continentiae non habent: ergo & illis pari ratione matrimonium praecipitur, nisi fortè ignem illum naturalem stultis suis votis extingui, & anathematis fulmine suffocari posse putent, hoc verò quam sit *ἀδύνατον*, suis serenissimis antidotis & remediis contrariis, contrario morbo praescriptis satis indicant, cùm ad exemplar impurissimorum monachorum Benedicti & Francisci (qui per spinas & niues nudos, si credere fas est, sese volutarunt) incontinentiam suam & libidinem turpissimam reprimere & coercere moneantur. hoc ut sua et Pontificis auctoritate impiè firmet Bellarminus, ex diametro se opponit Apostolo, dicens, peius esse nubere quàm uri, praesertim ei qui votum solenne habet; vbi concludit cum Innocentio Papa, Ecclesiae Dei nocentissimo, matrimonium per se esse peccatum, & qui in matrimonio sunt, immunditiis deseruire: quae omnia vt doctrinam Diaboli cum Apostolo damnamus. Vide *Bellar. de monachis cap.* 17. 32. 34. *&c. Decret. Grat.* 2. *parte*, *causa* 27. *cap.* 1. 12. *&c. Conc. Trid. sess.* 8. *Can.* 9. *Coster. in Euchir. de coelibatu. cap.* 15. *Bellar. de Monachis. cap.* 30. 1. *Tim.* 4.

11. *Forma* matrimonij est legitima in vnam carnem coniunctio. vnam autem fieri carnem (quae fit in procreatione sobolis materialiter) synecdochicè significat arctissimam illam & sanctissimam in rebus omnibus societatem & *κοινωνίαν*, quae facit vt vir ius in vxoris corpus habeat, & vicissim vxor in corpus viri, 1. *Cor.* 7. Interim tamen vir speciali ratione caput vxoris suae manet, vxor verò, vt corpus, capiti subiicitur, & ab eo fouetur, & vicissim capiti auxilium subministrat.

12. Ex hac arcta & indissolubili coniunctione quidam Pontificij ineptè Sacramentum fabricati sunt, et falsae huic opinioni contrauenientes tam Pontificios quàm Orthodoxos anathematis gladio iniustè iugulant. *Concil. Trid. sess.* 8. *Can.* 1. abutuntur voce *μυστήριον*, sed Christi & Ecclesiae coniunctio designatur. *Ephe.* 5. 32. Ex hac autem erronea doctrina duo insignia absurda colliguntur. I. Si coniugium Sacramentum est, cur ipsi Clerici in se & suos tam sunt iniurij, vt à gratia (quam ex opere operato Sacramentum conferre putant) se suósque excludant? II. Quomodo Sacramentum, si locus Apostoli ad *Rom.* 8 *vers.* 8. qui in carne sunt Deo placere non possunt, de coniugio (vt vult impurus ille Siricius) intelligendus est, quomodo, quaeso,

quaeso, quod peccatum est, & per consequens Deo exosum, Sacramentum esse & gratiam conferre, poterit?

13. Porrò haec in vnam carnem *coniunctio* debet esse (vt diximus) *legitima*, id est congruens legi diuinae & naturae, quae omnia iusta & honesta praecipit. aequum itaque est & necessarium, ex legis diuinae aequitate & necessitate, vt coniugale vinculum fiat cum parentum consensu; ex aequitate & honestate verò publica, consensus etiam eorum, qui Parentum vicem gerunt, requiritur. *Exod.* 22. 16. *Deut.* 22. *Num.* 30. 39. 2. *Sam.* 13. 13. 1. *Cor.* 7. 56. *Exempla. Iud.* 14. 15. *Gene.* 24. 4. & 2. 28. 1. Impius proinde est Romani Neptuni conatus, quòd Tridente suo pietatem hanc Deo & Parentibus debitam contra Dei verbi auctoritatem deturbare student; *Concil. Trid. sess.* 24. & dictum illius impudens, quod huiusmodi coniugia non modò legitima, sed etiam sacramenta esse asserat, *Bellarm. de matrim. cap.* 20. immemor decreti illius Gratiani, *Decret. part.* 2. *causa* 30. *q.* 5. *c.* 1. Petenda est vxor à parentibus, &c. secus enim sunt adulteria, stupra &c.

14. Honestas, quae legibus naturae praescribitur, inter carne propinquos, coniugium vetat, nisi cùm mera necessitas, aut speciale Dei mandatum ad Ecclesias & Respublicas (vt in prima populorum origine) id postulat.

15. Sunt autem carne propinqui, aut cognati, id est ex eâdem stirpe γενάρχῳ orti, & consanguinei dicuntur: aut conciliati & facti sola nuptiarum necessitudine, & affines appellantur.

16. *Consanguinei* considerantur in linea recta & collaterali. In linea recta sunt ἀνίοντες siue ascendentes, Pater, Auus, proauus, &c. aut κατίοντες siue descendentes, filius, nepos, pronepos, &c. qui omnes ipso naturae ordine impediuntur, & in perpetuum ob sanguinis reuerentiam, prohibentur connubia iungere. *Levit.* 18. 7. (f. 1744).

17. In linea collaterali sunt, qui ab eadem stirpe dextrorsum & sinistrorsum se diffundunt, quales sunt superiores quidem, auunculus, patruus, patruus magnus, &c. Inferiores verò fratrum, sororúmque filij, fratres denique et sorores in recta linea, siue ex vno siue ex vtroque parente nati.

18. Est autem linea collateralis duplex. I. aequalis, cùm aequaliter a communi stirpe distant cognati. II. Inaequalis, cùm inaequaliter, qui inaequaliter inter se distant propius, matrimonium legitimè contrahere non possunt, quia Parentum & liberorum vicem obtinent: 1. *Tim.* 5. 4. qui verò aequaliter, possunt in gradu qui quartus est secundum supputationem Ciuilem, antiquam & veram: Secundus verò, secundùm ius irregulare Canonistarum.

19. De affinitate iunctis par est ratio: vir enim & vxor sunt vna caro; itaque quo gradu quispiam est consangineus vxori, eo etiam gradu fit affinis marito, & vice versa.

20. Ratio autem supputationis graduum quam tenent Canonistae, et sequuntur Pontificij, cum ratione non satis conuenit: *Bellarm. de matrim. cap.* 26. multò minùs distantia legitimarum personarum, siue quam contra Dei & naturae legem, contra laudata veterum exempla, & Patrum testimonia, *August. lib.* 15. *de Ciuit. Dei*, *cap.* 16. primum Nicolaus Papa posuit, gradu 7. et Gregorius firmauit: siue quam posteà Innocentius. 3. hac abolita, somniauit, & ad hunc vsque diem Pontifex conseruauit, *Concil. Trid.*

21. Porrò non nouit sacra Scriptura spiritualem & legalem cognationem, et reliquas affinitates, quas Pontificij coniugium contractum dirimere statuunt: *Greg. lib.* 4. *tit.* 11. *c.*3 *Decret.* 2. *par. causa* 38. *q.* 1. & 5. multò minùs ferre potest superbiam & arrogantiam filij perditionis, qui sibi auctoritatem arrogat, ex plenitudine (vt loquitur) potestatis, imò verò impietatis, dispensandi in omnibus cognationis gradibus, praeterquam

terquam in coniugio Patris & filiae, filij & matris. Hanc blasphemiam vt tegat Bellarminus dicit leges, quas de cognationis & affinitatis gradibus prohibitis tulit Deus, non naturales, sed positiuas fuisse: *Lib. de matrimon. cap.* 24. *Lombard. lib.* 4. *dist.* 34. *Concil. Trid. sess.* 8. *c.* 3. quod, quàm vanum sit effugium contextus ipsius circumstantiae docent quam euidentissimè. *Leuitic.* 18. 2. 3. Cùm itaque leges sint morales & naturales, solus Deus in iis dispensare potest, quia solus naturae auctor.

22. Finis Matrimonij est multiplex. nos, breuitatis causa, duplicem consideremus, Communem scilicet et & singularem: Finis *communis* (est creationis nostrae finis) vt in vera fide et vitae sanctitate simul verum Deum, à quo omnis benedictio petenda & expectanda est, sincerè colant; & foemina sit viro in vocatione spiritali & corporali adiumentum, meritò itaque culpantur coniugia inter religione dispares, qui ne preces quidem communes habere possunt. Finis *singularis* est duplex. I. vt sit remedium adversus peccatum ustionis & scortationis: Deus enim, fons honestatis & puritatis, thorum impollutum laudat, & debitam mutuamque beneuolentiam commendat. II. vt ex sancta hac & honesta mutui boni communicatione iucunda captent praemia. i. numerosam prolem, quam (vt loquitur Apostolus *Eph.* 6. 4. *Colos.* 3. 21) in doctrina & disciplina Domini instituant, ad summi Dei gloriam, & Ecclesiae militantis aedificationem.

23. Hactenus de legitima constitutione matrimonij egimus. Restat vt de eius dissolutione paucis agamus. Soluitur enim matrimonium cùm initiatum tum consummatum: Initiatum quidem, si post legitimum vtriusque consensum vitium aliquod accidat, siue praeter voluntatem, vt sunt corporis & animi incurabiles morbi; siue cum voluntate, vt sunt infamia ob flagitium, congressus cum sponsa consanguinea, absentia malitiosa, Apostasia & similia, quae vt manifesta impedimenta videtur Deus immittere ne coniugium initiatum consummetur.

24. Consummatum verò matrimonium est indissolubilis quaedam copula: ideóque; non pendet illius solutio à iudicio humano, sed à sola Dei auctoritate, quia solus cum sit λυσίγαμος, causas ex aequitate definire potest; quae hoc indissolubile vinculum soluent. Causas autem legitimas diuortij duas in Sacris expressit Deus; vnam faciendi diuortij, nempe Adulterium; alteram patiendi, nempe malitiosam desertionem, illam explicat Christus, *Matth.* 5. & 19. Hanc innuit Apostolus, 1. *Cor.* 7. (f. 1745).

25. Soluitur autem diuortio matrimonium, non tantum separatione thori, (vt somniant Pontificij *Concil. Trid. sess.* 8. *Can.* 5. 6. & 8.) sed etiam vinculi: nam hoc formale, illud materiale est matrimonij. Prius tamen tentanda est reconciliatio: quae in adulterio quidem est libera; potest enim innocens nocentem poenitentem recipere, vel non recipere. In desertione verò neccessaria. si enim pars deserens vltrò, siue monita ad mentem redeat, defecta pars deserentem recipere tenetur, sin autem in contumacia perseueret, deserta sibi à Deo patientiam, deserenti sapientiam exoptabit, si fortè Deus daturus est, vt ipsa suam infirmitatem expugnet iniquitatémque illius (Ciuiliter verò à Magistratu, postquam omnia diu tentata fuerint, tempus certum definitur, quo elapso innocenti fit liberum necessitate id postulante, alias petere nuptias) vt hac ratione omnia ordinatè & honestè in domo Dei peragantur, cui sit laus honor, & gloria in secula. Amen.

LV. DE STATV ANIMÆ SEPARATÆ A CORPORE POST MORTEM.

Thesis I.

Primum, Vtrum anima sola sit homo, ita vt corpus ipsi sit tanquam nauis nautae, equus equiti, quoniam haec mutui affectione dicuntur, aut an corpus solum quodammodo se habens ad animam, vt calix seu poculum ad potionem, quod potioni continendae accommodatum sit, quaerere friuolum esse ducimus: sed hominem anima & corpore constare, ita vt nec anima sola, nec solum corpus, sed vtrumque simul homo sit, cuius partes sunt essentiales anima & corpus S. S. perspicuè satis docet. idem quoq; & veteres sensisse Academicos, testis est Varro, authore Antiocho Ascalonita, Ciceronis Lucullique magistro, atque etiam Peripateticos & melioris notae philosophos Aristoteles. *August. lib.* 19. *de ciuit. Dei. Aristot. lib.* 1. *de anima.*

2. Omne quidem animal, quod vitam accepit, itidem morti obnoxium esse sensus communis & experientia docet: Homines verò post mortem etiamnum adhuc manere iudicium docet Apostolus: *Hebr.* 9. 27. tempore verò illo intermedio, quo anima quaelibet olim corpori suo pristino restituenda reseruatur, breuius, longius fuerit, prout quisque hic serius ociusue animam egerit, essentiâ sua semper tamen incorruptibilem subsistere passim in sacris vbiq; satis demonstratur, Immortalitatem verò animae gentes credidisse, earum monumenta satis explicant. *Arist.* 3. *de anima. text.* 20. *Pherecydes. Phocylides. Herm. in Poemand. cap.* 10. *Epicharm. apud Clement. Cicero* 1. *Tuscul. & in consol. item lib.* 2 *de Natura Deorum & lib. de legib.*

3. Animarum verò post mortem conditionem hanc non desidiam, seu veternum, aut simile quippiam esse dicimus, siquidem exanimem ipsam illud fingere esset, cùm (Tertulliano teste *lib. de carne Christi cap.* 4.) sensus animae sit, ac eius proprium vigere, moueri intelligere, &c. sed affectionem quandam in aeternum duraturam, aut moeroris, damnatorum scilicet quos in hac vita non est regenerationis spiritu aut perseuerantiae gratia dignatus Dominus, aut gaudij, eorum qui secundùm decretum Dei in Christo vocati sunt, quò gratuitae & ineffabilis gloriae consortes cum Deo viuant corporibúsque suis olim gloriosissimo ipsius corpori similes tandem fiant.

4. Vita haec, donec Deus sit omnia in omnibus, in eo sita est, non quòd in tali sint beatitudine qualem de aulicis Salomonis in variabili necessitate stupebat Austri regina, siquidem vere secundùm Ciceronem nullum bonum perfectum, nisi stabile, fixum ac permanens sit 5. *Tuscul.* (nihil enim inueterascere nihil extingui, nihil cadere debet eorum, quae in beata vita consistunt, quippe qui timet, ne quid ex his decedat, miser adhuc est,) sed quod plenâ, certâ, securâ, sempiternáque felicitate gaudeant in summi Dei laudibus, in pace Dei quae (f. 1746) omnem intellectum superat, atque vnitate spiritus capiti suo Christo coadunatae, vt Deo fruantur, qui bonis est praemio ac remunerationi promissus, nempe summum felicitatis culmen ac fastigium. *Gen.* 17. 15. *Psal.* 16. 6. *Item.* 17. 15.

5. Siquidem haec beatitudo prorsus supernaturalis ac spiritualis est: quo fit vt in carnis ergastulo istius excellentiae minimè capaces esse queamus. 1. *Cor.* 2. 9. Ex parte hic tantùm scimus & prhophetamus, ac in aenigmate cernimus, quasi per speculum, quoad quod perfectum est veniat, tunc facie ad faciem videbimus. verumtamen pro modulo nostro quodammodo scintillas in cordibus subinde praesentiscere datur eorum quorum Paulus. 1. *Cor.* 2. 10. meminit atque hanc ritè Deus opt. Max. nobis

nobis terrenis, terrestrium caducarúmque rerum specie in verbo suo adumbrauit, Gloriae & vitae coronam, haereditatem incorruptibilem, sinum Abrahami, aeternam salutem nuncupando, quae imprimis omnibus beatis in genere communis erit ac per se sufficiens, honorum tamen dignitatúmque quantitas ac qualitas in ipsa differens, dispari omnibus decore, seruata proportione seu ratione qua inaequaliter Deus gratiam in hoc tempore electis suis iustè singulis gratificatus est, quò olim bona sua gratuita etiam simul in corporibus ipsorum coronet. *Iacob.* 1. 12. 1. *Pet.* 5. 4. 1. *Pet.* 1. 5. *Luc.* 16. 22. 1. *Thes.* 2. 19. *Matth.* 19. 28. *Dan.* 12. 3.

6. Agere ipsorum est vacare Dei laudibus, curisque edacibus exemptos reliquorum sanctorum finem & corporum suorum resurrectionem, ac denique in perfectissimo felicitatis gaudio: nam sicuti posteà, quod iam caducum fuit corpus, denuo incorruptibile assumendum, (quod tandem *διὰ τῆς τῶν ἐλπιζομένων ὑποςάσεως* fore vident, quae ipsis tam certam ac indubiam futurae rei speciem quasi prae se fert quàm quod ipsis inpraesentiarum est certissimum) nullo ex pacto grauabit animam, sic nec eiusdem absentia, felicitatem ipsius vlla ex parte, ad illud resurrectionis tempus, Dei ordinatione, imminuet.

7. Quo in loco degant, postquam corpus viuificare dissoluto actualis coniunctionis nexu beatorum animae desiuerunt: inter omnes non conuenit. secundum situm ipsas seiungi non esse necesse putant Philosophi, quum secundum ipsos in corpore esse desinant informatione. nos cum Apostolo *ἐν τοῖς ἐπουρανίοις.* i. *ἐν τῷ παραδείσῳ* ad tertium caelum euehi dicimus, (licet Mathematici plures numerent, Theologicè verò ac non philosophicè agimus) vbi capiti suo Christo indiuiduo nexu, membra scilicet corporis Ecclesiae quod in caelis est adhaerent. Praeparatus verò locus cuilibet proprius Metaphysicus est.

8. Damnatorum conditio ex opposito, nimirum cum electorum statu ritè ex S. Scriptura colligitur. Siquidem vt hi omnis beatitudinis & aeternùm duraturae felicitatis gaudium, quale non hominum percepit cor, iam ex promissione Dei adepti, illi vice versâ horrendis diris atque omnibus cruciatibus expositi, perpetuò summi boni priuatione, miseriâ imprimis hac omnibus communi afficiuntur, próque iustissimâ Dei iustitiâ debita vnicuique per indebitam gratiam non saluato, poenis indesinentibus exercentur, veterúmque malorum pendunt supplicia, ita vt miseria ipsorum alia vel aliam superet, vel inferior aut adaequata sit miseriae alterius.

9. Miserrimus ille status, rationi iustitiae Dei respondet, in quo pro temporeis delictis, ac praeuaricationibus poena quisque damnatur aeternâ: nempe quia aduersus Dei maiestatem voluntariè impegerint, cuius hic etiam in terris manifestissima sesè signa exerunt. non enim horum peccatum vnum est, quod pro peccati celeritate, tam exigua vindicetur morula, quanta deprehenditur perpetratum. Subditus quisquis capitalem noxam clam molitus fuerit, conatus sui conuictus morte plectitur, quae ipsum in sempiternum à societate viuentium aufert. *l.* 5. C. *ad Iuliam maiest.* Poenam hanc Paulus, 2. *Thes.* 1. 9. *ὄλεθρον αἰώνιον*, expelli à facie Domini, siue à praesente Domino damnari. 1. excludi à sanctis, Christóque exosum esse: quod tantùm ex sese generat cruciatum ac dolorem, vt si illos nulla extrinsecus poena torqueret, haec sola sufficeret. Neque enim solùm in boni summi priuatione sunt, sed in mali summè horrendi positione, nempe implacabilis irae diuinae pro delicti ratione efferuescentis, ac in sempiternum duraturae sensu, quae quidem pro consequentibus dicuntur Mors (f. 1747) aeterna, acerbissimus, cruciatus, horror, ignominia. S. Scriptura etiam nominat Gehennam ignis, stridorem dentium, Mortem secundam. *Iesa.* 56. 24. *Matth.* 8. 12. *Mar.* 4. 43. *Apocal.* 21. 8.

10. Quamdiu autem vtrorumque status duraturus sit, satis innuit. *Matth.* 12. 32.

Marc.

Marc. 30. enim ὁ αἰὼν ὁ ἐρχόμενος, quod plus esse videtur quam Hebraeis *holam* & praesens seculum. nam hoc non interruptam, & continuatam extensionem ad finem denotat, illud verò sine fine. Neque enim recipiendi sunt, qui statutis seculorum interuallis alternantes sine cessatione ante diem nouissimum miserias & beatitudines autumant: nam quamuis animae terrea haec sua vascula corruptione iam obnoxia linquentes, rursus eadem secundo Christi aduentu incorruptae naturae atque immortalia induent, non idcirco subinde statum mutant. Itus verò aut reditus tales qui statuunt, humanâ misericordia moti, suam tantum causam agentes, nimis blasphemi, Dei ineffabilem maiestatem non ex aequo reformidant aut reuerentur.

11. Locum qui iam animas impiorum capit, itidem ex analogia beatorum sedis, ex diametro distantem colligimus. Lucas 16. ἅδην vocat: Ioan. in apocal. λίμνην τὴν τῷ πυρὶ καὶ θείῳ καιομένην: Alibi tenebrae, carcer, vocantur, quibus non tam loci notatur situs quàm contenti sui qualitas: atque hic omnium infidelium commune receptaculum. determinatus verò quilibet nequaquam in S. Scriptura proponitur. sufficit nobis scire communem omnibus ipsis conditionem miseram satis esse, quarum conditio etiam quae minima sit infelicitate, non adeò sit expetibilis.

12. Actiones damnatorum graphicè satis Lucae 11. indicantur: nimirum vrgentibus cruciatibus, poenísque vltricibus exagitatos concisis iam precibus, sterilíque poenitentiâ refrigeria poscere, immutabiléque statutum in morte iam miserâ sine morte flecti voto irrito optantes, idque contra normam diuinae iustitiae, quippe qui voluntatem suam prorsus in omnibus Dei placito aduersam necessariò sentiunt, eóque magis miseram.

13. Vltimo autem Dei iudicio vicissitudinem fore, aut vtriusque statum sortem tunc aliam subituram, in futuro saeculo negamus, sed eundem atque iam habent, aut adhuc habebunt ad illud tempus sine corporibus animae, fore asserimus. Papistarum itaque insulsum illud dogma de igne purgatorio, quod ex Virgilio aut Paganismo conflasse videntur, facile per se euanescit, itémque Pythagorica μετεμψύχωσις, & Platonica siue Empedoclea μετενσωμάτωσις. Licet enim animae subsistant sine corporibus, non tamen protinus ingerendum, (vt sibi rectè ob saeculorum reuolutionem collegisse videntur,) omnium redintegrationem in pristinum statum fore, perinde ac si post illud tempus eadem prorsus post tot saecula tractare cogeremur: Sed potius statum quemdam pro sua conditione non variabilem consecutas animas etiam in eodem permanere, cùm rursus corporibus induentur, quod Platonis, Labeonis, Varronísque, opinionibus si in vnam sententiam coeant, astrui sine S. Scriptura posse videtur ethnicè, Deus verò per scripturam sacram caelesti oraculo in suâ Ecclesia confirmauit, cui laus & gloria in sempiterna saecula, Amen.

LVI. DE STATV ANIMÆ A CORPORE SEPARATAE POST MORTEM.

Thesis I.

De statu animae à corpore separatae post mortem dicturis, tria axiomata siue postulata ante omnia statui necesse est, quae cùm natura communis & singularis testatur, tum reuelatio diuina per Scripturas Sacras. I. Statutum esse omnibus hominibus vt semel

semel moriantur. 2. Animam corpori à quo separatur esse superstitem. 3. Eandem essentiâ sua incorruptibilem & immortalem permanere. Vide *Hebr.* 9. 27. & 12. 23. *Ec*(f. 1748)*cles.* 12. 9. *Matth.* 10. 28. *Apoc.* 6. 9.

2. Triplex etiam est animae ratio, quae venire in considerationem potest. 1. prout est corpori adunata in natura. 2. prout est post mortem à corpore separata. 3. prout futura est post resurrectionem, restituto corpore ipsius. De prima fermè dixerunt omnes. tertia magis optari potest quàm explicari. Secundam itaque hoc loco sumimus adumbrandam, iuuante Domino Patre Spirituum & Seruatore nostro.

3. Statum animae à corpore separatae vocamus conditionem illam, in qua animae seu Spiritus humani sunt, tantisperdum separati per mortem a suis corporibus absunt. Cuius status vel conditionis obseruatur ratio in modo & circunstantiis: modo, affectionis & actionis humanae: Circunstantiis verò loci & temporis: quae duae circunstantiae ad singulas res creatas pertinent.

4. Affectio animarum post mortem à corpore absentium est duplex. prout enim hîc duo sunt hominum genera; piorum, qui electi ab aeterno credunt in Christum in hac vitâ, & in Domino moriuntur: impiorum, qui electionis expertes manent increduli; sic in altero illo seculo duplex animarum est affectio: fidelium conditio gloriosa & felix, infidelium vero ignominiosa miseráque.

5. Felicitas animarum fidelium in eo consistit, quòd perfectionem boni naturalem & supernaturalem modo supernaturali obtinent: id est cùm quòd ab omni malo culpae & poenae sunt liberae, prout dicitur, Animae iustorum sunt in manu Dei, vt minimè attingat eos cruciatus: *Sap.* 3. 1. & alibi, Non esurient neque sitient amplius, &c. *Apocal.* 1. 7. 16. tum quòd fruuntur summo bono, hoc est, communione Dei, & gloriae illius perpetua contemplatione, & iustitia vitáque aeternae: quibus animae adunatae cum Christo capite suo potiuntur apud Deum Patrem in vnitate Spiritus, qui est Spiritus vitae, & vnitate corporis, quod est Ecclesia caelestis, hinc illis gaudium ineffabile, & immortalis gloria.

6. Hunc autem statum, quia totus spiritualis est, & supra hanc naturam, eóque nobis in carne incomprehensibilis, Deus pro sua bonitate variis modis & rerum temporalium terrestriúmque nominibus delineauit in verbo suo. vocatur enim possessio regni coelorum, *Matt.* 25. 34. requies, *Hebr.* 4. 10. & 11. caelestis haereditas, 1. *Petr.* 1. 4. corona gloriae. 1. *Petr.* 5. 4. atque hic status omnium fidelium specie communis est, omnibúsque sufficiens; verumtamen diuersus gradu nec aequalis omnibus. Nam in domo Patris sunt mansiones multae, siue stationes, vt membris in corpore, lapidibus in domo, gemmis in templo, ciuibus in ciuitate Ierusalem caelesti: & varij gradus caelestis gloriae, quos Deus pro beneplacito suo piis distribuit inaequaliter tamquam stellis in caelo, & gemmis in Sacrario variè micantibus: prout hîc dona gratiae est admensus variè, & officiis ac perpessionibus inaequaliter eos exornauit. Vide *Ioann.* 14. 1. *Matth.* 19. 28. & 20. 23. *Dan.* 12. 3. 1. *Corinth.* 3. 14. 2. *Corinth.* 9. 6. *Apocal.* 21. 10.

7. Actiones fidelium animarum (non enim sunt illic planè otiosae, neque dormiunt, vt phanatici contra expressum Dei verbum & Spirituum naturam somniant) in quiete ipsarum sunt, quòd quiescentes à suis laboribus Deum laudant, eique gratias indesinenter agunt, exspectantes regni Christi consummationem, optantes perfectionem corporis illius, & corporum suorum gloriosam resurrectionem ad vitam aeternam. *Apocal.* 14. 13. Atque haec exspectatio nihil de felicitate illarum derogat, quia plenam specie & veritate, licet non pleno gradu in persona tota felicitatem possident: quod etiam exspectant, certo certius nouerunt, & persuasae sunt adimpletum iri virtute Dei.

8. Locus

8. Locus in quem recipiuntur animae fidelium migrantes è corporibus, consideratur duplex: communis et singularis. Communis est, τὰ ἐπουράνια, supremum & inuisibile coelum extra & supra omnes orbes seu coelos aspectabiles, quod tertium coelum à Paulo appellatur: in quo Ecclesia triumphans, & in ea pij omnes hac vita defuncti vnà cum capite Christo & electis Angelis versantur. Idem locus appellatur sinus Abrahae, Paradisus, aeterna tabernacula, domus Dei, &c. vide *Ephes.* 2. 6. & 4. 10. 2 *Corinth.* 12. 2. 2. *Ioann.* 17. 24. *Luc.* 16. 9. 22. & 23. 43. *Ioann.* 14. 2.

9. Singularem verò locum appellamus. quem proprium sibi animae singulae obtinent: qui locus non est Physicus seu circumscriptiuus & occupatiuus, vt loquuntur (talis enim locus corporibus propiè competit, (f. 1749) eaque circumscribit vt continens ea) sed est Metaphysicus, vulgo definitiuus seu designatiuus appellatus, in quo vbicunque est vnaquaeque anima, ibidem illa designat sese, tenens & definiens locum suum virtute sua.

10. Infidelium animarum status seu conditio, ex collatione ipsius cum animarum fidelium statu facile potest intelligi, Scriptura duce: vt enim animae beatae omnis miseriae expertes, felicitatis aeternae possessionem sunt consequutae, ita è diuerso animae impiorum omni bono, tum temporali, tum aeterno, destitutae, miseriis ac cruciatibus aeternis constrictae sunt, atque haec misera impiorum conditio, quamuis specie vna sit, omnium damnatorum communis: plures tamen sunt gradus illius, secundùm quos alij duriùs, alij tolerabilius tractantur, ex peccatorum inaequalitate, iusto iudicio Dei. *Math.* 10. 15. *Luc.* 12. 48.

11. Miseria autem illarum est duplex, culpae & poenae. *Culpa:* nam etsi ex naturae sensu Deum iustum, & peccatum damnandum esse sentiunt, suum tamen habitum, peccatum, & actum eius non recognoscunt, vt quae resurrectione sint dicturae Christo, Domine, quando te vidimus esurientem; &c. *Matth.* 25. 44. & dentibus frendant in Deum iudiciáque ipsius. *Poena:* nam cruciatus aeternos futuros suis iam gradibus perferunt quibus cruciatibus continentur plena priuatio omnis boni, & constitutio in malo. *Priuatio* 1. praesentiae gratiosae Dei gloriaeque ipsius: Nam erunt expulsae à facie Domini (2. *Thessal.* 1. 9.) & à gloria roboris ipsius. 2. communionis Christi, angelorum beatorum, & Sanctarum animarum in Christo. 3. bonorum omnium, quae cum praesentia Dei & communione Christi coniuncta sunt. Positio verò & constitutio in omni malo. 1. Irae diuinae in impias animas effusae, & exundantis atque manentis in aeternum, quae tenebrarum exteriorum nomine designatur. 2. Consociationis cum diabolo & Angelis ipsius, animarum impiarum tortoribus atque carnificibus. 3. Effectorum omnium exinde consequentium, puta summae anxietatis ex sensu malorum, quae modò diximus, & horroris incredibilis, acerbissimaeque ignominiae, denique mortis aeternae, vt scripturis appellatur vulgo, atque haec omnia in Sacris literis variè designantur: tormentis, gehenna ignis, fletu, stridore dentium, morte secunda, &c. *Matth.* 3. 12, & 5. 22. & 8. 12. & 13. 42. & 22. 13. & 25. 30. *Luc.* 12. 5. & 16. 23. *Apocal.* 20. 6. & 21. 8.

12. De actionibus damnatorum non est quòd curiosè inquiramus: nam magis ad patiendum quàm ad agendum occupantur: verumtamen ab exemplo diuitis illius de quo Christus *Luc.* 16. & locis consimilibus, id certò discimus eos secundum modum habitus sui agere, id est, malos malè. Nam quod sibi rogant in mediis flammis refrigerium, & leuamen cruciatus sui, eo ipso quasi ad naturale bonum contra leges iustitiae debitae, & veluti carnali affectu ad vota irrita rapiuntur serio suppliciorum sensu, non serio Dei amore, & iusti conscientiâ.

13. Locus autem vbi detinentur impiae animae, ne hîc quoque sollicitè investigandus est. Nam vt Sanctarum animarum, ita nec impiarum locus est huius Naturae,

sed

sed illius alterius quae in Scriptura Mundus venturus ex analogia communi vocatur: *Matth.* 12. 32. *Hebr.* 2. 5. etsi variis atque horrendis vocibus adumbratur passim: vocatur enim stagnum ardens igne & sulphure, carcer, exterius tenebrarum, locus tormentorum, et communi nomine infernus vel inferi, respectu Coeli beatorum sedis: *Apocal.* 20. 7. 10. & 21. 8. *Matth.* 8. 12. *Luc.* 16. 23. *Apocal.* 1. 18. quibus nominibus; non tam illius situs (si id exceperis, quòd extra vel foris dicitur) quàm illius loci qualitas miseraque eorum conditio qui insunt designatur, atque hic quidem locus malorum Angelorum, infideliúmque animarum communis est: de certo verò ac determinato eius situ constare non potest. Id tamen credibile est, toto caelo à beatorum sede vel paradiso remotum esse.

14. Tempus autem durationis vtriusque status vel conditionis illius, propriè non tempus, sed aeuum Patribus ex scripturis sacris (*Matth.* 12. 32. *Marc.* 10. 30. *Luc.* 18. 32.) fuit appellatum, quod est τοῦ αἰῶνος μέλλοντος, id est aeui siue futuri seculi proprium: numeratúrque inde ab ipso die separationis animae & corporis ad diem vsque illum quo omnia corpora admirabili Dei potentia à mortuis suscitata suae animae recepturae sunt in vnitatem personae: vt eaedem scilicet personae mercedem sibi destinatam à summo iudice Christo percipiant, quam (f. 1750) mercedem animae iam ante separatae à corporibus pro sua mensura expertae fuerint.

15. Atque hoc quidem toto separationis tempore, statum animarum piarum impiarúmque non mutari, sed eundem semper manere asserimus, prout seculi venturi in quod recipiuntur constans est semper ratio & immutabilis. Itaque & Pontificiorum dogmata non recipimus de Limbo & igne purgatorio, vbi animas defunctorum ad tempus statuunt commorari; & eorum item qui illi diuinae veritati quocunque modo aduersantur. 1. qui animas interire sentiunt. 2. qui dormire eas post mortem nugantur, in resurrectionis vltimae expectatione. 3. qui μετενσωμάτωσιν Empedocleam, aut μετεμψύχωσιν Pythagoream cum Cabalistis somniant. 4. animas fidelium à suis laboribus illic requiescentium putant hîc in terris oberrare, viuentibus apparere, & de particulari illorum statu cognoscere: nam etsi integra perfectáque intelligentiâ & voluntate sunt, non sequitur in rerum harum cognitione & studio versari beatas illas mentes, quasi à summi illius boni contemplatione, communione, & fructu aberrarent; sed contra in illa perfecta felicitate summóque bono perfectè conquiescere.

LVII. DE STATV ANIMAE POST CARNIS RESVRRECTIONEM.

Thesis I.

Animae à corpore separatae status nuper est explicatus. Succedit status animae post resurrectionem, ex iusta methodo. Is naturâ quidem sua difficiliori est explicatu & humanum nostrum captum excedit. Sed cùm in ea quae patefacta sunt nobis sit sobriè inquirendum, inquiremus quid necessariâ consequentiâ de hac tam ardua, & sublimi quaestione, possit Dei verbo congruenter et conuenienter statui.

2. Status animae post resurrectionem est tertia illa & postrema animae conditio, qua nimirum in communi illa resurrectione, illa corpori suo (cui in ortu fuit diuinitus infusa: à quo in morte ad tempus separata) iterum manebit coadunata nexu ex diuina ordinatione planè indissolubili & aeterno, vt in isto suo statu aeterni Dei gloriam illustret.

3. Coadunatio

3. Coadunatio ista, & causa efficiente, & forma etiam, à prima illa combinatione, quando anima corpus ingreditur, differt: non enim per naturam siue naturalem causam, naturae ordine, per calidum & humidum natiuum (quod vocant) cum corpore manebit colligata (sic enim coadunatio non esset aeterna, vtpote cùm calidum indies ab humido minuatur & tandem suffocetur: humidum verò à calido exsiccetur, & tandem disperdatur, vnde ipsa corporis mors) sed coadunata personaliter haerebit suo corpori, Omnipotentis manu, modo peculiari & nobis incomprehensibili, id est, planè supernaturali atque diuino per gratiam.

4. Iterum coadunata futura est non corpore alieno, & immediatè à Deo creato, sed cum ipsomet corpore in quod ortus sui tempore ingressa, & per mortem egressa est: quod corpus non creabitur, nam creatio est productio rei ex nihilo. Istud autem corpus ex puluere terrae suscitabitur: non ex generatione, nullus enim generationis naturalis modus corpori isti cum anima sua tum coniungendo competit: sed conuertetur ex cinere tanquam materia sua prima in corpus; & ita corporis istius resurrectio, reuersio, seu redintegratio, est dicenda.

5. *Finis* istius combinationis definitur gloriae Dei illustratio. vt autem gloria Dei illustratur cùm per ipsius misericordiam, tum etiam per iustitiam: sic fidelium animae cum corporibus suis iterum coniungentur, vt inexhaustae misericordiae thesaurus in integra ipsius fidelis persona, gratia & gloria supernaturali ornata, in omnem aeternitatem celebretur: infidelium autem animae corpori suo coniungentur, vt corpore & anima, quo in Deum, Spiritum infinitum & summè iustum peccarunt, infinitas & summas poenas luendo ad tempus in(f. 1751)finitum, iustitiam Dei vindicationem illustrent statu infelice suo.

6. *Actiones* animae in tertio isto statu sunt communes, aut propriae. *Communes*, se coram Christo summo iudice vniuersi generis humani sistere, anteactae vitae rationem reddere, & sententiam ab illo latam accipere.

7. *Propriae* sunt animae fidelis aut infidelis; eaeq. organicae aut inorganicae. *Organicae*, pervisus organum coelestis illius Hierusalem gloriam videre: per linguae instrumentum Dei bonitatem coelesti illo hymno, Sanctus, Sanctus, Sanctus es, ô Iehoua, celebrare: auris etiam ministerio cantica quae Deo à confratribus decantabuntur, audire, &c. Quamuis enim modus iste in coelesti illa vita celebrandi Deum est supra naturalem corporis sensuum modum: tamen vix ac ne vix quidem credibile & corpus fore otiosum: sed potius statuendum animam gloriosam per gloriosos corporis sui (quod organicum est) sensus, modò ipsi competenti non desituram agere, & operari actiones & operationes gloriosas.

8. *Inorganicae* animae actiones erunt, essentiam Dei, gloriam & maiestatem, per modum communicationis gratiosae et gloriosae videre; illa perpetuò frui; in illius inspectione, contemplatione ac fructù sese oblectare; vniuersa salutis mysteria perfectè intelligere, nil nisi bonum, sanctum, iustum velle: nil nisi ineffabili illi felicitati conueniens diligere. Ita intellectus & voluntatis actiones erunt quales Angelorum, id est, planè & plenè peifectae, iustae, sanctae.

9. Infidelis anima aget etiam & patietur aut per organa corporis, aut sine organo: per organon vocis & linguae eiulatus & clamores horrendos in stagno illo sulphuris emittet; per tactum etiam corporis intolerabiles inferni cruciatus sentiet: per visum horrebit; per organum auditus etiam totius infernalis consortij querelas & vociferationes percipiet.

10. Perpessiones animae suae, siue corporis organo, futurae sunt, vermis ille qui animam internè & conscientiam rodet: inexplicabiles inquietudines, dolores, tormenta, quae in se à diuina iustitia perpetietur: eorum quisq. intellectus nil nisi flagitia & scelera

scelera in corpore perpetrata, & debitas ob illa poenas, cognoscet & intelliget: voluntas erit mancipata ipsi malitiae, vt omne quod volet, omne quod eliget, illud totum malum, iniustum, diuinae voluntati contrarium & inuisum sit: denique in Deum, in naturam, in quicquid bonum est inuehetur miser: constante & immutabili malitia, cum iusto, constante & immutabili Dei iudicio certans, vt Deus iustus in sempiternum iudicio suo appareat: cui gloria, honor, imperium. Amen.

TYPOGRAPHVS LECTORI CHRISTIANO, SALUTEM.

QVVM ad finem primi tomi ferè peruenissem, mihi oblatae sunt à quodam viro docto, D. Iunij olim auditore, theses aliquot Theologicae in Heidelbergensi Academia sub eodem Professore dignissimo disputatae: quas aliis, nempe Leydensibus, adiunxi lubens, vt Theologiae candidati aliquid amplius haberent, quod eorum votis satisfaceret. Tu nostrum studium boni consule, & vale.

DE THEOLOGIAE DEFINITIONE.

THESIS I.

PRAESTANTISSIMVM verbi quod enunciat Deus argumentum illud est quod Theologiam sacram appellamus.

2. Theologia autem dicitur ὁμονύμως probatis auctoribus: quia (si vocis etymon spectemus) aut sermonem Dei ipsius, aut de diuinitate rationem siue sermonem (f. 1752) significat, vt Augustini vtamur verbis. *Lib.* 8. *de ciuit. Dei*, *c.* 1.

3. Sacram itaque Theologiam διακριτικῶς eam appellamus, quae τῇ μυθικῇ, φυσικῇ. καὶ πολιτικῇ, id est, fabulari, naturali, & ciuili Theologiae opponitur (quae genera, Varrone teste, veteres Theologiae tribuerunt) & si quid aliud καταχρηστικῶς donatum fuit nomine Theologiae. *August. lib.* 6. *de ciuit. Dei c.* 5.

4. Sacra *Theologia* est scientia rerum diuinarum vera, iusta, sancta, & perfecta, à Deo inspirata, & per enunciatiuum sermonem eius in Christo commissa seruis eius, atque in Testamento vetere & nouo per Prophetas, Apostolos, Euangelistásque consignata, quantum eius nobis expedit reuelari, ad gloriam ipsius & electorum bonum.

5. *Genus* Theologiae scientia esse dicitur: quia haec sola iustam conclusionum apodicticarum de Deo & diuinis rebus cognitionem habet, quae conclusiones sunt necessariae, neque aliter se habere possunt; & animum scientis immotum efficit; & veri contemplatione per se contenta est.

6. *Differentia* verò scientiae Theologicae à caeteris per suas causas ordine in definitione exponitur: quas paucis deinceps enarrabimus.

7. *Materia* est Deus, & res diuinae: quarum appellatione ea omnia volumus intelligi quae de natura, iure, operibúsque Dei praeteritis, praesentibus, & futuris tradi oportuit, à nobis percipi.

8. *Forma* Theologiae consideratur dupliciter: nam aut tota, vel pars totius aliqua spectatur in se, aut partes aliae cum aliis inter se.

9. Vtrouis avtem modo spectemus Theologiam partésque ipsius, simpliciter aut comparatè; haec forma est constantissima illius, quòd vera, iusta, sancta, perfectáque est & dicitur esse; ác proindo vna eadémque est, aeterna, & immutabilis, siue totum ipsius, siue partes totius respexeris.

10. *Vera* est Theologia, quia nihil falsi docet; nihilque non docet veri quod Deus de se suísque rebus exponi voluit Ecclesiae suae, & quod hîc à nobis pro captu nostro demensóque donationis ipsius expediat sciri.

11. *Iusta* haec Theologia est, quia nihil iniusti docet planè nihílque iusti non docet, ex quo ius suum vnicuique, Deo quidem primùm, tum etiam singulis rebus creatis secundùm Deum tribuamus.

12. Eadem quoque *sancta* est, quia nihil prophani docet quod Deo sit indignum, aut à sanctimonia & castitate bonorum alienum; nihílque sancti καὶ θεοπρεπῶς non docet, cuius scientiâ praediti cognoscamus sanctè atque θεοπρεπῶς & colamus Deum.

13. Similitérque *perfecta* est, tum quia nihil in se labis aut imperfectionis habet; tum quià perfectissimam veritatem, iustitiam, & sanctitatem docet perfectissimè, tamquam lux perfecta accensa ab eo qui est lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. *Ioan.* 1.

14. Ex his autem omnibus conficitur, vnam, aeternam, & immutabilem esse hanc Theologiam: quandoquidem quod verum est necessariò vnum est: quod per se verum, iustum, & sanctum est, id nunquam verum, iustum, & sanctum esse non potest: quod denique à Deo, in Deo, & secundùm Deum (qui est immutabilis) suam perfectionem habet, idem est omnino & semper manet immutabile.

15. *Causa efficiens* Theologiae duplex à nobis ponitur: vna principalis, & instrumentalis altera.

16. *Principalis* efficiens & *absoluta* causa Theologiae est Deus Pater in Filio per Spiritum suum inspirans eam: vt qui vnicus est tutor & effector summus ac perfectus scientiae huius in seruis suis, 1 *Cor.* 12. 4.

17. *Instrumentalis* est λόγος προφορικὸς, vel sermo enunciatiuus Dei, tum spiritualis perceptus spiritualiter, tum corporalis corporaliter.

18. Consimiliter *finis* duplex est Theologiae: nam vnus primarius est vel summus, alter secundarius ab eo, & subordinatus (vt loquuntur) ei.

19. *Primarius* finis vel summus Theologiae est gloria Dei: hanc enim omnibus Theologia cognoscendam praebet, omnésque boni vsu cognitionis Theologicae huius legitimo eam testatam faciunt, prout sapientia iustificatur à filiis suis. *Matth.* 11. 19.

20. *Secundarius* finis Theologiae vel subordinatus est electorum bonum praesens & futurum: nam pietati factae sunt promissiones huius & venturae vitae; Theologia (f. 1753) autem est pietatis verae scientia. 1. *Tim.* 4. 8.

21. Atque haec quidem de Theologia absoluta & in sese (vt loquuntur) considerata, prout diuina scientia est à Deo exhibita. *Concreta* verò, id est, in hominibus velut in subiecto considerata, aliter se habet propter vitium & ἀνικανότητα subiecti sui: nam ex parte cognoscimus, & prophetamus ex parte. 1. *Cor.* 13. 9.

22. Concreta haec Theologia, quae in hominem cadit, vt imperfecta est, in duas parteis distinguitur; naturalem vnam, supernaturalem & inspiratam alteram.

23. Theologiae qua Deus integrum hominem ante corruptionem naturae nostrae instruxerat: quae particula in hominibus corruptis, velut scintilla in tenebris conseruata, micat in mente per κοινὰς ἐννοίας, & augescit exculta rationis luce, εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους. *Rom.* 1. 19.

24. Haec

24. Haec Theologia à Deo naturâ inditur, alitúrque documentis sensuum, rationis, & autoritatis doctorum: omnium hominum communis est: semina quaedam principiáque habet verae Theologiae, quatenus τὸ γνωςὸν τοῦ θεοῦ manifestum est in ipsis; & nemini esse potest per se salutaris.

25. *Supernaturalis* vel inspirata hominum Theologia est pars verae illius diuinaeque Theologiae, quae ad naturalem adhibetur per Dei gratiam Spiritu ipsius & instrumento praedicati verbi ac Scripturae sacrae; neq. omnium hominum, sed nonnullorum duntaxat communis est: habet partes aliquas verae Theologiae, quamuis imperfectè: & inest his quidem sufficienter ad salutem, illis verò efficaciter ad euictionem ipsorum.

26. Naturalis itaque Theologia omnium hominum communis est, in quibus secundùm plus & minus distinguitur: inspirata quorundam solùm, quamuis effectu diuersissimo: absoluta verò neminis hominis perfectè dici potest; ac ne cunctorum quidem, tantisper dum per fidem in his terris ambulant. 1. *Cor.* 13. 9. 2. *Cor.* 3. 18.

27. Sed absolutae illius Theologiae hominibus ex parte admetiendae instrumentum absolutum omnibúsque numeris perfectum est illud verbum Dei praedicatum & scriptum, quod Scripturam sacram appellamus: quia *Scriptura* per se nihil est aliud, quàm symbolum absolutissimum absolutissimi illius verbi quod apud homines pronunciauit, & consignatum Ecclesiae commisit Deus.

DE DEFINITIONE ET MATERIA SCRIPTVRAE SACRAE.

Thesis I.

Scriptura sacra est diuinum instrumentum sacrae Theologiae, ex libris Testamenti veteris & noui constans, diuinitus Ecclesiae traditum ad gloriam Dei & electorum bonum.

2. Est autem proprium Theologiae *subiectum* Deus, & res diuinae; prout se & res suas cognosci voluit, & reuelatione cognoscendum nobis proposuit Deus: idem est igitur Scripturae sacrae.

3. Sacrae Scripturae materiam ad commoditatem docendi hîc duobus modis distinguimus: primùm ratione subiecti, quà est Theologiae instrumentum; secundò ratione partium, quà scriptum est instrumentum eius.

4. *Subiectum* & *materia* Scripturae huius est duplex: vnum, proprium, vel summum: alterum, inferius vel secundarium, & ordinatione ad summum pertinens.

5. *Proprium* summúmque subiectum est Deus: qua in materia ita versatur Scriptura, vt quàm propriissimas determinationes de Deo, vt primâ summáq. causa, adferat: non solùm secundùm illud γνωςὸν τοῦ θεοῦ, cuius meminit Paulus, verum etiam secundùm eam sapientiam qua ipse (qui sibi soli notus est perfectissimè) se per reuelationem cognoscendum aliis exhibet. *Rom.* 1. 19. 1. *Cor.* 2. 7. (f. 1754).

6. Inferius & secundarium subiectum est homo inter creaturas, & in iis princeps Ecclesia Dei: quae ad Deum ordinatè, vt principium finémque suum, referuntur.

7. Vtramque hanc materiam exponit Scriptura, tùm secundùm naturam ipsius, in quantum ordinationis illius causâ exponi oportuit: tum secundùm officia ipsarum inter se ex diuina illa ordinatione.

8. Ac Deus quidem secundùm naturam in Scripturis sacris exponitur, non per essentiae

essentiae illius definitionem, sed per attributa solùm propria ipsius: quibus & describi maiestas eius quodammodo exilitate nostri sermonis potuit (nam huic etiam reuelationes suas contemporauit Deus) & comprehendi humanae mentis angustiâ.

9. Hominum verò ac totius Ecclesiae de humano genere electae atque vocatae natura integra, corruptáque, & tota ipsorum ratio tam verè, breuiter, dilucidéque in his Scripturis explicatur, vt caetera scripta nihil ad dignitatem ipsarum.

10. Sed quia subiecti vtriusque naturam in se aut nihil aut parum attinuisset explicari, nisi unius ad alteram relatio fuisset demonstrata: propterea diuinam ipsorum ordinationem & officia inter se Scriptura docet.

11. *Ordinatio* est, quòd Deus solus causa esse ostenditur non causata (vt ita loquamur) sed causans, principiúmque & finis omnium à quo, per quem & propter quem sunt ista omnia: homines verò à Deo, vt causâ prima summáque, proficisci, ab ipso pendere, & ad ipsum vt finem suum respicere.

12. *Officiorum* duo sunt genera: nam alia iuris sunt, quibus τὸ δικαίωμα τοῦ θεοῦ Scriptura docet: & alia facti, quibus Dei hominúmque operationes exponuntur.

13. *Diuina* officia in iure posita, partim ex naturae ipsius, partímque gratiae supernaturalis luce instrumento verbi & Scripturae sacrae hominibus ostenduntur. Sic enim Deus homines afficit hoc vtroque modo, vt ipsos ius suum doceat, & debitum exigat, & gratiosum spondeat propter seipsum voluntariè.

14. *Humana* verò, si ad ius respexeris, officia Domino deberi Scriptura docet propter naturae legem & gratiae diuinae veritatem: vt se ipsi docendos tradant, debitum praestent, gratiámque praehendant fide.

15. Ex facto dicitur haec officia homini praestare Deus quòd creauit, sustentat, gubernat ipsum & res caeteras ipsius causa, naturae lucem conseruat & accendit, verò exhibet in multis salutariter, & in omnibus efficaciter.

16. Homo verò pro officiis Deo rependere maleficia: nam pro eo quod Deum agentem agnoscere & sequi oportuit, homo contrà agenti obnititur planè, aut tractus sequitur infirmissimè.

17. Quapropter Deus haec singula sapientissimè in sacris Scripturis explicauit, vt certissimum in omnem memoriam, & iustissimae ordinationis, & officiorum omnium communium singulariúmque speculum ante oculos haberetur.

18. Essentiales itaque sacrae Scripturae *partes* (vt ad secundum locum transeamus) sunt duae: vna ius ipsum, siue quaestionem iusti & iniusti explicans, quam Patres dixerunt Aetiologiam, alij haud scio an meliùs δικαιολογίαν: altera exponens narrationem facti, quam illi nominauerunt historiam.

19. Rursum *aetiologiae* partes sunt essentiales duae, quae vulgo Legis & Euangelij nomine circumscribuntur: nempe quae de iustitia operum, iustitiáque fidei exponit Deus.

20. *Historiae* verò sacrae partes sunt totidem: nam aliae ad res priores & antegestas pertinent, aliae ad eas quae praedicuntur gerendae. Priores ferè Historiae simplice nomine, posteriores Prophetiae solent appellari.

21. His partibus etiam concludimus mixtum illud Scripturae genus, vbi exempla historiaeque cum documentis aetiologicis coniunguntur: quia Spiritui sancto vtrumque visum est, & ius exemplis illustrari, & exempla iure discerni & diiudicari oportere.

22. *Integrales* verò (vt loquuntur vulgo) partes Scripturae sacrae sunt duae: quarum vnam *Testamentum* vetus, alteram Nouum appellari obtinuit vsus.

23. Testamentis veteris ex autoritate Scripturae & bonorum consensu multiplex iam olim fuit tradita diuisio: Praecipuas quasdam ex eis adferemus.

24. Prima diuisio est, Testamenti veteris duas esse partes, Legem siue Mosem μειωνυμικῶς, & Prophetas siue (f. 1755) declarationem Legis: *Matth.* 5. 17. *Luc.* 24. 27. nam

27. nam reliqui libri à Prophetis eo fuerunt conscripti, vt exstarent interpretamenta & demonstrationes Legis.

25. Secunda est, treis esse illius partes, Legem, Prophetas, & Psalmos: *Luc.* 24. 44. id est, Prophetarum Legis interpretum duo esse genera; vnum eorum qui soluta oratione tradiderunt Legis declarationem; alterum eorum qui suo exemplo docuerunt applicationem illius, & oratione numerosa perinde eam tradiderunt ac si in os indidissent omnium.

26. Tertia est, quatuor esse illius partes, Legem, Prophetas priores, Prophetas posteriores, & Psalmos: id est, eos Prophetas qui scripserunt oratione prossa duûm esse generum; nam alios res gestas conscripsisse, alios futuras praedixisse: de caetero huic diuisioni cum antecedente conuenit.

27. Quartam Iudaei inuexerunt à tempore quo aut scripti fuerunt libri, aut collecti, aut perfecti, & ita in thesauro Ecclesiae olim depositi. Nempe quatuor esse partes veteris Testamenti, Legem à Mose scriptam, Prophetas priores inde à Mose ad deportationem vsque, Prophetas posteriores inde à temporibus fermè Huzijae ad redintegrationem vsque templi, & τὰ ἁγιόγραφα, libros à deportatione ad Macbaeorum vsque tempora compositos.

28. Etsi hae partes synecdochicè ita appellantur: cùm neque postremum caput Legis à Mose, neque extrema verba 2. Regum ab eodem autore sint, neque libri Ijobi, vel Iudaeis ipsis testibus, ad posteriora illa & noua tempora referri possit.

29. Quinta diuisio est peruulgatissima, à singulorum librorum enumeratione, quae omnium consensu est eadem, quamuis ordine dissimili: si eos exceperis qui Concilij vnius Toletani fide Apocryphos in catalogum authenticorum ausi sunt inscribere.

30. Noui Testamenti diuisio non perinde variat: Est enim duplex, aut triplex, aut in singulari partium enumeratione posita.

31. Duae sunt partes Noui testamenti: vna ἱςορικὴ, Euangelia, Acta, & Apocalypsin continens; αἰτιολογικὴ, Epistolas sanctorum Apostolorum.

32. Tres verò partes statuuntur, si τὸ προφητικὸν illud in Apocalypsi scribendi genus ab historico distinxeris; itáque primum historicum (vt in proxima diuisione appellatur) posueris, secundum Propheticum, & tertium αἰτιολογικόν

33. De singularum verò partium enumeratione inter omnes conuenit: nam eorum qui Euangelium Thomae, Nicodemi, Nazaraeorum, &c. epistolásque nothas adiunxerunt, sententia iam olim explosa est.

DE FORMA SCRIPTVRÆ SACRAE.

THESIS I.

AMPLISSIMAE illi sanctissimaeque materiae, quam in Scriptura sacra nobis exposuit, respondet ἀναλόγως forma, quam eidem Scripturae impressit Deus ad gloriam suam & vtilitatem nostram.

2. Est enim *forma* illius (vt vno verbo dicamus) diuina planè; quia diuinam veritatem suam diuino modo, ac non humano expressit Deus.

3. Diuinam hanc scripturae formam Christus Veritatis nomine appellauit, quum

Patrem

Patrem supplicans & intercedens pro nobis, vt Sacerdos noster, diceret, Verbum tuum est veritas. *Ioan.* 17. 17. *Psal.* 119. 160.

4. Tanta enim est *veritas* Scripturae sacrae, vt diuina veritas, quae quidem est per sermonem in hoc seculo communicabilis, cum Scriptura Sacra sit ἀντίςροφος: adeò vt nihil diuinae veritatis illius salutaris extra Scripturam sacram hîc exstare possit, & nihil in hac Scriptura, quod idem non sit diuinae illius veritatis.

5. Elucet autem diuina illa veritas tum in rebus ipsis, tum in oratione ad res significandas adhibita, omnibus & singulis, vbique & semper: quo nomine eam Basilius optimè ἀλήθειαν παναρμόνιον appellauit.

6. Ac in rebus quidem & sermone Scripturae sacrae tanta est veritas, vt Scriptura sacra sacrae illi Theolo(f. 1756)giae, de qua antè diximus, conformata & diuinâ symmetriâ respondens ei, sola sibi in hoc argumento laudem hanc vindicet, quòd vera, iusta, sancta, perfectáque sit diuinitus, & diuino modo.

7. Diuinitus; quia expressum est speculum veritatis, iustitiae, sanctitatis, & perfectionis Dei, conditionísque nostrae (qualiscunque fuit, est, aut futura est haec) in oculis nostris per Dei prouidentiam & gratiam expositum. 1. *Cor.* 13. 12. 2. *Cor.* 3. 18. *Iacob.* 18. 23.

8. Diuino autem modo; quia nec ad humanae sapientiae modum exarata est, nec verbis humanae sapientiae: sed rebus & verbis humanam quamuis sapientiam exsuperantibus. 1. *Cor.* 1. & 2.

9. In rebus etenim vera est Scriptura sacra, quia verissimè exponit veram Theologiam: ac proinde nihil falsi docet, nihílque non docet veri, quod Deus de se suísque rebus voluerit exponi Ecclesiae suae, & quod intersit à nobis sciri. *Act.* 20. 27. 2. *Tim.* 3. 16.

10. Eodem quoque argumento *iusta* est diuinitus, quia nihil iniusti docet planè, nihilque iusti non docet: quod ex iure est secundùm naturam, gratiam, officiúmque singulorum; & quicquid est facti, illud exponens iustissimè.

11. Quòd enim facta iniusta, sermonésque iniusti in Scriptura narrantur, id de iustitia Scripturae nequicquam detrahit: quia & iniustè narrantur vt facta sunt, & iustè nobis ad exemplum, vt vitemus ea, exponuntur.

12. Nec obstat quòd in exemplis rerum iniustarum narrandis Scriptura sacra non definit plurimùm, quid reprehendi oporteat, quid ferri, quid excusari possit: nam ea demum est virtus historiae, vt causas, consilia, facta, euentáque narret quàm simplicissimè: quaestionem verò iusti & iniusti permittat legentibus extra perturbationem, ne qua gratiae aut simultatis species inesse dicatur, aut suspicionis ansa praebeatur. Nam quaestioni iusti & iniusti suus est extra διηγηματικὴν historiam locus in Scriptura sacra.

13. *Sancta* quoque haec Scriptura meritò reipsa dicitur, quia nihil profani aut profanè docet, nihílque sancti non docet, ídque θεοπρεπῶς & conuenienter institutioni nostrae.

14. Denique si rem ipsam & argumentum Scripturae spectemus, scriptionum omnium est *perfectissima*, tum quia nihil in se labis imperfectionísque, ne in minima quidem sui parte, habet, tum quia perfectissimam veritatem, iustitiam, & sanctitatem exponit perfectissimè, tanquam diuina fax praeferens diuinam lucem salutaris illius & verae Theologiae. 2. *Petr.* 1. 19.

15. Quemadmodum autem contemplatione rerum quas Scriptura tradit, hae laudes propriè ac singulariter ipsi tribuuntur: sic etiam de sermone vniuerso, & singulis eius partibus affirmamus.

16. *Verus* enim est Scripturae sermo, & à falso planè alienus, adeò vt ne apex quidem

quidem vel iota vnum ex ea sit praeteriturum, quin complemento suo & veritate rerum gestarum aut gerendarum, aeternaeque rationi iusti atque iniusti respondeat. *Matth.* 5. 18.

17. Nam quae figuratè dicta aut facta leguntur in Scripturis, ea non aduersantur veritati Scripturae: quia res verae non solùm proprio, sed & figurato loquendi aut agendi modo verissimè, quod ad substantiam ipsarum, ostenduntur.

18. Imò verò hic ipse figuratus modus ad commoditatem docendi, gratiam, fidem, autoritatémque interdum conducit magis docendis, delectandis, permouendísque hominibus, quàm si proprius aut simplex adhiberetur.

19. Nam & in Scripturis traduntur multa, quorum alia nunquam nisi figurato modo exponi possunt: alia verò etsi potuerunt dici, tamen pro ratione temporum antè figuratè, posteáque propriè dici oportuit: alia denique traduntur, quae figuratè proponi expedit ad vtilitatem nostram.

20. *Iustus* est Scripturae sermo, qui suum cuique tribuit conuenientissimè: rerum veritatem, & iusti atque iniusti rationem iustè enuncians.

21. Idem quoque omnino *sanctus* est, qui nihil profanè, spurcè, aut turpiter: sed omnia sanctè, & res etiam turpissimas *σεμνῶς*, honestè, grauiter, decenter enunciat.

22. Quapropter etiam *perfectissimus* Scripturae sermo dicendus est, cùm nihil omnino falsi, iniusti, & profani habeat: sed omnia vera, iusta, sanctáque sine labe vlla (f. 1757) aut specie labis complectatur; & ea ipsa omnia quae in se complectitur accommodatissimè ad res ipsas de quibus agitur, & ad eos quibus instituendis Scriptura fuit tradita, enunciet.

23. Accommodatè ad naturam rerum de quibus agitur Scripturam loqui dicimus, prout res quaeque symbolis verborum scriptionúmque exponi potest. Nam cùm oratio nostra sit rerum humanarum, terrestrium, & aspectabilium symbolum; hae autem res ipsae diuinarum, caelestium, & spiritualium symbolicae sint: fieri aliter non potuit in Scripturis sacris, quin harum rerum symbolis exponerentur illae.

24. Neque verò aliter dici potuerunt, vt accommodatè nobis (quibus hic sermo habetur, Scripturáque tradita fuit) diceretur. Nam terrestria nobis dicit Deus. & pauci intelligunt ea, pauciorésque accipiunt fide: ac proinde res caelestes multo minùs intelligentia & fide esse percepturi, si dictae fuissent secus. *Ioan.* 3. 12.

25. Ac propterea omnis virtus, quae orationem efficit laudabilem citra fucum sermonémque humanae sapientiae, per Spiritum Dei in Scripturis sacris potentissimè est explicata.

26. Res enim omnes in eis sunt expositae *κατὰ τὸ πρεπέστατον*, grandes granditer, mediocres mediocriter, & exiles exiliter, omnes denique conuenienter naturae suae, & captui mentis nostrae.

27. In primis autem eo mentes nostrae commodissimè adiuuantur, quòd omnia bene, & breuiter, & perspicuè sunt scripto consignata.

28. Bene, vel potiùs optimè: nam nihil melius.

29. Breuiter: nam tot tantaeque res nusquam tam exiguo systemate, tam exiguis libellis, tam pauculis verbis cunctae, aut singulae declarantur.

30. Perspicuè: nusquam enim res diuinae magis *κατ' ἄνθρωπον*, caelestes terrestri modo, spirituales accommodato rebus corporeis, infinitae circumscriptis verbis, amplissimae maximaeque pauculis comprehensionibus fuerunt traditae ex rerum dignitate & utilitate nostra.

31. Verè igitur diuinam Scripturae formam concludimus & à solo Dei Spiritu supra quàm dici aut cogitari arte humana possit informatam: quae intus veritatem, iustitiam, sanctitatem habet, velut ab illo aeterno Spiritu animatam; foris dignitatem summam

summam eiusdem virtute̅ illuminatam; & ex omni parte perfectionem diuinam atque incomparabilem.

DE CAVSA EFFICIENTE SCRIPTVRAE SACRAE.

Thesis I.

Atqve ea quidem est sacrae Scripturae dignitas, essentialibúsque partibus illius ita confirmatur; vt nemo homo, neq. res creata vlla, verè ac iustè *efficiens causa* illius appellari possit.

2. Nam neque amplissimam illam materiam hîc vlla creatura vnquam per se potuit tradere, quae ne traditam quidem perfectè nunc potest capere; neque formam absolutissimam indere quisquam potuit, qui neque in sese, neque penes se habet diuinam perfectionem formae illius quam indat alteri.

3. Est igitur Scripturae sacrae & verae illius Theologiae autor, vel causa efficiens sua vi atque absoluta, Deus Creator omnium Pater, Filius, & Spiritus sanctus, essentia vnus, personae tres in vnitate essentiae.

4. Effecit autem diuina communicatione: & se effectorem illius esse diuinis testificationibus confirmauit.

5. *Modi* communicationis sunt duo, sermo, & Scriptura.

6. *Sermo* aut est internus & spiritualis per Spiritum sanctum cum spiritibus humanis habitus: aut externus siue corporalis fuerit hic, siue corporali modo atque per modum (vt loquuntur) corporis enunciatus.

7. Vterque autem sermonis modus aut immediatè apud homines fuit à Deo habitus, aut etiam mediatè aduentitio rerum creatarum, quascunque foris adhibere placuit, ministerio.

8. *Internus* & spiritualis sermo (quem Scriptura pro(f.1758)priè reuelationem vocat) immediatè inde à conditu mundi fuit à Deo habitus cum Angelis & piis hominibus, qui aguntur Spiritu ipsius: nam hic idem Spiritus contestatur spiritui nostro filios Dei nos esse, & docet omnem veritatem. *Rom.* 8. 16. *Ioan.* 16. 13.

9. Mediatè verò editus est per Angelos quoscunque visum est, velut administros voluntatis suae, & significatus hominibus ex mandato ipsius.

10. *Externus* verò atque corporalis immediatè factus est à persona Filij, quum aeternus λόγος humano corpore sibi assumpto in vnitatem personae, quamuis in sinu Patris, inter homines est conuersatus, narrauítque consilium eius his vltimis temporibus, quod superioribus fuerat absconditum. *Ioan.* 1. 18.

11. Quum autem mediatè habuit sermonem Deus, aut in corpore habuit aliunde sumpto κατ᾽ οἰκονομίαν; aut corporali modo, quamuis sine corpore, affecit sensus audientium, aurésque pulsauit sono: aut ministerio rerum creatarum, praesertim hominum seruorúmque suorum vsus est praedicatione.

12. Scripturam quoque alterum communicationis modum, Deus immediatè per se, plurimùm verò mediatè per seruos suos exarauit.

13. *Immediatè*, aut simpliciter, aut adhibito etiam corporali modo: vt quum Lex inscriberetur, & quum digiti manus humanae visi sunt, conuiuante Belsatzare, in tectorio parietis inscribentes. *Exod.* 31. 18. & 34. 1. *Dani.* 5. 5.

14. Mediatè verò, totum illud systema Scripturae sacrae & singulae partes illius

per seruos

per seruos Dei, dictante & praeeunte Spiritu illius, tamquam actuarios vel tabularios publicos Dei & Ecclesiae, est scriptis consignatum.

15. Haec autem omnia à se profecta esse Deus certissimis testificationibus comprobauit, partim ordinariis, partímque extraordinariis.

16. *Extraordinaria* singularésque *testificationes* vel signa duûm sunt generum: aliae enim sunt merè symbolicae, aliae etiam energeticae.

17. *Symbolicae* fuerunt eae, quibus solummodò praesentiam suam confirmauit Deus, vt verbo haberetur fides, & sibi reuerentia. Ita fuit rubus ardens. *Exod.* 3.

18. *Energetica* verò, quum aut homines ipsos affecit exserta in ipsis operatione sua, aut res etiam alias hominum ipsorum causa, propinquas, longinquas, omneis. Ita fuerunt curationes, flagella, terraemotus, Solis & Lunae stationes retrogressionesque, tenebrae, & similia multa facta in euidentia Spiritus, & designata in omnium oculis potentissimè. *Marc.* 16. 29. *Matth.* 27. 45. *&* 51.

19. *Ordinariae* testificationes aliae certis temporibus datae, aliae ad perpetuitatem à Deo institutae sunt.

20. Ad perpetuitatem sunt tres: vna quam Deus intus exhibet, Spiritus sancti affirmatio: altera, quam foris exhibet nobis, nimirum euentus, quo fidem suam Dominus, id est, dictorum factorúmque constantiam & veritatem asserit: tertia, quam à nobis imperat exhiberi, nempe sancta Ecclesiae professio; denique tum omnes actiones sanctae in Ecclesiae obseruandae ex praescripto eius, tum perpessiones in membris illius.

21. Ac omnes quidem hae testificationum species simul concurrerunt, quo tempore Deus Legem populo suo tradidit; & Mosem populo non solùm annuente, sed etiam flagitante, publicum esse tabularium voluit & communem interuentorem suo & Ecclesiae nomine. *Exod.* 19. *&* 20.

22. Quae res omnino fuit necessaria, vt Legis à Mose praesentibus partibus conscriptae sanciretur in posteritatem autoritas, & communis canon sermonum scriptorúmque omnium deinceps existeret.

23. Sequentibus verò temporibus ad deportationem vsque Babylonicam, hae testificationes exstiterunt arca Dei & nubes ex qua dabat responsa Deus, Ephod cum Vrim & Thummim, Legalis canon, & Examen Synedrij Ecclesiastici ex Sacerdotibus & Prophetis constituti: quibus modis probata & approbata sunt quaecumq. homines Dei verbis illius dixerunt scripserúntque, & in thesaurum Ecclesiae importata, velut canoni suo conuenientia.

24. Sed quum inde à tempore deportationis sublata arca, illa Dei gloria abluisset, quod Iechezkel prophetauerat, c. 11. & signa Vrim & Thummim periissent; illa ordinaria duo permanserunt: canon Legis, tanquam foederis authentici ex consensu partium perscripti, Prophetia (f. 1759) rúmque ex testimonio Dei & Legis in Ecclesia receptarum, & legitimum examen Synedrij; quae iuris fuerunt, cum lege; quae facti, cum veritate & complemento suo comparantis, signáque adiuncta ex iisdem rebus diiudicantis secundùm Legem. *Deut.* 13. 1.

25. His igitur modis scripta sacra post deportationem, siue perscripta, siue collecta fuerint ex eo tempore, examinata, probata, pro authenticis habita, & penes Ecclesiam fuerunt deposita, vt in perpetuum vim authenticam obtinerent.

26. In temporum autem plenitudine, siue his temporibus vltimis Deus per Filium nos alloquutus est gratia & veritate plenum, de quo antecedentes Scripturae perhibuerant testimonium, & ille antecedentibus vicissim testificatus est. *Heb.* 1. *Io.* 1. 14. *Act.* 3. 18. *& seq. &* 10. 43. *Io.* 5. 39.

27. Ac Filij quidem sermo est canon Scripturae totius & nostrae fidei constantissimus:

simus: hic enim ipse est per cuius manum Lex olim stipantibus Angelis fuerat tradita, sermonémque προφορικὸν enuncians nobis, vt sermo aeternus patris.

28. Huic verò sermoni tum illa omnia vetera scripta, vt quae ab ipso fluxerunt, hoc tempore contestantur, tum omnia illa testimoniorum genera quae antè percurrimus, exceptis temporalibus: in extraordinariis symbolica & energetica: in ordinariis affirmatio Spiritus sancti, euentus certissimus, & sancta Ecclesiae assensio, confessióque constantissima.

29. Quae autem scripta sunt de hoc sermone ab Euangelistis & Apostolis, Ecclesiaeque tradita, ea mediatè in Christo per Spiritum suum operâ illorum confecit Deus.

30. Horum testificationes aliae à Deo sunt, aliae ab hominibus.

31. A Deo immediatè sunt testificationes Patris in Filio per Spiritum, quem inspirauit seruis suis scribentibus, & inspirat credituris.

32. Mediatè verò, tum extra ordinem signa per seruos Dei edita sermones scripturámque ipsorum confirmantia, & euenta illorum; tum ordinariè Legis totiúsque veteris Scripturae canon, examen sanctorum Apostolorum, piorum in Ecclesia, tam eorum qui viderunt, quàm eorum qui Christo non viso ex auditione crediderunt assensio; & Ecclesiarum diuina collectio ac constitutio ad huius Scripturae praedicationem; ac postremò omnium fides, obsequium fidei, & patientia inuicta in crucis grauissimae perpessionibus.

33. Ab hominibus denique, quod impij & infideles ipsi virtute Dei huic ipsi Scripturae, ex rebus visis, auditis, cognitis, perhibere testimonium alij vniuersè, alij ex parte coacti sunt; nec veritati & euidentiae Spiritus, quae in Scripturis emicat, ausi sunt obsistere: tanta est veritatis vis atque autoritas.

DE FINE SCRIPTVRAE SACRAE.

Thesis I.

Illivs ergo Scripturae sacrae, de qua antè diximus, tam multiplex & ampla dignitas euincit manifestissimè non posse finem illius non esse amplissimum, finiúmque omnium qui in natura rerum aut supra naturam sunt praestantissimum.

2. Ac primùm quidem aliquem certum finem Scripturae sacrae esse propositum nemo negauerit, qui aut materiam, aut formam illius, aut efficientem causam summam, adiuuantem, aut instrumentalem reputaturus est.

3. Etenim si animantes caeterae natura duce, aut homines ratione rem nullam, ne ludicram quidem appetunt, nisi propter finem aliquem; multo minùs dari istud potest, sermonem Dei, id est, diuinam illam caelestémque materiam, diuina planè & caelesti forma, à Deo (qui totus est sapientia) in Scripturis sacris fuisse expositum sine certi finis contemplatione.

4. Iisdémque rationibus manifestò vincitur illius finem amplissimum esse oportere: vt nihil de aliis in praesentia dicamus.

5. Cùm autem Scriptura enarret hominibus totum consilium & voluntatem Dei, quam sciri à nobis in hac (f. 1760) vita interfuit, omnis autem consilij & voluntatis rectae obiectum sit finis & bonum aliquod: propterea in definienda Scriptura pro ratione

ratione obiectorum duplicem finem & bonum duplex statuimus, gloriam Dei & electorum bonum. *Act.* 20. 27. 2. *Cor.* 2. 15.

6. Obiectorum enim duo sunt genera; vnum, quod primum est in intentione agentis; atque hoc aut vnicum est, aut praecipuum, primarium, summúmve appellatur, ex relatione sequentis generis alterius: alterum, per quod ad illud summum contenditur; quod secundarium vel subordinatum ad finem appellamus.

7. Atque in hunc modum gloria Dei propriè aut vnicus est, aut summus *Scripturae finis;* & electorum salus finis est secundarius, si ad rem ipsam simpliciter attendamus: ex relatione autem, vel secundùm rationem ordinis, illa finis primarius, haec secundarius appellatur.

8. Gloriam Dei summum, aut etiam (si placet) vnicum esse Scripturae finem hîc tribus locis sufficiet demonstrari, à natura Dei, à natura communi rerum creatarum omnium, & ab humana nostra.

9. A natura Dei. Nam cùm Deus sit per omnia infinitus, αὐταρκὴς & infinitè bonus, adeóque summum & infinitum bonum: non potuit à summo bono alius finis à se, aut ab infinito (quod extra controuersiam vnicum est) finis extra se procurari, aut alibi quam in summo bono, id est, in sese conquiescere.

10. Quòd si aliud bonum à Deo, aut extra Deum, aut alibi quàm in summo bono proprius Scripturae finis statuatur; alterum necessariò conficitur (quod absit) aut non esse à Deo Scripturam, aut Deum seipsum abnegare in Scripturis, & renunciare naturae suae.

11. A natura rerum. Nam & ipsa rerum vniuersitas, & singulae partes ipsius ab vniuersali causa mouentur vniuersè & particulariter, suóque motu appetunt & annunciant vniuersale bonum, id est, Deum ipsum, vt principium & finem suum naturae ordinatione. *Ioan.* 1. 4. *Rom.* 11. 36. *Colos.* 1. 17. *Rom.* 8. 19.

12. Sed cum aliae vniuersitatis partes appetitu solùm naturae seu inclinatione moueantur, aliae rationis; maximum hic discrimen opus est obseruari.

13. Naturalis enim appetitus creaturis omnibus rationis expertibus, animatis & inanimis, sic inest, vt ipsae nihil ordinent, sed ordinentur; non moueant se, sed moueantur; nec singulae per se ad bonum vniuersale tendant (quod sola ratio capere potest) sed in fines particulares dirigantur à summa illa voluntate Dei, vniuersale bonum finémque ex illis particularibus demonstrante.

14. Rationalis verò illius appetitus, cuiusmodi Angelorum hominúmque est, conditio aliter se habet, quia & naturali praeest tamquam suo comiti, & suam praetereà singularem quamdam naturam habet.

15. Atque haec singularis est conditio eius, quòd ordinat quidem res particulares quasdam, sed ordinatus, & mouet se, sed motus à causa vniuersali & principio suo: respectu verò summi finis & vniuersalis boni; si finem hunc nouit, propter eundem agit; si non nouit, aberrat ab eo, & se perdit ipsum ad fines particulares contendendo, & conquiescendo in eis. *Act.* 17. 28. *Ps.* 104. 27.

16. A natura igitur hominis vel nostra certissimum est argumentum, ad illum Scripturae finem confirmandum: cùm recta ratio insita homini à natura sit ea ipsa quae docet hominem per fines particulares ad vniuersales, & ad summum illum atque vniuersalissimum (vt ita dicamus) contendere; & nihil sit indignius, quàm alias res creatas expertes rationis eò natura moueri, hominem ratione minimè.

17. Atque hoc Salomo confirmauit dicens, Omnes operatus est Iehoua propter se, etiámque improbum ad diem mali: *Prou.* 16. 4. Christus petiuit oblaturus sacrificium sui ipsius Deo & Patri, Glorifica Filium tuum, vt & Filius tuus te glorificet; *Ioan.* 17. 1. nósque in nostris precibus docuit tum primo loco & prima intentione petere,

petere, Sanctificetur nomen tuum; tum extremo vt summum finem addere, Tuum est regnum & potentia & gloria: *Matth.* 6. Sancti denique omnes suo exemplo, precibus, & documentis idem ostenderunt.

18. Ac recta quidem ratio, vt naturae primùm à Deo fuit insita, finem hunc cognouit, & propter eum fuisset actura si in veritate permansisset; prout electis Angelis accidit (f. 1761).

19. Sed quia homo, abductus à cognitione finis illius, rectam illam rationem labefactauit peccato suo; aberrauit à fine summo, rectáque ad finem ordinatione; & malum duplex creauit sibi, nimirum culpae, & poenae.

20. Hîc verò materia Deo sapientissimo & misericordia fuit oblata, vt sacram Scripturam propter alterum illum & secundarium finem humano generi exhiberet.

21. Nam diabolo, vt principi autoríque mortis, non commisit eam; sed homini, qui arte diaboli circumuentus in mortem eandem corruit, dedit hoc singulare documentum potentissimae iustitiae ac misericordiae suae salutariter.

22. Homini enim aberranti & iacenti in malo, & malum & curationem à malo per verbum & Scripturam Sacram demonstrauit, exhibuit, contulítque Dominus.

23. Itaque pro eo quod homo à summo illo sanctissimóque fine aberrabat; eúmque ignorabat, doctrinam de summo fine comprehendit Scripturis.

24. Pro eo quod aberrabat à recta illa ad finem ordinatione, eámque & sese homo ignorabat, doctrinam de homine & de iusta ipsius ad finem summum ordinatione iisdem complexus est.

25. Pro eo quòd per malum culpae ordinem illum qui fert ad summum finem excluserat, eíque ex facto indesinenter renunciabat; doctrinam de resipiscentia & fide, id est, de conscientia & renunciatione mali studióque boni, & de cognitione iustitiae Dei quae est per fidem & fructibus eius, exposuit illis.

26. Pro eo denique quòd per malum poenae homo summo illo vltimóque fine in aeternum erat cariturus: Deus tum illud malum homini cognoscendum praebuit in Scriptura sacra, tum liberationem ab illo; & vitae gloriaeque aeternae praesentem ac futuram communicationem in communione summi illius boni, quod Deus est.

27. Deus ergo, quum & finem vltimum & ordinem ad illum in rebus creatis natura bonis atque integris pro singularum modulo & conditione exposuit, propter se fecit ad gloriam suam, vt qui principium est & finis omnium, ac summum bonum. *Prou.* 16. 4. *Rom.* 11. 36.

28. Sed cùm hominem vtilibus naturae documentis propter vitiositatem ipsius destitutum & à suo fine iustóque ordine alienissimum ad res easdem reuocet, alterum certè argumentum in Scripturis optimè dicitur exhibere ad laudem gloriae ac gratiae suae.

29. Est quidem gloriosum naturale beneficium Dei: sed hoc tamen longe gloriosius; quia ad beneficium naturae additum: quia in hominem non modò immerentem, sed inimicum & malè merentem collatum: quia denique amplius & potentius est priore illo creationis naturaeque integrae illius beneficio.

30. Summum igitur Scripturae, vt naturae totius, finem gloriam Dei esse rectè concludimus: secundarium verò, salutem eorum hominum, qui postquam suo facto à fine & ordine illius defecissent, instrumento Scripturae ita reuocantur, vt gloriam Dei ex hac gratia cognoscant, praedicent, participent, & per aeternam continuationem communione illius perfruantur in Deo Patre per Iesum Christum virtute Spiritus: cui soli sapienti & immortali Deo sit laus & gloria in sempiternum. Amen.

DE AVCTORITATE SCRIPTVRAE SACRAE.

Etsi *de auctoritate Scripturae sacrae inter pios conuenit, & ex antecedentib. nostris thesibus quodammodo constare potest: quia tamen variè controuertitur, commodum futurum est si de ea breuiter quod opus videtur adferamus.*

Thesis I.

Scripturae sacrae auctoritas consideratur duobus modis: primum quidem in sese, deinde respectu nostri, nobis.

2. Auctoritas eius in sese diuina est, vt secundum omneis causas quas ante exposuimus probari potest: quapropter nec dare, adimere, aut mutare eam, nec ei addere, de ea detrahere, aut mutare de ea potest vlla humana auctoritas.

3. Respectu nostri, id est, nobis diuina est Scripturae (f. 1762) auctoritas, primum quia summam auctoritatem illam Deus publicè Ecclesiae suae testatus est coram sermone, signis, operibúsque maximis, priuatímque obsignat aeterno spiritu suo in conscientia piorum omnium, supernaturali & caelesti luce.

4. Secundò, quia ministerium adhibuit indubitatum seruorum suorum, vt diuinorum praeconum notariorúmque idoneorum, qui interuenerunt inter Deum & Ecclesiam ipsius ad perpetuam rei veritatem.

5. Tertiò, quia accessit, velut à parte altera contrahente, testimonium Ecclesiae agnoscentis, & assentientis & percipientis, & seruantis illud.

6. Illa verò tanta auctoritas duob. modis oppugnatur. Nam ab aliis negatur & tollitur planè, ab aliis minuitur.

7. Qui negant, aut vniuersè negant diuinam auctoritatem & testimonia eius, vt Atheï: aut ex parte, vt alij multi, siue inscientia, siue canina improbitate ducti.

8. Qui vniuersè negant, ij argumentantur aut à caussis effectisque earum, aut ab accidentibus quibusdam, vt ordine dicturi sumus.

9. Primum enim Deum causam Scripturae sacrae efficientem negant esse, hoc modo: quòd non sit vllum Dei verbum: quod si vllum est, Scriptura tamen haec non sit Dei verbum, neque auctoritatem illam & testimonium à Deo obtineat.

10. Esse aliquod Dei verbum demonstrant natura Dei, lux naturalis conscientiae nostrae, & communis gentium seculorúmque omnium experientia.

11. Natura sua Deum esse infinitè bonum, & modis omnibus, quis dubitet? est autem sermo res bona, & bonus modus communicandi boni, quî careat aut abstineat Deus?

12. Luce naturali hominibus praelucente, id omnes homines habent constitutum, esse diuinationem aliáque diuinarum communicationum genera, & à Deo esse: est igitur Dei verbum.

13. Communis experientia Deum verbo cum hominibus testatur agere. Nam & ipsae gentes à Deo alienae oracula diaboli pro diuinis potius habuerunt, quàm vt Dei verbum negare, eóque carere dicerentur: & infuisse diuinas communicationes, etiam per impia atque nefaria instrumenta allatas, agnouerunt.

14. Sed communicationem illam diuinam, quae particularis fuit & extraordinaria in populo Dei ostenditur.

15. Scripturam hanc esse Dei verbum commune & ordinarium in populo est, & rebus essentialibus atque insitis illius, & assumptis Athei conuicti sunt.

16. Nam

16. Nam essentiales huius Scripturae partes, materia & forma, diuinae sunt, & diuinus finis: & quamcunq. Scripturam cum hac comparaueris, hanc vnam ipsi Athei diuina constitutione sua ceteris antestare sentient, & veritate cogente fatebuntur, nec aliam vllam proferri posse.

17. Auctoritatem verò & testimonium qui à Deo obtinere hanc Scripturam negant, ij meridie lucere negant. Habet enim Scriptura, habuit, habebitq. semper in Ecclesia & extra, diuina virtute, veritate atque complemento.

18. Virtute: nam & semper eam spiritu suo confirmauit, & suis temporibus a spectabili significatione, & demonstratione Spiritus praesentiaeque suae.

19. Veritate: nam Scriptura sacra vsque adeo est veritas, vt cum vero in reb. diuinis posito conuerti debeat, hoc modo, Tota Dei doctrina (quae quidem hic est in hac vita communicabilis) est Scriptura sacra, & Scriptura sacra est tota doctrina Dei communicabilis, & diuinam in se ex omni parte conuenientiam cum vero, singulaeque partes illius inter se consensionem habent.

20. Complemento: nam ne iota quidem aut apex vnus de sacra Scriptura praeterit, quin omnia in eadem comprehensa, fuerint, sint, futura sint, acciderint, accidant, accisura sint illo Dei consilio & manu.

21. Secvndo, materiam Scripturae diuinam esse negant: primum quia secus videtur ipsis: deinde quia si diuina esset, res diuinas integrè continent: postremò autem, quia non exstant omnes partes illius: quorum secundum non videtur eis, tertium videntur sibi certis euidentibúsque probationibus ostendere.

22. Inconsequenter eos argumentari constat, qui ita dicunt, Non videtur nobis, Non est igitur. Nam quod supernaturale et spiritale est, id supernaturali ac spirituali videtur luce: proinde iis videri non potest qui sola vident naturali luce: ídque tum propter communem vitiositatem nostram, tum propter studia istorum hominum deprauatissima. (f. 1763).

23. Res diuinas integrè non contineri Scripturis dicunt ἀμφιλόγως. Nam cùm rerum diuinarum aliae sint incommunicabiles & aliae communicabiles: communicabilium vero alias in hac vita non expediat nobiscum communicari, alias expediat: omnino satis est ad integritatem Scripturae, eas res diuinas Scriptura contineri quae sunt γνωςαὶ & γνωςέαι, id est (vt cum Scholasticis loquar) scibiles, & scitu vtiles, atque has Deus integerrimè Scripturis explicauit.

24. Omnes Scripturae sacrae partes exstare contrà affirmamus. Nam quòd nonnullos sacrae Scripturae libros desiderari narrant qui in Scripturis sacris adducuntur, in eo falluntur plurimum qui libros istos, vt sacros, adduci putant: cùm nec omnes libri qui in Scriptura sacra adducuntur sacri sint: nec alij pro sacris, vel sacrae Scripturae libris habendi sint, quàm qui à Spiritu Dei dictati, à seruis eius profecti, de rebus sacris perfectè dicentes, ad singularum & spiritualem Ecclesiae vsum pertinentes, & à Deo ipso in Ecclesia consecrati, imperati, & depositi sunt.

25. Tertio, formam Scripturae, quam sacram dicimus, diuinam esse negant: quia si internam spectes, eam nec cum diuina veritate, nec cum suis ipsius partib. inter se putant esse ἀναλογον: sin autem externam, negant ἀκριβόλογον, cùm & sermone sit exilis, impropria, dubiáque, & partibus (vt putant) discrepantibus.

26. Formâ cum veritate diuina Scripturam esse ἀναλογον ante confirmauimus: nam & ipsissimam perfectae veritatis doctrinam ea perfectè ostendimus contineri, & de ea veritate nihil in hac Scriptura dissimulari quod possit & expediat sciri: siue totam doctrinam Scripturae cum tota veritate illa communicabili, siue partem Scripturae vnam cum altera contuleris.

27. Esse ἀκριβόλογον antè docuimus: quum de forma Scripturae seorsim diceremus.

mus. Nam id demum est ἀκριβόλογον. quod dignitati dicentis, naturae argumenti, & eorum conditioni ac captui contemperatum est quib. dicitur, traditurue.

28. Exilem vocant, cuius nec dignitatem vident: nec imitari possunt, nedum assequi amplitudinem studio aut labore vllo.

29. Impropriam eam appellant iudices odiosi: quae & proprietate verborum constructionísque omnes oratores superat, & troporum figurarúmque luce.

30. Dubiam esse quum dicunt, seipsos certè ac non Scripturam arguunt. Nam dubia quaecunque appellantur, aut ex se dubia sunt, aut alieni captus infirmitate per se, aut per intercurrens & aduentitium accidens: quemadmodum visui oculorum nostrorum res aut per se obscurae offeruntur, aut infirmitate visus obscurae videntur esse, interiectoue aliquo medio rem, quamuis per se claram, obscurante.

31. Scriptura autem non per se obscura est, aut dubia: sed nostro vitio obscura videtur esse. Quod vitium quid ad Scripturam?

32. Discrepantes inesse partes negamus Scripturae sacrae, nec vnquam id probaturi sunt Antigraphei: cuius admirabilem per omnia consensionem suspicimus.

33. Qvarto, fine diuinam esse eam Scripturam negant, qua homo cùm ad caeterarum diuinarum rerum, tum ad naturae huius, adeóque sui ipsius abdicationem prouocatur.

34. Calumnia. Nam is summus finis & planè diuinus est, vt in eo ipso glorificetur Deus, quòd homo conformatur, coniungitur, & adhaeret Deo: reliqua omnia (etsi respectu aliquo dicuntur fines) ad summum hunc finem ordinantur.

35. Caeteras diuinas res abdicari falsum est. Nam caetera quidem quae adducunt illi, aut non sunt diuina, sed aequiuocè ex opinione illorum appellantur: aut si diuina sunt, eorum substantiam Scriptura sacra complectitur.

36. Ac renunciare quidem naturae huic nos Scriptura docet, sed huic corruptae: nempe vt vera, iusta, sanctáque natura illa redhibeatur quam peccati labe amisimus. Id autem verè ex natura est, quod cum primigenia illa, vera, iusta, sanctáque natura conuenit, & corruptam exterminat. Hoc enim non abdicare naturam, sed instaurare est.

37. De renunciatione nostri ipsorum, iudicium idem. Nobis enim perditis renunciamus, vt nos inueniamus saluos in virtute Dei. Non Ergo simpliciter, sed potius secundum id quo perditi sumus, vocamur salutariter ad renunciationem nostri.

38. Harum verò criminationum illa quoque est con(f. 1764)sectaria, quam illae castissimae scilicet Atheorum mentes solent obiicere, Quod Cantica non pauca & libri etiam exstant, qui nihil diuinum sapiunt: sed omnia sermone lasciua, & argumento amatoria.

39. Ac Psalmus quidem 45. (quem hoc modo notatum volunt) adeo diuinus est sermone & argumento, vt typo solum coniugij humanus sit, diuinus caetera: quapropter etiam in grauissimo argumento de filio Dei Hebr. 1. adducitur.

40. Canticum verò Canticorum nihil est reuera aliud quàm eiusdem typi & veritatis fucior expositio, humana verba dicens: diuina sapiens: & tam ab omni spurcitia quàm reliqua scriptura abstinens: vtcunque loci illius ab imperitis & malitiosis mentibus torqueantur in contumeliam Dei & perniciem ipsorum.

41. Qvinto, in effectu Scripturam esse diuinam negant, quia odor est mortis ad mortem, & si qua sunt eiusmodi.

42. Ineptè verò causarum locos confundentes argutantur isti. Nam causam proximam, quae istum per se effectum parit, ibidem exponit Apostolus, quum ait ad mortem esse in iis qui pereunt; nempe vitiositatem & culpam subiecti, quod non est capax aut habile operationis ad salutem. Quod autem non Scripturae sacrae sed hominum

hominum ipsorum vitio malè est ipsis, id non sine contumelia in Deum, potest Scripturae tribui.

43. In causis enim partilibus (vt vocant) siue ordinatis caueri necesse est, ne effecta vitiosa & mala aliis causis, quàm iis quae per se efficiunt malum, eidemque sunt proximae & coniunctissimae, tribuantur vnquam.

44. Sexto, accidentia duo obiiciunt maximè: vnum, quòd Scriptura (vt quidem habetur) est corruptissima: alterum, quòd auctoritatem illam ex sola hominum opinione obtinet.

45. Corruptissimam negamus esse: nec isti probabunt vnquam: sed post erit amplior de ea re dicendi locus.

46. Ex opinione hominum Scripturam in auctoritate esse, blasphema est cogitatio, blasphemum dictum atque repugnans veritati: quod principio theseωn istarum docuimus.

47. Nam vt natura, non opinio, Deum esse docuit: sic eadem natura docuit Deum loquutum esse. Hunc autem illum sermonem illámque Scripturam esse quam Deus loquutus est, non hominum opinio docet (sic enim Deum quodammodo sibi obstringerent) sed Dei loquentis per se aut per seruos suos idoneos, & per eosdem tradentis scripto auctoritas, in coelo & terra, diuinis, humanis, aliis iustis & certis probationibus, signis, operationibúsque contestata.

DE AVCTORITATE SCRIPTURAE SACRAE.

Quod diuina eius auctoritas non pendeat ab Ecclesia.

Thesis I.

Eorvm qui minuunt auctoritatem Scripturae sacrae duo sunt genera: nam alij de tota auctoritate minuunt, quum eam ab Ecclesia vniuersè pendere statuunt: alij partes aliquas de Scriptura student infirmare.

2. Ac priores quidem non negant simpliciter diuinam esse auctoritatem Scripturae: sed nobis (qui nihil à natura in rebus diuinis nisi alucinamur, etiámque post acceptam lucis gratiam videmus breue) non esse diuinam nisi Ecclesiae testificatio accesserit.

3. Hoc est (vt declaremus simili) Solem quidem per se agnoscunt esse lucidum: sed quia caeci à natura sumus, & nobis non lucet, ergo non lucere.

4. Nobis verò omnino constat id quod per se est semper esse, quocunque respectu, nec vllo respectu id quod per se inest, ab eo subiecto cui inest, dum subiectum est manétque, auferri posse.

5. Inest autem Scripturae sacrae, & inest per se diuina auctoritas, quam superioribus disputationibus per causas ostendimus.

6. Auctoritatem verò aliquam Ecclesiae respectu nostri non negamus accedere: vt quae à Deo acceperit scripturam per ipsum & Notarios eius, acceptam seruauerit, seruatam per manus tradiderit, & tradens consensione publica & successione perpetua testatam (f. 1765) nobis fecerit faciatque.

7. Sed haec auctoritas subordinata est, vt vocant: non possunt autem in causis coordinatis, eae causae quae inferiores & posteriores sunt, aliarum priorum anteriorúmque vim & facultatem obtinere.

8. Auctoritas

8. Auctoritas Dei est prima summáque, & sola sufficiens per se: proinde nulla ad eam potest fieri à nobis accessio: nam infinito quis addat?

9. Auctoritas Ecclesiae est secundaria, non ad statuendum (hoc enim Dei solius est) sed ad testificandum diuinam auctoritatem Scripturae.

10. Vtramque ergo auctoritatem agnoscimus, sed suo ordine. Quem ordinem conuellunt hodie, quicunque priorem illam, solidamque, & essentialem auctoritatem minuunt, vt posteriorem, secundariam, infirmamque, & accidentariam imprudentes augeant.

11. Hoc autem vt obtineant, tribus ferme argumentorum generibus abutuntur: à dignitate officióque Ecclesiae, ab accidentibus Scripturae vitiis & corruptionibus, & à Patrum orthodoxorum quorumdam sententiis.

12. Ecclesiae officium quum dicimus, duo volumus intelligi, tum quòd debuerit, tum quòd debitum illa praestiterit.

13. Debitum Ecclesiae officium istud est, vt verbum Dei scriptum diuináque auctoritate praeditum agnoscat oblatum sibi: accipiat traditum: seruet depositum: legendum omnibus, credendum & seruandum domesticis proponat publicè priuatímque: & tum reuerentia prosequatur vt diuinum, tum ad eandem reuerentiam exhibendam adducat suos: exteros denique doctrina, exemplo, & modis omnibus eodem prouocet.

14. Praestitum Ecclesiae aspectabilis (nam de caelesti Ecclesia nihil hoc loco dicimus, ad quam nihil attinet scriptus verbi diuini modus) officium est quidem illud ipsum quod modò perstrinximus, sed imperfectum: prout omnia eius membra sunt, eóque perfectè officium praestare non possunt.

15. Verumtamen officium istud quod imperfectè praestare dicimus, aliâs minus imperfectum est, & alias magis.

16. Perfectus itaque custos & vindex auctoritatis diuinae ad Scripturam pertinentis est Deus Pater in Filio per Spiritum sanctum, qui se adfore promisit ei & ministerio illius vsque ad consummationem mundi.

17. Imperfectus custos & vindex eiusdem auctoritatis Ecclesia Dei totum suum lumen in Christo habens, & perfectionem in Spiritu eius.

18. Quapropter etiam Ecclesia domus Dei viuentis, ϛύλος καὶ ἑδραίωμα, columna & basis veritatis illius diuinae, appellatur.

19. Domus Dei viuentis est, in qua Deus habitat, & in qua asseruandum deposuit verbum suum, & domesticis dispensandum, non plenaria potestate, sed fideli ministerio.

20. Στύλος vel columna veritatis est, ad quam verbum veritatis ex instituto Dei appensum est & omnibus propositum, quod legant, intelligant, recordentur, sequantur, colant: vt olim columnis publicis appingebantur leges atque programmata.

21. Ἑδραίωμα, id est, sedile firmum & basis veritatis est Ecclesia: vt cui columna veritatis est imposita, & omnium domesticorum eius exterorumque oculis proposita, ne labefactari à mundo portisue ipsis inferorum possit: adeo firma & solidata est Dei aedificatio.

22. Ecclesia igitur pro modulo suo depositum veritatis seruat vt curiâ publicâ fit: proponit, vt columna, leges: immotamque columnam Dei & veritatem in columna seruat, vt basis illius: sed omnia Deus in ea & in omnibus perficit.

23. Sic Ecclesiae non est ea dignitas officiumque vt Scripturae sacrae diuinam auctoritatem conferat: sed vt adesse testetur datam atque impressam: quemadmodum curiae locus testatur acta publica apud se deposita, ac non auctoritatem facit.

24. Etsi humana quadam auctoritate homines non negamus perutiliter affici, ad contemplationem Ecclesiae.

25. Sed cùm inferior auctoritas nihil de superiore deterat, quin potius ministret

 ei: non

ei: non est penes Ecclesiam addendi, minuendi, mutandiue de summa illa, infinita, diuináque auctoritate auctoritas.

26. Nam diuinae rei, perfectae, infinitae, summae, nihil potest accedere: si minueris, imperfectam feceris: si addideris, aut permutaueris, alterum necesse est, aut fuis(f. 1766)se imperfectam doceas, aut perfectione eius mutata imperfectam esse à te redditam fatearis.

27. Quamquam infinitè audacem eum hominem, eam Ecclesiam oportet esse, quae rem diuinitus in seipsa perfectam, à se humanitus perfici posse gloriatur.

28. At corruptio, inquiunt, accessit multiplex: quid ergo fiet, nisi adhibeatur à nobis illa Ecclesiae auctoritas?

29. Primùm hac obiectione culpa Ecclesiae aliqua & imperfectio (de qua dicebamus ante) ostenditur, non autem adfertur auctoritas. Nam si quod vitium est oblatum Scripturae sacrae, aut aliena malitia factum, aut communi Ecclesiae infirmitate, aut particulari imprudentia & inscientia domesticorum eius.

30. Cùm autem custodem eam Dominus instituerit: si depositum corruptum est, id praestare oportebit depositarium, cuius dignitatem in deposito seruando, infirmitatem in deposito corrupto agnoscimus.

31. Quòd si aliena malitia vitium oblatum dicitur, fidem tamen suam & diligentiam probare debet Ecclesia Domino: cui non est vis probandi se per se, sed mandatum implorandi misericordias Domini, dicendo, Remitte nobis debita, &c.

32. Hac igitur in re quoque, inscientiae, & infirmitatis, & indiligentiae culpam aliquam certè Ecclesia agnoscat & deprecetur necesse est, gloriamque totam Deo tribuat, qui promissionis verbum praestitit bono nostro, deletâ culpâ.

33. Secundò, quae corruptio acciderit scripturae, videndum est. Haec verò non substantialibus caelestis doctrinae partibus accidit: sed quibusdam vocibus & locis solùm, quorum vitio non possunt partes primariae vitiari.

34. Constat enim apud omneis, cuius partes substantiales & primariae integrae permanent, id totum reuera exsistere: neque particulare vitium vnum pluraue, aut alienam λεπτολογίαν substantiam aut naturam eius euertere.

35. Postremò, vt aliquid ponatur vitiosum inesse, id Ecclesia non ex se pro imperio, aut opinione: sed ex Scripturis ipsis, & ex fidei analogia, & ex veterum librorum fide restituere tenetur, aut intelligere & interpretari commodè.

36. At quî non esset corruptum illud, quod aliquando etiam legimus periisse? quod mala fide tractauerunt depositarij? quod scriptura variat? cuius instaurationi & scriptioni humanam operam oportuit adhiberi, vt res integra haberetur?

37. Periisse negamus vnquam, ne ipsum quidem Testamentum vetus in Ecclesia vetere: nam etsi authenticus ille codex qui in templo seruabatur, olim periit, aliique multi: omnia tamen exemplaria negamus periisse: sed Prophetas & pios quosque in Iudaea, Syria, Ægypto, Chaldaea, &c. diligenter seruasse confirmamus.

38. Depositarios mala fide egisse agnoscimus: sed nec omneis nec omni tempore. Id enim post demum Iudaeis accidit, quam Ecclesia gentium communi iure à Christo ad custodiam deposito illius vocata est. Quapropter id crimen sacrilegum Christus & Apostoli nusquam leguntur reprehendisse, & prisca Ecclesia Christiana ab eo malo facile vindicauit.

39. Scriptionis modo non diffitetur variare: sed in locis rebusque & vocibus particularibus, ac non praecipuis: qua occasione qui totum vitiari dixerit, eadem planè impius & ἀλόγιςος futurus est.

40. Instaurationi testamenti veteris operam humanam negamus accessisse, qua litterae punctaque Hebraea constituta sint, & restitutum corpus Scripturae sacrae.

Nam

Nam primùm negamus periisse: & quorsum instauratio? secundò, negamus quaecunque siue de Esdra, siue de Synedrio magno fabulantur, litteras aut puncta aut quiduis aliud ab eis recusa esse: postremo siquid factum (vt est) ea lege factum asserimus quae thesi 35. fuit exposita.

41. Itaque Scripturae canonem fidei analogiam, vetera exemplaria fide optima diligentiáque contulerunt, quae exstabant in manibus piorum, non ab ipsis fabricata: & siquid intulerunt iudicio suo, religiosè dederunt operam, ne inderetur in contextum sacrum: sed id totum seorsim adnotauerunt.

42. Sanctorvm Patrum sententias piè & sanctè dictas de hoc argumento non reiicimus ipsi: sed eas malè adducunt & interpretantur, quicunque de illa diuina Scripturarum auctoritate derogant, vt arrogent Ecclesiae suae (f. 1767).

43. Auctoritatem enim Scripturae ab auctoritate Ecclesiae confirmarunt quidem, sed religiosè. Religio autem vera exigit, vt triplex cautio adhibeatur in hoc argumentorum genere.

44. Prima est, Patres de secundaria illa auctoritate sensisse & dixisse, quam thes. 5. & sequentibus ante distinximus.

45. Secunda, eam argumentationem non tam adhibuisse apud pios & germana Ecclesiae membra (nam apud hos pluris est Dei quàm Ecclesiae, id est diuina quàm humana, infinita quàm finita, aeterna quàm temporaria, interna Spiritus quàm externa visus humani auctoritas) sed apud haereticos, diuinae auctoritatis nescios, de qua piorum mentes luce & demonstratione Spiritus confirmantur.

46. Tertia, ne hoc quidem semper documento haereticos refellere, sed tum maximè, quum illi contra obtenderunt humanam auctoritatem aliquam, vt fucum facerent ignorantibus, longè maiorem auctoritatem à suis partibus demonstrare.

47. Iniquè igitur faciunt qui sermones à Patribus de auctoritate Ecclesiae secundum ordinem ipsius, respectu haereticorum & falsae illorum auctoritatis enunciatos, sic palam venditant, vt si pij Patres plenariam auctoritatem Ecclesiae propriè simpliciterque tribuissent.

48. Nos verò nec secundum Patres, nec secundum veritatem Dei auctoritati Ecclesiae in eum modum subiecti sumus: sed Deo quod est Dei, Ecclesiae quod est ipsius, religiosè ordinatéque tribuimus.

DE CANONE SACRAE SCRIPTURAE.

Thesis I.

Qvae scriptura per se diuinam auctoritatem obtinet, eadem per se sola est Canonica in Ecclesia Dei, vt Dei viuentis domo.

2. Nam eius est solius canonem, id est, regulam praestituere, dare, & tueri in Ecclesia, qui auctor est, dominusque, & seruator Ecclesiae suae.

3. Canonem appellamus verissimam, certissimam, rectissimamque regulam & modum in fide moribusque Ecclesiae Dei praescriptam diuinitus, id est, sapientissimè, iustissimè, & immutabiliter ad gloriam Dei & salutem nostram.

4. Est igitur Canon in Ecclesia nihil aliud quàm verbum Dei, cuius forma interna quidem

quidem est Dei veritas immutabilis: externa verò, scriptura sacra, internae illius formae symbolum integerrimum & absolutissimum.

5. Fuit quidem Canon triplex in Ecclesia ad hoc usque tempus: unus diuinus propriè & sacer appellatus: alter Ecclesiasticus, qui item diuinus & sacer quadam abusione dictus: tertius falsus. Sed nos de propriè diuino instituimus dicere.

6. Divinus canon re & ratione vnus est, id est, argumento & substantia sua: ac proinde nihil in eo addi, detrahi, aut mutari potest.

7. Modus verò illius sapientissimè ad institutionem commoditatemque Ecclesiae variauit: nunc perpetuam auctoritatem scripturae canon citra mutationem obtinet.

8. Primum enim varij sunt doctrinae Canonicae loci, auctoritas, ratio, & exempla historica: quae tria hominibus docendis & informandis seruiunt.

9. Secundò, varia doctrinae forma: simplex, typica, allegorica.

10. Tertiò, tradendi modus: nam alia Deus immediatè ipse consignauit scripto, puta Decalogum: alia mediatè per seruos suos publicos & notarios Ecclesiae datos.

11. Atque hae quidem varietates secundum partes scripturae sacrae, id est, libros & partes librorum eius, facilè in ea obseruantur.

12. Nam etsi omnes doctrinae loci in plerisque exstant: in lege tamen auctoritatis, in prouerbiis rationis, in historiis denique exemplorum documenta fulgent (f. 1768) luculentissima.

13. Simplicem quoque doctrinae formam vtriusque Testamenti historiae: typicam, pars legis: allegoricam Prophetae non raró obseruarunt.

14. Modus autem in tradendo scripturae canone secundum tempora Ecclesiae & personas variauit: quamuis principio formáque interna canonis, id est, verbo Dei immutabili permanente.

15. Ac primùm quidem hoc principium canonis viuentibus libris inscriptum erat, antequam scriptura existeret, id est, in sanctorum Patriarcharum mentibus. Hi enim tanquam libri diuturni in Ecclesia versabantur, & per aliquot secula instituebant suos: ac propterea longaeuitatem eis prouidentia suâ attribuit Deus.

16. Posteaquam verò Israelitae faecem Ægypti hauserunt veritatis diuinae loco: tum scripturae instrumentum, velut canonis indicem, ad asserendam veritatem suam, quasi externae formae constitutione quadam adhibuit & sanctificauit Deus.

17. Haec itaque scriptura canonica non eo solùm est dicitúrque canonica, quòd forma externa expressáque est canonica, essentialis, id est, verbis veritatis: sed etiam eo quod à Deo tradita, imperata, & sanctificata est, vt sit nobis in Ecclesia canon.

18. Ac proinde quamvis aliquod scriptum aliud daretur, aut in hoc tempore existeret, cum vero canone omni ex parte ἀνάλογον: id tamen nulla auctoritate humana canon aut Canonicum effici, aut esse, aut dici posset.

19. Hvivs canonis partes secundum illa duo Ecclesiae tempora, veteris & nouae, in libros Testamenti veteris & noui distinguimus.

20. Vetus canon est, quem prisca Iudaeorum Ecclesia diuinitus acceptum imperatumque seruauit, coluit, & posteris per manus tradidit secundum Deum: Nouus, quem Christiana Ecclesia amplius habuit inde à Christi Apostolorumque temporibus.

21. In vetere canone duplex est scripturae genus, vt ante diximus: vnum, quod Deus ipse immediatè exarauit, puta Decalogus: alterum, quod mediatè per seruos suos.

22. Hanc verò, vt esset Ecclesiae canon, sanctificauit Deus partim communi, partimque singulari modo: quos modos ad commoditatem ὕστερον πρότερον persequemur.

23. Singularis modus in canone imperando & sanctificando fuit olim duplex: vnus extra ordinem, alter ordinarius.

24 Extra ordinem Deus cum Mose vsus est singulari modo praesentiae suae, & aspectabili:

aspectabili: nam legem seu libros Mosis scribi ab ipso imperauit, scribenti dictauit, scriptosque comprobauit sermone, signis, & euentis (idque audientibus & spectantibus Israelitis omnibus) & comprobatos sanciuit in vsum perpetuum Ecclesiae suae.

25. Quam testificationem multis de causis ad legem oportuit accedere, & pernecessariis.

26. Prima, quòd foederis promissionumque Abrahamo factarum publicum instrumentum illud fieri occepit & nouato contractu in publica acta referri. Huic enim solenni actui ex iure & aequitate omnino contrahentes partes interesse oportuit. Dei autem (cuius partes summae sunt) praesentia singularis non potuit nisi extraordinaria hac testificatione confirmari.

27. Secunda, quòd necesse hoc fuit ad auctoritatem serui publici vel notarij statuendam: in quam partes vtrimque consenserunt, & cui coram dictauit Deus foedus illud gratiae quod Israelitis indixerat, cum singulis conditionibus eius.

28. Tertia, quia posteritatis interfuit, vt hoc instrumentum, velut diuinus canon in Ecclesia perpetuus, diuinis extra ordinem testimoniis instructum esset. Atque haec de extraordinario modo.

29. Post Mosem verò quaecunque scriptura accessit, fuit illius instrumenti & canonis exegetica: ideóque extra ordinariis illis singularis praesentiae Dei testimoniis destituta.

30. Etsi testimoniis singularibus non caruit planè: sed plura ante deportationem Babylonicam, pauciora deinde exstiterunt: quia antecedentia signa confirmationi fuerunt sequentibus scriptoribus & scriptis (f. 1769) eorum. Prophetae autem non nisi ad publicum illud & authenticum instrumentum in Ecclesia singulos, hortationibus, dehortationibus, promissis, minis, consolationibus, atque exemplis reuocabant.

31. Ante deportationem singularia fuerunt haec testimonia, nubes seu fumus in templo ad arcam foederis & Dei responsio per Ephod, Vrim & Thummim, & siqua sunt eiusmodi.

32. Post deportationem testimonia euentorum fuerunt singularia: quae testimonia specie quidem communia sunt temporum omnium: sed numero tamen singulorum temporum sunt singularia.

33. Communis in omne tempus testimoniorum modus fuit triplex: spiritus Dei testificatio, canonis consensio, & Ecclesiae assensio.

34. Spiritus sancti testificatio in singulis piis coelestem lucem exhibet foris, accedit intus: sic publicè priuatimque testatus est, mandauit, & sanxit illum canonem is, penes quem est canonis dandi auctoritas.

35. Consentio canonis totius semper fuit certissima: Legis quidem vel Mosis, cum veritate & verbo Dei, cuius verbi publicum & solenne instrumentum est lex; reliquorum verò librorum cum lege & veritate.

36. Ecclesia verò haec scripta canonica sibi à Deo tradita, imperata sancitáque probauit, assensit, accepit, seruauit, religioséque tradidit, & in posteritatem omnem commendauit.

37. Itaque libros Mosis Ecclesia habet canonicos propter extraordinaria, & ordinaria, singularia & communia Dei testimonia, mandata & sanctiones publicè de iis in Israele factas.

38. Prophetarum libros cùm historicos, tum etiam Propheticos, similiter agnoscit canonicos, propter singularia de scriptis scriptoribúsque illorum testimonia à Deo ordinariè in Ecclesia edita ante deportationem. Quo in numero sunt libri Iosuae, Iudicum, Ruth, Samuelis, Regum, Iob, Psalmorum pars maxima, Prouerbia, Ecclesiastes, Canticum, Esaias, Ieremiae bona pars, & minores Prophetae nouem.

39. Qui

39. Qui deportationis tempore posteáque editi sunt, iis singularis testificatio accessit euentorum, quam Deus scriptis eorúmque scriptoribus perhibuit singulariter. Huiusmodi sunt libri Chronicorum, Ezrae, Nehemiae, Esther, Historici & Prophetici, Psalmorum & Ieremiae pars aliqua, Ezechiel, Daniel, & tres de minoribus Prophetis vltimi.

40. Praeter haec autem singularia, communis illa testificationum ratio ad singula scripturae membra pertinuit, quam thesi 33 ante docuimus.

41. Atque haec solùm scripta in Testamento vetere, quae pro canonicis habuit & coluit Ecclesia uetus, habenda sunt. Et verò non alia Christus & Apostoli agnouerunt: quid Ecclesia faciat?

42. In Nouo canone vnicum est scripturae genus, quod Deus mediatè per seruos suos exarauit. Atque hoc itidem partim communibus modis sanctificauit Deus, partimque singularibus.

43. Singularis modus est, quòd Filius Dei patefactus in carne, effatus est palam verbum veritatis, idémque praeconio & scriptura in Ecclesia deponi & ad posteritatem transmitti voluit per Apostolos & Euangelistas, id est, praecones & notarios suos idoneos: prout mandatum istius operis promissionémque acceperunt, Matthaei vltimo, & alibi.

44. Accessit, quòd Christus verbi illius auctor potens fuit dictis & factis: eamdémque potentiam per Apostolos & seruos suos signis, virtutibus, & miraculis exercuit.

45. Communes verò modi planè iidem quos ante diximus in thesi 33 adfuerunt.

46. Sancti enim spiritus sanctissimam testificationem tum loquentes & scribentes pro vocatione sua Apostoli habuerunt, tum audientes ac legentes pij qui crediderunt in verbum illorum.

47. Consensio huius scripturae fuit cum canone tum veteris illius scripturae, tum illius verbi quod recente memoria Christus pronunciauerat.

48. Assensio Ecclesiae fuit depositaria: tum quia ab Apostolis & Euangelistis (quorum fundamento superstructa est) libri sacri fuerunt ei commendati, velut in domo Dei & archiuo eius: tum quia ab Ecclesia transmissi in ceterum corpus & posteritatem ipsius.

49. Transmissi autem legatione, & successione. Legatione, quia Ecclesia illa in qua Apostolus scripserat, (f. 1770) aut ad quam scripserat, (vt Augustinus distinguit scientissimè) publico & solenni testimoniò addito communicat cum aliis *συγχρόνοις* Ecclesiis. Successione, quia cunctae posteritati suae in Christo consensu vno transdare studuerunt quod acceperant.

50. Itaque canonis illius substantia est verbum à Christo pronunciatum, & res gestae: quorum fidelissima historia in quatuor Euangeliis, exempla in Actis Apostolorum, exegesis XXI. epistolis, Prophetia in Apocalypseos libro continentur.

51. Qui contra sentiunt & de aliqua horum librorum parte derogant, ij ex particulari iniquè concludentes priuatum hominum aliquot iudicium publico anteponunt, iniuriamque faciunt cùm Ecclesiis Apostolicis aut iis ad quas fuerunt scriptae, tum Ecclesiae catholicae: tanquam si illae falsò de his testificatae essent, haec temerè & *ἀδοκίμως* accepisset.

52. Omnibus enim Ecclesiis religio fuit pro canonicis accipere alia scripta, quam quae ab Apostolis facta, aut probata essent.

53. Sic Euangelia scripserunt Matthaeus & Ioannes Apostoli: Euangelistarum Marci & Lucae, probauerunt: Acta Apostolorum à Luca conscripta quin Paulus probauerit, nemo sanus dubitat: Epistolas tum scriptores ipsi confirmarunt, tum aliorum

aliorum alij: omnia denique Ioannes, qui omnibus superuixit diu, diuinae docuit auctoritatis esse.

54. Quapropter vetustissimi quique Patres eos ipsos libros, de quibus dubitatum est à nonnullis, vt canonicos adduxerunt: & Irenaeus etiam confirmat sanctè de libro Apocalypseos: praesertim eo nomine, quòd proximè Ioannis tempora vixisset, & *συγχρόνως* audiuisset.

55. Caeteri siue libri siue librorum partes qui praeterea in vetere Testamento exstant, non diuini huius sunt canonis, sed illius Ecclesiastici, de quo principio dicebamus.

56. Demonstrat illud Synopsi Athanasius, qui disertè alium esse Hebraeorum in Testamento vetere canonem agnoscit a prisca Ecclesia cultum, alium Graecorum & posterioris Ecclesiae.

57. Hi enim libri, Esdrae tertius & quartus, Tobit, Iudith, Baruc, oratio Manassis, Machabaei, Sapientia, Ecclesiasticus, eaeque librorum partes quae ad Danielem & Esther adiectae sunt, nec in prisca illa Ecclesia fuerunt canonici, nec à Christo aut Apostolis eius producti sanctificatíque. Isti autem, canonici esse aut dici non possunt diuino canone.

58. Sed canon quidam Ecclesiasticus inualuit, quo isti quoque libri in canonem Ecclesiae fuerunt cooptati ídque certis de causis, certóque modo.

59. Causae fuerunt duae, consuetudo recepta, atque vtilitas.

60. Consuetudo: quia iam olim ista Bibliis Graecis accesserunt quae in manibus tunc fuerunt omnium. Ideóque periculosa Patribus visa est innouatio: maximè cum plerique non admodum Hebraei textus periti essent. Et ostendit euentus, quàm malè de hac causa Hieronymus in vulgo audiuerit, quod Apocryphos libros aut partes nothas configeret.

61. Vtilitas: quia isti quoque libri ad commodam rerum sacrarum intelligentiam visi sunt pertinere, si bene usurpentur.

62. Modus verò fuit hic, quòd neque diuinae auctoritatis habiti sunt, neque in Ecclesia tamquam diuina auctoritate propositi sed tantùm in schola catechumenis, vt ibidem testis est Athanasius.

63. Atque hic quidem canon tum fuit tolerabilis, quum modis euidentibus Patres libros diuinos Apocryphis fide, ordine, vsu anteposuerunt.

64. Sed euentu damnosus fuit Ecclesiae Dei humanus iste canon, quum increuit Apocryphorum librorum auctoritas, & falsus canon opinione humana constitutus.

65. Nam pro eo quod isti libri aliqua auctoritate, at non diuina: & suo ordine, at non confuso: & in schola noscendi, at non in Ecclesia credendi proponebantur: tandem posterior Ecclesia diuinam illis auctoritatem communémque ordinem cum in schola, tum in Ecclesia promiscuè, instituto malo, peiore exemplo, pessimo euentu arrogauit.

66. Quas ob res cùm Ecclesiasticus ille canon humani instituti sit, non re, sed euentu mali: hic verò vltimus re & euentu indignissimus: diuinae auctoritati obsequentes, vnum illum scripturae canonem di(f. 1771)uinum agnoscimus, quem primitiua Ecclesia proximáque Christi & Apostolorum seculo, fide amplexa, vitae instituto sequuta, denique consensione maxima religiosè professa est.

DE

DE CANONICÆ SCRIPTURÆ INTERPRETATIONE.

Thesis I.

Cvm sacrae scripturae canon sit nobis vtendus à Deo datus, & nos ij simus, quos ad canonem siue regulam à Deo datam oportet conformari: omnino de modo vtendi canonis constare nobis necesse est.

2. Huius canonis vtendi modus aut intus consideratur in mente, aut foris in opere.

3. Intus vtendi modus vnicus est, fides: ac proinde quicquid non est ex fide, peccatum est, velut quaedam aberratio à canone.

4. Foris vtendi modus est iusta conformatio & conuenientia cum canone, doctrinae cultura, & exercitatione vitae.

5. Culturae modus est duplex: lectio Scripturae sacrae, & interpretatio.

6. Lectio siue nobiscum fiat, siue apud alios ad aedificationem, aut in propria lingua sit, qua canonici libri conscripti sunt, aut in aliena.

7. Propria lingua, qua veteris Testamenti vniuersus canon priscae Ecclesiae, id est, Hebraeis, datus est, Hebraica vulgo appellatur.

8. Propria lingua, qua noui Testamenti vniuersus canon Ecclesiae nostrae, id est, omnibus gentibus datus est, vulgo appellatur Graeca.

9. Hae linguae ab omnibus neque leguntur neque intelliguntur, propter inscientiam ipsorum: proinde neque res, per eas traditae, ab omnibus in eis cognoscuntur.

10. Cognitio autem cùm sit omnibus tam necessaria quàm salus ipsorum: & necessaria est linguarum rerúmque interpretatio, ad singulorum & communem captum.

11. Interpretationis duo sunt genera: vna est linguae verborúmque, altera autem rerum, quae verbis tanquam symbolis exponuntur: è quibus illam *μετάφρασιν* siue translationem: hanc verò *ἐξήγησιν*, id est, enarrationem appellamus.

12. Omnis humana interpretatio, quo propius canonem se habet, eo verior est.

13. In capienda itaque omni interpretatione duo nobis sunt opus, iudicium, & fides.

14. Iudicium: quo id quod humani operis est à rebus diuinis per se distinguimus, probamus, & quatenus rebus diuinis conuenit religiosè suscipimus.

15. Fides, qua res per se diuinas vt diuinas accipimus, iudiciúmque nostrum eisdem *αἰχμαλωτίζοντες* piè & sanctè subiicimus.

16. Alioquin nulla hominum interpretatio vel scriptio veritate & auctoritate cum canone comparari & aequari potest.

17. Nam in canone diuina sunt omnia, vt in fonte purissimo: in interpretatione autem humana, est perfectionis illius diuinae imitatio: cui vt in aqua à fonte ducta inter profluendum, sic alienum quid solet ab instrumento humano in riuis ducendis accedere.

18. Itaque diuinum canonem assequi nec verbis planè, nec rebus perfectè potest nostra interpretatio.

19. Etsi non eo minus quod ad salutem satis est nobis, assequimur humana interpretatione: quia diuina rei perfectio neque sermonis neque captus humani infirmitate eluitur, & quod vni loco deest, inest alteri.

20. Nam totum habemus in principiis tanquam partibus essentialibus eius: de cuius essentia & veritate nihil propter singulares istos (qui à piis interpretibus adueniunt) defectus locales adeo minuitur, vt desinat esse diuina veritas.

21. Interpretationum quas tralationes dicimus, quae prima legitur in vulgo extitisse, est Seniorum illorum LXXII. Graeca (f. 1772).

22. Huius

22. Huius maxima olim habita fuit auctoritas, tum propter celebre illud consensionis miraculum inter tot capita, tum propter Apostolorum Euangelistarúmque vsum.

23. De miraculo enim consensionis, vtut variè modus narretur illius, inter omnes tamen auctores conuenit, summam illorum LXX (vt rotundato numero appellari solent) consensionem intelligendo & exponendo canone extitisse.

24. Apostoli verò & Euangelistae homines θεόπνευςοι, hac propterea vsi sunt, quòd & in Ecclesia iam vsurparetur, & apud gentes inualuisset illius auctoritas.

25. Non tamen propterea quicquid est illius aut probauerunt Apostoli, aut diuinam auctoritatem ei tribuerunt: sed tanquam humano instrumento secundum Deum in Ecclesia vsi sunt.

26. Vt verò ea tralatione tum ipsi rectè vterentur, tum alios vti rectè docerent: duplicem cautionem adhibuerunt in omni tempore necessariam.

27. Vna est, quòd rectè scripta approbauerunt, & sanciuerunt diuinitus approbata in Ecclesia Dei.

28. Altera, quòd secus scripta, quae citra fidei periculum tolerari & dissimulari potuerunt, ea tolerauerunt: & per quandam charitatis συγχώρησιν adhibuerunt primis illis Ecclesiae nascentis temporibus, ne cui Scripturae auctoritatem minuere viderentur, aut infirmorum fidem concuterent.

29. Imperfectionis illius in editione LXX. causas fuisse ignorantiam, infirmitatem, consilium, ex orthodoxorum Patrum testimoniis asserimus.

30. Ignorantiam, quia neque res diuinas capere perfectè mens humana potest, quamuis perfectè oblatas, neque futuras simpliciter assequi.

31. Infirmitatem, quia res ipsa pro tenuitate ipsorum intellectas, non potuerunt qui in eadem tenuitate modulóque infirmo exprimerent.

32. Consilium, quia etiam de iis ipsis quae sciueruut dissimulare aliquid visum est propter eos in quorum gratiam transferebant.

33. Dissimulauerunt autem alia addendo, vt quum ad maiestatem Dei, aut gentis suae & Ecclesiae historiam arbitrati sunt pertinere: alia mutando, vt quum res ad distinctionem personarum plurali numero dictas singulari dixerunt, ne in πολυθεότητος suspicionem vocarentur: alia denique omittendo, vt orthodoxis Patribus iam olim visum est.

34. Atque ab his quidem, alij omnes veteris Testamenti libros Graeco sermone redditos fuisse putant: alij Mosem solum.

35. Posteriorem sententiam probabiliorem iudicamus, tum propter consentiens Aristeae siue Aristaei, Iosephi, Iudaeorúmque omnium testimonium, tum eo quod libris Mosis supra omneis alios translatio haec est ἀναλογος: tum denique eo quod in vetere Testamento exstant quae Machabaeorum temporibus in canonem Ecclesiae relata sunt, illi autem diebus Ptolemaei Philadelphi operam in hac translatione sua. ante annos minimum 100. consumserunt.

36. Secunda verò fuit tempore, nec auctoritate dispar Chaldaica translatio Mosis, ab eo interprete qui vulgo Onkelos appellatur.

37. Harum vsus priscis temporibus fuit perutilis: quamobrem sequuti exempla illorum posteri se in iisdem & reliquis vertendis occuparunt.

38. Eadémque ratione vtiles ac necessariae tralationes habendae sunt, cùm vernaculae ad singulorum aedificationem, tum communes omnium.

39. Vernacularum numerus incertus est: ex communibus olim fuit Graeca in omnibus fermè gentibus vsurpata: hodie Latina successit in vsu communi apud omnes fermè Christianas gentes.

40. Vtrumque genus memoria nostra publicè priuatímq. in Ecclesia Dei valde

vtile est & necessarium. Quod bonum quicunque intercipiunt, ij permagnas vtilitates auferunt, maximámque labem & exitialem inferunt Ecclesiae Dei.

41. Ideóque linguarum donum Ecclesiae priscae à Deo fuit attributum, & nostris Ecclesiis instrumentum vtile est ac necessarium.

42. Ἐξήγησις seu enarratio duum est generum: vna pressa, altera fusa: quarum illam paraphrasin, scholion, &c hanc commentarium appellamus.

43. Commentarius ἔγγραφος, aut huic respondens sermo aut scholasticus est ad docendum comparatus, (f. 1773) aut Ecclesiasticus vel demegoricus, ad afficiendam concionem populariter institutus.

44. Harum interpretationum quaeuis authentica est, qua respondet canoni, siue ab vno, siue à multis, siue ab omnibus adferatur.

45. Canoni autem respondet interpretatio secundum verborum & rerum analogiam.

46. Verborum analogia in illis strictior, in his liberior est, sed vtroque modo ad aedificationem sui corporis vtitur Christus sapientissimè.

47. Rerum & sententiarum analogia in interpretationibus exploratur secundum principia, & secundum locos qui ex principiis deriuantur.

48. Principia autem à natura impressa, à Scripturis expressa sunt.

49. Sed principia illa (vt nunc quidem homo est) sunt naturae illius integrae rudera, haec gratiae perfectae munera.

50. Quapropter his principiis illa necesse est excitari, instaurari, coli, atque ad perfectionem suam reuocari, diuinitúsque euehi Scripturae instrumento & linguarum interpretationúmque adiumento.

51. Locorum analogia aut ex partium quae in eis sunt responso & determinatione, aut ex similium aliorumque collatione deprehenditur.

52. Hanc analogiam indubitatam praestituit Deus: ad hanc praelucet Spiritu ducente in omnem veritatem: quapropter ad hanc singulos interpretes verbis & sententiis oportet contendere, & secundùm hanc diuinam lucem conuenienter canoni incumbere, in Ecclesiae, & cuiusque proximi aedificationem.

DE TRADITIONIBVS THESES THEOLOGICAE.

I.

Credimus corde & ore profitemur verbum Dei certam esse regulam perfectamque fidei nostrae, & viae ad Deum nostraeque salutis in Deo indicem constantissimum.

2. Cumque huius verbi enunciatiui modus fuerit in Ecclesia duplex, sermone, & scriptura sacra; credimus totum consilium Dei, quod hîc quidem ab hominibus cognosci potest & expedit credi, his vltimis temporibus in Scriptura sacra comprehensum esse.

3. Est autem Scriptura symbolum verbi enunciatiui: quapropter enunciatiuum verbum prius fuisse scripto secundùm tempus & naturam agnoscimus.

4. Nam verbum ἄγραφον, siue non scriptum, illud idem fuit quod nunc habemus scriptum.

5. Ac verbo quidem non scripto comprehenduntur tùm vniuersalia & communia omnia quae Deus reuelauit & sciri à nobis expedit, tum singularia & particularia quae Deus vnquam immediatè mediatéve ostendi voluit.

6. Sed

6. Sed quia (vt aliquando fuit expositum) rerum singularum non est homini, nec esse potest scientia, propterea Deus Ecclesiam suam cancellis verbi illius scripti, de quo hactenus dictum est, circumdedit, & contra omnes errores praemuniuit sapientissimè.

7. Deus. n. ex verbo enunciato per Spiritum suum, ministerio fidelium seruorum suorum, eo sine defectu, accessione, mutatione aut aberratione vlla perfectè comportauit tum vniuersalia illa communiáque omnia, totúmq. consilium suum, tum verò ex singularibus quaecunque nostro commodo ad salutarem scientiam vidit pertinere.

8. Hoc canonico instrumento à Deo instructi, iniquè faciunt qui in Ecclesiam Dei verbum non scriptum vel traditiones adferunt, iniuriámque Deo, seruis eius, & Ecclesiae toti inferunt non mediocrem.

9. Deo: quia non inuidit cuiquam, sed totum consilium suum sibi gloriosum, nobis salutare, quoad eius sciri à nobis potest & expedit, gratiosè communicauit scripto.

10. Seruis eius: quia Prophetae & Apostoli verbum illud piè acceperunt vt Ecclesiae membra, idémque piè ac fide optima, vt praecones & notarij θεόπνευςοι, θεοπνεύςως scriptis consignarunt, atque Ecclesiae tradiderunt.

11. Ecclesiae: quia totum illud accepit à Deo & seruis eius, cui soli crederet ad salutem, quod solum diuinae auctoritatis duceret, quo solo contenta esset.

12. Stat enim sententia, si quis vel ex Apostolis vel Angelis è coelo Euangelium attulerit aliud praeter quàm (f. 1774) quod accepimus, hunc esse anathema.

13. Propterea mirum videtur, esse in Ecclesia homines, qui finibus illis à Deo positis non contenti his vltimis temporibus traditiones audeant Ecclesiae obtrudere.

14. Traditiones illi definiunt verbum Dei non scriptum ab auctore, id est, ab eo homine abs quo primùm fuit Ecclesiae traditum.

15. Alioquin & ipsa Scriptura diuina traditio est, si generali significato acceperis, id est, doctrina à Deo tradita, & à nobis percepta; non à natura insita, aut inuenta humanitus.

16. Earum multiplex diuisio in vulgo traditur pro vario respectu, ab auctoribus, à materia, ab vsu, & ab duratione ipsarum.

17. Ab auctoribus: nam aliae diuinae appellantur, aliae Apostolicae, & aliae Ecclesiasticae.

18. A materia: nam earum aliae dogmaticae, aliae ethicae appellantur: & in vtroque genere duae quodam modo diffusae sunt, quas non incommodè historicas & ceremoniales dixeris.

19. Ab vsu: quòd aliae cultoribus ipsarum liberae, aliae videntur necessariae.

20. A duratione denique: quòd hae perpetuae habentur, aliae temporariae.

21. Diuinae traditiones appellantur, quae à Deo & Christo immediatè Prophetis & Apostolis fuerunt traditae, nec scripto ab iis qui acceperunt consignatae.

22. Apostolicae traditiones appellantur, quae ab ipsis Apostolis fuerunt traditae nascenti primùm Ecclesiae Christianae, nec scripto eis consignatae.

23. Etsi perscriptas esse eas intelligimus, quaecunque in Scriptura sacra aut verbis expressis continentur, aut potestate verborum, iustáve rerum consequentia, & analogia.

24. Sed falsò tamen diuinae traditiones ab Apostolicis distinguuntur, quae vnum reipsa sunt: nam quemadmodum diuinae traditiones dicuntur eae quas Deus Apostolis tradidit, & per illos Ecclesiae suae; ita Apostolicae nullae sunt, nisi à Deo traditae, & in Ecclesias traductae Apostolorum ministerio fidelissimo.

25. Traditiones autem illas, siue diuinas siue Apostolicas dixeris, vllas negamus esse in dogmatico ethicóq. genere: tum quia Scripturis totum id, quod ad hoc vtrumq. genus pertinet, credimus contineri, nisi Scripturas imperfectionis (quod absit) & Apostolos

& Apostolos ínfidelitatis aut certè erroris velimus condemnare: tum quia siquid non videtur expressum, inest tamen potestate, consequentiáque iusta efficitur & analogiâ.

26. Historicas verò traditiones aliquas non negamus esse ab Apostolis, id est, singulares narrationes dictorum factorúmque Christi: cuiusmodi sunt quae Polycarpo Smyrnaeo tribuuntur.

27. Hae enim narrationes ab Euangelistis & Apostolis ideò omissae sunt; tum quia singularium (vt antè diximus) non est scientia, & capi à nobis (si perscripta fuissent omnia) nunquam possent: tum quia ratiocinatio communis earum perfectè Scripturis continetur, & illa satis est vt credamus Iesum esse Christum Filium Dei, credentésque vitam habeamus per nomen eius.

28. Ceremoniales traditiones in duo genera distinguimus, in communeis siue vniuersaleis, & in particulareis: quam distinctionem res ipsa & natura docent.

29. Communium, quae quidem Diuinae sunt & Apostolicae, fundamentum est in scripturis duplex: cuius causa nonnisi abusiuè traditiones hoc sensu appellantur.

30. Prius fundamentum est, quod eiusmodi (vt vocantur) traditiones rebus dogmaticis ethicísque ad Ecclesiam & membra eius pertinentibus, ex necessitate sunt coniunctissimae.

31. Posterius, quòd huiusmodi omnia Scriptura iubet fieri *εὐχημόνως καὶ κατὰ τάξιν*, vt conueniens & decorum est, rerumque ordo postulat.

32. Communes itaque licet verbo non exstent in Scripturis, re tamen continentur & consequentia.

33. Ac propter eà eaedem in Ecclesia Dei pro necessariis habendae sunt; neque est qui se ab earum iusta obseruatione excusare possit, nisi fuerint temporariae.

34. Particulares verò ritus & ceremonias, si quae fuerunt, pro ratione personarum, locorum, & temporum fuisse & esse ambulatorias vel ex eo constat, quòd sunt particulares, nec in Scriptura sunt, nec vniuersè Christi Ecclesiam obligant.

35. Ceremonialium itaque aliae sunt liberae, & aliae necessariae: quod in dogmaticis ethicísque falsum. (f. 1775.)

36. Liberas autem quum dicimus, rationem habemus conscientiae & vsus fidelium in Ecclesia Dei: quòd conscientia cuiusque statuit rem per se licitam esse & in libertate nostra positam, & se tamen communi vsui atque instituto propter aedificationem & ordinem accommodat, non propter conscientiam.

37. Harum item aliae sunt perpetuae, quarum perpetua est ratio, & coniuncta ratione perpetui vsus necessitas: aliae temporiae, quarum & ratio variat & vtendi necessitas.

38. Huic generi dogmaticas ethicásque de fide & moribus seu resipiscentia per fidem competere negamus posse, tum propter eas causas quae supra in thesi 8. & sequentibus, tum quia de auctoritate & perfectione Scripturae tantum detrahitur, quantum Ecclesiae tribuitur in isto genere.

39. Historicae traditiones, si quae sunt Ecclesiasticae, pro humanis scriptis habendae sunt: ac non veritate, & auctoritate cum canonicis comparandae; siue rerum à Christo dictarum gestarúmque, siue ab Apostolis, narrationes complectantur.

40. Ceremoniales verò, quae quidem Ecclesiasticae censeri posunt, & vniuersales aut quasi vniuersales, sunt paucae, communi Ecclesiarum consensione & vsu confirmatae.

41. Nam ab hoc genere distingui eas necesse est quae fundamento sunt diuinae vel Apostolicae, & per consequentiam iustam ex Scripturis sacris duci possunt, vt thesi 29. ostendimus.

42. At particulares, quemadmodum & particulares Ecclesiae, numero infinitae sunt;

sunt: & hae quoque vt antè, in necessarias & liberas, in perpetuas & temporarias describuntur.

43. Necessarias vsu appellamus, quae necessitate quadam, pro conditione temporum communium, aut rerum particularium in Ecclesiis, cum pietate, conuenientia, & ordine coniunctae sunt: vt quum ieiunia, preces, communi vel particulari Ecclesiarum causa, indicuntur.

44. Liberas verò, quae nulla necessitate obligant pios in conscientia aut vsu: ut exempli causa, siquis ieiunus aut cibo aliquo sumpto ad sacram synaxin accesserit.

45. Atque haec quidem de traditionibus illis, siue perpetuis, siue temporariis, quae verè sunt Ecclesiasticae, & in Ecclesiis pio ortu natae sunt, nec re, nec modo, nec euentu malo.

46. Sed in harum locum traditiones sunt suffectae, & inferctae in numerum, quae diuinae, Apostolicae, Ecclesiasticae per aequiuocationem, non sine graui in Deum, Apostolos, Ecclesiámq. contumelia, in vulgo appellantur.

47. Diuinae enim & Apostolicae traditiones hodie appellantur nonnullae, quae nihil diuinum sapiunt, aut Apostolicum: vt ex ipso diuino canone & Apostolico facilè reuincitur.

48. Ecclesiasticae verò omnis generis, id est, dogmaticae, ethicae, historicae, atq. ceremoniales quo numero sint hoc tempore, nemo facilè possit exponere.

49. Dogmaticas & ethicas antè reiecimus: cùm dogmatum & morum ratio à Deo & natura sit; Dei autem ac naturae ius in se constantissimum, in Scriptura absolutissimum, & in Ecclesia certissimum. De historicis minimè laboramus.

50. Ceremoniales quaecunq. sunt, rectè in tria genera distribui à nobis possunt: vnum bonarum est, alterum malarum, tertium indifferentium mediarúmque.

51. Bonae dicuntur eae, quae cum sanctitate, aequitate, veritate, honestate, ordine coniunctae sunt.

52. Malae dicuntur, quae cum rebus iisdem pugnant.

53. Mediae, quae pro ratione personarum, locorum, & temporum cum iisdem rebus modò cohaerere, modò pugnare comperiuntur.

54. Harum discernendarum ratio fermè est quadruplex: ortus, res, finis, & euentus.

55. In his omnibus duae conditiones semper desiderantur, vt piae bonaeque sint, & vt legitimae.

56. Ortus bonus & legitimus est, quum homines pij & legitimi consilio pio rem piam iusto legitimóq. modo in Ecclesiam inuehunt ad pium finem: Si contrà, nec bonus nec legitimus dici potest, nisi per abusionem indignissimam.

57. Res bona & legitima est, quum voluntati Dei, & Ecclesiae membrorúmq. commoditati publicè ac priuatim contemperata est. Si enim aut à voluntate Dei absit, aut importabilia onera imposuerit hominibus, quorum facultas non sit penes ipsos à natura, sed à dono Dei aut vocatione pendeat, eius traditio nec bona, nec legitima est.

58. Finis (qui in rebus moralibus forma actionum(f. 1777) optimè dicitur) bonus & legitimus est, quum ad Dei gloriam velut summum finem, & ad aedificationem hominum, velut ordinatam ad finem, recta ordinatione contenditur. Si contrà, nec bonus nec legitimus est.

59. Euentus bonus & legitimus est, quum traditiones suum illum finem assequuntur: contrarius, contrà.

60. Atque haec quidem in traditionibus rerum bonarum vel malarum sunt faciliora cognitu: sed in mediis siue indifferentibus quae secundùm conscientiam vsumq. licent hominibus, eo fraus est periculosior, quòd libertas illa nostra in laqueum imprudentibus conuertitur.

61. Mediae

61. Mediae ergo traditiones sunt, si essentiam earum spectes, quae fiunt de rebus mediis siue indifferentibus vsu & conscientia: sed ortu, fine, aut euentu mediae esse & dici desinunt.

62. Ortu, & fine: si à malo & illegitimo auctore, malo animo consilióque obtruduntur.

63. Euentu, si postquam bene coeptae & institutae sunt, pòst in abusum, aut necessitatem aliquam τῷ μέσῳ contrariam, aut imperio alieno, aut voluntaria superstitione vertuntur.

64. Imperio alieno impositae traditiones, si superstitione vacat obseruatio, seruantur πολιτικῶς.

65. Sin superstitionem implicatam habent, neque ciuiliter, neque Ecclesiasticè seruari bona fide possunt: quia nec seruaturis, nec spectantibus aut consciis expediunt, & Dei gloriae aduersantur.

66. Quapropter, rectè Scholastici legem humanam quamuis & traditionem, dixerunt virtutem obligandi non habere, quum à communi bono deficit; & illam Modestini sententiam adferunt: Nullam iuris rationem aut aequitatis pati, vt etiam quae salubriter pro vtilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad seueritatem.

DE DEO: SEU, DEVM ESSE.

Thesis I.

Proprium subiectum materiáque Scripturae sacrae, est Deus.

2. Deus, Graecis & Latinis à voce Hebraea *Dai*, quae sufficientem & αὐταρκῆ in se ac per se sonat, appellatur.

3. Deum autem esse, natura ipsa, & scriptura testantur.

4. Itaque, qui, vel naturali luci fidem habent, vel supernaturali in sacris scripturis expositae, hi Deum esse, nequaquam dubitant.

5. Sed, quicunque, Dei, & naturae veritatem, in mendacio detinent, ij caecata intelligentia, & abrepta studiis particularibus voluntate sua, negare solent. *Psal.* 14. quamuis euicti supernaturali luce, & naturali conscientiae.

6. Lux supernaturalis, est testimonium Spiritus Dei, in mentibus nostris. 1. *Cor.* 2. 10.

7. Oculus supernaturalis mentis nostrae, est fides. *Hebr.* 11. 1.

8. Haec lux illa afficitur, & ab hac illa prehenditur, vt Deum credamus esse.

9. Neutra verò capi ab homine naturali potest, qua supernaturalis & spiritalis est. 1. *Cor.* 2. 14.

10. Nam cùm vtraq. supernaturalis & spiritualis sit neutra aliter ab homine capi, quàm supernaturali modo, & spirituali, potest, atque hic in homine naturali non est.

11. Medium ad vtramque lucem instrumentum, est verbum Dei praedicatum & scriptum.

12. Ac ne hoc quidem capi vtiliter potest, nisi supernaturali & spirituali modo.

13. Hoc autem verbo docemur oportere, vt, qui accedit ad Deum, credat esse μισθαποδότην iis, qui exquirunt ipsum, *Hebr.* 11. 6.

14. Qui sola naturae luce illustrantur, ij communes quasdam notiones habent, *Rom.* 1. (quae principia vulgò dicuntur) conuenientes cum supernaturali luce.

15. Etenim

15. Etenim notiones istae sunt naturae illius primigeniae, per hominem destructae, rudera, & corrupta semina, quae beneficio suo, in hominibus seruauit Deus.

16. Ex quibus id homo assequitur, vt se reum à Deo peragi damnaríque sentiat, & à conscientia reddi inexcusabilem, *Rom.* 1. 19.

17. Est autem conscientia, haec interna lux naturae, quae assidua cuique testis est, & ineluctabilis, *Rom.* 2. 15.

18. Secundum hanc conscientiam, homo naturalis cognouit(f. 1778) Deum esse; & doceri potest.

19. Cognouit autem, quia id per se natura, notum est, Deum esse, *Act.* 14. & 17.

20. Doceri potest, quia certae sunt à posteriori de Deo (vt vocant) demonstrationes, id est, ab operationibus & effectis eius.

21. Earum quinque loci, inde à creatione mundi quibusuis hominibus, fuerunt expositi: natura rerum, gubernatio, motus, natura causae efficientis, & modus illius.

22. Natura rerum: quia res ita per gradus inter se distinctae sunt, vt quamuis omnes in natura sint, earum tamen aliae plus, aliaeq; minus dicantur esse bonae, verae, &c.

23. Quod autem maximè est in quouis genere, id causa efficiens est omnium congenerum: & quae sunt maximè vera, eadem sunt maximè entia.

24. Igitur aliquod vnum est ens maximum, omniáq. genera transcendens; quod idem est principium omnium, & causa omnibus entibus vt sint: *Act.* 13. atq. hic Deus est.

25. Gubernatio & ordo illius: nam in natura rerum quaecunque sunt, ea ad suum finem diriguntur, certa intentione, aut aliena, aut sua.

26. Quin ea ipsa quae intentione sua diriguntur, non sua solum, quae ipsa mutabilis est, & deficiens: sed immutabilis principij atque incorrupti, & per se necessarij, intentione diriguntur.

27. Neque solum singula, ad suum finem proximum singulariter, sed etiam communiter, ad vnum finem summum, & communem omnium.

28. Haec autem intentio, ac directio, ad iustum ordinem, non, nisi à summa intelligentia, qua omnes res in natura ad finem ordinantur sapientissimè, proficisci potest: *Act.* 14. atque haec intelligentia Deus est.

29. Motus: nam quicquid mouetur, quatenus mouetur, ab alio mouetur, mouente ipsum, siue hoc sit mouens secundarium, quod mouet potentia in actum prodeunte, siue primarium & summum, quod actu solum.

30. Hoc autem primum mouens, non nisi vnicum esse potest, quod mouet omnia: *Act.* 17. atque hoc Deus est.

31. Alioqui motus causas in infinitum daretur procedere: quod est absurdissimum.

32. Natura causae efficientis: nam in omnibus rebus, vt motus, sic causarum efficientium omnium ordo est, à prima ad vltimam summámque.

33. Primae autem efficientis: nulla est causa alia, *Ioh.* 5. nam si est, non erit prima: atque haec prima Deus est.

34. Modus causae efficientis; nam omnis modus aut est possibilis, aut necessarius.

35. Possibilis, est inferior necessariò, qui potest esse & non esse, vt potentia inferior actu.

36. Necessarius est, qui est actu, nec potest esse, licet aliunde habeat, vel non habeat causam necessitatis suae.

37. Quod autem per se est necessarium, non habens causam necessitatis aliunde, sed est aliis causa necessitatis, & eis imponit modum, id prima causa est omnibus, etiam secundùm modum. Atque haec causa Deus est.

38. Ex testimoniis itaque diuinae lucis, & naturae nostrae, concludimus, Deum esse:

esse: & eos homines, qui negant, esse αὐτοκατακρίτους, cùm & diuinis, & naturalibus testimoniis, certa malitia, non dubitent oblatrare.

DE DEO ET ESSENTIA EIUS, THESES THEOLOGICÆ.

Thesis I.

Devs est Ens summum vel ὑπερούσιον, simplicissimum, perfectissimum, optimum, infinitum, immutabile, aeternum, essentia vnicum, personis trinum, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, principium omnis boni.

2. Haec non definitio Dei est (nam infinitum & ἀκατάληπτον definire aut comprehendere nemo potest) sed qualiscunque pro modo reuelationis ab ipso factae, & captus nostri, descriptio.

3. In hac descriptione duo obseruanda sunt, modus & partes seu loci illius.

4. Modus in hac descriptione est duplex: nam secundùm essentiam magis consideramus quomodo non sit, quàm quomodo sit, quia non aliter possumus: secundùm affectiones verò consideramus quomodo sit, & se ostendat esse (f. 1778).

5. Prior modus, ἄρσεως vel ἀναιρέσεως: posterior θέσεως appellatur.

6. Tres itaq. sunt in hac descriptione loci: primus, essentiae: secundus, relationis internae vel distinctionis personarum in vnitate essentiae: tertius denique relationis externae, vel operationum in rebus creatis omnibus.

7. Secundùm essentiam praedicationes de Deo fiunt eiusmodi, quae è categoriis vel praedicamentis absolutum quid significantibus ipsum eximant: quia nulla ratione aut modo in aliquo praedicamentorum genere Deus concludi potest.

8. A praedicamento Substantiae Logico eximitur, quum Ens summum & ὑπερούσιον appellatur. Entis enim appellatio excedit omnium praedicamentorum ordinem, vt natura Dei naturas omneis omnium rerum omnino superat.

9. Ens autem potiùs quàm essentiam appellamus, etsi re in Deo vtrumque idem est & ipse Deus, quia ratione quadam alterum ab altero discernimus, & verò ad commoditatem docendi mysterio sanctae Trinitatis discerni necesse est.

10. Nam entis appellatione Deum secundùm essentiam & secundùm personas in essentia constantes designamus: essentiae verò τὸ εἶναι ἀπὸ τοῦ ὑφιστάναι distinguimus, esse, & subsistere: vt suo loco dicturi sumus.

11. Hoc autem Ens per essentiam suam est, cetera per communicationem à principio suo: quapropter rectè Ens per se, propriè, & solum dicitur: & κατ' ἐξοχὴν Ens prae aliis omnibus quae sunt appellatur.

12. Itaque ens summum vel ὑπερούσιον discretionis ergô secundùm Patres orthodoxos esse statuimus, vt quod entia omnia superet, non dico accidentia quae insunt substantiis, sed & substantias quaecunque sunt Physicas & Metaphysicas, & si quid aliud est quod in hoc argumento adduci possit.

13. Quapropter etiam augustissimo nomine Iehoua apud Hebraeos dictum est: quod nomen propter rationem etymi veteres essentiae nomen esse docuerunt, proprium Deitatis, & cum altero ente vllo incommunicabile.

14. Ad summam illam & adorandam Deitatem, praedicamentum, quod vocant, qualitatis nihil attinere dicimus, quum Deum esse affirmamus simplicissimum, perfectissimum, & optimum per suam essentiam, adeóque summum bonum.

15. Sim-

15. Simplicissimi appellatione compositionem omnem à Dei essentia remouemus, quia nec actu habet ipsam in sese, nec habere potest.

16. Id enim uerè simplicissimum, quod omnis est compositionis expers, ac proinde semper ita est vt est, nec aliter se habere potest.

17. Est autem Deus omnis compositionis expers secundùm essentiam suam, cùm neque sit corpus, neque ex materia & forma, neque ex genere & differentia, neque ex subiecto & accidente, neque ex alia re vlla aut vllo modo compositus, sed idem in eo sit natura & suppositum, essentia & esse, vt loquuntur vulgò.

18. Quòd si compositionis expers, ergo & in se est simplicissimus, & in compositionem cum re vlla, tanquam principium internum, aut materia aut forma, venire non potest.

19. Ex hac autem simplicitate illud omnino consequitur, Deum esse perfectissimum in sese, & vniuersè perfectum modo perfectissimo diuinóque.

20. Quicquid autem perfectionis est in rebus creatis, id praedicari de eis aequiuocè: quia harum perfectio nec genere, nec specie cum diuina habet conuenientiam, sed tantùm qualicunque analogia.

21. Tum prout vnaquaeque res perfecta est, ita etiam dicitur bona esse respectu perfectionis suae modi illius.

22. Est autem Deus ens perfectissimum, vt modò dicebamus: ergo & optimum: quia ens & bonum, etsi ratione differunt, in re tamen sunt vnum & idem.

23. Ac bonus quidem est Deus bonitate diuina per essentiam suam, tanquam omnis boni efficiens, & maximè expetendus, adeóque summum bonum, ad quod feruntur & contendunt omnia, quatenus bona sunt, quemadmodum in creatione fuerunt bona.

24. Sed horum bonitas dicitur aequiuocè. Quia Dei bonitas est principium primum, exemplar, efficiens & finalis causa omnis bonitatis: horum verò non item, sed potiùs effectus & adumbrata similitudo ex communicatione quadam bonitatis secundùm qualemcunque analogiam (f. 1779).

25. Quapropter bonitatem vniuocè dictam si respexeris, verè dictum illud est, Nemo bonus, nisi vnus Deus: aequiuocè autem res omnes creatae, quà creatae, bonae sunt.

26. Sunt autem bonae modo, specie, & ordine: Deus verò, supra omnem modum, speciem & ordinem rerum omnium creatarum, bonus est.

27. Nec eo minus à natura Dei praedicamentum quantitatis siue propriè, siue analogicè dictum, excluditur, quà infinitus, immutabilis, atque aeternus est.

28. Infinitus enim est Deus actu simpliciter per essentiam suam: cuiusmodi infinitas nulla dari potest in rebus naturalibus aut creatis vnquam, si quidem magnitudini verè & vulgò dictae opponitur.

29. Si autem infinitus est vt impleat omnia, & tamen ne caeli quidem caelorum capere possint ipsum.

30. Itaque sic est in rebus omnibus vt extra eas sit: & sic in omnibus locis vt supra ea sit: non per partes vt continua corpora: non successiuè vt quae tempori & motui sunt obnoxia: sed actu secundùm totum primò & per se essentia, praesentia, & potentia sua semper.

31. Vt autem magnitudinem quamque infinitate sua excedit Deus, etiam successionem & vicissitudinem vllam non experitur motu; aut tempore.

32. Motus vllius in sese expertum esse Deum asserimus, quum immutabilem appellamus: est enim purus actus sine permistione vllius potentiae, simplicissimus, & perfectissimus.

 33. Nam

33. Nam neque potentiam illam habet in sese Deus, quae per ipsum aut alium sit mutabilis, neque compositionem, neque ordinationem ad finem extra se, qua secundùm electionem aut locum pertendat ad rem vllam quam prius non attigerit. Est enim perfectissimus, idémque infinitus & replens omnia.

34. Temporis autem vel successionis secundùm tempus nihil inesse Deo, cùm à natura aeternitatis, tum à natura Dei ipsius ostendimus.

35. Est enim aeternitas (vt Boëtius definit) interminabilis vitae tota simul & perfecta possessio.

36. Eo autem quòd tota simul esse dicitur, id est, ὅλη συνεχὴς spiritali continuitate, successione temporis carere ostendimus.

37. Cùm autem ita sit à natura Deus, vt ipse vitae interminabilis totam simul & perfectam possessionem habeat, & ipse vita aeterna sit, ex eo aeternum esse sempiternúmque concludimus.

38. Atque haec omnia de Deo ita in hac descriptione nostra praedicamus, vt essentiam eius vnicam esse sanctè ex auctoritate Scripturae & ratione ipsa cognoscamus.

39. Nam multa ὑπεργενῆ entia, summa, ὑπερούσια, simplicissima, perfectissima, optima, infinita, immutabilia, aeternáque dari non possunt primò & per se: sed Deus vnus solus & semper ita est, Ens entium, & principium principiorum.

40. Sed quia haec Dei proprietas, quamuis essentialis, ad sequentem locum qui de affectione vel relatione est, maximè respicit, praestat vel de eo hic ampliùs supersédeamus dicere, in locum alterum reiecturi.

DE PROVIDENTIA DEI.

Thesis I.

Providentia Dei est diuina illa ratio in summo omnium principe constituta, quae disponit omnia liberè, potenter, & benè.

2. Dispositio autem est ratio ortus omnium rerum in sese, & ordinis earum, tum ad finem, tum ad media & progressus ipsarum, vt partes sunt in toto.

3. Ratio ortus, Creationis est, & exsequutio eius opus creationis appellatur; ratio ordinis ad finem, diuersa est, sed quâ homines spectat praedestinatio est: ratio verò ordinis illius, quo res inde ab ortu suo ad finem vsque disponuntur, est Prouidentiae, & illius exequutio ab Orthodoxis Patribus opus Prouidentiae dicitur.

4. Est igitur haec Prouidentia Dei (de qua iam instituimus agere) diuina illa ratio in summo omnium principe Deo Patre, Filio, & Spiritu sancto constituta, quae ordinem rerum cunctarum singularúmque inde ab ortu ad finem vsque ipsarum disponit liberè, potenter, & bene.

5. Ad hanc itaque prouidentiam duo pertinent: ratio ordinis rerum quae prouisae sunt ad finem ipsarum; atque haec in Deo aeterna est: & ordinis eiusdem exsequutio, quae vulgò dicitur gubernatio, & fit in tempore.

6. Secundùm hanc Prouidentiam, ordinem rerum cunctarum singularúmque disponi dicimus, quia non solum mundum in vniuersum, sed & singula quae in mundo sunt, etiam quaeuis minutissima disponit Deus, adeò vt ne passer quidem in terram decidat sine voluntate illius.

7. Liberè

7. Liberè disponi dicimus, quia Deus prorsus nullâ re vel caussâ foris adueniente cogitur aut impellitur ad talem rerum ordinationem.

8. Potenter, quia nullo ei labore, aut nisu est opus, vt voluntatem suam exsequatur, sed omnia, quae vult, & sicuti vult, absque vllo negotio agit, neque actio eius impediri aut concitari vllâ lege potest.

9. Benè, quia bonus benè semper agit, tum quoque cum peccant instrumenta, quibus ad operis sui exsequutionem ei visum est vti.

10. Prouidentia haec in Communem & Singularem ex thesi sextâ, itémque in Generalem, & Specialem rectè diuiditur.

11. Generalis ea statuitur, quâ mundum vniuersum, id est omnia quae supra caelos sunt, & quae caeli terraeque ambitu continentur, regit atque moderatur.

12. Specialis quâ humanum genus, Ecclesiam autem suam peculiariter, & singulari quodam gratiae salutaris modo sustinet ac gubernat.

13. Modus porrò agendi in gubernatione rerum ita consideratur, vt alias sit Ordinarius, aliâs Extraordinarius.

14. Ordinarius est, quando tum per se, quia est principium commune omnium, tum per media siue caussas secundas à se ordinatas, effectus illos producit, ad quos consueto naturae ordine sunt idoneae, atque à Deo factae. Exempli caussâ, vt, *cum per alimenta vitam hanc nostram sustentat*, *per medicamenta morbos depellit*, *&c.*

15. Extraordinarius est, cum praeter communem naturae Legem, sine mediis contráque media, & communem illum ordinem à se institutum, caussas secundas à se ordinatas gubernat & dirigit.

16. Neque enim ad ea quae per sua media ordinariè fiunt alligatus est Deus, sed ita caussarum secundarum ministerio vtitur, vt etiam aliter, & alio modo agere, & actiones ipsarum, quandocumque ipsi visum, inhibere possit.

17. Rursum huius prouidentiae modus aut Immediatus est, aut Mediatus. Immediatus, cum Deus solus agit, vt est principium omnis boni in naturâ: Mediatus verò, quum agit per res creatas, vt media Prouidentiae ipsius subiacentia.

18. Proinde secundùm internam illam aeternámq. rationem opus Prouidentiae immediatum est: secundùm exsequutionem verò illius, mediatum & immediatum esse potest.

19. Ea verò Dei actio quae per media fit, interdum per bona, interdum verò per corrupta & vitiosa instrumenta peragitur: nequaquam tamen magis minúsve bona existimanda est, sed qualecumque sit organum, Dei opus in illo & per illud, semper optimum, iustissimum, & sanctissimum agnoscendum.

20. Non enim ab instrumenti, sed ab ipsius Dei bonitate, sapientiâ, iustitiâ, & rectitudine, bonitas diuinorum operum pendet.

21. Etsi autem haec Dei Prouidentia omnino immutabilis est, tamen nullam simpliciter rebus imponit necessitatem, quin quaeuis causa secunda pro suâ naturâ operetur; eóque aliae necessariò, aliae contingenter & liberè agant, ídque à diuinâ prouidentiâ; ex quâ quicquid euenit, aut contingenter euenit, aut necessariò.

22. Nam id diuinae Prouidentiae opus est praestantissimum, quòd omnes gradus producit entium, vt vocant. Ac proinde aliis rebus praeparauit caussas necessarias, vt necessariò euenirent, aliis contingentes, vt pro conditione caussae euenirent, vel caussarum intercedentium.

23. Distinctio autem Necessitatis vtiliter hîc retinetur, quâ dupliciter à nobis consideratur; nimirum, aut Absolutè, aut ex hypothesi.

24. Absolutè: cum simpliciter ex caussae suae naturâ(f. 1781)res aliter se habere non potest, atque haec à Scholasticis quibusdam Consequentis dici solet; vt, *Deus non potest mutari.*

25. Ex

25. Ex hypothesi; quae ex alterius caussae positione aliter se habere non potest, non autem ex sui naturâ; atque haec Necessitas consequentiae appellatur, vt, *Ossa Christi frangi non potuerunt.*

26. Necessitas haec ex hypothesi, cum in iis tantum locum habeat, quae internum sui motus principium habent, non tollit Contingentiam, Libertatem, & spontaneam voluntatem: Multa enim liberè simul & necessariò euenire possunt, vt, *Mors Christi.*

27. Multò minus Coactionem vllam praesupponit: Coactio enim externum sui motus principium habet, eóque cum voluntate cohaerere non potest. Itaque nemo cogitur ad peccandum, etiamsi necessariò propter naturam corruptam non regeneratus peccet.

28. Propulsandae ergò voces illae blasphemae Libertinorum, qui, cum omnia ab immutabili Dei Prouidentiâ pendere audiunt, Deum peccati authorem insimulare, & in eum operis sui vitiositatem & turpitudinem reiicere non verentur.

29. Nec Stoicorum errorem hîc vllo pacto admittendum censemus, qui Fatum, & naturalem quandam ex aeternitate pendentem rerum omnium necessitatem inducere conantur, quae adferat rebus omnibus, etiam Deo ipsi, ineuitabilem necessitatem.

30. Nec Epicureos audimus, qui dissimili planè ratione omnia ponunt in arbitrio & temeritate Fortunae, eámque rerum omnium dominam & Reginam constituunt, in Dei Prouidentiam iniurij.

31. Peripatetici ad extremum, etsi mediam quandam sententiam & viam sequantur, vt nec omnia necessitate fieri dicant, nec omnia temerè; cùm tamen vim illam naturae, postquam a Deo semel insita fuerit, asseuerent satis ipsam per se esse potentem & validam ad agendum, etiam sine Deo, illudunt eiusdem Prouidentiae.

52. Vsus huius doctrinae est multiplex. I. Vt gloria Deo tribuatur sapientiae & potentiae summae in rebus omnibus creandis, conseruandis, dirigendis. II. Vt pro acceptis beneficiis Deo simus grati. III. Vt in aduersis simus patientes, & spem certam in futurum repositam habeamus in auxilio diuino.

DE LIBERO HOMINIS ARBITRIO, ANTE & POST LAPSUM.

Thesis I.

Libervm Arbitrium est naturalis potentia suo ac proprio motu sine coactione eligendi vel repudiandi bonum aut malum, quod voluntati eligendum vel repudiandum proponitur.

2. Ac *Arbitrium* quidem appellatur respectu mentis quae obiectum voluntati monstrat, ipsúmque vel probat vel improbat: *liberum* verò respectu voluntatis, quae sponte sua id quod obiectum fuerit amplectitur eligens, aut repudians fugit.

3. *Subiectum* itaq; liberi arbitrij est substantia creata intelligens, vel ratione praedita, in quâ intelligentia & voluntas partes Essentiales sunt analogicè, libertas verò his partibus inesse dicitur vt subiecto accidens separabile.

4. *Obiectum* verò liberi arbitrij, quod hic quidem agitur, est morale bonum & malum quò liberè fertur creaturae arbitrium, aut quod auersatur liberè: nam de libero arbitrio in causâ naturalis boni, quaestio magis Physica est quàm Theologica.

5. Quapropter

5. Quapropter liberum arbitrium, quoties de Deo praedicatur, aut *Vniuocè* praedicatur: quia quicquid est in Deo Deus est, nihil accidentale, sed essentialia omnia, & essentia αὐτεξούσιος essentialiter, aut praedicatur *figuratè*, aut *falsò*: siquidem propriè secundùm positam definitionem liberem arbitrium placebit accipi.

6. Atque hoc quidem praedicari *figuratè*. & Deo tribui non iniquè ferimus; modò accipiatur bene, & à logomachiis vulgò abstinemus.

7. *Propriè* verò dici nisi *falsò* non potest, quia id nec cum naturâ subiecti id est Dei, nec cum veritate definitionis, nec cum ratione obiecti conuenit sine subiecti interitu.(f. 1783.)

8. *Naturâ* Dei: nam est simplicissimus. non ergo compositus, ne ex subiecto quidem & accidente, quod hîc statuitur.

9. *Definitione*, nem neque genus liberi arbitrij Deo potest competere, quia actus est simplicissimus, neque differentia importans ἀλλοίωσιν, cùm Deus sit aeternus & immutabilis.

10. *Obiecto*, quia Deus est ipsa bonitas, nec pro obiecto habere vnquam potest morale bonum quod improbet aut malum quod eligat. Deus seipsum negare non potest, 2. *Timoth.* 2.

11. Creatura ergo intelligens & liberi arbitrij capax *Subiectum* est duplex, Angeli & hominis. Nos autem in praesentiâ de libero hominis tantùm arbritrio agere instituimus.

12. Liberum ergo Arbitrium *in homine* consideratur, Ante lapsum & post lapsum.

13. *Ante lapsum* liberum arbitrium fuit in homine ad bonum & ad malum, quo arbitrio homo vel stare poterat atque in integritate & vitâ permanere, vel labi & peccando integritatem & vitam amittere.

14. Demonstrabant id symbola quae homini in Hedene circumposuerat Deus, Arbor vitae perstanti in suâ integritate Vitam, & arbor scientiae boni & mali, labenti & deficienti, mortalem miserámque conditionem significans.

15. Quanquam enim homo primùm ita fuit conditus vt mens & voluntas eius cum voluntate Dei planè consenserint, illiúsque imperio sine vllâ affectuum cum mente lucta & repugnantiâ omnino subiicerentur; tamen fuit mutabilis, ita vt errare in iudicando, & obiectâ specie alicuius boni inclinare ad deficiendum aeq. adeò deficere sua sponte possit.

16. Est enim liberum arbitrium potentia naturalis, cuius operatio potuit esse actu secundùm finem ordinatum & determinatum ipsius, & potuit non esse, deficiendo à fine ordinato suo, & (quod grauius est) in impotentiam abeundo.

17. Quod factum est: lapsus enim est homo obiecta per satanam specie boni, quod obiectum, vt mens probauit, ita voluntas ad illud amplectendum sese inclinauit, à fine ordinato & sibi imperato deficiens.

18. Etsi autem libero arbitrio suo lapsus est, tamen praeter Dei voluntatem non fuit factum, cui hoc medio iustitiam & misericordiam suam visum est declarare.

19. Nam siue arcanum Diuinae voluntatis spectes, Deus noster in cœlis est qui facit quicquid vult: non fecit autem vt homo non peccaret: facere igitur hoc noluit, siue reuelationem illius, certè legem & conditionem Deus posuerat, *Ne comedas*, si comederis morieris, quam conditionem non fuisset adiecturus, si voluntate absolutâ secus voluisset.

20. *Post lapsum* verò liberi in homine Arbitrij duplex est consideratio, vna prout est in hac vitâ, altera prout in futurâ erit.

21. Rursum in hac vitâ liberum Arbitrium pro ratione subiecti bifariam consideratur vt est in regeneratis hominibus, & in iis, qui non sunt regenerati à Deo.

22. In

22. In hominibus *non regeneratis* liberum Arbitrium (si ita dicendum est) ad malum est tantum, hoc est ea libertas in homine demum relicta est quae nil nisi malum ídque malè aut velit aut velle possit.

23. Per lapsum enim primorum parentum amissa est illa integra Dei cognitio quae erat in mente, atque in eius locum successit ignorantia & dubitatio: in Voluntate verò & corde dilectio & timor Domini desiuerunt, successítque in locum eius odiosus contemtus & contumacia aduersus Deum, & praua inclinatio ad malum meráque impotentia ad bonum.

24. Verumtamen si magis propriè de isto hominum genere loquendum est, non est homini ψυχικῷ ac non regenerato liberum arbitrium, quia nec arbitrium habet nec liber est ad obiectum illius, cuius respectu arbitrium liberum appellatur.

25. Non habet arbitrium, nam cùm obiectum sit duplex per disiunctionem oppositum, aut bonum puta aut malum, omnino arbitrium in voluntate spectari necesse est, non quà voluntas naturalis, sed quà electiua est, vtrumuis obiectum eligere potens.

26. Homo autem ψυχικὸς non capit quae sunt Dei, & in ipso. i. in carne eius, non habitat quicquam boni, ac proinde nec intelligentia boni, nec voluntas ad bonum, nec electio boni arbitriumue ad ipsum pertinet.(f. 1784.)

27. *Non est liber* ad duplicis obiecti velle: nam etsi voluntate naturali liber est in sese (malus autem est in malo positus) Electiua tamen voluntate non est liber, cùm electionem non habeat boni, velut absentis ab eo & ignoti & exosi & impossibilis, sed actu ipso est, ac non potentiâ aut electione, malus.

28. Quamuis igitur neque intellectu planè destituatur homo, nec voluntate, quia tamen deprauata mente iudicióque voluntas nisi boni eligere & amplecti potest, sequitur in homine non regenerato propriè non esse liberum arbitrium, sed seruum esse peccati: aut si datur liberum arbitrium in eo esse καταχρηστικῶς, liberum arbitrium esse ad malum tantùm in rebus spiritualibus seu diuinis etiámq. in externis atq. ciuilibus.

29. In spiritualibus quidem & diuinis, quia purus putus homo non tantùm Deum nec agnoscit verè, nec amat, nec voluntati eius quâ debet obedientia obtemperat, sed ne motus quidem bonos ad hoc iudicio mentis suae, & voluntatis electione, potest inchoare.

30. In ciuilibus autem & externis ad malum tantum liber est: quia vt hîc paulò plus cernat secundùm communes notiones insitas in naturâ, tamen nec ex fide facit, nec ad verum finem contendit boni: quicquid autem fit sine fide peccatum est.

31. Nam id demum verè bonum est, cuius laus est ex Deo, nempe â radice bonâ, bonis mediis ad bonum finem assurgens: si cuius autem boni laus est ex hominibus solùm, id in rebus humanis bonum dicitur aequiuocè, propter speciem & opinionem boni, quamuis non sit re & veritate bonum.

32. *Hominis regenerati* liberum arbitrium est partim ad bonum, partim ad malum.

33. Ad bonum, quâ regeneratus & liberatus à dominio peccati, quia cùm nos Spiritus S. regenerat, accendit simul in mente nostra nouam lucem intelligentiae & cognitionis, in voluntate verò excitat nouos motus & inclinationes cum lege diuinâ congruentes, quibus iam cooperari Deo incipimus.

34. Ad malum autem, quâ adhuc agitur peccato in (f. 1785) ipso habitante, quia regeneratio nostra in hac vitâ inchoatur solùm, & in nobis reliquiae corruptionis habitantes remanent, quibuscum per omnem hanc vitam pugnandum nobis est.

35. Ex quo illud consequitur, neminem omninò hominem legem Dei in hoc seculo implere posse, vbi caro aduersus spiritum pugnat, & spiritus aduersus carnem.

36. *Liberum*

36. *Liberum arbitrium* in Altera Vita si erit, aut eorum qui salutem fuerint assequuti, aut damnatorum, dicendum est.

37. Eorum qui salutem assequuti fuerint liberum Arbitrium (si ita dicendum est) erit ad bonum tantùm atque immutabiliter, adeò vt nec errare in iudicando, nec velle quicquam nisi bonum & benè poterunt.

38. Erit enim tunc perfecta regeneratio nostra, ac non inchoata solùm, vt nunc est: quoniam videbimus Deum sicuti est: cognoscemus prout cogniti fuerimus ab ipso, & volemus in coelo voluntatem Dei, similes effecti Angelis ipsius: quia Deus ibi nunquam deseret nos, sed in omnibus omnia futurus est.

39. Damnatorum verò liberum arbitrium (vt ita dicamus) erit ad malum tantum in omnem aeternitatem, quia Spiritu sancto destituti, & exsortes Dei omnísque boni à Deo procedentis, de bono desperantes, omni malo seruient, maligno obsequentur, & flentes stridentésque dentibus, ruent aduersus Deum totâ mente ac voluntate sua.

40. Quapropter, neque horum neque illorum in futuro seculo Arbitrium liberum aut voluntas liberè electiua propriè dici potest: cùm neque electionem habeant, sed actum voluntatis immutabilem potentiam aduersantem, neque liberi sint disiunctiuè ad vtrumuis obiectum liberi arbitrij, sed in se libera voluntate, hi ad malum actum, illi ad malum feruntur solùm: hi vitiositate naturae per electionem suam adscitâ, illi virtute gratiae per electionem Dei, hi subsistentes in se immutabiliter mali, nos subsistentes in Deo immutabiliter boni. Gratia autem sit Deo super inenarrabili munere ipsius. Amen.

FINIS.

IV.

DE POLITAE MOYSIS OBSERVATIONE.

DE

POLITIÆ MOSIS OBSERVATIONE;

QVID POPVLO DEI OBSERVARI, QVID NON OBSERVARI

EX EA OPORTEAT, POSTQVAM GRATIA & VERITAS PER CHRISTUM FACTA EST, & EUANGELIO PROMULGATA.

Libellus nunc primùm ad communem aedificationem praescriptus atque in lucem editus

à

FRANCISCO IVNIO.

Illustribus

BATAVIAE ORDINIBVS NOBILISSIMIS VIRIS DOMINIS AMPLISSIMIS,

FRANCISCVS IVNIVS S. P. à Domino.

DISCIPLINARVM omnium, Illustres ordines, quae πρακτικαὶ vulgò, id est, actiuae appellantur, eiusmodi natura est, ut semper quidem cognitio earum scientiáque maneat, actus verò certis occasionibus iustóque tempore occupetur Ratiocinationem earum mens constanter retinet, opus corpore alternis agente & quiescente perficitur. Si qua autem πρακτικὴ disciplina est in humanis rebus, quae regnum suo quodam iure in omneis obtineat, profectò ea est quam politicam appellamus. Haec iusti & honesti magistra: haec custos ordinis: haec publici & priuati iuris ad bonum commune vindex: in hac, Polyaenus inquit, insunt omnia: hac salua seruantur cuncta: hac deniq; pereunte nihil in publicis & priuatis rebus non perit atque corrumpitur.
Sed etsi primas in rebus humanis huic disciplinae, quam πολιτικὴν siue νομικὴν vocant,

vocant, optimo iure omnes tribuimus consensu vno, ex communi ipsius naturae testimonio, certóque iudicio rationis nostrae: hîc tamen humana fermè ratio non titubare solùm, sed impingere solita est, partim fallentibus tenebris mentis, partim labente infirmitate nostra, partímq; studiis singularibus in diuersa singulos abripientibus. Nam omnes quidem natura docet ordinem esse in rebus humanis, in primis autem publicis, oportere: sed in ordinis illius quem esse oportet determinatione haeremus omnes miserrima labe (f. 1473) & deprauatione naturae: Hîc illud verè accidit quod vulgo dici solet, Quot capita, tot sententiae. Atq; hoc quidem malum hominibus non mirum est contingere, quorum intellectus ad breue tantum & in obscuro videt, ratio obtenebrata est, voluntates differentes, iudiciáq; corrupta; vnde in conclusionibus & determinationibus nostris cùm mutationes in nobis, tum inter nos dissensiones existunt innumerae.

Quapropter si quis Legislator purus esset ab omni vitio, qui purè simpliciterque, ὡσανεὶ ἐν ἐσόπτρῳ ἀσπίλῳ καὶ ἀκεντήτῳ, suis legibus exprimeret suae puritatis modum; eius lex regina aliarum omnium habenda esset. Cùm autem ne omnes quidem, nedum vnus, hoc opus praestare possint, aut vnquam adhuc praestiterint, quaecunq; leges humanae ab hominibus profectae sunt, eae primas sibi arrogare simpliciter nullo iure possunt in suo genere, quia semper inest aliqua imperfectio. Nam quicquid homo sapit vtiliter in hoc ipso humano ordine de quo nunc agitur, id nunquam nisi per rationem, nec nisi à paucis, & per longum tempus, ídque admistis erroribus quam plurimis, ab eo inuestigari potest atque obtineri.

Magnam olim fuisse Ægyptiorum (apud quos Moses fuit institutus) sapientiam, omnes historiae confitentur: & quicunque ex Graecia philosophi in summo pretio exstiterunt, ij fermè omnes eo nomine ab auctoribus etiam profanis celebrantur, quòd Ægyptiorum disciplinas hausissent coram. Exstant praeclara illo(f. 1474)rum instituta non pauca apud Herodotum, Diodorum Siculum, & alios: & illud memoratu dignum quod Plutarchus narrat, Reges Ægyptiorum secundùm legem eos adiurasse qui iuri dicundo erant praefuturi; etiamsi rex ipse iuberet ab ipsis aliquid iniusti in iudicio pronunciari, vt id ne facerent. Quam laudem inter Rom. Caesares Traianus imitatus, quum strictum ensem coram magnatibus suis praefecto praetorio traderet, dixisse legitur, Cape hunc ensem: &, si bonus fuero, pro me; sin malus, eo contra me vtitor. Verùm vtcunque illae Ægyptiorum leges aliis praestiterint, ea tamen fuit imperfectio corporis illarum, vt euincere & demonstrare sit facillimum, iure primas illis in genere politico non posse tribui.

Quinetiam si quae leges humanae sunt quarum corpus in pretio habeatur; meritò ius illud futurum est, quod Iustiniano auctore ante mille sexaginta annos coagmentatum est ex sapientissimorum hominum prudentissimorúmque monumentis. At eae tamen ipsae leges imperfectionem suam clara voce quasi enunciant, si ius vetus cum nouo aut Iustinianeo (vt vocant) institueris comparare, quod Iurecoss. faciunt; & sequentia tempora alias leges, alios mores, alias modificationes, restrictiones, & ampliationes, mutationes denique omnis generis quàm multis in locis desiderauerunt.

Sin autem ad leges Mosis comparandas cum illis omnibus veniamus; profecto iniqui in Deum auctorem illarum, & in Mosem fidelem seruum Dei in tota domo illius fuerimus, nisi perfectionem diuinam & omni exceptione maiorem in illis legibus agnoscamus. Nam etsi quod ad res politicas & forenses attinet, multa in humanis legibus, ac praesertim in iure ciuili scripto compareant, quae cum Mosis legibus (quas diuinas praedicamus esse) maximam habent conuenientiam; qua in re probanda aliquot praestantes Iuriscoss. non infeliciter memoria nostra desudarunt: hae tamen leges Mosaicae & auctoritate, & ordinatione sua atque applicatione longo interuallo

caeteras

caeteras omneis superant. In statuaria *κανὼν πολυκλείτειος* antecelluit, in politica Mosaicus.

Nam si ad auctoritatem respexeris; has leges non homo, sed Deus sapientissimus, iustissimus, & incorruptissimus ipsius vniuersitatis, singulorúmque in vniuersitate hac commorantium iudex tulit in domo sua, id est, in Ecclesia perfectionem pulcritudinis à Deo supra res creatas omneis obtinente, vt Prophetae vtamur verbis: illas tulerunt homines tenuibus sapientae vmbraculis praediti, vestigiis obscurissimis ducti, iniustitiae labe deprauatissimi, & corruptionis periculo ex omni parte infectissimi: qui prout causae imperfectae sunt & insufficientes (vt vocant) minimè possunt perfectum legum effectum & sufficientem ipsi progignere.

Sin ad naturam applicationémque legum oculorum aciem retuleris, hae leges ordinatione sui & applicatione ita perfectae sunt, vt imperfectione vacent: illae nunquam ita perfectae esse possunt, quin à causa imperfecta, rebúsque imperfectis & actionum imperfecto modo accedat contaminatio. Naturam appellamus rationem legum in seipsis; applicationem verò, earum ipsarum rationem accommodationémque ad (f. 1475) ea de quibus feruntur leges.

Nam vt de natura earum dicamus paucis, quid verbis Mosis melius, euidentius, breuius? de quibus meritò Lucilianum illud emolliens dixero, quum ad venustatem dignitatémque illius collocationis respicio,

Quàm lepidè lexeis compostae! vt tesserulae, omnes,
Endo pauimento, atque emblemate vermiculato.

Quid rebus in sese uerius? quid tam inter se coagmentatum, tam consentiens, tam ex omni parte vnum, quàm illud est? Nihil in eis *ἄτοπον,* nihil *ἀνακόλουθον*, nihil *ἐνάντιον,* nihil *ἐναντιοφανὲς*, si purgato mentis oculo penitius introspexeris; *ἄρτια καὶ ἀπαράλλακτα* omnia: vt diligentissimè Augustinus ad Volusianum scribens epistola 3. declarauit.

De applicatione verò quid dicturi sumus? ad quam animum nostrum & cogitationem quoties conuertimus, toties incredibileis sui amores excitat diuina illa sapientia. Haec enim legis suas omneis & singulas quasque non communi ratione solùm aptauit Iudaeorum genti ex reliquorum hominum perditissimorum numero collectae, quà homines erant in rerum natura; verumetiam singulari quodam modo personis, rebus, & circumstantiis contemperauit omnia prouidentissimè, quà corpus erat filiorum Dei, & domus ipsius ex lapidibus viuis adunata per gratiam: vbi innumerabilibus signis atque documentis cùm transeuntibus, tum permanentibus in omne tempus data confirmatio de federe, promissionibus, veritate, fide constantiáque diuinae illius gratiae nulla hominum vitiositate intermoriturae, & de auctoritate Legis. Sic praecepta moralia absolutissimam morum, quà Deum, quà homines officiis iustis prosequentium veritatem docuerunt absolutissimè: sic praecepta ceremonialia absolutissimam fidei ad Deum per homines ex mundo hoc prauo contendentium: sic praecepta iudicialia absolutissimam ordinis ad mores fidémque colendam pertinentis in ea Repub. quam instituit Deus.

Atque haec causa est, cur Iudaei olim (vt verbis vtamur Christi, Ioan. 5. 39.) se vitam aeternam in Lege Mosis habere praedicabant. Haec eadem causa, cur Christus sub lege factus constanter docuit, se non venisse vt aboleret, sed vt impleret legem: Matt. 5. 17. haec causa, cur Apostoli gratiam & veritatem, quae temporibus vltimis per Christum facta est, (Ioan. 1. 17.) semper ab auctoritate & praesignificationibus Legis confirmarunt, cùm omnes Legem Mosis ortu, re, ratione, modis denique omnibus diuinam esse agnoscerent.

Quemadmodum autem pij homines rerum istarum conscientia ad religiosam fidem atque

atque obsequium Legis olim adducti sunt; sic etiam studiosi quique pietatis & veritatis θεοδιδάκτου, auctoritatem Legis illius senserunt ipsi, & apud omnes praedicarunt. Sed non omnes studiosi salutaris huius ac caelestis doctrinae πηδαλίῳ τεχνηέντως ἰθύνεσθαι in isto quasi pelago didicerunt. Etenim hi, propterea quòd tota ratio Legis diuina est, singula quae Legis illius membra esse καθολικὰ, id est, vniuersè ad omnes personas, res, tempora, loca, & alias circumstantias arbitrati sunt pertinere, atque promiscuè; tanquam si rationis communis in Lege nihil non existeret: illi (propterea quòd particularis atq. singularis rationis esse quamplurima vel auctoritate Christi (f. 1476) & Apostolorum eius fuerant confirmati) omnia sine exceptione atque indiscriminatim iuris particularis fuisse iudicarunt; & nunc omnino desiisse, atque intercidissa auctoritatem vniuersae Legis. Vtriq; παραλογιζόμενοι, & inscitè ex parte Legis de toto concludentes. Nam totum hominis nec immortale esse verè concluseris, quia anima immortalis est; nec contrà mortale esse, quia mortalis corpore. Sic illi quasi profundo mersi, veritatem Euangelij amiserunt; hi quasi in scopulos abrepti, auctoritatem ipsam dignitatémq; Legis diuinae imprudentia maxima perdiderunt.

Ac de iis quidem praeceptis quae purè sunt ἠθικὰ, & versantur in ratione tradenda morum pietati, iustitiae, humanitati, & honestati conuenientium, nemo sanus magno opere visus est vnquam dubitare. Id Ballionis potius, aut alterius cuiusuis bipedum nequissimi fuerit, hominis proteruè naturam abiurantis, quàm viri vllius boni. Cùm enim praeceptis illius moralibus certissima iusti & iniusti ratio couenienter naturae, & ad perfectionem illius à Deo sit exposita, quam rationem τὸ ἡγεμονικὸν esse hominis (siquidem verè homo est) sapientes omnes voluerunt: quid est quod in ea Lege desiderari ab vllo possit, quae rationem amissam profert, corruptam instaurat, & imperfectam diuinitus perficit documentis salutaribus? Certè quicquid iuris communis & rationis est secundùm naturam, & secundùm gratiam, quam naturae superduxit Deus, id vniuersum ita est in Lege Mosis propriè aut analogicè expositum, vt qui ad eam de communi iure quicquam se putabit addere, is meridianum Solem facibus certet adiuuare.

Cùm autem ius commune sit quidam communis fons alterius iuris illius quod particulare appellatur, haud secus quàm sensus communis fons vniuersalis est singulorum sensuum, quibus omnes τὰ αἰσθητὰ solemus percipere; profectò tam iniquum est, si in communi fonte iuris & rationis ius particulare qaaesiueris, quàm si in communi sensu auditum aurium, oculorum visum, & singulorum αἰσθητηρίων functiones singulas desideraueris. Non est nostri muneris, vt ista quaeramus in fonte, sed vt ex fonte deriuemus; quem fontem deposuit in Ecclesia Deus.

Sed in ducendis ex Lege riuis, omnes vitiositate sua, non pauci aliena auctoritate ab officio suo aberrarunt. Nam rerum moralium, de quibus ex illo iure communi constat, tum particulares conclusiones, tum singulareis determinationes ex eis procedentes, non omneis, nec omnibus, nec ad omnia, nec omnino, nec in omne tempus, Lege defixit Deus: sed earum potius modum exemplis Legis illius demonstrauit. Earum autem aliae ad homines humanámque societatem respiciunt, aliae ad Deum & res diuinas. Quapropter rerum humanarum exemplum iudicialibus politicísque legibus, diuinarum ceremonialibus exhibuit Deus: exemplum dico, non formam expressam omnium, quae ad vtrumuis in societate humana requiri possunt.

Ac de ceremonialibus quidem Legibus, quae ad cultum diuinum fuerunt imperatae, grauissimae olim apud bonos controuersiae exstiterunt. Nam, vt nihil dicam de innumerabilibus hypocritis, qui inde à principio in ceremoniis proram & puppim (quod aiunt) salutis posue(f. 1477)runt, & in quibus increpandis euincendísque Prophetae & pij quique ante aduentum Christi operam consumpserunt diligentissimè; nihil de

Nasaraeis

Nasaraeis siue ἀφανιςαῖς illis (vt Epiphanius vocat) qui in sententiam contrariam ruentes vltrò, abolebant omnes Legis diuinae ceremonias: quis nescit, quanta contentione inde ab aduentu Christi de vsu & obseruatione ceremoniarum fuerit disputatum? Vrgebant Iudaei, negabant Gentes: vrgebant ex Iudaeis Christiani facti non pauci, quos Nazaraeos dixerunt orthodoxi Patres, negabant Apostoli, & quicunq; ex Christianis de veritate Christi & complemento ceremoniarum certiores facti, libertatem Christianam ad aedificationem, ac non destructionem propugnabant. His cuniculis Ecclesia Antiochena, Galatarum, aliae propemodum labefactatae sunt, nisi Deus Apostolorum cura ministerióq; vigilantissimo prospexisset. Testatur historia sacra Act. 15. testatur Paulus Galat. 3. & sequentibus, *Vsque hodie*, inquit Hieronymus, (Epist. ad August. cuius principium, Tres simul ep.) *per totas Orientis Synagogas inter Iudaeos haeresis est quae dicitur Minaeorum, & à Pharisaeis nunc vsque damnatur, quos vulgo Nazaraeos nuncupant; qui credunt in Christum filium Dei natum de Virgine Maria, & eum dicunt esse qui sub Pontio Pilato passus est & resurrexit, in quem & nos credimus. Sed dum volunt & Iudaei esse & Christiani, nec Iudaei sunt, nec Christiani.* Non alio ex fonte profluxerunt singulares aliquot controuersiae, quae horum importunitate, illorum inscientia, & omnium imprudentia priscam & orthodoxam Ecclesiam exercebant: cuiusmodi fuit illa de diei decimiquarti ad Pascha obseruatione, ex qua Τεσσαρεςκαιδεκατῖται, siue Quartadecimani dicti, qui suis decumanis fluctibus perdiu Ecclesiam diuexarunt. Hae autem dissertationes de Legalibus ceremoniis, exstincto iam olim ceremoniarum vsu extinctae sunt. Faxit Deus ille Pater, faxit Dominus Iesus Christus, gratiae & veritatis illius effector, quam Lex olim praesignificabat indictis ceremoniis, vt corpus illud sanctissimum, quod his temporibus vltimus redemit suo sanguine, veritatem & gratiam ipsius tanta fide colat, vt de ceremoniis abstineat dimicare, & membra Christi suáque ipsius propter humanas lacinias & ἐθελοθρησκείας desinat tandem conscindere.

De iudicialibus verò & politicis legibus, quae ad homines spectant & communem societatem ipsorum, non est aequè vetus in Ecclesia disputatio. Nam primis illis Ecclesiae Christi velut incunabulis, Imperatores & Reges Ethnici habenis reipub. praefuerunt, & Dynastas, Eparchos, ac Magistratus omneis sui generis, aut meritis ipsorum, aut fumo & gratia, aut quaestione legitima de eis habita (vt ab Alexandro Seuero narrat Lampridius factum) praefecerunt, per quos Christianis minimè licuit de ratione iudiciorum exercendorum laborare. Quapropter sanctissimi illi viri de eo quod ex vsu Ecclesiae esset pro conditione eius sollicitì, ad quaestionem hanc de vsu & auctoritate legum iudicialium Mosis animum non adiecerunt. Satagebant enim sapientissimè, vt sua pietas ad omnia vtilis Ecclesiae esset: non ad quaestiones superuacaneas, curiosas, aut communi bono aduersaturas euentu suo mentes piorum traduceret, aut per imprudentiam rapi alieno facto pateretur. O diuina pecto(f. 1478)ra! ô animos sapientissimos! ô prudentiam admirabilem! ô sobrietatem dignam, quam oculis ferant quicunq. ad opus Domini vocati sunt!

Postquam verò mutatus est status Reip. voluntate Dei, & Christiani Imperatores dati, hîc sensim ad Ecclesias irrepsit quaestio de iure Mosis politico, & obseruatione illius. Quo tempore sapientiss. illi & orthodoxi Patres hunc orbem sine grauiore strepitu (quod aiunt) circumagi videntes oportere, cùm à rerum secularium καὶ τῶν τοῦ βίου πραγματειῶν (vt appellat Paulus) sollicitudine abstinuerunt, tum Magistratibus ordinariis suam in dicendo iure ferendísq. legibus auctoritatem intactam reliquerunt. Siquid autem contra rectam rationem cernerent institutum, quam in natura & scriptura Deus explicauit, id aut sedatis modestísque monitionibus curauerunt corrigi, aut patienter (si quod ἕλκος χειρώνειον aut malum ἀδιορθωτὸν esset) pertulerunt, ne fortè

commune

commune bonum totum spe boni vnius commouerent. Id enim saepenumerò efficit hominum importunitas, vt dum malum vnum curare tentat, labefactet bonum reipub. interdum etiam vniuersum. Optimè statuebant illi rationem aeternam esse moderatricem & arbitram humanarum legum, quam quidem natura & Scriptura docent: huius verò aeternae rationis quamdam ἀποῤῥοὴν esse humanas leges, quae ratione singulari varient pro varietate rerum; salua manente, atque adeò praecipiente varietates illa aeterna lege. Cùm autem rerum humanarum nec cognitionem, nec procurationem sibi esse imperatam, neq. verò esse vtilem ad functionem suam animaduerterent: ideò circumclusi cancellis vocationis suae, auctoritatem iudiciúmque de ferendis legibus animo aequissimo iis permittebant, ad quos humana societatis humanae cognitio & procuratio pertinebat.

Hanc rationis communis & legis aeternae differentiam à particulari ratione & humanis legibus, quae temporariae sunt, Augustini verbis demonstrabimus; longioribus quidem illis, sed conducentibus maximè ad huius rei intelligentiam. Lib. 1. de libero arb. cap. 6. *Responde mihi, ait Augustinus, vtrum ista lex quae literis promulgatur, hominibus hanc vitam viuentibus opituletur? Cui Euodius, Manifestum est, inquit: nam ex his hominibus vtique populi ciuitatésque consistunt. Quid ipsi homines, inquit Augustinus, & populi? eiúsne generis rerum sunt, vt interire mutaríve non possint, aeterníque omnino sint; an verò mutabiles, temporibusque subiecti sunt? Euodius, Mutabile planè, inquit, atque tempori obnoxium hoc genus esse quis dubitet? Tum Augustinus, Ergo si populus sit bene moderatus & grauis, communísque vtilitatis diligentissimus custos, in quo vnusquisq. minoris rem priuatam quam publicam pendat; nónne rectè lex fertur, qua huic ipsi populo liceat creare sibi magistratus, per quos sua res, id est, publica administretur? Cui Euodius, Rectè prorsus. Hîc Augustinus, Porrò si paulatim deprauatus idem populus rem priuatam rei publicae praeferat, atque habeat venale suffragium, corruptúsque ab eis qui honores amant regimen in se flagitiosis consceleratísque committat, nonne item rectè, siquis tunc exstiterit vir bonus qui plurimum possit, adimat huic populo potestatem dandi honores, & in paucorum bonorum vel etiam vnius redigat arbitrium? Et id rectè, ait Euodius. Cùm ergo, Augustinus inquit, duae istae leges ita sibi videantur esse contrariae,* (f. 1479) *vt vna earum honorum dandorum populo tribuat potestatem, auferat altera; & cùm ista secunda ita lata sit, vt nullo modo ambae in vna ciuitate simul esse possint, num dicemus aliquam earum iniustam esse, & ferri minimè debuisse? Cui Euodius, nullo modo. Appellemus ergo, Augustinus inquit, istam legem (si placet) temporalem; quae quamuis iusta sit, commutari tamen per tempora iustè potest. Euodius annuens, Appellemus. Subijcit Augustinus, Quid? illa lex quae summa ratio nominatur, cui semper obtemperandum est, & per quam mali miseram, boni beatam vitam merentur, per quam deniq. illa, quam temporalem vocandam diximus, rectè fertur rectéq. mutatur, potestne cuipiam intelligenti non incommutabilis aeternáque videri? An potest aliquando iniustum esse, vt mali miseri, boni autem beati sint; aut vt modestus & grauis populus ipse sibi magistratus creet, dissolutus verò & nequam ista licentia careat? Euodius, video, inquit, hanc aeternam esse atque incommutabilem legem. Tum Augustinus, simul etiam te videre arbitror in ista temporali nihil esse iustum atque legitimum, quod non ex hac aeterna sibi homines deriuauerint. Nam si populus ille quodam tempore iustè honores dedit, quodam rursus iustè non dedit; haec vicissitudo temporalis, vt iusta esset, ex illa aeternitate tracta est: qua semper iustum est grauem populum honores dare, leuem non dare, an tibi aliter videtur? Assentior, ait Euodius. Vt igitur, Augustinus inquit, breuiter aeternae legis notionem quae impressa nobis est, quantum valeo, verbis explicem; ea est, qua iustum est vt omnia sint ordinatissima. Tu, si*

aliter

aliter existimas, prome. Cui Euodius, Quid tibi vera dicenti contradicam, non habeo. Concludit itaque Augustinus dicens, Cùm ergo haec sit vna lex, ex qua illae omnes temporales ad homines regendos variantur, num ideò ipsa variari vllo modo potest? Intelligo, ait Euodius, omnino non posse. Neq. n. vlla vis, vllus casus, vlla rerum labes vnquam effecerit, vt iustum non sit omnia esse ordinatissima.

Hactenus Augustini verba, quae certo consilio in locum istum intulimus, quòd & sententiam Patrum orthodoxorum continent euidentissimè, & omnibus ὀρθότατον κανόνα praebent de tota hac causa rectè & ratione certa iudicandi. Senserunt illi (vt verbis Lyrani vtar in cap. 3. epist. ad Rom.) moralia manere, quia sunt de lege naturae, quae est immutabilis: iudicialia verò exclusa esse, inquantum habebant vim obligandi in lege; etsi possunt de nouo institui in lege noua, quantum ad illa quae regimini Christianorum videntur accommoda. Ac propterea contenti rebus praesentibus, vetera Legis instituta non vrserunt, & contenti vocatione sua, in alienam minimè irruerunt: ne aut Iudaizare, aut tamquam futor ultra crepidam (quod aiunt) suis iudiciis excurrere temerè putarentur.

Etsi autem sanctissimi illi Patres, viri sapientissimi, praecepta illa iudicialia neq. absolutè esse publico necessaria, neq. ad se functionémque suam pertinere sermonibus, scriptis, exemplóque suo palàm demonstrarunt: tamen exstiterunt his vltimis temporibus homines zelo pietatis, veritatis, & iustitiae acti, qui eorum vsum in repub. Christiana redintegrari contenderunt oportere, & nos auctoritate diuina ad obseruationem eorum obligari. Quibus ex aduerso obnitentes alij, omnem promiscuè vsum & obseruationem eorum tollendam putant eadem religione, qua ceremonias praefigurantes Chri(f. 1480)stum oportet aboleri, & permanere abolitas. Vtrique zelum habent, quem laudo: sed scientiam ab vtrisque hac quidem in causa desidero; & multi boni accensi studio veritatis, charitatis, pacísque publicae mecum desiderant.

Atque hunc quidem laborem fuissemus libenter omissuri, si aut ratio publici nos siuisset quiescere, aut bonorum virorum postulatio; qui hoc officium à nobis, imperitiorum, & sua, & omnium causa aliquoties exegerunt. His recusare nos operam nostram religio fuit. Nos ad publicum iuuandum vocati sumus rerum argumento, & scriptorum modo: quam rem voluisse etiam non assecutis, abundè pulcrum atq. magnificum est. *Etenim ita sentio* (vt cum Plinio dicam Praefat. natur. hist.) *peculiarem in studijs causam eorum esse, qui difficultatibus victis vtilitatem iuuandi gratiae placendi praetulerunt*, & res vtiles vt dicerent vtiliter, operam suam consumpserunt.

Quid ergo? dixerit quispiam, nónne te & Patrum illorum sanctissimorum exemplis, quos antè dixisti, & Iurisprudentium ac Magistratuum piorum auctoritate potiùs deterreri oportuit ab hoc argumento iam instituendo, quàm huc adduci importunis aliorum postulatis, ac fortè imprudentium?

Equidem non sum nescius eorum cancellorum, quos functioni huic meae circumposuit Deus; non exemplorum, quae orthodoxi Patres in Ecclesia Dei praebuerunt; non auctoritatis, quam in hac re Prudentibus iuris & iusto Magistratui attribuit Deus, & ab audacibus gladiatorísq. animis vindicaturus est. Sed tamen in hac quaestione aliquas etiam partes nostras esse (opinor) iudicaturi sunt, quicunque naturam, modúmque, & finem illius trutina iusta expenderint. Etenim quaestionis huius natura est, vt partem sui communem habeat, partémque singularem. Ita se habet ipsius modus, vt partem regularum eius describat Theologus, auctoritatem & coactionem Magistratus parti earum admoueat: Finem denique Theologus proponit sibi communionem sanctorum, & vniuscuiusque in communione hac conscientiam; Magistratus, societatem humanam ordinémque in societate hac pernecessarium. De illis Theologum silere qui iubet, Theologiam abdicat: de his siqui Theologus laborat, seipsum perdit,

perdit, & grauissimam iniuriam facit Deo vocanti, Ecclesiae, cuius causa vocatus est, & vocationi suae διὰ τῆς πολυπραγμοσύνης καὶ ἀλλοτριοπραγίας, ἢ φιλοτιμίας ἀκαίρου. Sunt quos iuuat δεκασμὸς impudens, nunquam subducturos ab eo manum, nisi crura (vt aiebat Tullius) frangantur ipsis: quos homines, vt noxiae par poena sit (quod olim XII. cauebatur) otio perpetuo damnari velim. Sed an propterea viros bonos, vocatione instructos, & in ea sese religiosè continentes, ab officio suo aequum fuerit absistere? an dissimulare ea, quae in communione sanctorum proferri à seruis suis mandauit Deus? an naturam, modum, finémque negligi cum vocatione sacra coniunctissimum? an infirmarum conscientiarum (vt appellantur vulgò) negligi tranquillationem?

Ac naturam quidem communem partim, partímq. singularem diximus esse quaestionis huius: quia cùm ad omnes homines communiter, quà homines, & ad omneis eos qui praesunt, quà ad munus publicum sunt vocati, pertinet: (f. 1482) tum verò singularem quamdam rationem habet, quia haec ad politicum, illa ad Theologum pertinent singulariter. Etenim secundùm principia & rationem communem omnium, siue naturaliter in vnoquoque, siue gratiosè in sanctis & piis informatam, haec quaestio & cognitio eius ad omneis pertinet aliquo modo: nemo homo est in vulgo, in Ecclesia, nedum in iis qui praesunt, siue Iuriscoss. siue Theologis, quem non his principiis, hac ratione imbutum esse oporteat. Singulos nostrum decet cor hominis, non elephanti corium; vt communes illas notiones sentiant, ac non stupeant ἀναίσθητοι. Haec principia si nescit Theologus, quomodo ex eis conclusiones doceat? Haec communione naturae omnib. hominibus sunt inter ipsos communia.

Inter eos verò qui praesunt, aliquid amplius commune est. Nam ex principiis illis notionibúsque communibus omnium certâ scientiâ conclusiones generales specialésque ab vtrisque opus est confici; supra quàm à vulgo, secundùm auctoritatem ipsorum, ad commune societatis humanae bonum. Itaque & Magistratum prudentésque iuris plus in his rebus quàm vulgus conuenit cernere, ad politici ordinis institutum; & seruum Dei, ad vsum sacri ordinis & institutionem conscientiae.

Verumtamen haec ipsa, vtcunq. sint τῶν προεστώτων communia, suis repagulis à Deo prouidentissimè fuerunt circumclusa, & discreta terminis: quos quisquis mouet temerè, de publico meretur pessimè. Quid enim? terminum priuati agri qui mouerit, hunc ferit Dominus maledictione: Deut. 27. 17. ecquis Enceladus Ætnaeos ignes maledictionis illius, si commoueat publicum, queat effugere? Attendant, obsecro, quicunque vtramuis paginam in rationibus societatis humanae faciunt, ad hos cancellos vocationis suae. Sunt enim sui hominum societati, quam Magistratus regunt; sunt & sui communioni sanctorum, quam serui Dei praeeuntes pascunt, à Deo optimè constituti.

Magistratus ex principiis naturalibus scientia politica conclusiones generales & speciales conficiunt, & determinationes singulares disponunt ad societatem ordinémque humanum accommodas, secundùm rationem aeternae legis in natura hominis adumbratam. Theologi & serui Dei quotquot sunt, principiis naturalibus scientia diuinitus inspirata conclusiones generales & speciales superstruunt, & à determinationibus singularibus ad societatem ordinémq. humanum accommodatis (quae alterius fori & cognitionis sunt) abstinentes, societatem sanctorum & conscientiam cuiusque in ea communione colunt determinationibus spiritualibus, secundùm rationem aeternae legis in verbo Dei & sacra Scriptura informatam. His cancellis, opinor, tota natura harum administrationum ab illis ita secluditur disterminatúrque, vt mirari satis non possint homines hac memoria nostra existere, quos ex hac administratione in illam, & ex hac disciplina in illam, quasi desultorios in quadrigarum curriculum, non pudeat incurrere.

De

De natura functionum diximus, de modo videamus. Duplex igitur est in his functionibus praestandis modus: communis vnus, & singularis alter. Nam etsi regula naturae omnibus ho(f. 1482)minibus, regula gratiae omnibus piis est indita ad informationem ipsorum; tamen eos constat qui functiones publicas obeunt priuatis antestare: tum quia omnium legum, quasi regulae publicae, ac non priuatae solùm, custodes & administri sunt; tum quia sua accedit προεςῶσιν omnibus ad commendationem regulae, quam aliis praestituunt, auctoritas. Atque haec quidem secundùm naturam functionis suae communia sunt vtrique hominum generi, qui in politia, & Ecclesia praesunt: nam & regulam publico exhibent, & auctoritatem adiunctam habent. Sua est Magistratui iusta auctoritas, sua ministerio, in iis rebus quas antè circumscripsimus.

Sed tamen singularis est vtrique ordini ratio, modúsque & imponendae regulae, & auctoritatis exercendae. Nam regulam ponit Magistratus in rebus humanis suam, de suo, & auctoritate sua; Theologus verò & verbi administer quisquis est, nec suam, nec de suo, nec auctoritate sua fert legem; sed diuinam, de verbo Dei ipsius; & auctoritate Dei, cuius interpres solùm ac nuncius appellatur. Magistratus vim regulae & auctoritatis suae cogendo firmat: hic affirmat docendo, & vim cogentem in rebus sacris ac diuinis vindicat soli Deo. Haec in regulis & auctoritate earum dispescenda planè sunt singularia: quae si Magistratus negligit, pessundat hominum societatem: sin arrogat Theologus aut administer Christi, is aut seruus nequam, aut praedo in grege Domini atque tyrannus est.

Quaecunque autem de natura administrationis vtriusque, & de modo diximus, eo maximè confirmantur, quòd finem habent quàm diuersissimum. Est enim finis iste Magistratui propositus, vt societati humanae & communi bono consulat secundùm hominem in rebus terrenis & temporalibus; Theologo autem ille, vt societati piorum, quam communionem sanctorum dicimus, & saluti consulat in rebus caelestibus & aeternis secundùm Deum. Secundùm hunc vtrumque finem inde à principio fuit in his administrationibus seorsim natura & ratio sapientissimè à Deo instituta.

Etsi in his ipsis administrationum finibus aliquid est vtrisque commune, & diligenter ab omnibus obseruandum. Nam Magistratus suo ordine politico ad portum salutis aeternae societatem suam adspirantem iuuat; & Minister Ecclesiastico, per fretum societatis humanae, opémque Magistratus boni: Magistratus in hac vita regit, Minister per hanc ad illam dirigit. Hinc fit, vt multarum quoq. actionum aliqua sit inter hos ordines communicatio, non autem (vt ἀβδηρολόγοι & ambitiosi putant) confusio. Quid enim confusioni cum ordine? quid luci cum tenebris? Ordinem vnum altero iuuari volo, non perimi: vtrumque seruari, non perdi: cupio vt sua cuique natura, suus modus, & sui fines con(f. 1484)stent contra imprudentiam & improbitatem hominum temerè in alto ludentium, tamquam si in portu agerent.

Hoc autem opus commune est Iuriscoss. & nostrum: illorum, vt ordini publico consulant; nostrum, vt conscientiae: quorum vtrumque agitur in hoc argumento. Curemus aequam vtrique partem, & in commune, quod expedit communi adferamus. Ego prior scribere institui, non fortè rogatus prior; sed tamen à bonis etiam rogatus qui iuri dant operam. secundas operas (spero) praestabunt illi, & quod à me pressius dictum est, forte etiam minus populariter; id illi meo exemplo adducti amplius & commodius declarabunt. Ego me illis fauere & fauturum esse pronuncio ex animo, qui commoditati publicae in hac causa amplius feliciúsque prospexerint, adducti exemplo & adiuti, si fortè, opella mea. Neque enim praescribere Iuriscoss. & magistratui cogito; sed meam sententiam in hac communi causa postulantibus perscribere; suas conclusiones & determinationes politicas, quae iuris humani sunt, intactas relinquendo,

quendo, & conclusiones diuinas, quae iuris diuini ex sacra Scriptura sunt, conscientiis laborantibus, aut minùs certis exponendo.

Argumentum graue, difficile, periculosum, anceps; at necessarium: quo & priuatorum conscientiae conquiescant, & qui publica auctoritate sunt, munera vocationis suae bona fide certiùs exsequantur: Quemadmodum profecto omneis eos confido facturos, qui ex veris principiis conclusiones vtiles & necessarias secundùm rationem rectam in suo genere, & ex conclusionibus determinationes secundùm modum constitutionémque rerum confici videbunt oportere.

Hoc verò argumentum, Illustres Ordines, quia & res attingit politicas, quarum in his partibus curam felicissimè sustinetis, & ad fulciendas piorum conscientias omnino pertinet; vt qui praesunt bona conscientia praeesse; & qui obsequuntur, eadem conscientia obsequi & parêre possint: V. A. visum est προσφωνεῖν, & sapientissimo iudicio vestro totum permittere. Quod si (vt spero) probabitis, hoc scriptum non tamquam operis mei, sed tamquam muneris vestri in publico exstare cupio: quo & vestra fides in rei huius publicae procuratione, quoad eius fieri potest, illustretur, & mea ipsius erga pium quemlibet Magistratum, ac praesertim erga V. A. religio in omnem posteritatem fiat quàm spectatissima. Illustres Ordines, Deum Opt. Max. Patrem Domini nostri Iesu Christi oro, vos gratia caelesti sua seruet incolumes, consilijs praesit, actionibus benedicat, & regionis huius ciuitatibus singulis veritatem cum iustitia & sanctimonia Reíq; toti publicae felicitatem sub vestro praesidio largiatur quàm diutissimè. Lugduno Bataua IIII. Idus Octobres CIↃ. IↃ. XCIII.

THESES

THESES THEOLOGICÆ

DE

LEGIBVS MOSIS IVDICIALIBVS

ET

EARVM OBSERVATIONE.

THESIS I.

LEX *est rationis ordinatio ad commune bonum, ab eo qui curam communitatis habet, instituta.*

II.

Haec aut est aeterna, puta conceptus immutabilis formáque; rationes in Deo principe vniuersitatis existens ante omnia tempora, aut informata & tradita in tempore.

III.

Quae in tempore, aut lex naturalis est, aut natura aueniens.

IIII.

LEX *naturalis est, quae innata creaturis ratione praeditis, informat eas notionibus naturae communibus, id est, principijs & conclusionibus aliqua participatione adumbrantibus aeternam legem.*

V.

Quae naturae aduenit, ea adnascitur, aut infunditur: hanc diuinam, illam humanam legem appellamus.

VI.

LEX *diuina est, quae inspirata à* DEO *& infusa rationalibus creaturis informat eas notionibus communibus & singularibus supra naturam, ad finem supernaturalem supernaturali ductu transmittendas.*

VII.

LEX *humana est, quam ferunt homines ratione procedentes ab illis legibus, tum ad communes conclusiones iustas, honestas, utiles, & necessarias, tum ad particulares*

lares

lares determinationes conditioni personarum quarum bono fertur, rerum negotiorúmve de quibus fertur, & circumstantiarum quae eis accidunt accommodas.

VIII.

Harum legum perfectum exemplum est in lege Mosis. Nam legem naturalem praeceptis moralibus, diuinam ceremonialibus adiunctis ad documenta gratiae, humanam politicis & iudicialibus declarauit.

IX.

De *naturali & diuina lege inter bonos & pios conuenit: quarum neutram potest oppugnare quisquam sine indignissima in Deum, naturam, omnes, adeóque seipsum iniuria.*

X.

De *humana lege & iudicialibus praeceptis Mosis variant sententiae: quia iudicijs humanis contemperata sunt; humana autem iudicia neque ex communibus principijs conclusiones, neque ex conditionibus particularibus singulas determinationes iustas, omnes, omnino, omni tempore ad omnia possunt conficere, aut alios conficientes animaduertere* (f. 1485).

XI.

Ac iudicialia quidem praecepta Mosis principio siue auctore diuina sunt: sed quae dicuntur de humanis legibus, pleraque ad Mosis iudiciales pertinent, quia has quidem tulit ipse Deus, sed ita vt tamen modo humano sint.

XII.

Etenim omnes hae leges partem sui immutabilem obtinent, partémque mutabilem; illam semper, hanc interdum secundum personas, negotia, & circumstantias eos qui subsunt obligantem.

XIII.

Inmutabile est, quicquid ratione certa ordinatum est ad commune bonum ab eo cuius est auctoritas, secundum formam rationis illius aeternae, quam adumbrauit in natura, aut in verbo expressit Deus.

XIIII.

Id tribus modis cognoscimus, principio, obiecto, & fine illius.

XV.

Principio vel fundamento secundum formam rationis aeternae est ordinatum, quicquid ex principijs à natura inditis aut à Deo reuelatis purè concluditur: vt Deut. 22. *quum aedificabis donum nouam (nimirum ex vsu Syriae) tum facies loricationem ad tectum tuum, vt reatum sauguinis non imponas domui tuae.*

XVI.

Obiecto sic ordinatum est, quicquid ad iustum legitimúmque obiectum actionis lege imperatae respicit: vt Deut. 24. *ne afficiuntor morte patres pro filijs, nec filij pro patribus afficiuntor morte.*

XVII.

Fine sic ordinatum est, quicquid ad sanctum iustúmque finem secundum eamdem aeternam rationem, velut catholicam regulam, contendit: vt Deut. 19. *vnicus testis in quemquam ne surgito pro iniquitate vlla, aut pro peccato vllo: nam finis est, vt vitae humanae habeatur ratio diligentissimè, nec vnquam nisi certo exploratóque iudicio cuiquam adimatur.*

XVIII.

His tribus momentis expenditur species legum, vtrum bonae sint nec ne: & censentur bonae, quae tria haec coniunctim obtinent; malae, quae destituuntur vel vno iliorum

illorum. Sunt enim hae conclusiones iustae, honestae, vtiles, & necessariae, ex principijs certis & immotis ſactae, & leges harum immutabiles

XIX.

Mutabilia sunt caetera in humanis legibus, & conditionem mutationis implexam habent, duabus de caussis. Nam & ratio praecipientis leges interdum variat, & modus eorum ad quae respiciant leges (f. 1486).

XX.

At ratio quidem hominis ferentis legem cum ratione proficit, praeter rationem deficit. Quapropter si legislator in conscientia aeternae legis, aut in cognitione eorum ad quae respiciunt leges profecerit, legem mutare potest, si euidens erit vtilitas, propter quam recedatur ab eo iure quod diu aequum visum est. Sed haec caussa nihil attinet ad legem Mosis, cuius auctor & sancitor Deus.

XXI.

Modus verò eorum ad quae respiciunt leges, semper mutabilis est, & mutatur plurimum: ac propterea leges quae de eis ordinant, mutari possunt ad commune bonum, & plerumque mutari necesse est.

XXII.

Mutabiles itaque sunt in lege Mosis particulares illae determinationes, ad quas ex immotis principiis communibúsque conclusionibus proceditur secundum modum & conditionem eorum quae subsunt ordinationi legis.

XXIII.

Subsunt autem ordinationi legis personae, res, (quibus actiones complectimur) & circumstantiae: quarum conditioni ius accommodatur lege, fiuntque determinationes iubendo vetandóque, munerando & puniendo, atque permittendo.

XXIIII.

Vt autem modus & conditio eorum quae subsunt legi, sic ius determinationum duplex: commune, & singulare.

XXV.

Communis modus & conditio personarum est, quà considerantur vt homines in rerum natura ex communi & humana lege: singularis, quà considerantur vt Iudaei, vocati in fedus, promissiones, veritatem, ordinem, & signa gratiae.

XXVI.

Communis rerum modus, prout communiter sunt in vsu hominum atque occupantur: singularis, prout ad singularem praeterea federis, promissionum, veritatis, ordinis, federatorúmque vsum aut significationem adhibentur ex institutione Dei.

XXVII.

Itidem circumstantiarum: quibus personae & res quasi vestiuntur pro conditione ipsarum reali (vt vocant) aut instituto gratiae.

XXVIII.

De his ergo omnibus determinationes fiunt, cùm humanis legibus ex communi aut singulari iure, tum legibus Mosis; communiter pro naturae modo, & particulariter ex instituto gratiae mutabiles.

XXIX.

Ac Mosis quidem leges quaecunque iuris communis sunt, aut ratione communi obligant,

obligant, aut analogia: quapropter aut ipsas leges seruari opus est, aut earum analogiam; vt de suis legibus Iurecoss. praecepere.

XXX.

Sed haec analogia in circumstantijs solùm mutabilis est, in fundamento rationis vel substantia mi(f. 1487)*nimè. Proinde qui iure communi ciuiliter ex lege Mosis reus mortis est, idem reus mortis hoc tempore habendus est: nam vnica est iustitiae ratio & immutabilis. Circumstantiae verò, vt in factis, sic in iure variant quam plurimùm, quadam rationis analogia.*

XXXI.

Quaecunque verò leges iuris particularis sunt, in ritibus ac ceremonijs positae, omnes fuerunt mutabiles: pleraeque iam mutatae sunt, non modò in circumstantiis, sed etiam re ipsa; praesertim quaecunque ad vmbram futurorum fuerant institutae. Nam rectè olim Scholastici, praecepta Mosis iudicialia esse mortua, ceremonialia haec mortifera.

XXXII.

Sunt autem ceremonialia aut specie substantiáque, aut circumstantijs. Specie; si principio, obiecto aut fine typico vel ceremoniali fundatae sunt. Circumstantijs, si alia insuper accidentia ceremonijs applicantur.

XXXIII.

Principio ceremoniale est, vt Leuit. 25. *Terra ne venditor lege mancipij. Obiecto, vt Exod.* 20. *Altare terreum facito mihi (quod ambulatoriae fuit Reip. Israelitarum) & quaecunque Exod.* 25. *& sequentibus imperantur. Fine, vt Exod.* 13. *Sanctifica mihi primogenitum, & sexcenta alia.*

XXXIIII.

De circumstantijs ceremonialibus iudicium idem: siue ad speciem ipsam ceremonialem accidant, siue ipsae per se constituant speciem ceremoniae: vt cùm dicitur, Non facies vllum opus in die Sabbathi.

XXXV.

Sed plurima in eis praecepta sunt, quae compositam quandam ex morali, & ceremoniali iure rationem habent promiscuè, ac non vnius sunt duntaxat generis.

XXXVI.

In his autem quae mixti sunt generis, quòd morale est permanet: quod absolutè iudiciale, mutatur circumstantijs: quod ceremoniale, vniuerse perit. Cuiusmodi sunt obseruatio diei Sabbathi. Exod. 20. *Lex de homicidarum receptu in vrbes perfugij, Num.* 35. *Purgatio de homicidio cuius incertus auctor, Deut.* 21. *& similia.*

XXXVII.

Atque in hunc modum pleraeque se habent leges Mosis iudiciariae: quae tum ius politicum naturae commune & singulare gentis participant, tum ceremoniale ab instituto gratiae. Has autem nec rectè intelligimus, nisi τὸ ἠθικὸν ἀπὸ τοῦ τυπικοῦ distinguamus, nec quisquam earum obseruationem strictam hoc tempore cum ratione potest exigere.

XXXVIII.

Nam pars earum (vt ita dicamus) mortalis est, atque mutabilis, pars mortua, & pars mortifera. Qui autem figit mutabiles aut mortuas pro absolutè necessarijs, libertatem; qui mortiferas, vitam mentibus Christianis, quantum quidem in ipso est, è medio tollit.

D E

DE

LEGIBVS MOSIS IVDICIALIBVS

ET

EARVM OBSERUATIONE.

CAPVT I.

De iusta Legis definitione & diuisione.

Chrysippvs olim de lege dicturus, dignitatem summam, vtilitatem, necessitatémque illius his verbis legitur descripsisse: Lex est omnium rerum diuinarum humanarúmque regina, quam praesidem oportet esse & bonis & malis, principémque ac ducem, ac proinde regulam esse iustorum & iniustorum, eorum causa animantium datam quae à natura politica sunt & societatem cum ratione colunt, praecipientem ea quae oportet fieri, quae verò facienda non sunt prohibentem. Haec descriptio Legis, secundùm naturam à Chrysippo & aliis consimiliter, aut in eamdem sententiam tradita: qua lege mortales quique inde à principio ad certum ordinem in societate humana seruandum adducti sunt: prout dignitatem, vtilitatem, necessitatémque illius agnouerunt natura duce, & teste experientia. Cùm autem salutaris Dei gratia hominibus illuxerit, ex qua Christiani dicimur & sumus; quo plus veritatis & perfectionis legi illius gratiae Iesus Christus seruator noster attulit, eo plus dignitatis, vtilitatis, & necessitatis animaduerti à nobis opus est in officio nostro: non solùm qua homines sumus, socialis vitae & communicationis participes secundùm naturam; verùm etiam, & quidem maximè, qua Christiani sumus, adsciti ad communionem & consortium caelestis vitae secundùm gratiam hîc in terris colendum atque obseruandum. Quemadmodum enim eo quòd Christiani fimus, non desinimus homines esse, sed homines Christiani sumus: ita etiam statuendum nobis est, eo quòd Christianis legibus tenemur, non continuò nos humanis legibus solutos esse. Nam gratia naturam perficit, non autem abolet: Ac propterea leges quibus natura ipsa continetur, instauratúrque, restituit amissas, corruptas instaurat, & tradit incognitas. Itaque de sanctissimo hoc vtilissimóque argumento dicturi quantum ex ratione Theologica ad tranquillandas hominum conscientias opus videtur fore, vt intelligatur quid sit id de quo agitur, à definitione Legis primùm instituemus sermonem nostrum: deinde verò distinctis generibus

generibus eius quàm breuissimè fieri poterit, ad singulare illud genus, cuius causa hic labor susceptus est, declarandum & determinandum veniemus.

Legem igitur secundùm communem quandam & analogicam rationem definiemus in hunc modum:

Thes. I. LEX *est rationis ordinatio ad commune bonum, ab eo qui curam communitatis habet, instituta.*

Sunt quidem aliae definitiones à viris doctissimis iam olim profectae: cuius modi illa Stoicorum est: Legem esse **λόγον ὀρθὸν, προστακτικὸν μὲν τῶν ποιητέων, ἀπαγορευτικὸν δὲ τῶν οὐ ποιητέων**, id est, *rationem rectam, qua iubet ea quae facienda sunt, prohibétque contraria.* Et horum vestigia secutus Cicero *De legib.* I. *Rationem summam* esse dicit, *insitam in natura, quae iubet eà quae facienda sunt, prohibétque contraria*: angustiorem hoc pacto faciens definitionem illam quam olim Stoici tradiderant. Sed, quia (f. 1491) per causas res definiuntur euidentissimè, definitionem illam aliis praetulimus: praesertim cùm definitiones quaecunque adferuntur fermè (quod vitiosum est) angustiores sint eo quod definiendum à nobis hoc loco suscipitur.

In hac igitur definitione, pro eo quod alij rectam rationem appellant Legem, quae enunciatio figuratè dicitur, maluimus distinctè Genus & differentiam Legis exprimere, dicentes, *ordinationem esse rationis.* Nam Genus est *ordinatio*, quae est actus **πρός τι**, id est, relationem perpetuam ac necessariam ostendens inter ordinantem & eos qui ordinationi subsunt. Differentia verò ad legis naturam & speciem determinandam pertinens *rationis* voce exponitur. Nam aliae quidem sunt ordinationes tum à natura, tum à voluntate & appetitu rerum creatarum inuectae: sed, quaecunque rationis est ordinatio ita temperata, vt ratio ordinantis afficiat rationem eorum qui subsunt, & horum vicissim ratio à ratione ordinantis pendeat, ea demùm lex verò appellanda est: quaecunque aliter fiunt, eae non leges, sed instituta dicendae sunt, nisi quis fortè *ὁμωνύμως* vel aequiuocè loqui voluerit. Ac proinde ad iustam legis informationem genus quidem instituit ordinatio, speciem verò illius propriam ac necessariam triplex constituit modus ad differentiam legis omninò pertinens: nempe ratio ordinantis, ratio eorum qui ordinatione aguntur, & ratio ipsa ordinationis inter vtrosque interueniens si quid desit, lex impropriè appellatur. Iam verò quia res ipsa adhibita causarum enumeratione faciliùs intelligitur, & omnes dubitationis causas omnino amotura est causarum enarratio: videamus paucis quaenam illae sint in hac nostra definitione legis. Materiam legis ergo appellamus *rationem* vt subiectum, & totum rationis opus in distinctione iusti & iniusti positum, quod opus inter superiores qui praesunt, & inferiores qui subsunt, intercedit. Nam etsi lex, quà actus est, voluntati propriè tribuitur, quia actus à voluntate sunt: tamen cùm actus hic à ratione sit principatum in voluntatem ipsam obtinente, omninò aequius est principi rationi hunc actum tribui quam voluntati administrae eius. Forma verò istius actus dicitur *ordinatio*, quia relatorum omnium ea natura est, vt relatio ipsa inter duos terminos relatos interueniens constituat eius rei formam quae agitur.

Efficientem causam his verbis expressimus: *ab eo qui curam communitatis habet instituta.* Nam si quis, ad quem non pertinet cura communitatis, ordinare de ea voluerit, ineptè **σκιαμαχήσας** operam frustrà consumpturus est. Curam communitatis inesse ei necesse est, non solùm studio, verùm etiam vocatione & auctoritate iusta, qui de communitate instituit ordinare: siue ipsa sit vniuersa multitudo in communitate comprehensa, sive publica persona totius communitatis curam habens vocatione legitima.

Finis est, *Commune bonum.* Nam etsi lex de rebus singularibus etiam ordinat, tamen singulares ipsae ordina(f. 1492)tiones legum ad bonum commune pertinent, tum quia particulare bonum ad commune, tamquam ad iustum finem suum, oportet contendere,

contendere, tum verò quia natura ipsa constanter docet omnes partes vnius corporis ad totum ordinari, & vnius partis rationem seorsim constitutam re ipsa imperfectam esse, donec ad rationem totius, cuius pars illa est, reuocetur.

Atque haec quidem definitio legis propriè simplicitérque de omni lege enunciatur, quae in rebus creatis vnquam instituta est, aut porrò institui potest: sed tamen quia hoc ipsum legis nomen de summa illa ratione diuinae sapientae mouentis & dirigentis omnia ad finem iustum praedicari solet, eodem quoque modo legis definitio haec de illa summa ratione vel ordinatione communiter intelligenda est. Dicitur autem lex illa analogicè, ac non tamquam ὁμογενὴς, id est, vnius generis cum legibus nostris: ergo definitionem quoque legis, quam modò asseruimus, sie analogicè oportet accipi, vt qua haec dicuntur de Deo, intelligantur θεοπρεπῶς, & prout de Deo capi à nobis possunt, qua autem de creatis rebus enunciata sunt, propriè intelligantur.

In hunc modum, vt definitio Legis, sic diuisio illa prima accipienda est, qua vsi sumus dicentes,

Legem *aut aeternam esse*, *aut informatam & traditam in tempore.*

Etenim hae duae species non sunt vnius generis propriè, sed analogicè tantùm ad vnum velut commune caput referuntur, quamuis toto genere differentes. Quapropter etiam in hac diuisione (quod genus Logici ἀφ᾽ ἑνὸς πρὸς ἕν appellarunt) tum τὸ φύσει πρότερον καὶ ὕςερον, tum etiam τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον obseruatur. Lex enim aeterna & natura sua prior est, & omnem Legis naturalis ac humanae modum omnino superat infinita virtute sua.

Legem aeternam Dei hoc modo definimus: esse *conceptum immutabilem formámque rationis in Deo principe vniuersitatis existentem ante omnia tempora*, nimirum ad commune bonum, prout in communi definitione fuerat antè propositum. Quibus verbis Legem illam aeternam supra naturam legum aliarum omnium (vt modò diximus) asserimus. Num vbi *conceptum immutabilem firmámque rationis* legem aeternam appellamus, purum putum actum esse demonstramus: quemadmodùm Deus ἁπλῆ ἐνέργεια est, à quo tamquam vniuersali principio res omnes vniuersae pendent. Cùm autem formam illam rationis à Deo & in Deo conceptam esse ad commune bonum dicimus, manifestò legem aeternam Dei à ratione reliqua diuinae sapientiae erga res creatas agentis & occupantis sese distinguimus. Nam ratio diuinae illius sapientiae, quae in rebus creatis agendis, mouendis, & sustentandis emicat, ea in rebus omnibus omni tempore occupatur: Sed de ea solùm ratione diuinae sapientiae hoc loco agitur, quae homines ratione praeditos instituit in perceptione ipsius, vt ea percepta ad obsequium iustum, faciendis iustis, contraríisque fugiendis, adducantur communis boni contemplatione, in quo etiam priuatum (vt antè perstrinximus) & particulare situm. Quapropter optimo iure huic legi laus illa asserenda est, quam humanitus de lege Chrysippus praedicauerat, Hanc reginam esse, praesidem, principémque, & iustorum iniustorúmque regulam, cui politicas animantes & sociales omnes opus sit conformari. Haec enim per se regula est, non autem dono, communicatione, aut participatione aliena: Haec aeterna atque diuina est, eóque principium vniuersale: & exemplar regularum aliarum omnium: haec immutabilis, ac proinde (vt cum Scholasticis loquamur) nunquam ab alia vlla lege regulatur. Regulam enim aliis omnibus adhibet constantissimam, ipsa vna & eadem indesinenter permanens, non alia hîc, & alia alibi, nec alias aliter (vt Augustinus loquitur) sed aeternitatem suam veritatémque immutabilem in Deo supra res omnes regulásque asserens & omni mutatione atque interitu. Enimuerò cur non habeatur aeterna & immutabilis regula regularum omnium, cùm nihil aliud sit lex ista, quàm ipsissima Dei sapientia, rationem iusti & iniusti in rebus creatis ad imaginem ipsius determinans?

Ex hac igitur immota & constante regula, quae essentialis est maiestatis diuinae illius: per communicationem & participationem quandam aliae omnes regulae, & ab hac (vt ita dicamus) regulatae in rebus (f. 1493) creatis extiterunt, aliae tacito quodam modo atque instinctu informatae, aliae verò traditae aperta quadam, siue Dei, siue eorum penes quos fuit auctoritas testificatione: Ac proinde haec vna aeterna dicitur, illae in tempore extitisse, de quibus iam dicturi sumus.

Thes. 3. Earum legum *quae in tempore* extiterunt, haec prima diuisio, secundum principia vnde profectae sunt: quòd *lex alia naturalis est*, *alia naturae adueniens:* quia in rebus creatis quicquid est, illud omninò aut principium internum à natura habet in ipsis, aut ipsis aduenit foris à principio aliquo externo agente ipsa, atque in ipsis operante, quicquid est, aut innatum esse, aut aduentitium illud necesse est: nihil in rebus humanis extra has duas principiorum sedes ne excogitari quidem ab vllo potest. Ac proinde cùm lex omnino insit rebus creatis ad imaginem Dei, eam aut innatam esse, aut superuenire naturae huic necesse est: extra distinctionem hanc nihil adinueniri verè aut confingi potest.

Lex naturalis siue ingenita sic definitur à nobis, vt communem illam & analogicam definitionem legis in principio positam necessariò coniungi oporteat: quia generalis est definitio illa, & communiter ad singulas species legum quae adferri possunt ex aequo pertinens. Singularia verò, quaecunque ad legis naturalis definitionem sunt opus, qua naturalis est, expressimus in hunc modum.

Thes. 4. Lex *naturalis est, quae innata creaturis ratione praeditis informat eas notionibus naturae communibus, id est, principiis & conclusionibus aliqua participatione adumbrantibus aeternam legem.* Manent quidem illa constanter, velut ad legem naturalem hanc quoque pertinentia, quae in summa illa definitione posuimus. Nam materiale est iustum & iniustum ad rationem pertinens; forma in ordinatione consistit: causa efficiens Deus est naturae auctor, ad quem vniuersitatis huius, inprimis autem hominum cura pertinet, Finis denique commune bonum est. Sed in speciali hac circumscriptione tria sunt singularia, quae in lege naturali cupimus obseruari diligentissimè. Ea sunt principium, quòd *innata* dicitur *creaturis ratione praeditis:* actio, quòd eas creaturas *informare notionibus naturae communibus:* & modus legis illius actionúmque puta, quòd *aliqua participatione adumbrant aeternam legem.*

Ac de principio quidem singulari & proximo, quia apud omnes constat, non sumus plura dicturi: modò id vnum obseruent singuli, aliud esse si de communi vel vniuersali principio agitur, de quo in communi definitione diximus (id autem Deus est) aliud si de principio singulari internóque in nobis, quod naturam appellamus, vel potiùs vnoquoque nostrum.

Opus verò actióque naturalis istius legis etsi ab omnibus promiscuè enunciatur, tamen non aequè ab omnibus omni tempore percepta est. Cùm enim naturae duplex ratio in scripturis ostendatur, vna integrae, in qua primi parentes fuerunt conditi, altera deprauatae, in quam iidem lapsi sunt, & nos successimus: non dubium est, quin aliusmodi fuerit in natura integra informatio naturalis & notiones communes illius, atque nunc in hac corrupta est. Verumtamen quia nihil iam ad rem praesentem attinet de primigeniae illius naturae atque incorruptae lege & informatione dispicere, omissa distinctione illa, agedùm communiter de isto naturae opere videamus.

Notionum ergo communium (quas Philosophi veteres κοινὰς ἐννοίας siue προλήψεις appellabant) duo sunt genera: vnum, de fine ad quem agimur naturali lege, alterum, de iis quae ad finem eundem pertinent. Finis autem rationis illius practicae, in iusto & iniusto positae, proprius est bonum, ac proinde legis naturalis primum & summum praeceptum est, bonum, velut finem naturae, prosequendum & faciendum esse, auersandum

auersandum malum. Notiones verò ad finem illum pertinentes trium sunt generum, prout triplex est ordo inclinationum à natura in nobis dispositus. Harum enim aliae vniuersales sunt, quibus substantia quaelibet fertur ad bonum secundùm naturam, ad sui conseruationem adhibens quae sunt commoda, & depellens contraria conseruationi ipsius, aliae communes animantium, quas natura omnia animalia docuit, vt propagationi & conseruationi suae speciei singula inseruiant, cuiusmodi sunt coniunctio maris & faeminae, liberorum educatio, & similia multa, aliae denique particulares hominis, secundùm naturam rationis, qua animantibus cae(f. 1493)teris antecellit; quibus homo tum ad scientiam cognitionémve Dei & rerum omnium, tum ad vitam instituendam natura duce inclinat, vt assequatur bonum. His ergo inclinationibus ne caecus quodammodo homo raperetur, notiones quoque naturae communes adiecit Deus, & in hominibus singulis impressit, quae lex esset homini ad res illas naturaliter inclinanti: vt homo, tanquam substantia vna indiuidua, de suo esse (vt ita loquamur) dispiceret; tanquam animal, de sua specie: tanquam homo, de sua cognitione & uita cum ratione informanda.

Harum verò notionum, quas naturae humanae communiter inditas affirmamus, duas partes omninò statuimus; quarum vnam *principiorum*, alteram *conclusionum* communium nomine designamus. Principia ea dicimus, quae per se nota sunt, & immota, & (quemadmodum Scholastici vocant) indemonstrabilia, id est, (vt melius Graeci dixerunt) ἀναποδεικτά: quemadmodum, exempli causa, principium scientiae est innatum menti, Deum esse, in vita, τὸ εἶναι nostrum, speciem nostram, iustitiam conseruandam. Conclusiones verò communes appellamus eas, quas ratio naturalis praeeunte naturae luce conficit ex principiis: vt Deum colendum esse, nostrae vitae, speciei, iustitiae adiumenta esse procuranda. Sic ad opus naturae, siue integrae, quam antè dicebamus, siue deprauatae, in qua nunc agimus, homini sanctus ille mundi oculus prospexit lege naturali conuenientissimè, cùm principia, media, & finem naturae tanta commoditate circumscripsit in singulorum mentibus, & à principiis (quae inclinationes illas naturales generant) ad conclusiones ducens commodissimè iustum finem proposuit, ad quem natura duce nos omnes ferri fuerat aequissimum.

Sed istarum notionum actionúmque legis naturalis modus maximo nostro malo variauit. Fuit enim primus ille modus in natura integra integrè ac perfectè secundùm naturae modum aeternae legi conformatus, eámque perfecta quadam participatione adumbrauit. Perfecta autem, dico, non secundùm perfectionis illius modum qui in aeterna lege illa perfectus est diuina perfectione, & immutabilis, sed secundùn naturae humanae modum: in qua quemadmodum imago Dei perfecta fuit secundùm perfectionem humanae conditionis, vt imago Dei, non autem vt Deus, ita lex naturalis fuit legis aeternae illius vmbra secundùm perfectionem naturae nostrae, vt vmbra, non vt corpus substantiáque illius. Quo autem propiùs lex naturalis in homine abfuit à participatione & conformatione aeternae legis, eo perfectior lex illa naturalis fuit: quemadmodum nunc ex contrario, quo abest ab illa lege aeterna longiùs, eo imperfectiùs lex naturalis dicenda est inesse nobis. Atque haec causa est, cur in definienda naturali lege dicere maluimus, *aliqua participatione adumbrari aeternam legem:* quia nihil ad institutum faciebat, si de perfecta aut imperfecta participatione naturali secundùm modum naturae nostrae hoc loco ageremus, quandoquidem neque imperfecta ipsa natura hominis perfectè aeternam legem secundum modum legis ipsius percepit, aut participauit, sed tantùm aliquatenus adumbratam in sese habuit secundùm modum naturae nostrae. Hactenus de lege naturali: nunc ad eam quae naturali superuenit transeamus.

Legi naturali accessiones duas fieri oportuit, vt humano generi tum ad praesentem hanc

hanc vitam nostram, tum ad futuram illam consuleretur. Nam quia lex naturalis rerum communium est, singuli autem nostrum res illas communes in particularibus & singularibus occupamus, alteram legis naturalis appendicem necesse fuit adhiberi, secundùm quam particularia & singularia ad legem communium dirigantur. Quia verò nemo homo vel secundùm naturam integram viuens, supernaturalem vitam & gratiam (quae ad vitam perducit) lege naturali cogniturus fuisset, aut naturaliter etiam adepturus, superiorem natura legem à Dei gratia necesse fuit admoueri. Vtriusque in causa est nostra imperfectio. Nam cùm lex naturalis in nobis imperfecta sit, & nos etiam ex tanta imperfectione & infirmitate laboremus, vt quo magis ad singularia venimus, eo amplius in turpes indignósque defectus ab ipsa lege naturali delabamur, ex necessitate videndum fuit, vt certae veluti sepes & cancelli circumponerentur nobis humano subsidio, ne à naturali lege (f. 1494) aberraremus temere. Cùm autem supra naturam nos euehere gratiosè Deus instituerit, vt perfectione supernaturali atque aeterna donaremur in Christo Iesu, videndum quoque id fuit, vt Deo auctore & duce, qui via est, veritas, & vita, legem viae, veritatis, & vitae illius haberemus.

Thes. 5. Hanc distinctionem verbis euidentibus in thesi quinta expressimus, dicentes, *Quae Lex naturae aduenit*, siue naturali legi, *eam aut adnasci*, *aut infundi.* Adnasci autem nihil aliud est, quàm natura quasi protrudente accedere ad naturalem illam legem quàm ex superno principio supra nos omnes & naturam nostram in nos deriuari. Ex eo autem omnino sequitur, quemadmodum reipsa παραφυὰς siue adnascens surculus inferior est trunco cui adnascitur & ab eo pendet: Ita legem illam naturae adnascentem naturali lege inferiorem esse, & eidem ancillari: è diuerso autem, superiorem illam, quae supernè aduenit, esse naturalis legis arbitram. quapropter hanc diuinam, vt quae à Deo vno est, illam humanam legem appellamus, vt quae ab hominibus est, ordinem publicum ex naturalis legis illius iure & necessitate communi temperantibus.

Legem diuinam definimus hoc modo:

Thes. 6. Lex *diuina est*, *quae inspirata à Deo & infusa rationalibus creaturis informat eas notionibus communibus & singularibus*, *supra naturam*, *ad finem supernaturalem*, *supernaturali ductu transmittendas.* Antequam verò de hac definitione dicimus, monendi sunt lectores pij nos hîc de lege diuina agere secundùm substantiam & genus ipsius, non autem secundùm formam externam vllam, qua aut enunciata est sonante verbo, aut expressa scripto legibili. Nam quidquid enunciatum aut scriptum est auctoritate Dei, id quidem legis diuinae est, sed non continuò totam legis substantiam aut legem diuinam in genere ac vniuersè complecti dicendum est. Hanc ergo diuinam legem à lege illa aeterna, cuius naturam descripsimus suprà, idcirco distinguimus, quia non est eadem cum aeterna lege, sed illi proxima ac coniunctissima. Est quidem aeterna lex, diuina lex: immò (si quis ad rem propiùs attenderit) magis diuina est, quàm haec ipsa sit quae à nobis diuina hoc loco appellatur. Nam illa diuina est omnibus modis: haec principio, secundum quendam modum solùm diuina est: illa essentialis est diuinae maiestatis, eóque incommunicabilis (nam quid essentiale deitatis cum rebus creatis communicari possit?) haec communicatione gratiosa à nobis participatur. Sed legem diuinam hoc loco secundum quid (vt loquuntur vulgo) appellamus, non autem simpliciter: quo simplice modo lex aeterna illa diuina est. Agimus enim hîc de lege diuina, non simpliciter, sed cum circumscriptione vel determinatione quadam proximè praecedente, cùm diximus legem quae naturae aduenit, eam adnasci, aut infundi. Quibus ex verbis illud eruimus, non hîc demum agi de illa aeterna lege diuina essentiali, incommunicabili, principe, regula regularum, & nunquam per aliam (vt antè diximus) regulata; sed de ea propriè diuina lege sermonem suscipi, quae naturae

naturae aduenit in tempore; non essentiali, sed aduentitia; non incommunicabili, sed communicata: non principe regula regularum omnium, sed tamen proximè ad principem illam regulam pertinente tamquam imagine illius certissima à Deo data, vt per eam ad legis aeternae illius contemplationem, cognitionem, admirationémque prouehamur. Illa enim regula est omnium secundum modum diuinae maiestatis, quae infinita est: haec regula est hominum secundum modulum nostrum quodammodo, cui modulo reuelationes & communicationes suas contemperauit Deus.

Hanc ergo diuinam legem aliquo modo definituri, quemadmodum in circumscribenda lege naturali fecimus, tria posuimus, quae ad determinandam legem hanc propriè singularitérque pertinent, principium, actionem, & modum ipsius. Principium his verbis expressimus, *quae inspirata à Deo: & infusa rationalibus creaturis:* actiones quoque istis, *informat eas notionibus communibus & singularibus supra naturam:* modum denique illis, *ad finem supernaturalem supernaturali ductu transmittendas.* Ac primùm quidem inter omnes de principio constat, etiam natura teste. Vt enim principium naturale est in nobis, Deum esse, ita etiam naturalis est ex eo principio certissimáque conclusio, Deum agere secundùm id quod est, Deum loqui, & sermonem suum secundùm modum ipsius communicare cum (f. 1495) creaturis suis. Quae cùm ita sint, necessariò modum communicationis illius, siue modum principij agentis in nobis circumscribi à nobis oportuit *inspirandi & infundendi* verbis: vt aliquo saltem modo principium illud communicationis diuinae cum hominibus intelligeremus. In omni autem communicatione duplex obseruatur modus: vnus, quo ab agente procedit communicatio: alter, quo ad alios peruenit atque ab eis percipitur. Modus processionis, quo lex diuina à Deo profecta est, demonstratur, cùm eam *inspiratam* dicimus. Sic enim docemur, Scriptura teste, prout Deus est spiritus, sic in spiritu agere & loqui: nihil secundùm carnem, aut modum corporeum simpliciter in tota hac Dei actione quaeri oportere. Vt autem procedit ab illo diuina lex, ita etiam procedit ad nos: qui cùm vasa angusta simus, inepta percipiendae plenitudini reuelationum eius, eo ampliorem beneficentiam à Deo assequimur, quòd legem illam suam *infundit* eodem spiritu, & sensim inijcit in spiritus nostros virtute sua: Nam lex naturalis ingenerat praeceptiones suas; & Lex humana imperat corporali modo: sed haec inspiratur & infunditur per modum spiritualem gratiae.

Huius autem diuinae legis opus in nobis est huiusmodi, quòd *nos informat notionibus communibus & singularibus supra naturam.* Notionum genera duo in definienda lege naturali antè exposuimus: nimirum principia, & conclusiones ex principiis per ratiocinationem assurgentes. Eamdem quoque rationem à Dei gratia communicante legem ipsius obseruari, nemo bonus negaturus est. Sunt enim principia supernaturalia, supernaturali virtute inspirata & infusa à Domino, & conclusiones ex principiis iisdem ostenduntur nobis, qui credimus, supernaturali modo. Nam etsi lege naturali principia & conclusiones naturales secundùm rationem humanam insunt hominibus: tamen alia principia supra naturam inspirari atque infundi à Deo oportuit; vt finem illum ad quem supra naturam ordinati sumus, & veritatem, quae ad finem certò perductura est, possemus cognoscere. Finis, Deus est, finis ἀκατάληπτος siue incomprehensibilis, nisi prout sese à nobis comprehendendum ipse praebuerit. veritas quae ad finem illum nos perductura est, nemini per naturam, aut vi naturae potuit innotescere: praesertim verò ex quo tenebris ignorantiae, & abysso peccati natura nostra immersa est. Nam si intellectus noster (vt olim praestantissimi etiam Philosophi agnouerunt) ita se habet ad res naturae manifestissimas, sicut oculus noctuae ad lumen solis: ac proinde earum veritas per rationem inuestigata, non nisi à paucis, & per longum tempus, & permixtis erroribus quàm plurimis à nobis percipitur: quid obsecro, de adeptione supernaturalis

supernaturalis illius finis, & de scientia veritatis illius dicturi sumus? Hoc verò non scientiae naturalis, sed superioris scientiae lumen est: quo lumine singulos nostrum in hac infirma natura oportet illustrari per diuinam illam inspirationem & infusionem, quae agitur, vt principia superioris illius luminis scientiaeque prehendamus.

Horum autem principiorum conclusionúmque supra naturam, quae Deus agit & excitat in nobis, modus est per gratiam Dei duplex institutus. Nam & communiter exhibet documenta caelestis gratiae, & singulariter per spiritum informat suos in vera legis diuinae conscientia. Ac proinde quemadmodum à natura ipsi duplex sensus homini inditus est, communis, naturali lege, vt (exempli causa) Non occide: & singularis, testimonio conscientiae, At occidisti (huius enim testimonium, vt Paulus loquitur, Rom. 2. 15. accusat quemque, aut excusat singulariter) sic etiam à Deo duplex testimonium necesse fuit adhiberi, quo nos informaret: Vnum, notionum communium in mente: alterum, notionum singularium in conscientia, vt legis diuinae vsus efficeretur nobis ab ipso salutaris, plurimùm communi, interdum etiam singulari testificatione & reuelatione illius, ordinariè, vel extra ordinem adhibita. Itaque harum actionum modus optimè ac conuenienter veritati à nobis institutus est, cùm diceremus, esse his actionibus creaturas *ad finem supernaturalem supernaturali ductu transmittendas.* Nam quemadmodum principium agens in nobis ad informationem & cognitionem rerum diuinarum supernaturale est, sic etiam supernaturale prin(f. 1496) cipium, quo ducamur in obsequio praeceptionum notionúmque illarum, agere in nobis necesse est: Cuius principij agentis in nobis & ductus supernaturalis nos mouentis ea est efficacitas; vt sola virtute illius, non vlla facultate naturae nostrae, ad finem illum supernaturalem transmittamur: non secus quàm sagitta ad scopum propositum mouetur à iaculatore, atque transmittitur. Stat itaque illud certissimum, quod in definienda lege diuina diximus: & principium illius supernaturale esse, & supernaturalem quoque substantiam, opus, actionémque: & modum similiter finémque illius vniuersam naturam transcendere: quas res ne integra quidem natura illa in qua primùm homo conditus est, vlla vi sua fuisset adeptura, quantò minùs misera haec nostra, ex quo labe ignorantiae & peccati prostrata fuit?

Restat vt de humana lege videamus: quam in hunc modum definimus.

Thes. 7. Lex *humana est, quam ferunt homines ratione procedentes ab illis legibus tum ad communes conclusiones, iustas, honestas, vtiles, & necessarias, tum ad particulares determinationes conditioni personarum quarum bono fertur, rerum negotiorumue de quibus fertur, & circunstantiarum quae eis accidunt accommodas.* In hac autem definitione, quemadmodum in superioribus item ostendimus, non repetuntur ea quae communi lege in prima illa definitione posita sunt: sed ea fermè solùm adhibentur, quae ad distinctionem huius legis & speciem constituendam faciunt. Quapropter id quidem primùm de hac lege, vt de superioribus, constanter tenendum est, esse hanc quoque rationis ordinationem ad commune bonum, ab eo, qui curam communitatis habet, institutam. Sed in hac ordinatione humana specialis circumscriptio ex tribus locis plurimùm petenda est: nimirum ex principio, actione, & modo ipsius: vt in proximè praecedente definitione demonstrauimus faciundum.

Principium humanae legis duobus modis distiuguitur ab iis quas antè diximus. Nam neque Dei essentialis est, vt aeterna illa: neque à natura est simpliciter, vt illa quam naturalem dicimus; neque à Deo est, vt diuina illa quam postremo loco descripsimus: sed ab hominibus est, ex quibus lex humana appellatur: & ferunt eam homines procedentes à communi principio legum, quod rationem appellamus: Sed tamen hanc ita ferunt homines quibus est auctoritas, vt lex humana quasi partus sit legum antecedentium, non autem cum illis principio velut immediato, auctoritate, & dignitate comparanda.

comparanda. Quam distinctionem verbis euidentibus proponebamus, dicentes, legem humanam ferri ab hominibus, *cùm ratione procedunt ab illis aliis antegressis legibus.* Nam legis humanae regula proxima est duplex: vna innata, quam legem naturalem dicimus: altera inspirata, quam diuinam: Hae autem leges ex aeterna lege, velut archetypo suo immutabili, processerunt. Ex his ergò fontibus lex humana procedit: haec incunabula illius: à quibus si aberrat lex, degener est, indigna legis nomine: & si **ὁμωνύμως**, siue (vt loquuntur) aequiuocè in vulgo ita appellatur.

Actionum autem siue operum legis istius duo sunt genera, quae his verbis in definitione nostra expressimus: *Tum ad communes conclusiones, iustas, honestas, vtiles, & necessarias: tum ad particulares determinationes accommodas.* Nam siue ex principiis innatis, quae docentur naturali lege, siue ex inspiratis quae docentur diuina, riui ducendi sint: omninò ex duobus illis fontibus haec duo procedunt & manant actionum genera: conclusiones puta, & determinationes conclusionibus accedentes. Etenim ex vtrauis illa lege duobus modis hi ducuntur riui: Vno, cùm ex principiis communibus leges deriuantur quaedam ratiocinatione mentis nostrae per modum conclusionum: quemadmodum ex principio communi, neminem affici malo oportere: conclusio ducitur, Ergo non occidendum, non scortandum, non furandum, &c. altero, per modum determinationis; vt cùm ex conclusione illa communi, eum qui occiderit, moechatus fuerit, &c. puniendum esse, existit legis humanae vi & auctoritate determinatio huius aut illius poenae: Exempli causa; atrocioris, leuioris, laqueo, gladio, igne, lapidatione, mulcta, & consimilibus. His autem conclusionibus quas lex humana definit, quia vim habent aliquam ex naturali lege à qua deriuantur, duo attributa in definitione adiecimus: (f. 1497) prius est, quòd *communes conclusiones* dicuntur: nempe vt à particularibus conclusionibus & singulari iure discernantur, quae ad naturam humanae legis minimè pertinent, sed potiùs ad priuilegium, vt propriè Latinis appellatur. Nobis autem non fuit animus dicendi de priuilegio: quia cùm singulare sit, ad rationem scientiae non videtur propriè pertinere. Posterius attributum est ex abundanti (vt vulgò loquuntur) adiectum, vbi *conclusiones iustas, honestas, vtiles, & necessarias* à lege humana diximus effici. Nam alioquin hoc ipsum attributum omnino fuit ex eo intelligendum, quòd legem humanam diximus ab hominibus ratione procedentibus ferri; Ratio autem nullas conclusiones efficit in se, aut cuiquam imperat, nisi quae iuri, honestati, vtilitati, ac necessitati sint coniunctissimae.

Alterum legum humanarum opus expressimus *determinationum* voce. Determinationes autem appellamus eam partem humanae legis, quae conclusiones illas naturales circumscribit quibusdam singularibus (vt ita loquamur) terminis, non auctoritate naturae, sed iudicio potius sapientum, commune naturae ius particulariter rerum singularium modo accommodantium: quemadmodum in exemplo poenarum antè dicebamus. Ex quo fit, vt determinationes particulares istae non ex lege naturali vlla, sed ex humana vim suam obtineant solùm.

Harum verò actionum siue operum humanae legis modus est positus in ea quam commoditatem appellamus: cuius commoditatis obiecta sunt tria in genere (nisi me animus fallit) particularium determinationum istarum causam adferentia. Nam aut primariè obiecta sunt, quorum bono prospicitur naturali, diuina, & humana lege; aut secundaria sunt, quae ad illa tamquam ad finem suum ordinantur; aut denique sunt accidentia, quibus vtraque illa promiscuè vestiri solent quodammodo atque variari. Primi generis sunt personae, quarum bono feruntur leges: Secundi generis sunt res, negotia, & facta, de quibus feruntur leges: In tertio censentur circumstantiae; tum quae necessariò personas & res indesinenter comitantur, vt sunt tempus & locus: tum quae per vices & successione perpetua variantur, vt modus, causae, instrumenta,

menta, & similia. Nam cùm personarum, rerum, & circumstantiarum omnium conditio variet tum in se ipsis, tum etiam inter se: aequitas illud postulauit, vt lege humana de singulis rebus istis conuenienter naturae & publico ordini caueretur: quemadmodum in sequentibus exempla ex lege Dei deprompta manifestò demonstratura sunt.

CAP. II.

De lege Mosis, & substantia illius in genere.

Postqvam de Legibus quae communia sunt breuiter exposuimus, videtur iusta docendi ratio à nobis postulare, vt de lege Mosis, cuius causa hoc scriptum institutum est maximè, videamus. Legem Mosis appellamus vulgo Libros illos quinque, iussu Dei à Mose exaratos, & in sacrario depositos ab Ecclesia seruandos, colendósque religiosissimè. Sed quia his libris continentur alia διηγηματικά siue in narratione posita factorum humanorum, & promissionum diuinarum, alia νομικά siue ad substantiam & modum legis pertinentia: speciatim legis Mosaicae appellatione in hac nostra causa volumus intelligi ea, quae pertinent ad rationis ordinationem moralem illam, quam antè circumscripsimus: non ad rerum antè gestarum promissionúmve narrationem in libris illis comprehensam.

Thes. 8. *In hac igitur Lege Mosis*, id est, in parte illa legitima, quae per libros quinque illius, velut sanguis per totum corpus diffusa est, statuimus veritate Dei & auctoritate freti, *exemplum perfectum esse earum legum* omnium, de quibus antè dicebamus. Exemplum esse demonstratur hoc modo: Quae ad formam modúmque exemplaris vnius aut plurium facta sunt, ea exempla dicuntur esse: Lex (f. 1498) Mosis ad exemplar legis aeternae, & naturalis, & diuinae, & humanae facta est: harum igitur exemplum est.

Exemplum esse hanc aeternae legis constabit planè, si naturalis, diuinae, & humanae legis ostenderimus exemplum esse: quia lex aeterna harum omnium exemplar est immutabile, & hae vicissim exempla aeternae legis.

Est autem lex Mosis exemplum legis naturalis, notiones naturae communes lege naturali inditas exprimens conuenientissimè. Nam principia & conclusiones naturalis legis, id est, communes illae notiones naturae in lege Mosis perfectè exprimuntur, quae in natura hominis non solùm corrupta, sed integra illa primigeniáque extiterunt. In natura enim corrupta nostra notiones eaedem sunt, quae antè fuerant in integra: sed, quemadmodum natura ipsa facto parentum nostrorum corrupta est, in quibus principium naturae fuit: eodem modo notiones naturae huius, principiáque, & conclusiones labem corruptionis & deprauationis susceperunt. Haec autem principia omnia, quae nunc in nobis deprauationis habent quam plurimum, quaeque olim fuerunt integra in primis parentibus nostris secundum perfectionem naturae nostrae, facultate legis illius quam naturalem appellamus (vt Apostolus ad Roman. 2. docet) haec, inquam, in lege Mosis perfectione summa à corruptione vindicantur, & in integrum restituuntur aduersus omnem impietatem & iniustitiam hominum veritatem in mendacio detinentium: denique perfectam lucem & dignitatem suam in se perfecta legis illius declaratione adepta sunt. Hanc perfectionem Moralem exemplis euidentissimis possumus confirmare, & Christus Matth. 5. interpres & testis est omni exceptione

tione maior, perfectionem legis naturalis in lege Mosis declaratam asserens. Vnum exemplum in praesentia satis futurum est, de ea vindicta quam particularem vocant. Vltionem nostri haec natura corrupta tantopere probat; vt etiam summi quique Philosophi (Platonem excipio & alios pauculos) ius illius à lege naturali profectum arbitrentur, & Aristoteles inter opera magnanimitatis recenseat. Hoc naturae corruptae opus: cuius naturae lex adeò corrupta est, vt iam perniciosissimum istud malum ex lege naturali omnibus inesse videatur. Verùm excitata ex veterno suo natura nostra, & ad puros fontes naturae ipsius reuocata sentit vltionem istam legi naturae aduersari; cùm legis naturalis principium commune sit, ne malefaciamus cuiquam: Ex eo enim principio conclusionem existere, ne offensa quidem accepta malefaciendum esse, nec hominem malè in nos lapsum per vltionem particularem nostram in malum amplius impellendum. Hoc autem lex Mosis tam perfectè asserit, vt nihil clariùs aut euidentiùs caueri possit. Leuit. 19. 18. Nam & vniuersè dicitur in lege, ne vlciscitor: & speciatim priuata ista & diabolica vltio vsque adeò prohibetur, vt ne asino quidem aut iumento illius à quo offensi sumus, studio vltionis damnum adferri sinat. Adeò naturam corruptam nostram à misera illa perditáque corruptione ad integritatem ipsius Mosis voluit reuocatam Deus, & rediuiuum legis naturalis exemplum praestitutum. Exod. 23. 4. Deut. 22. 4.

Vt autem legis naturalis exemplum perfectum esse in lege Mosis, ita etiam diuinae illius esse confirmamus euidentiore argumento. Nam cùm lex diuina supernaturalis sit à Deo proficiscens: lex autem Mosis sit ea ipsa lex quam Deus illis temporibus attribuit Ecclesiae suae, vt documenta supernaturalia gratiae, tum praeceptis perspicuis tum etiam typis & ceremoniis exponeret; nec alia vlla lex fuerit olim à Deo data, aut post ipsius Christi Apostolorúmque testimoniis confirmata; omninò ex eo statuimus perfectum exemplum diuinae legis illius, quam Deus inde à principio gratiosè communicauit cum Ecclesia sua, in lege Mosis exsistere, velut certissimo diuinae illius legis & supernaturalis symbolo, cui supernaturale testimonium multis saepissiméque perhibuit Deus.

De exemplo autem humanae legis, quid iam opus est dicere? Nam vident omnes humana instituta exstare in lege Mosis quàm plurima, quae non ex fonte principiísque naturae simpliciter, neque ex diuina lege profluxerunt: sed humanis & politicis conditionibus temperantur. Praetereà & illud notum est, totum illud politicum & forense temperamenti genus in lege Mosis à Deo institutum esse; & Mosem tanta religione à suis iudiciis (f. 1499) & auctoritate sua semper abstinuisse, vt in rebus etiam minoribus Deum consuluerit, & ab imperio eius pependerit: denique eas ipsis leges nunquam nisi ex singulari mandato Dei, in librum Ecclesiae authenticum retulisse. Quis ergo non videat humanam Legem politicis & iudicialibus exemplis in lege Mosis declaratam esse, & hanc esse exemplum illius?

Atque haec quidem exempla proposita in lege Mosis fuisse credimus eo perfectionis modo, qui ab hominibus per illud tempus potuit comprehendi; ac proinde Legem Mosis non solùm exemplum esse illarum legum, sed perfectum exemplum sanctè affirmamus. Perfectum autem quum dicimus, non intelligimus ea perfectione legem Mosis perfectam esse, qua Deum perfectum appellamus, cui nihil possit accedere, & cuius infinita sit omnibus modis perfectio: sed perfectionem eam intelligimus, in qua nihil imperfectum est, quod possit detrahi: in qua quicquid est, perfectum est imperfectione vacans: siue (vt dicamus planiùs) perfectionem limitatam (vt vocant) intelligimus, secundum rei quae traditur, & eorum quibus traditur, contemperatum modum. Nam quidquid est in lege, perfectum est, carens imperfectione; sed id ipsum tamen quod in lege perfectum est, perfectius est in Euangelio: quia Euange-

lium ad plenitudinem temporum pertinet. Perfectionis enim creatae siue communicatae modus est duplex, in rebus omnibus quae mutationibus infestae sunt: vnus est perfectionis absolutè, alter comparatè dictae. Absolutam perfectionem eam appellamus, in qua nihil desideratur quod ad iustam & plenam rei naturam constituendam pertineat: Comparatè verò perfectionem eam hoc loco appellamus, quae secundùm naturae ordinem certis gradibus ad perfectionem absolutam contendit. Exempli causa, vir aetate iusta perfectionem habet naturae suae secundùm modum ipsius: puer verò perfectionem habet naturae suae secundùm ordinem eius: quae perfectio, si cum statu virili comparetur, est imperfectio; si in se respiciatur, perfectio dicenda est: sed tamen quae ad perfectionem maiorem natura fertur: prout omne imperfectum secundùm tempus prius esse perfecto solet, & ad perfectionem sui naturae lege semper contendere. Quemadmodum autem successiua (vt loquuntur) rerum mutabilium se habet perfectio, ita etiam documentorum ad eas pertinentium. Nam aliter principia docetur puer, aliter viri docentur perfectionem scientiae; etsi vterque doctrinae modus secundùm principia semináque ipsius vnam perfectionem habet. Proinde Lex Mosis secundùm principia eandem perfectionem continet, quam Euangelio credimus contineri; sed tamen posteriore perfectionis modo: quia minorum quasi paedagogus data est, vt ad perfectiorem doctrinam assurgerent. Atque hîc ille modus perfectionis est, secundùm quem legem Mosis perfectum exemplum legis naturalis, diuinae, atque humanae appellamus: vt quae istarum legum principia perfectè tradat, reipsa, aut exemplo suo, & omni imperfectione careat: quandoquidem perfecta Dei sapientia ordinauit ipsam, vt ad perfectionem Euangelij Ecclesiam ipsius adolescentem proueheret.

Quòd autem perfectum exemplum ea lege tradi aut reipsa aut exemplo dicimus, id certo consilio affirmamus: quia naturalis quidem ac diuinae legis exemplum est ἔκτυπον, id est, ex illarum typo & immutabili regula expressum formatúmque bonitate Dei & imperuestigabili sapientia: legum verò humanarum exemplum non ἔκτυπον, sed ἀντίτυπον est: non ex regula humanarum legum à Mose effictum: sed cum illis eo communicans, quòd leges omnes humanae exempla illarum sunt, non aliarum legum exemplaria aut typi necessarij. Et hoc exemplum aliis humanarum legum exemplis propterea anteponendum est, quòd perfectum esse constat apud omnes bonos in suo genere: quam laudem nemo tam certò aliis humanis legibus potest tribuere; quia haec à Deo posita & confirmata, atque sancita est solemni testificatione: illae verò non item.

Thes. 9. Harum autem legum, naturalis, inquam, & diuinae, & humanae variè spectatur auctoritas. Nam illarum, naturalis inquam & diuinae Legis, auctoritas inter bonos & pios extra omnem controuersiam est posita: quandoquidem vtramque sui auctores ab omni controuersia, dubitatione, & suspicione omninò vindicant. Naturalem probat natura, diuinam Deus: à quibus auctoribus nomina sunt imposita. Naturam autem testi(f. 1500) ficantem Legi suae omnes homines sentiunt & agnoscunt, oppugnant mali studiis particularibus abrepti, & colunt boni; Deum verò testificantem communiter plurimi sentiunt, & pij soli percipiunt efficacissimè per communicationem Spiritus. Quae cùm ita sint, verissimè illud statuimus, *neutram posse à quoquam oppugnari sine indignissima in Deum, naturam, omnes, adeóque se ipsum iniuria.* Nam quomodo non afficiat is iniuria Deum, qui legem ipsius oppugnat: cum ille vnus sit principium vniuersale naturae rerúmque omnium quae in natura sunt; & principium commune ac singulare gratiae in Ecclesia sua? an verò non esset homo in naturam ipsam iniurius, qui Legem à natura datam & impressam in omnium mentibus tentat conuellere? an etiam iustus in quemquam hominum pronunciari possit, qui atrocissima

ista

contumelia Deum & naturam ipsam afficeret, sacras illas & inuiolabiles leges violando: an denique existimari posset eum hominem vnquam erga se aequum fore, qui & suum ipsius principium à se abiudicet, in quo viuit, mouetur, atque est, & omnia quasi lineamenta eius in lege naturali & diuina euidentissimè ducta expositáque omnibus obliteret? Quòd si harum legum tanta est auctoritas, nemini dubium esse potest, quin lex Mosis eadem auctoritate sit, qua legem naturalem ac diuinam tradit: principia antiquata reuocans, restituens perdita, ignota communicans, & diuina prodens humano modo.

Thes. 10. *De humana autem lege, & praeceptis iudicialibus* quae habentur in Mose, non est mirum si *variant sententiae*, nec satis de auctoritate eius inter nos conuenit. Cùm enim hominum conditio indesinenter variet quam plurimum, & iudicia de conditione ipsorum varient, & pro conditione iudiciísque hominum varient humanae leges, & in his ipsis omnibus non hic solum ab illo, sed vnus & idem plerumque à se ipso dissentiat, denique per se in omnibus εὔριπος ἄνθρωπος, quod vulgo dici solet: id contrà foret summa admiratione dignissimum, si in iudicio de auctoritate legum iudicialium Mosis, & de humanis legibus, omnes homines inter se consentirent. Iudiciorum enim summa est infirmitas, frequentissima varietas, incredibilis diuersitas, etiam in rebus leuioribus; & in re tanta quis iudiciorum certitudinem, stabilitatémque, & consensionem credat obtineri posse? Veruntamen nitendum est nobis, vt quoad eius fieri potest, iudicia hominum adunentur; & quia plurimum ad hanc rem potest, si causas istorum malorum, quae iudicia humana torquent, aperiamus: pauca iam de eo argumento dicturi sumus.

Iudiciorum humanorum hic ordo à Deo & natura fuit constitutus, vt ratio principia ex intellectu depromeret, ex principiis conclusiones necteret, conclusiones aptaret rebus particularibus, & ex conditionibus particularibus, determinationes, iustas, singulas, omnes, omnino, omni tempore, ad omnia conficeret, & alios ratione iusta conficientes obseruaret. In his autem omnibus ad singula labascit iudicium nostrum. Primùm enim intellectus non habet communia illa principia enodata & explicata, vt opus esset ad iudicium rectè de rebus tantis faciendum: neque voluntas intellectui excitando & recolendo inseruit, vt par est; ex quo fit, vt semper de turbido fonte iudicia hauriantur, obscura, turbida, impura, vitiosa. Deinde verò infirma est, imperfecta, & perturbata, deprauatáque ratio, quae ex qualibuscunque illis principiis de intellectu nostro deriuatis conclusiones tenetur facere: siue impediatur suis ipsius tenebris, siue particularibus studiis obscuretur atque traducatur, ad quae voluntas omnibus momentis, innumeris modis, obiectis, & occasionibus abripitur. Tum vt conclusiones iustas quodammodò ex principiis iudicium nostrum per conclusiones suas ex principiis oportet statuere, nobis tam obscurae sunt prae infirmitate nostra, & natura ipsarum, & numero (vt ita dicamus) innumero: vt nobis semper aqua (quod aiunt) haereat, velut in caligine caeca palpantibus; praesertim si ad conditiones particulares rerum earum respicimus de quibus oportet iudicari. Etenim non solùm res ipsae natura sua variantur, sed etiam conditiones in ipsis per momenta singula succedunt aliae aliis: quas nulla creatura quamuis oculatissima & planè Lyncea, ne caelestis quidem, perfectè possit recognoscere, nisi instructa virtute gratiosa Dei su(f. 1501) pra naturam ipsius, & tamen sine hac cognitione rerum conditionúmque particularium, quid fieri potest certi & explorati iudicij? quomodo iustae determinationes iudicio certo adhiberi? Hinc illa iudiciorum peruersitas, hinc differentia; secundùm quam nec singulas determinationes iustas cum ratione facimus, multo minus omneis; nec omnino, nec omni tempore, nec ad omnia facimus; nec alios, si quando iustas determinationes faciunt, commodè facientes animaduertimus. Ex his tam multis & grauibus

grauibus impedimentis illud consequutum, quòd leges humanae variè fuerunt traditae, & varia de eis iudicia facta.

Thes. 11. Cùm autem lex Mosis vna sit, non possumus de varietate illius queri (nam vna, certa, & definita est) sed de praeceptis iudicialibus eius, quae ad genus legum humanarum profectò pertinent, variantes sententias hominum ad certum aliquem modum tenemur reuocare; ne iudiciis illius à Deo datis iudicia nostra iniquè faciant iniuriam. Ac legem quidem Mosis vniuersè ab aliis legibus eo distinguimus, quòd tota à Deo auctore est, & totum instrumentum, exemplúmque perfectum omnium antecedentium legum complectitur: quae duo ad confirmandam tuendámque illius auctoritatem, & supra quasuis alias extollendam, nos adducunt potentissimè. Ex his enim duobus constat legem Mosis cùm ortu & principio suo, tum substantia diuinam esse. Nunc autem quia non de tota lege instituimus dicere; sed de ea solùm illius parte quae in iudiciis humanis & forensibus posita est; saltem eo argumento antestare aliis iudiciales leges & forenses Mosis dicendae sunt, quòd Deus auctor illarum est certissimus: qui neque in principiis, neque in conclusionibus vllis, neque in rerum particularium conditionúmque scientia, neque in determinationum causa, neque in re alia vlla errare aut seduci potest. Hoc verò omnibus aliis Legislatoribus non potest non contingere, quia homines sunt, à quibus nihil humani alienum: Deus autem ipse lex ipsa aeterna est & principium vniuersale legum sanctarum omnium, quae aut à natura, aut à gratia sunt, aut ab hominibus secundùm ordinem naturae & gratiae ipsius sanciuntur.

Etsi verò respectu principij & ortus haec ipsa pars Legis Mosaicae planè diuina est, ac proinde auctoritatem diuinam simpliciter apud Iudaeos obtinuit; tamen quia Deus hanc partem Legis humanis legibus & *modo humano* conformauit; iniquè fecerint, qui Legem hanc iudicialem Mosis per omnia diuinam esse contenderint, eò quòd ortu diuina est. Nam ex parte aliqua vna inscitum est conclusiones de toto confici in hunc modum: Leges Mosis iudiciales ortu diuinae sunt, Ergo modis omnibus diuinae: praesertim cùm ortus rei foris adueniat; modus autem rei cuiusque ex materia & forma ipsius interna maximè cognoscatur. Est autem materia istarum rerum in se mutabilis, forma verò legum forensium à Deo secundùm rerum earum modum ad tempus, non in aeternitatem instituta, si ad humanas leges in se & forenses Mosis respexeris.

Thes. 12. Statuimus igitur, etsi hae leges quas iudiciales appellamus, ortu diuinae sunt; eas tamen in se pro natura humanarum Legum aliarum quas ferunt homines fuisse à Deo modificatas: ita vt respectu principij & finis, omnia diuina sint, & immutabilia: respectu verò materiae & formae, certae distinctiones obseruandae veniant: ne rebus diuinis humana infirmitas, aut contrà humanis diuina auctoritas perfectióque tribuatur. *Etenim omnes hae leges* non solùm humanae aliae, verùm etiam iudiciales Mosis, *partem sui immutabilem obtinent*, *partémque mutabilem*. Cùm autem vis legum ea sit, vt sua auctoritate obligent eos quibus feruntur leges, omnino ex eo sequitur, quicquid in legibus humanis aut etiam Mosaicis immutabile est, *eo semper* & immutabiliter *homines obligari*, quasi adamantino vinculo: Quaecunque verò his legibus insunt quae conditionem implexam mutationis habent, ea non semper constringere & obligare subditos: sed *interdum*, secundùm voluntatem eius qui tulit legem, & personarum, negotiorum, ac circumstantiarum quae offeruntur modum. Nam Deus etiam in Legibus Mosis iudicialibus instituta sanciuit eiusmodi: quae & conditionem mutabilitatis mutationísque per voluntatem ipsius, siue expressam, siue tacitam habuerunt: & quae personis illis, negotiis, & circumstantiis fue(f. 1502)runt conformatae, quarum tota ratio à ratione praesente personarum, negotiorum, rerum, & circumstantiarum nostra-

nostrarum, siue aliarum diuersa est. Restat itaque, cùm harum legum iudicialium pars immutabilis sit diuino, & pars mutabilis humano modo: vt deinceps de eo quod immutabile est, & quod mutabile, in Mosis legibus iudicialibus aequè ac aliorum hominum; distinctè videamus.

CAP. III.

De eâ parte, quae in Legibus Mosis iudicialibus & humanis alijs est immutabilis.

Thes. 13. Immvtabile autem est aequè in humanis ac in iudicialibus Mosis institutis, *quicquid ratione certa ordinatum est ad commune bonum ab eo cuius est auctoritas, secundùm formam rationis illius aeternae quam adumbrauit in natura, aut in verbo expressit Deus.* Nam quicquid est eiusmodi, id certae iustitiae & aequitatis est, quae semper vna est, & constantissima. Hanc verò definitionem vt intelligamus, & rem totam percipiamus commodè, duo nobis ordine tradenda sunt. Nam primùm excutiendae sunt huius nostrae definitionis partes: deinde verò indicia signáque recognoscenda, ex quibus in singularibus quibusque legibus has singulas definitionis partes aequum est explorari.

Legum igitur τὸ ἀμετάβολον, id est, immutabile definimus per causas, definitione conuenientissima: quemadmodum etiam legum ipsarum definitionem adhibita causarum enarratione in antecedentibus posuimus. Quicquid ergò in lege est immutabile, secundùm causas ita definitur, vt respectu causae efficientis dicatur *ordinatum ratione certa ab eo cuius est auctoritas:* respectu *finis, ordinatum ad commune bonum;* respectu formae, *ordinatum secundùm formam rationis illius aeternae quam adumbrauit in natura aut in verbo expressit Deus.* De materia nulla quaestio: quia nihil humanum est, de quo legibus humanis caueri non possit: Ac propterea nihil ad rem attinuit vt eam circumscriberemus definitione nostra.

In causa igitur efficiente humanarum legum duo concurrunt causarum genera, quae in omni argumento prudentissimè distingui necesse est. Vna est, instabilis & varians plurimum, quam instrumentalem appellant Logici, puta Legislatorum, siue *eorum penes quos est auctoritas* condendi & ferendi leges: Altera constantissima, velut principium vnicum atque immotum omnium legum, & mouens omnes Legislatores ad institutionem ipsarum, ac proinde verè & per se efficiens causa, quam *rationem certam* appellamus. Est enim ratio principium omnium legum: nec sine ratione praeside ac principe legum statuta hominum pro legibus haberi debent: nisi fortè vt in rebus, sic in earum nominibus indigna κατάχρησις vsurpetur. Cùm autem rationis huius, quam legibus ferendis volumus praesidere, modus in ipsa quidem absolutè sit perfectissimus: in hominibus autem singularibus plurimum habeat incerti: propterea rationem illam praesidem & auctorem legum ab incerto rationis humanae de industria distinximus, cùm *rationem certam* diceremus. Cùm enim certum appellemus quicquid à nostra dubitatione, & ab instabilitate sui atque mutatione est alienum: omninò rationem illam extra omne dubium omnésq; vices mutationum positam, illam principem, arbitrámque humanarum legum, necesse fuit à ratione incerta (prout hominibus in concreto inest) distingui, & supra eam, tanquam in arce societatis humanae, collocari.

De

De fine, nimirum quòd leges humanae ferantur *ad commune bonum*, iam antè diximus in capite primo, cùm de legis definitione communi summáque videremus.

Ad formam verò humanarum legum & iudicialium Mosis quod attinet, cùm iusta omnis ratio definitionum postulet, vt ea demùm in definitionem adducantur quae ad naturam rei definitae propriè & per se pertinent; id primùm pij lectores monendi sunt, hîc à nobis agi de forma essentiali legum, non autem (vt vocant) accidentaria: & quia formam essentialem propriè appellamus eam quae interna est: contra verò externam, si cum essentiali & interna comparetur, esse (f. 1503) constat internae illius consectariam: simpliciter hîc à nobis eam describi formam humanarum legum, quae interna & essentialis est: Ex quo fit, vt respectu illius formae, ex necessitate quaeuis humanae leges partem sui habeant immutabilem.

Huius autem essentialis formae principium re vnum est, & modus vnus: sed ratione triplex. Nam tria in circumscribenda hac forma concurrunt: *ratio illa aeterna* & immutabilis, in Deo principe vniuersitatis existens: tum lex naturalis, qua Deus rationem aeternam suam *in natura adumbrauit*, postremò autem lex Diuina, *quam expressit verbo:* quae tria, velut principia humanae legis, vnum principium quodammodo sunt: cùm aeterna ratio vna sit, quae & naturalem ingeneret, & infundat diuinam legem. Nam illa naturalis quasi vestigium diuinae est, haec autem imago ipsius impressa virtute Dei. Ex his tribus principiis, humanis legibus & ipsi quoque politiae Mosis indita est interna illa forma, quae legum humanarum constituit essentiam propriam & immutabilem: Nempe, secundùm quam humanae leges sunt factae ad imaginem, vel secundùm formam aeternae illius, & huius naturalis, ac diuinae legis: ab his pendet: his inseruit, & ad has fertur vniuersè. Quapropter non dicimus humanis legibus inesse formam rationis illius aeternae aut naturalis, ac diuinae legis: sed hoc tantum affirmamus, *esse hanc secundùm formam illarum*, hoc est. efformari ab illis & effingi iustum legis humanae modum. Est igitur forma essentialis humanarum legum nihil aliud, quàm analogia & conuenientia ipsarum iusta cum aeterna illa, & naturali, diuináque lege, secundùm modum ipsarum: Nam humanae leges, illarum sunt administrae. Atque haec quidem de causis, ex quibus illius partis, quam immutabilem in legibus humanis appellamus, definitio confecta est.

Sed quia haec generaliùs dicta, nec facilè capi ab omnibus: nec, si capiantur, tamen in iis quae feruntur legibus semper commodè obseruari à quouis & agnosci possunt: veniamus ad secundum locum, qui est de indiciis ad euidentiam formae huius internae pertinentibus. Cùm enim forma illa nec oculis videri possit: nec rationi omnium in promptu esse, nisi per indicia, signáque certa ac necessaria ad notitiam illius homines perducantur: idcircò faciendum est, ut expositus habeatur in oculis omnium istorum signorum & indiciorum modus. *Thes.* 14. *Hanc igitur partem politicarum legum immutabilem tribus modis cognoscimus, principio, obiecto, & fine illarum.* His tribus argumentis iudicia de humanis legibus fieri possunt conuenientissimè. Principium, vel fundamentum appellamus, à quo lex profluit, tanquam fonte proprio: Obiectum, de quo lex ordinat, tanquam materia iusta circa quam lex occupatur: Finem denique appellamus eum cuius causa lex est. Atque haec tria non solùm in legibus, verùm etiam in actionibus humanis omnibus quàm diligentissimè opus est & semper explorari. Nam quemadmodum si quid à malo fonte atque impuro deriuatur, impurum est: si in locum alienum atque indebitum deriuatur, damnosum est: si fine & consilio malo (nam finis in rebus moralibus principium censetur, ex quo iustae & iniustae plurimum actiones dicuntur esse) iniustum est: Ita etiam in legibus quae actionum humanarum praestituunt modum, haec tria obseruamus: principium, obiectum, & finem ipsarum. Quapropter singula suo ordine aequum est expendamus.

Thes. 15.

Thes. 15. Est igitur immutabile primo modo, *quicquid principio vel fundamento ita se habet, & secundùm formam rationis aeternae ita ordinatum est, vt ex principiis à natura inditis, aut à Deo reuelatis purè concludatur.* Hîc autem principia videmus tria quae antè dicebamus: principium summum & principem regulam principiorum, quam legem aeternam appellamus; principium innatum & regulam illam ad exemplum legis aeternae in nobis naturaliter informatam, quam legem naturalem: principium denique ad nos superueniens gratia, quòd verbum Dei seu legem diuinam nuncupamus: qua gratiosè Deus captui nostro accommodauit legis illius aeternae documenta. Atque haec tria principia (vt antè dicebamus) vnum sunt quodammodo, si ad rem ipsam & quae procedunt ab ipsis, respexeris. Nam illud ipsum quòd lex aeterna ordinat diuinitùs & perfectissimè, Lex naturalis testatur pro naturae modo, & lex diuina supra naturae modum captui nostro accommodat. Quapropter respectu nostri vnum principium videntur esse: (f. 1504) quia vna eadémque ratio in conscientia communiter à tribus hisce principiis terminari solet.

Verumtamen quia ex principiis illis secundùm rationem procedunt conclusiones, in quibus eruendis infirma ratio hominum plerumque labitur, & res puras in principio ipsarum impurat in actu suo, propterea necessarium fuit determinationem illam rationalis actus à nobis adiici, quòd *purè concludatur.* Nam non omne quod ex principiis à natura inditis, aut ab eo reuelatis concluditur, idem principio vel fundamento est secundùm formam rationis aeternae ordinatum: plurima enim inter principia illa & conclusiones nostras impura intercidunt tenuitate intellectus, & infirmitate rationis nostrae; sed id demùm ita ordinatum est, quod ex illis principiis purè, id est, citra impuritatem nostram & vitium rationis nostrae concluditur. Huius rei exempla à rebus quidem humanis adferri possint, ex iure communi sumpta: sed quia consilium nostrum est de legibus Mosis iudicialibus hoc loco agere; dabimus operam deinceps, vt singulis documentis nostris quae exemplorum luce opus habuerint, ex ipsa lege Mosis, ídque ex prima & secunda legis tabula, distinctè afferamus exempla ad institutum sermonem nostrum pertinentia: praesertim cùm omnes pij pro certo habeant nihil à Mose omninò, ac ne in Politicis quidem & iudicialibus legibus, nisi purè ex principiis suis, & Deo auctore allatum esse.

De pietate igitur priore legis tabula comprehensa exempla haec sunt. Deut. 13. 6. 8. Si clàm incitabit te frater tuus, filius matris tuus, aut filia tua, aut vxor tibi charissima, aut amicus tuus qui est sicut tu ipse, dicendo; Eamus & colamus Deos alienos, quos non noueras tu aut maiores tui; ne acquiescito illi, neque auscultato illi. Item, Exod. 22. 18. Praestigiatricem ne sinas viuere: & alia eiusmodi. hae leges politiae principium & fundamentum habent ab aeterna, & naturali, & diuina lege: secundùm quod purè conclusiones fiunt necessariò; quae conclusiones ex vi principiorum, à quibus procedunt, suam certam immutabilitatem obtinent. Est enim principium aeternum & immutabile secundum aeternam, & naturalem, & diuinam legem. Deum colendum esse; & cultum diuinum ei soli tribui oportere: ex eo principio optimè concluditur purè ac sine vllo vitio. Ex hac autem conclusione generali iterum purè nectuntur hae duae; Vna, neque doctrinam, neque doctorem auocantem à vero Deo & cultu ipsius audiendum esse; Altera, non esse ferendos eos qui arte nefaria Deo vero renunciauerint; & qui alteri res diuinas tribuant, aut beneficia quidem nunquam nisi diuina sint, communicationésque, & reuelationes à Daemonibus postulent. Hae conclusiones tam sunt necessariae, quàm principia ipsa; nisi quòd principia per se firma sunt, conclusione verò ex principiis illis suis, quae antè diximus, demonstrantur.

De officio autem in proximum secunda legis tabula imperato exemplum hoc esto. Deut. 22. 8. Cùm aedificabis domum nouam, tum facies loricationem ad tectum tuum,

tuum, vt reatum sanguinis non imponas domui tuae. Item; Ne esto virile instrumentum super faeminam, neque induito vir vestem faeminae. Ibid. v. 5. Principium duplex secundùm formam rationis aeternae ad harum legum institutionem pertinet: Vnum est, quemadmodum laedendum non esse: Alterum, honestè viuendum. Quae duo principia ipsi Iurisconsulti olim, quamuis ignorantes Deum, velut columina & bases iuris humani posuerunt. Ex priore illo principio conclusio haec purè conficitur: Ergo nihil quo laedi quisquam possit committendum esse: & particulariter, quia Syrarum aedium ea fuit ratio, vt in tecto earum commodè ambulare posses, non fuisse committendum vt vita cuiusquam de tecto periclitaretur: quemadmodum omninò fuisset euenturum, si tecta ambulatoria eiusmodi fuissent ἄφρακτα, & loricatione aut repagulis in ambitum ipsorum caruissent. Ex posteriore autem principio conclusio illa procedit purè quam Deus imperat: honestè viuendum; Ergo & honestas conenienter naturae secundùm rationem cuiusque naturalem in toto vitae instituto, & in ipsa quoque specie vitae colenda est diligentissimè. Quo argumento etiam in testamento nouo persanctè vtebatur Paulus, cùm de coma ad Corinthios scriberet. Apud vos ipsos iudicate, num decorum est mulierem non opertam Deum orare? anne (f. 1505) natura quidem ipsa hoc vos docet, quòd viro quidem comatum esse dedecori sit, mulieri contra comatam esse decori? Nam coma pro velamine data est ei. 1. Cor. 11. 13. 14. 15. Statuit enim Apostolus vestigia Mosis imitatus, naturam ipsam non solùm aequi boni, verumetiam honestatis, itémque ordinis, & speciei ad honestatem pertinentis certissimam magistram esse, quo ex principio rectè concluditur, nos in ratione boni & honesti imitatores naturae esse oportere, non autem re aut specie conuellere instituta illa naturae, cuius auctor Deus.

Immutabile est secundo modo, quicquid in legibus sic ordinatum est obiecto, vt ratione certà feratur ad commune bonum, secundùm eandem formam rationis illius aeternae, quam adumbrauit in natura, aut in verbo expressit Deus. Thes. 16. *Est autem sic ordinatum ratione obiecti, quicquid ad iustum legitimúmque obiectum actionis lege imperatae respicit.* Cum enim homo ad actionem natus sit, & Lex inter homines sit actionum arbitra, vt actio non quaeuis in quosuis, à quibusuis, aut quandocunque visum fuerit perficiatur, sed potiùs haec actio, in hunc & ab hoc, ídque hoc modo, loco & tempore praestari debeat, & illa ab illo: optimè prospexit Deus, vt lege humana actionum obiecta *iusta & legitima* determinarentur, id est, materiae circa quas occuparentur actiones lege imperatae. Has verò materias siue obiecta *iusta legitimáque* appellamus, quia vtrumque opus est in obiectis actionum nostrarum omnibus; tum vt *iusta* obiecta sint, id est, ex natura iuris, aequi, boni, ad actiones illas pertinentia secundùm naturam aeternae illius, & naturalis, & diuinae legis: tum etiam vt *legitima* sint, id est, vt lege humana suam habeant determinationem, & humano ordine sanciantur. Id enim nisi obtineat, fieri non potest, quin loco ordinis in societate humana pernecessarij, horribilis rerum omnium succedat perturbatio. Huius rei exempla (ne longiùs abeamus) ex iis ipsis depromi possunt quae antè in locum primum adduximus. Nam cùm ita Deus praecipit de auctore apostasiae in Iudaeorum gente: Ne parcito oculus tuus illi, neque clementia vtitor, neque celato illum, sed omninò occidito illum: manus tua primùm esto contra illum, vt morte afficias illum; posteà verò manus totius populi, & obrues illum lapidibus ita vt moriatur: quia quaesiuit te depellere à Iehoua Deo tuo, qui eduxit te è terra Ægypti, &c. Deut. 13. 8. 9. 10. Cùm item dicitur Exod. 22. 18. Praestigiatricem ne sinas viuere, & similia, iustum obiectum legitimúmque definitur accuratissimè, in quod stringatur gladius & iudicium exerceatur auctoritate Dei: adeo vt non potuerint Israëlitae, cùm leges istas principio sanctas esse & immutabiles cognoscerent, non exequi sententiam

quam

quam Deus imperauit lege, cùm in obiecta eiusmodi inciderent, id est in homines reos compertos istorum criminum quae Deus lege defixerat.

Quemadmodum autem in causis pietatis ad priorem legis tabulam pertinentibus; ita etiam in posteriore tabula aliorum in alios officia praecipiente exempla huius rei sunt euidentissima: vt cùm dicit Moses; Qui percusserit patrem suum aut matrem suam, omnino morti traditor. Item, qui maledixerit patri suo vel matri suae, omnino morti traditor: Exod. 21. 15. 17. Item, ne oderis fratrem tuum in corde tuo: Leuit. 19. 17. Item, ne afficiuntor morte patres pro filiis, nec filij pro patribus afficiuntor morte: Deut. 24. 16. hic certè obiecta sunt euidentissima, vi legis aeternae naturali, & diuina lege simul contestata, de quibus praecipiuntur & interdicuntur ista quae ex lege Mosis adduximus. Nam quemadmodum pater & mater obiecta sunt indigna, in quorum vitam aut salutem inuehant filij, ita e diuerso quicunque filij impium istud facinus patrauerint, hi legùm istarum rei habendi sunt, & legitima illa animaduersione dignissimi. Similiter cùm alij fratres aliorum simus, natura teste & conscientia, profectò nihil indignius in hac societate humana, quàm fratrem odio esse fratri, & qui fratrem suum sibi ipse pro obiecto statuit in quod effundat virus odij sui, is legi aeternae, & naturali, & diuinae à Mose ipso traditae aduersatur. Illius autem postremi loci, Ne afficiuntor morte patres pro filiis &c. tanta est aequitas, & tam euidens in oculis omnium, vt nulla à nobis insuper opus sit declaratione. Quapropter etiam humanissimum illud Amatziae regis officium auctore Spiritu Dei fuit in scriptura sacra celebratum, cùm poenam de iis sumeret qui coniurati regem Ioas patrem ipsius interfecerant: cùm enim confirmatum esset regnum (f. 1506) penes ipsum, inquit Deus, interfecit seruos suos qui percusserant regem patrem suum; filios verò eorum non affecit morte, sed fecit sicut scriptum est in lege, in libro Mosis, praecepisse Iehouam, dicendo, Ne moriuntor patres pro filiis, & filij ne moriuntor pro patribus: sed quisque propter peccatum suum moriuntor.

Iam de loco tertio videamus ad Legis immutabilem constitutionem pertinente. Diximus tertium τοῦ ἀμεταβόλου in legibus cognoscendi modum esse, finem earum.

Thes. 17. Nam *Fine ordinatum est immutabiliter in humana lege*, *quicquid ad sanctum iustumque finem secundùm eandem aeternam rationem*, *velut catholicam regulam*, *contendit.* si finis legum humanarum se in hunc modum habuerit, eae secundùm finem dicendae sunt immutabiles. In hoc igitur fine dupliciter modus ipsius considerandus est. Nam Finem quidem legis in seipso sanctum iustumque oportet esse: in modo autem oportet secundùm rationèm aeternam illam esse constitutum. Itaque *sanctus* est finis, ad pietatem pertinens: *iustus* est ad iuris & aequi boni veritatem. Sed quia tota sancti & iusti ratio legibus humanis comprehensa particula est tenuissima, & quasi vmbra aeternae rationis illius, quam primo loco posuimus; ideò in ipso quoque legum humanarum fine, explorandus est diligentissimè modus, vtrùm secundùm aeternam rationem illam πάμμετρον finis propositus sit, necne: quia lex illa aeterna (vt antè ostendimus) regula est catholica, id est, ad omnia vniuersè, & sine exceptione pertinens: abs qua nihil non oportet omni modo, tempore, & loco (vt ita dicamus) regulari, & leges suas modúmque vniuersè accipere, vt sanctae & iustae sint. In hunc modum omninò se habent leges à Mose Israëlitis datae: quarum ne apex quidem vnicus à iusto fine legum in societate humana ferendarum aberrauit.

Hoc autem in iis ipsius exemplis, quae antè attulimus, singuli obseruare possunt. Verbi gratia: Postquam Deus in auctorem apostasiae sententiam tulit, hic finis illius adducitur; vt audiant omnes Israëlitae, & timeant, nec pergant vlli facere secundùm rem malam istam in medio tui. Deut. 13. 11. Ex quo sequitur suppliciorum finem esse: horum quidem, correctionem & emendationem eius qui reus est: illorum

 verò,

verò, exemplum & institutionem aliis exhibendam. Similiter qui vetat praestigiatricem viuere, idem alio in loco finem interdicti exposuit euidentissimè, dicens: Abominationi est Iehouae quisquis facit ista: & propter abominationes istas Iehoua Deus tuus expellit gentes istas à facie tua. Deut. 18. 12. 13. Integer esto cum Iehoua Deo tuo, &c. His etenim verbis non obscurè demonstrat Deus ad gloriam sui nominis, ad gratiae suae communicationem, ad salutem nostram, & ad sanctificationem saluti praeuiam pertinere interdictum istud, & nos acquiescere huic interdicto propter hunc finem oportere.

Quae autem de his rebus ad pietatem spectantibus dicuntur ac fine ipsarum, eadem quoque accommodari necesse est legibus aliis ad humanitatem & posteriorem tabulam Mosis pertinentibus. Nam omnium ratio est eadem: nempe vt ius naturae ab omni iniuria perfidiáque hominum vindicetur, secundùm gradus in natura ipsa constitutos. Nam parentum in filios singularis est auctoritas: ergo singulari iure asserenda vindicandáque: aliorum in alios communis est obligatio, tanquam fratres natura coniunctos: Tuenda ergo germanitas & necessitudo fraterna illa: denique suum cuique ex his ipsis gradibus praemium suppliciúmque tribuendum: & videndum ex lege, ne res bonis viris dignae indignis, aut indignae dignis conferantur. *νόμοι γὰρ* (aiebat Solon) *ἀληθέστατοι οἱ δικαιότατοι.* Ad hunc finem leges omnes spectare quae ab hominibus feruntur est aequissimum.

Euidentissimus autem omnium est locus ille Mosis: *vnicus testis in quemquam ne surgito pro iniquitate vlla*, *aut pro peccato vllo*, Deut. 19. 15. Nam etsi iuris communis est, vt iniquitates & peccata: quae quidem reprehensione digna sunt, deferantur, caueantur, atque corrigantur: tamen Deus propter iustissimum finem sanctissimè cauit ac prudentissimè, ne vnicus testis in quemquam surgeret, pro testimonio dicturus de iniquitate & peccato illius. Est quidem pernecessarium, vt tollatur malum de medio nostri: sed alia est ratio latentis aut obscuri, alia comperti mali, si malum aut planè lateat, aut vni solùm testi, aut pluribus compertum sit. quia si cuius mali nullis testis est, nullius praetereà laborat conscientia: latet enim. si cuius autem (f. 1507) mali vnicus testis est, laborat quidem illius conscientia, sed inconsultum foret vnius solius hominis conscientiae permitti vitam alterius: nam etsi hoc non planè latet, obscurum aliis est tamen; in rebus autem obscuris interpretationes iudiciáque benigna sunt amplectenda. Finis ergo istius legis est, non vt feratur iniquitas aut peccatum cuiusquam simpliciter, sed potiùs vt vitae humanae habeatur ratio diligentissimè, ne vnquam periclitetur temerè, nec, nisi certo exploratóque iudicio, cuiquam adimatur. Non esset autem certum exploratúmque futurum iudicium illud, cuius incerta cognitio: nec certa futura cognitio, si ab vno solùm teste procederet: quia vnus testis (vt dicitur vulgo) nullus testis. Quem vnum testem cum animo suo oportet statuere, à Deo supprimi peccatum & cognitionem illius, si plures non sunt conscij, ac propterea de retegendo persequendóve alieno facto laborari, cùm illius facti cognitionem praeuertat Deus, ab ipso minimè oportere.

Thes. 13. *His tribus modis* quos hactenus exposuimus, perinde *species legum expendi solet*, *vtrùm bonae sint*, *an malae*, ac momentis ponderibúsque res eae quae pondere constant ad trutinam expendi solent: Et quemadmodum nummus *περιχάρακτος*, id est, accisus & minutus pondere ad iustum suum aequipondium cognoscitur, ita etiam his modis humanae leges. Nam harum legum *eae censentur bonae*, *quae tria haec momenta coniunctim obtinent*: *contrà verò malae habentur eae*, *& malae reuera sunt*, *quae destituuntur vel vno illorum.* Et si interdum in legibus humanis, quemadmodum & actonibus, illud vsu uenit, vt obiectum & finis earum idem omninò sint, & res vna eadémque sit eiusdem legis aut actionis humanae obiectum & finis, sed distinguantur

distinguantur ratione solùm. Exempli causa, obiecti & finis alia ratio est, si quis rem alienam furetur, vt rei furtim subreptae domino obsit: alia, si vt suae necessitati consulat: alia, si vt commodet alteri: alia, si vt voluptatibus & libidini inseruiat. Nam in his exemplis vnum obiecto & fine conuenit, reliqua obiectum à fine diuersum habent. Quaecunque igitur leges tria haec coniunctim, siue re diuersa, siue ratione distincta inter se, obtinent rationi illi aeternae conformata, eae omninò pro bonis habendae sunt. Cùm autem contrà vnico defectu rerum ad bonum pertinentium vitium rebus accidat, & efficiantur malae, optimè statuimus eas leges & actiones, quae vel vno momentorum illorum destitutae sunt, malas atque vitiosas esse. cur autem? nempe quia leges humanae de conclusionibus feruntur propriè, non de principiis: Conclusiones autem quae ex principiis illis eruuntur, vi principiorum illorum iustae, honestae, vtiles & necessariae sunt, & leges earum perinde immutabiles. Principia autem in rebus moralibus quotiescunque appellamus, tria illa necessitate iusta coniungimus (vt cum Scholasticis loquamur) terminum à quo, siue fundamentum, vnde existit actio; terminum in quo, siue obiectum, in quo terminatur actio, & terminum ad quem, siue finem, in quo terminatur praecipientis legis aut agentis hominis intentio: qua ex intentione in rebus ethicis nostrae actiones plurimùm, & legum omnium conditio aestimatur. In his tribus principiis naturam boni & mali plurimùm circumscribentibus posita est fermè ratio illius ἀμεταβόλου siue immutabilitatis, quam ad humanas leges secundùm quemdam modum diximus pertinere. Nunc ad alterum locum, qui de mutabili parte legum humanarum est, transeamus.

CAP. IIII.

De ea parte quae in legibus humanis est mutabilis, & de mutationum causis.

DIXIMVS antè eam omnium legum humanarum rationem esse, vt partem sui immutabilem obtineant, partémque mutabilem: illam semper, hanc interdum secundùm personas, negotia: & circumstantias eos qui subsunt obligantem. Immutabilem eam esse, docuimus quae principio, obiecto, & fine, rationi aeternae, quam adumbrauit in natura aut verbo expressit Deus, conformatur. Sequitur ergo, si quid est praeterea in humanis legibus, quo tria illa essentiam iustae legis constituentia (f. 1508) quasi vestiantur, id esse mutabile, nec perpetuam rationem iusti auctoritatémque obtinere. Sunt autem in eo genere actiones & circumstantiae, de quibus posteà suo ordine dicturi sumus: actiones enim secundùm genus suum & per se mediae sunt, proinde modò bonae secundùm principia illa & circumstantias habendae sunt: modò malae, si quis defectus in iusta principiorum illarum obseruatione aut in circumstantiis ipsarum obtigerit. Quae cùm ita sint, ex antecedentibus optimè definimus. Thes. 19. *caetera quae feruntur humanis legibus* & in eis continentur, nimirum praeter illos tres principiorum modos quos praecedente capite definimus, *& mutabilia esse, & conditionem mutationis habere implexam* in sese: id est, semper mutari posse, & aliquando mutanda esse, siue (vt vulgò dicimus) mutari debere. vt idem breuius dicamus, humanas leges mutandi non solùm est possibilitas, sed etiam necessitas, quam necessitatem conditionem mutationis appellamus. Est enim haec non simplex aux absoluta necessitas; sed ex hypothesi vel conditione earum rerum mutationibus infestarum, de quibus

de quibus prospiciunt leges. Nam alia lex infanti fertur, alia viro: alia aratori serenti, metenti alia, alia vinitori fodienti, pastinanti, putanti, alia vindemiam colligenti, alia (vt ex Paulo sumamus exemplum) caelibi, alia coniugato. Quapropter optimè Paulus de hoc argumento scribens, necessitatem simplicem siue absolutam legum à conditionali necessitate discreuit, dicens de legibus quidem absolutè necessariis, *dicit Dominus:* de legibus autem conditionem implexam habentibus, *dico ego, non Dominus*, 1. Cor. 7. 12. Sic vbi de coniugatis habetur sermo, ad quorum coniugium sancta, id est, inuiolabilis adest necessitas: iis, inquit, qui matrimono iuncti sunt, denuncio non ego, sed Dominus, vxor à viro sese ne separato: quòd si sese separauerit, maneto innupta, aut reconciliator viro, & vir vxorem ne dimittito. Quum verò de iis loquitur Apostolus qui cum infidelibus coniugati erant itémque de innuptis, diuersa planè ratione in loquendo vtitur, quia his exemplis semper conditio mutationis implexa est ex personarum mutabilitate: quapropter de istis dicit, reliquis autem ego dico, non Dominus: si quis frater vxorem habet infidelem quae consentiat ad habitandum cum eo, ne eam dimittito: & vxor quae habet virum infidelem qui consentiat ad habitandum cum ea, ne eum dimittito. at si infidelis seipsum separet, separatus esto, &c. aliquanto pòst ibidem: De virginibus autem praeceptum Domini non habeo. Est igitur in iis quae superiore capite diximus, absoluta neccessitas: in his necessitas secundùm quid, ex conditione puta rerum singularum de quibus feruntur humanae leges.

Sed quia mutationes sine causa & ratione iusta admittere, praesertim in legibus ad rationem aequi boni, & ordinem publicum pertinentibus, turpis leuitatis foret ac inconstantiae, antequàm de mutabili conditione legum, rerúmque dicimus quae aguntur legibus, videndum est nobis in hoc loco de causis, ex quibus humanae leges natura sua dicuntur mutabiles. Nihil dicam hoc loco de illo axiomate in rebus omnibus constantissimo atque exploratissimo: quae ortum habent, ea interitu carere non posse: quae ortu & interitu constant, iis necessariò inesse mutationem: quae à principio mutationibus infesto oriuntur, ea non magis vacare mutationibus quàm principium suum à qua processerint: & si qua sunt eiusmodi, quibus leges humanae demonstrantur ex facto mutabiles. hîc enim de iure ipso, non de facto quaerimus: neque id solùm dicimus, leges humanas mutari; sed (quod amplius est) mutari iure. Huius ergo mutationis quae iure legibus humanis conuenit, duas omninò causas comperimus: quarum vna est, à modo & conditione personae ferentis leges, altera à modo eorum ad quae respiciunt Leges. Nam in vtroque mutatio frequenter accidit; qua ex mutatione existit mutandi humanas leges necessitas, quaecunque insuper ab aliis adferuntur, aut ad hoc argumentum adferri possunt, ea mihi quidem optimo iure videntur ad alterum ex his duobus capitibus referenda esse: de quibus deinceps ordine, quàm breuissimè fieri poterit, dicturi sumus.

Thes. 20. Ac primum quidem quod ad personam Legislatoris attinet, cùm lex nihil aliud sit, nisi rationis qua homo praeditus est ordinatio, omninò statuimus, prout ratio Legislatoribus variat, ita & legem illius, quae rationis est ordinatio mutationibus subiectam esse. Variat autem duobus modis ratio hominis fe(f. 1509)rentis legem. Nam aut assurgit in melius, aut etiam abit in peius: *in melius quidem*, *si ratio ipsius cum ratione recta* principiis aeternae, humanae, & diuinae legis conueniente *profecerit: in peius vero*, *si praeter rationem illam* communem & principiis illis immutabilibus consentientem *defecerit*. His positis, ita concludimus: *si Legislator in conscientia aeternae legis*, *aut in cognitione eorum ad quae respiciunt leges profecerit: tum demùm legem ab eo mutari posse*, *si euidens erit utilitas* (vt verbis Vlpiani vtar L. 2. ff. de const. princip.) *propter quam recedatur ab eo iure*

quod

quod diu aequum visum est. Sin autem ignorantia, aut infirmitate sua, aut studio eò delabatur miser, vt conscientiam aeternae legis illius, aut cognitionem eorum ad quae respiciunt leges, minùs attenderit, minúsque tenuerit: eum affirmamus turpi hoc defectu cùm sibi, tum publico esse iniurium: sibi, quia rationem negligit, quam à legislatore & principe necesse est eo ampliùs curari & coli, quo plus auctoritatis habet: publico autem, quia causa publici & ad bonum publicum ratione & auctoritate illa sua instructus est, qua in contrarium abuti est indignissimum.

Sed quid si legem bonam commutet altera tam bona? hoc enim aliquando potest contingere, vt (exempli causa) si quem sontem quem lex gladio addixerat, addicat laqueo: nónne haec quoque mutatio, dixerit quispiam, potest contingere? si contingit, nónne falsa antecedens illa distributio futura est, aut in melius solùm, aut in peius mutationes legum existere? Agnosco id quidem, fieri nonnunquam posse vt lex aequa succedat aequae, & fieri posse vt vna peraequè ac altera nitatur aequitate iusta: sed tamen non sequitur, si nulla euidens est vtilitas propter quam recedatur à recepto & consueto iure: non sequitur, inquam, legem pristinam cum ratione mutatam esse. Nam vt demus legem hanc cum illa in se aequo iure esse; in publico tamen, cuius causa feruntur leges, non potest eadem esse ratio vtriúsque illius legis: quia mutatio huiusmodi, temeritatis, ac non aequitatis est, si non extat euidens vtilitas per eam publico accessura: Deinde (quod rei caput est) mutatio ista non iuuat, sed nocet publico: quia mutationibus minuitur legum auctoritas, quae nunquam nisi propter maiorem vtilitatem communem conuelli aut commoueri debet. Qui ergo sic mutat legem, vt aequae vni substituat tam aequam alteram: nisi vtilitate publica & quidem maiore eò adducatur, is & sine ratione, & contra rationem facit. Sine ratione facit, quia rem ratione constitutam abrogat ex sola animi sui libidine atque voluntate: contra rationem facit, quia publico damnum adfert, minuens illam vim obligantem & constringentem legum, & auctoritatem earum propinans illudendam. qua ratione & hic quoque legislator in peius deficere praeter rationem communem illam dicendus est: Quia, vt demus leges inter se omni ex parte aequales esse, non est tamen aequalis earum ratio ad commune bonum, & respectu illius; cui nunquam non obest secundùm se legum permutatio.

Sed haec causa in humanis legibus, quas homines solùm ferunt, etsi verissima est: tamen *nihil ad legem Mosis attinet, cuius auctor & sancitor Deus.* Cùm enim earum legum quae simpliciter humanae sunt, ratio & auctoritas humana sit, quarum illa in homine, dum hîc viuit, semper imperfecta est: haec à summa auctoritate Dei & ordinatione pendet: certum est humanas leges & ratione & auctoritate imperfectas esse. Est autem id de natura imperfectarum rerum, vt contendant ad perfectionem sui, id est, ad mutationem sui in melius. Ergo vel natura ipsa testificante, confiteamur omnes & singuli necesse est, leges humanas, quae quidem simpliciter humanae sunt, esse mutabiles, quia principium habent ab imperfecta ratione & auctoritate, verùm in Lege Mosis, vtrumque longe aliter se habet, ratio, atque auctoritas. Nam quicquid Moses praecepit lege, id certissimè à ratione aeterna est purè profectum: etiam ratione naturali in rebus naturae, & ratione diuina in rebus gratiae contestante. Sic nullam in se imperfectionem rationis lex Mosis vnquam habuit, aut habuisse dicenda est. Quòd enim se accommodauit populo illi cui ferebatur, & illis temporibus: id certè rationis est maximae: tantum abest, vt eo nomine accusari imperfectionis in se, aut rationis minutae possit. Auctoritatem verò lex Mosis vtramque habuit: quod nemo homo sibi potest assumere, fuit enim auctor & sancitor legis illius publica testificatione Deus, cuius summa est & ineluctabilis (f. 1510) in ferendis legibus sanciendísque auctoritas, tum auctoritatem humanam & subordinatam (vt vocant) si in lege Mosis desideraueris, fuit

fuit Moses vir Dei, Legislator Israëlitarum, vt Deut. 33. nominatur; Qui auctoritatem illam obtinuit non solùm institutione Dei: & signis contestantibus amplissimis, verùm etiam consentione iudicióque communi Israëlitarum omnium, prout Exodi 20. & 24. populus auctoritatem in eum transtulit, & institutionem diuinam religione ductus comprobauit. Haec duo faciunt, vt rationem legislatoris illius in se affirmemus non potuisse proficere, quia ad rationem & auctoritatem illam diuinam respicimus, cuius instrumentum fuit & administer Moses.

Etsi non propterea statuendum est, nihil ad legem Mosis accedere post illud tempus potuisse: Nam saltem Euangelium doctrinámque euidentiorem salutaris gratiae superuenire à Christo oportuit. Sed agimus hîc de ratione legis in se, non autem de ratione illius in nobis vel secundùm nos amplius exponendae: agimus de principiis legis, cuius summum principium est aeternum, αὐταρκέςατον, & immutabile, non de modo & conditione illius. Respectu huius principij, id est, auctoris & legislatoris, dicimus nihil attinuisse mutabilitatem adscribi legi Mosis, quia rationi legislatoris nihil vnquam potuit aut potest accedere, cùm omnia illi sint planè exposita, γυμνὰ καὶ τετραχηλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ, vt auctor ad Hebraeos inquit elegantissimè. Hebr. 4. 13. Enimuerò huius rei argumentum est euidentissimum, si quibus in rebus legislatores possunt proficere, eas non posse Deo accidere hoc loco demonstremus. Nam si ratio mater est humanae legis, & ratio hominis potest incrementis suis augescere, haec incrementa iustam legibus mutationem afferunt. Non potest autem ratio Dei legislatoris augescere: non ergo mutari leges respectu rationis eius. Quinetiam augescit ratio legislatorum, proficítque duobus modis: Nam aut in conscientia aeternae legis, id est, rationis ipsius naturali & diuino iure conuenientis cum aeterna lege; aut in cognitione eorum ad quae respiciunt leges, dicendus est proficere. Lex aeterna velut matrix quaedam est & forma πρωτότυπος primigeniáque humanarum legum: materia in iis versatur ad quae respiciunt leges, & quibus legislatores commodè non possunt prospicere ad commune bonum, nisi res illas secundùm mutationes etiam quasque & ἰδιοπαθείας cognouerint. In hoc vtroque argumento homines proficiant, & vtrique studeant necesse est, quicunque leges laturi sunt: Deo autem explorata sunt & comperta omnia secundùm imperuestigabilem sapientiam & infinitam scientiam ipsius. Nam Deus ipse est aeterna illa ratio, recta, & immutabilis, ex quo velut fonte profluit omnis tam naturalis, quàm supernaturalis, diuinaeque rationis in res creatas communicatio. Quomodo igitur in ratione proficiat, siue augescat is qui principium vniuersale & infinitum rationis est, non solùm in natura, verùm etiam supra naturam rerum? Haec imperuestigabilis illa sapientia, quam modò dicebamus. De scientia verò & cognitione rerum omnium, ac non earum solùm ad quas respiciunt leges, quid dicturi sumus? Infinita est scientia illius, infinitè res omnes secundum essentiam, potentiam, actiones, passiones, & affectiones denique omnes, communes & particulares, vniuersè & singulariter comprehendens. huic infinitae scientiae quid possit accedere? quemadmodum optimè sanctus ille Iob olim disserebat. Iob. 28. 20. Si ergo nihil Deo in vtrauis hac causa potest accedere, & Deus auctor est illius legis, quam legem Mosis appellamus: hoc certè respectu legem Mosis supra alias humanas leges extolli necesse est, quòd ab eo legislatore prodijt cuius ratio est perfectissima: humanae autem omnes sunt ab iis legislatoribus, qui nunquam nisi imperfecta ratione dictante leges ferre possunt, ac proinde mutare easdem leges quas ipsi tulerunt, si ratione profecerint.

Thes. 21. Altera causa mutationis, quam antè constituimus, omninò est necessaria, nempe modus eorum, ad quae respiciunt leges. Nam quisquis res mutabiles ratione & modo immutabili administrandas & procurandas putat, is domi prudentiam parentum in regendis liberis, ruri, peritiam aratorum in colendis agris, in alto, peritiam nautarum

nautarum in obseruandis ventis damnaturus est: & dum constantem perpetuámque rationem seruare putat, res ipsas quibus ratio consulit, contra rationem perditurus. In om(f. 1511)nibus rebus procurandis sapientiam & rationem duplicem opus est adhiberi: Vnam communem, & particularem alteram. Sapientia & ratio communis est, quae ab homine spectatur simpliciter siue absolutè, secundùm naturam ipsius in se sapientiae. Particularis est sapientia siue ratio illa, quam homo secundùm quid, id est, secundùm modum earum rerum adhibet, in quibus occupari opus est sapientiam & rationem ipsius. Haec duo sapientiae rationísque genera in rebus omnibus agendis opus est concurrere. Nam quisquis priore illa non vtitur, insipiens est planè; quisquis posteriore, saltem quodammodo insipiens est; vtcunque sibi sapientiae illius rationísque communis nomine applaudat ipse. Cùm itaque *earum omnium ad quae respiciunt humanae leges modus conditióque sit huiusmodi*, *vt tum semper mutabiles sint res in sese* (nam solus Deus immutabilis) *tum ex facto mutentur plurimum:* omnino iustè ex eo concludimus, propterea quòd eae res sunt mutabiles, ac mutantur plurimùm, *etiam leges quae de eis ordinant mutari posse ad communè bonum, & plerumque mutari etiam oportere:* Quia res alias aliis contemperari necesse est; praecipuè verò eos qui publica auctoritate sunt praediti, vt rationem suam totam consumant ad commune bonum, eos inquam (si quisquam) aequissimum est ratione vti diligentissimè, vt consilia, leges, & actiones suas earum rerum modo quibus praesunt & conditioni accommodent, si rectum clauum (quod aiunt) in sua gubernatione tenere volunt: sed integra semper tamen communi illa ratione & sapientia, quae leges necessarias docet simpliciter obseruandas, & in rebus particularibus flectendam administrationem suadet vtiliter. Atque haec posterior rerum in legibus humanis mutabilium ratio ad leges quoque ciuiles à Mose latas pertinet, de quibus speciatim deinceps dicturi sumus.

CAP. V.

De ea parte speciatim, *quae in legibus Mosis est mutabilis.*

Postqvam igitur legibus humanis, non solùm ratione communi illa, verùm etiam hac singulari quadam, de rebus mutabilibus mutabiliter diximus prospici; restat nunc vt in legibus Mosis, quid mutabile de rebus mutabilibus constitutum fuerit, demonstremus. Lex enim Mosis (vt antè capite secundo dicebamus) etsi quodammodo secundùm principium diuina est, tamen secundùm formam externam suam modo humano est, quodammodo humana quoque dicenda est. Vt ergo in legislatore, sic etiam in lege ab eo lata rationem duplicem opus est conuenire: Communem, quae est immutabilis iure meritissimo; & singularem quamdam, quae temperamento iusto mutabilis. De communi ratione & immutabili, eáque perfectissima in lege Mosis exposita, anteà diximus: de mutabili locus difficilior videtur. Quamobrem definitionem primùm mutabilis illius partis sumus allaturi, deinde verò ex definitione partes singulas excerpturi, & minutatim explicaturi κατὰ μέρος quae ad huius quaestionis intelligentiam opus videbuntur.

Thes. 22. *Mutabiles sunt in lege Mosis particulares illae determinationes*, *ad quas ex immotis principiis communibúsque conclusionibus proceditur secundùm modum & conditionem eorum*, *quae subsunt ordinationi legis:* aut, si quis ita mauult (vt commodiùs

modiùs definitionem hanc cum immutabilis definitione comparet quam tertio capite tradidimus) Mutabile est, quicquid versatur in particularibus illis determinationibus, ad quas ex immotis principiis communibúsque conclusionibus proceditur, &c. In hac autem definitione nihil de genere, nihil de causis externis dicimus, id est, efficiente & fine; quia omnia haec ex communibus legis definitionibus, quas antè posuimus, expromi possunt. Est enim vnum & commune genus singularum partium, ac totius in vnaquaque lege; similitérque causa efficiens, & finis: puta rationis ordinatio ad commune bonum ab eo, qui curam communitatis habet, instituta. Hic ergo solùm partem legis mutabilem ex causis internis, quae rei naturam constituunt, definimus: nempe ex materia, & forma illius. Harum enim mutabilium legum materia versatur in determi(f. 1512)nationibus, quas particulares vocant. Forma verò, illius relationis est quam postea subijcimus in definitione, dicendo: ad determinationes illas ex immotis principiis communibúsque conclusionibus procedi secundùm modum & conditionem eorum quae subsunt ordinationi legis.

De materia igitur, priori loco videamus. *Determinationes* ex conclusionibus, conclusiones ex principiis nasci solent. Principia igitur, siue naturalia, siue à gratia sint supernaturalia, per modum rationis gignunt conclusiones: quasi fundente intellectu de se eas res, quae certa scientiae via & ordine in ratione hominis concluduntur. Conclusionum duo sunt genera, vt ex praecedentibus facilè intelligitur. Nam aliae communes sunt, & particulares aliae. Exempli causa, Principium commune est, proximum, id est, hominem ab homine amari oportere: conclusio communis est, eum non laedendum, & suum cuique tribuendum, &c. Conclusio particularis vel singularis est, Petrum, Ioannem, Maeuium, non laedendum esse. Hinc determinationes particulares exsurgunt, Petrum, Ioannem, Maeuium hoc aut illo modo, tempore, loco, &c. laedi minimè oportere. Determinationes propterea appellantur, quia sunt ordinationes siue dispositiones (vt ita loquamur) terminales, vltra quas procedi non potest: quia in rebus singularibus atque indiuiduis omnis scientia, ratio, & rationis actus terminatur: Scientia communium est, singularium est determinatio secundùm scientiam. Haec via in omni doctrinarum genere theoretico & practico semper est obseruanda. Atque haec causa est, cur determinationes istas, materiam humanarum legum, particulares appellamus: quia minuta omnia ad iustam actionem pertinentia, secundùm quamuis particulam quae personis, rebus, circumstantiis potest contingere, aut in eis singulariter obseruari, determinantur humanis legibus: quae singularia quis nescit mutari quamplurimùm, & subinde in infinitum mutari posse?

Forma verò mutabilium istarum legum siue partium quae sunt in legibus, tota in relatione versatur. Cùm autem in relatione omni tria quaedam opus sit obseruari, terminos duos, (vt ita loquamur) & medium, singula in nostra definitione paucis complexi sumus, vt forma mutabilium istarum legum fieret euidentior. Nam primus & summus terminus huius relationis est designatus *immotorum principiorum communiúmque conclusionum* appellatione: Vltimus verò terminus, *particularium determinationum*: inter hos duos terminos modus relationis interuenit, quòd à summo termino illo ad hunc vltimum *proceditur secundùm modum & conditionem eorum quae subsunt ordinationi legis.* Haec tria ad iustitiam humanarum legum, siue constitutionem earum iustam necessarium est concurrere, nempe ex ratione communi per principia conclusiones communes duci, & ex particulari modum & conditionem earum rerum de quibus lex ordinat, explorari: vt secundùm illum particulares illae determinationes fiant, quae propriae sunt humanae legis. Atque haec quidem vniuersè dicta sunt de illis determinationibus ad quas respiciunt humanae leges.

Sed quia in illis determinationibus circumscribendis dicimus eas fieri secundùm modum

modum & conditionem eorum quae subsunt ordinationi legis, tria sunt ordine à nobis explicanda: Primum, quaenam ea sint quae subsunt ordinationi legis: Secundum, qui sit eorum modus quem praecipimus in legibus humanis obseruari: Tertium, qui modus determinationum ad ea pertinentium.

Thes. 23. Primum locum his verbis definimus: *subsunt ordinationi legis, personae, res (quibus actiones complectimur) & circumstantiae: quarum conditioni ius accommodatur humana lege, fiúntque determinationes secundùm illam, iubendo, vetandóque: munerando, & puniendo, atque permittendo.* Non sum nescius aliter ab aliis tradi diuisionem eorum, quae subsunt ordinationi humanae legis. Nam veteres Philosophi obiectum humanarum legum duplex statuebant solum: personas, & res, quae ad vsum personarum pertinent. Alij (vt Iustinianus ex Caio Iurisconsulto Inst. de iure nat. gent. &c. §. penul. L. 1. ff. de stat. hom.) posuerunt triplex: Omne ius, inquiunt, quo vtimur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones, alij denique circumstantias in quibus fermè tota personarum, rerum, & actionum vis consistit, putauerunt distingui oportere. Hae diuisiones omnes, etsi modo differunt, re tamen substantiáque inter se optime conueniunt. Nam (f. 1513) qui personas & res solùm definiuerunt obiecta esse humanarum legum, sapientissimè animaduerterunt haec duo summa esse capita, ad quae respiciunt propriè humanae leges; Actiones verò & circumstantias quasi appendices illarum esse, & relatione quadam necessaria cum iis comprehendi. Qui actiones insuper adiecerunt, eas à rebus certo consilio distinxerunt & à circumstantiis illarum: quia ad commoditatem docendi putabant pertinere, vt iure personis rebúsque exposito, ius actionum seorsum traderetur quae iis dari solent ad iuris sui vindicationem. Qui circumstantias praetereà adhibent, ideò faciunt, quia circumstantiae plerumque in causis iudicialibus sunt eiusmodi, vt eis ex species causarum iudiciorúmq. pendeat: quemadmodum euidens est ex 34. Theseos argumento. Quamobrem vtcunq. eas circumscribere placuerit quae subsunt ordinationi legis, non refert magnoperè; modò haec quatuor, siue implicitè, siue explicitè, retineantur vnà in ratione legis & determinationibus illius: Nam harum rerum conditioni ius commune, quod recta ratio dictat, accommodatur & contemperatur humanis legibus, & secundùm illam conditionem, fiunt determinationes de personis, rebus, actionibus, & circúmstantiis. Etenim res bonae iubentur, & vetantur malae: personae pro benefactis afficiuntur praemiis, & malefactorum nomine puniuntur: ac postremò quia summum ius saepe summa est iniuria, neque omnia in rebus humanis ad rigorem iuris semper examinari aut curari possunt, permissiones adhibentur, quibus pro infirmitate personarum, incommoditate rerum, aut circumstantiarum qualitate, ius illud commune, quod à recta ratione est, reflectitur quodammodo, & constituitur ἐπιεικές. Hunc modum Legalis virtutis (vt cum Modestino loquar) optimè Quinctilianus expressit his verbis: Si ius confessum est, haec ferè quaeruntur; Vtra lex potentior: ad Deum pertineant, an ad homines: rempub. an ad priuatos; de honore, an de poena; de magnis rebus, an de paruis; permittat, an vetet, an imperet. Inst. orat. c. 7. Nam quòd locum illum de honore, vel praemio, vel benefactorum remuneratione Modestinus praetermisit, (L. 7. ff. de legibus) certo consilio fecit; cum omnis munerandi potestas iam illo tempore penes imperatorem esse videretur: quam ob causam posteà Imperatoribus administri proximi fuerunt dati, qui bonorum fortiúmq. hominum benefacta apud illos in memoriam reuocarent, & de attribuendis praemiis admonerent; quod genus hominum Graeci auctores τοὺς ἀπὸ μνήμης, Latini recentiores Graecorum exemplo à memoria nominarunt. Cuius officij memoria hoc tempore nulla: vix mentio nominis, Thes. 24. Modus vel conditio rerum quae subsunt ordinationi legis (nam hic secundus locus est, de quo recepimus nos esse dic-

 turos)

turos) necessariò est obseruandus, vt ritè ex eo teneatur ius determinationum quae fiunt humana lege; quandoquidem aequitas ex eo modo postulat determinationes fieri, & sine eo iniquae determinationes omnes futurae sunt. Quod itaque principio huius capitis dicebamus, duplicem esse rationis modum qua feruntur leges, idem etiam de iis quae subsunt ordinationi legum tenendum est. Nam *eorum modus & conditio similiter est duplex, communis atque singularis;* & ad singula ea omninò haec diuisio pertinet quae subsunt ordinationi legis. Communis modus & conditio dicitur, quae à natura est, & in reipsa simpliciter singularis est, quae ad naturam accedit quocunque modo, & consideratur secundùm quid, in eo quod subest ordinationi legis. Cùm autem eorum de quibus lex ordinat genera quatuor paulo antè fuerint tradita, praestat iam expendi in singulis ea quae de modo & conditione ipsorum docuimus. Thes. 25. Primus igitur est personarum locus, de quarum modo sic paucis statuimus: *communis modus & conditio personarum est, qua considerantur personae absolutè simplicitérque, vt homines, in rerum natura ex communi & humana lege: Singularis, qua considerantur secundùm quid, vt Iudaei vocati in fedus, promissiones, veritatem, ordinem, & signa gratiae.* Hîc enim subiectum vnum & idem, quod hominem appellamus, distinguitur communi & singulari modo. Communi subiectum consideratur, vt homo simpliciter: singulari verò consideratur, vt Iudaeus olim, & hoc tempore Christianus. Ad communem autem hanc personarum conditionem obseruandam pertinent duo: fundamentum conditionis istius, & considerationis modus. Fundamentum est natura omnium hominum inter se communis, secundum quam omnes aequè sunt homines, vna specie comprehensi, & obstricti vna humanitatis lege: ad quam officiosissimè colendam curandámque, secundùm naturam tam olim Iudaeus tenebatur, & nunc tenetur Christianus, quàm alius quisquam. Considerationis modus, secundùm quem personarum conditionem accuratè aportet obseruari, est recta illa ratio de qua antè dicebamus; quae ratio primùm quidem ex communi naturae lege in rebus communibus, deinde (f. 1514) verò ex humana lege & humano ordine explorari solet. Nam in hunc modum aequè Iudaeus olim, aut his vltimis temporibus vir Christianus exploratur, atque alius quisquam: & recognoscitur vnusquisque in hac vita, qua homo est, specie cum hominibus aliis communicans: vtrùm ex ratione recta cum aliis hominibus & communi naturae lege, & humana communicet. Quemadmodum enim ex quo Iudaeus erat factus, aut ex quo Christianus est quisquam, non desinebat ille, aut hic non desinit homo esse: ita etiam ex quo Iudaeus aut Christianus est, non desinit communi & humana lege obligari: sed contrà, quo amplius in Deo proficit, eo religiosiùs se ipsum debet communi & humanae legi accommodare; ne aut naturalis ratio & ordo humanus ab ipso oppugnetur, aut libertas Christiana, quae ad aedificationem data est, scandalo & offensioni sit: prout recta ratione omni & naturali ipsa praecipitur.

Singularis verò personarum modus & conditio, quae quidem à nobis hoc loco agitur (nam caeterarum affectionum in hominibus consideratio nihil ad causam praesentem attinet) est ea, qua considerantur homines secundùm accessionem gratiae salutaris, ad quam Deus vocat Ecclesiam suam, tum ex Iudaeis olim ante aduentum Christi, tum ex Christianis hoc nostro seculo, ex quo promulgatum est Euangelium Christi priore aduentu eius. Hîc autem quia de legibus Mosis agere constituimus, propriè & directè (vt ita dicamus) considerantur homines singulari modo & conditione, quà Iudaei erant, obstricti lege Mosis secundùm ordinationem Dei. Nam hoc respectu, praeter ius illud commune quod antè diximus, ius singulare Iudaeis oportuit accedere, propter singularem hanc conditionem ipsorum, eo quòd Iudaei essent. Est autem haec conditio, non naturalis, vt communis illa: sed gratiosa, ac proinde per Dei gratiam

in

in gente illorum singularis. Atque hanc gratiam, quae singulari conditione exornauit Iudaeorum gentem, Deus etiam circumscripsit modis singularibus, vt intus & foris tum Iudaei ipsi probarent sese, tum ab aliis probari & cognosci possent. Ad hanc autem Iudaeorum circumscriptionem & disterminationem haec quinque pertinebant, quae totidem vocibus antè expressimus. primum est fedus, quo Deus gentem Iudaeorum sibi assumpserat, dicendo: Ero Deus tuus, & tu mihi populus. Secundum promissiones in Christo ad fedus accedentes: Nam cum Iudaei stare federi non possent, Deus promissiones ad fedus adiecit, quibus gratiosè testatus est se, quamuis labentibus & transgredientibus popularibus Iudaeorum, tamen praestiturum fidem veritatémque federis constantissimè propter filium dilectionis suae. Tertium est veritas, siue complementum aliquod & praestatio rerum quas Deus federe ac promissionibus declarauerat genti Iudaeorum. Nam cùm federis promissiónúmque illius Iudaeis factarum ratio fuerit duplex: vna temporalis, aeterna altera: omninò iam suo tempore, & suo ordine veritatem rerum temporalium Deus praestitit Iudaeis omnibus: spiritualium verò veritatem suo modo perceperunt pij: quemadmodum Abraham vidisse diem Domini & de eo exultauisse dicitur. Ioan. 8. 56. Quartum est ordo publicus, quem Deus tum in politeia, tum in Ecclesia Iudaeorum constituit obseruandum, tantisper dum in federis, promissionúmque veritate, pro ratione temporum illorum alebantur, & ad expectationem futuri amplioris boni excitabantur. Postremum est signorum, quae ad haec omnia adiecit Deus, vt gens illa in expectatione promissionum veritatísque diuinae confirmata conquiesceret in fide illius; nam fides obsignabatur documentis signorum imperatis à Domino. Secundum haec igitur omnia, Iudaeus priscis illis temporibus ratione singulari quadam erat supra communem hominum aliorum conditionem euectus: & non solum legibus communiter cum aliis tenebatur, quà homo: verùm etiam singularibus, quà Iudaeus gratiosè adscitus ad tantorum bonorum participationem.

Secundus locus est rerum: quarum modus & conditio itidem distinguitur, & eodem iure. Thes. 26. Nam *communis rerum modus est*, *prout communiter sunt in usu hominum atque occupantur*: *Singularis verò prout ad singularem praeterea federis*, *promissionis*, *veritatis*, *ordinis*, *federatorúmque vsum*, *aut significationem adhibentur ex institutione Dei*: id est (vt dicamus paucis) communem rerum modum & conditionum natura facit, & lex humana respicit naturae administra: singularem verò facit in hoc argumento (nam de aliis rebus nec libet dicere, nec verò expedit huic instituto) supernaturalis institutio Dei per gratiam. Nam Deo auctore, quae res secundùm naturam naturaliter occupantur in vsu naturali ipsarum, eaedem res secundùm gratiam supernaturalem supernaturaliter occupantur in vsu gratioso quem instituit Deus, nem(f. 1515)pe vt federi, promissionibus, veritati, ordini, & federatis (ad quos illa pertinent) inseruiant vsu, aut significatione à Deo instituta. Atque hinc factum est, vt quemadmodum Iudaeus duobus modis consideratus est, communiter, quà homo; & quà Iudaeus, singulariter; ita etiam Iudaeae siue Chananaeae, & caeterarum rerum quae ad res sanctas significandas fuerunt occupatae, duplex fuerit conditio & modus; naturalis, quo Iudaei naturaliter vtebantur, Chananaeam arantes, colentes, habitantes, & fructum percipientes illius; & singularis siue supernaturalis atque gratiosus, secundùm quem illi Chananaea pro tessera praesente federis, promissionum, veritatis, & ordinis diuini vtebantur, prout fuerat ad finem supernaturali instituto gratiae Iudaeis habitanda, & colendo tradita. Huc respexit nominatim Deus praecepto quinto decalogi de honorandis parentibus lato, cùm subiiceret promissionem illam; vt prolongentur dies tui super terram quam Iehoua Deus tuus dat tibi. Neque enim solùm ad naturalem vsum illius terrae & naturalem vitae huius commoditatem respexit Deus, aut pios animum voluit aduertere:

tere: sed (quod amplius est) ad consortium attendi & communicationem salutarem federis, promissionem, veritatísque diuinae in Ecclesia ipsius, quae terminis Chananaeae tum erat circumscripta priuilegio singulari, & à cuius communicatione alienos praestabant sese quicunque honorem parentibus debitum proteruia sua denegabant. In hunc quoque modum de vrbe Hierosolymorum, de monte Sionis, de templo, de regno Dauidis, & rebus alijs praeter naturam à Deo institutis ad significationem gratiae iudicium fieri necesse est; vt in lege Mosis explicanda communis rerum modus à singulari hoc semper distinguatur. Denique omnia perinde obseruanda, atque in ratione personarum antè obseruari diximus oportere.

Tertius locus est *circumstantiarum*: quarum modus necessariò tam distinguendus est, quàm personarum & rerum. Nam harum aequè ac illarum modus & conditio vna communis est, altera singularis: & iis circumstantiis personae, & res ipsae, pro conditione ipsarum reali (vt vocant) aut instituto gratiae vestiuntur quodammodo, communiter & singulariter. Circumstantias autem appellamus, quaecumque & personas, & res, de quibus imperatur lege, circumstant & quasi vestiunt, siue necessitate perpetua, vt tempus & locus; siue perpetua vicissitudine, quae ex voluntate aut casu solet contingere, vt ferè fit in actionibus vel factis, causis, modis, atque instrumentis; harum enim circumstantiarum semper conditio fluxa est. Semper quidem locus & tempus nos & res nostras comitatur, nec quidquam extra locum & tempus facere possumus: In factis verò, & factorum causis & modis, & instrumentis rerum agendarum, pro natura, voluntate, casu, tanta est varietas vt nunquam circumstantiarum istarum numerus adferri possit.

Cùm autem hae circumstantiae interdum personarum & rerum circumscribant modum communiter, & interdum singulariter, vicissim ex eo sequitur circumstantiarum modum ex personis aut rebus modò communem effici, modò singularem: & prout personae aut res in operibus naturae aut gratiae occupantur; ita circumstantias communiter secundùm naturam & conditionem realem ipsarum aut singulariter secundùm gratiam & institutum gratiae accipi oportere. Exempli causa: dies ille sabbathi secundùm naturam dies communis est: secundùm gratiam dies fuit ad testificationem diuinae voluntatis sanctificatus, & exceptus ex aliorum numero singulari modo. Similiter Chananaea, & vrbs Hierosolymorum, & Sion, & Templum, &c. loca fuerunt secundùm naturam ad vsum communem pertinentia naturali modo: Sed singulari instituto Dei Sacramenta fuerunt gratiae, priscae Iudaeorum Ecclesiae data: ex quibus iura singularia in Iudaeis constituta sunt.

Ex hac itaque diuersa conditione & modo personarum, rerum, & circumstantiarum omnium, iusta effecit ratio; vt duplex modus iuris ad eas res pertinentis existeret: quorum alterum ius commune: alterum singulare appellamus. Nam prout personae rebus aut circumstantiis, & hae vicissim illis, aliaeque aliis determinantur communiter aut singulariter, ita ius determinationum se habet: quod ius accommodari singulari conditioni omnium eorum solet, ac determinari lege. Ius enim commune hominibus ex instituto aut consensione distributis per partes indictum est: quemadmodum ius suum est monarchiae, reipublicae, municipij, &c.

Sed quia particularis illius iuris fundamentum est in consensione communitatis, aut instituto eorum qui communitati (f. 1516) praesunt: nos autem hoc loco non de quolibet particulari iure, sed de eo iure agimus, quod Deus per gratiam instituit Iudaeorum genti: omissis aliis particularibus legibus, quae infinitae sunt & alienae ab hoc instituto nostro; de eo solùm dicturi sumus, quod in Lege Mosis obseruandum putauimus: Quandoquidem de personis, rebus & circumstantiis secundùm vtrumque modum, communem & singularem, ius oportet esse; ius autem legibus definitur, &

leges

leges sunt publicae iuris illius determinationúmque ex iure tabulae. *Thes.* 28. Nam *de illis omnibus quae subsunt ordinationi legis, in hunc modum determinationes fiunt, cùm humanis legibus ex communi aut singulari iure, quod antè proposuimus; tum ipsis legibus Mosis:* quae determinationes siue *communiter pro naturae modo*, earúmque rerum quae in natura accidunt; siue *particulariter ex instituto gratiae sunt mutabiles*: quandoquidem gratiae auctor Deus haec perpetua, temporaria instituit in populo suo documenta gratiae; de quibus iam propriè dicturi sumus, omissis caeteris humani illius iuris legúmque determinationibus.

CAP. VI.

Quid iuris communis sit in lege Mosis mutabile.

Ex iis quae modò diximus, manifestum est, in lege Mosis proinde atque in aliis quibuscunque legibus, duplicem iuris rationem esse, communem atque singularem: Communem iuris rationem appellari eam, quam Deus Iudaeis per Mosen praescripsit communiter, quà homines fuerunt illi in natura rerum: Singularem verò aut particularem, quam praescripsit singulariter, vt hominibus admissis in participationem & consortium gratiae. Primùm itaque de communi Iudaeorum iure videndum est.

Thes. 29. *Mosis Leges quaecunque iuris communis sunt, aut ratione communi obligant, aut analogia. Quapropter aut ipsas leges seruari opus est, aut earum analogiam, vt de suis legibus Iureconsulti olim praecepere.* Ius commune est, quo tenentur omnes: Iuris communis index est publicus, lex: ac proinde qua ratione ius obligat, eadem quoque obligat lex, velut iusti & iniusti magistra. Est autem iuris communis, eademque legis fundamentum duplex: vnum proximum & semper necessarium, quod rationem communem appellamus; alterum remotius quidem, sed tamen cum ratione communi ex necessitate coniunctissimum, quod analogiam. Nam earum rerum quae iure & lege cauentur, alia fundamenta adeò firma sunt, & ex ratione communi substructa potentissimè, vt iuris illius veritas atque necessitas à nemine bono in dubium vocari possit: Alia verò non ipsa per se fundamenta sunt, sed rationem fundamenti habent à simili: quia in similibus causis euidentia sunt iuris fundamenta, quod circumscribitur legibus. Atque hanc rationem vsque adeò natura iam olim dictauit hominibus, vt Iureconsulti in suo illo ciuili & humano iure eam senserint adhibendam, & adhiberi commodè praeceperint. Cùm enim (vt dicebat Iulianus *L.* 10. *ff. de legib.*) neque leges neque Senatusconsulta ita scribi possint, vt omnes casus qui quandoque inciderint comprehendantur: sed sufficiat ea quae plerunque accidunt, contineri: siue (Celsus *L.* 4. *ff. de legib.*) cùm ex his quae fortè vno aliquo casu accidere possunt iura non constituuntur: sed ad ea potius debeat aptari ius, quae & frequenter & facilè, quàm quae perraró eueniunt: *L.* 12. *& seq. ff. eod.* Ideò quum in aliqua causa sententia legum manifesta est, is qui iurisdictioni praeest, ad similia procedere analogica interpretatione, atque ita ius dicere debet. Nam vt ait Paedius apud Vlpianum, quoties lege aliquid, vnum vel alterum, introductum est, bona occasio est, caetera quae tendunt ad eamdem vtilitatem, vel interpretatione, vel certè iurisdictione suppleri. Quod verò contra rationem iuris praeceptum est, non est producendum ad consequentias. Quae cùm ita sint, optimè concludimus, alterum horum seruari semper oportere: Nempe ipsas leges, si recta ratione

ratione & directa ius eis expressum est: aut earum analogiam, si non extabit ius expressum de iis rebus quae ex similium comparatione indicari possunt. Ac proinde quaecunque leges simpliciter iuris communis apud Mosen ita sunt, vt ex ratione communi procedant, eademque obligent, eas omninò opus est obseruari: Quicquid autem est in iis legibus, quod ex ratione communi non videtur absolutè esse necessarium, eius tamen seruanda est analogia: ne aut ius ipsum aduersari iuri vnquam videatur, aut homines in iure sibi ὡς ἐν ἀνέμου πεδίῳ conuersari.

Hîc verò pergrauis incidit *quaestio*: Quaenam sit haec analogia, & quibus in rebus mutabilis, aut immutabilis. Hanc questionem definimus in hunc modum paucis: *Thes.* 30. (f. 1517) *Analogia iuris in circumstantiis solùm mutabilis est: at in fundamento rationis vel substantiae minimè.* Id autem ratione ipsa naturae ita confirmatur, vt nemo bonus huic axiomati vnquam sit contradicturus. Nam cùm omnium legum Mosis ea natura sit, vt in fundamento substantiáque rationis ipsa ne minimùm quidem à iusta ratione communi & recta discesserint, communis autem ratio semper iusta sit & constantissima, quicquid eiusmodi est in legibus Mosis, id certissimi & constantissimi iuris esse affirmamus. Sed quia praeter illud fundamentum rationis communis accedunt circumstantiae communes, aut particulares, personis & rebus, quae varietatem ipsis non mediocrem adferunt; hîc non summo iure per omnia agendum est: sed ex circumstantiis personarum, rerúmque exploranda diligentissimè iuris analogia, nequid specie iuris contra ius & aequitatem committatur. Respectu igitur personarum & rerum simpliciter ratio communis & ius commune obtinet: & quicumque personis aut rebus indulgent, aut contrà duriores sunt & iniquiores in eas ex animi sui sententia, non autem circumstantiarum analogiam accuratè expendunt trutina aequitatis, ij rectae rationi & communi iuri aduersantur: quod ius non eò minùs commune est, quia à Mose dicitur; sed contrà eo ipso commune est, quòd à Mose aequè dicitur vt ab aliis dictum est. At eo certius & sanctius idem ius habendum est (quia à Mose dictum est, legislatore incorruptissimo, & fideli administro in tota domo Dei. Respectu verò circumstantiarum, quae sunt mutabiles, etiam mutabilis efficitur iuris analogia. Proinde *qui iure communi ciuiliter ex lege Mosis reus mortis est, idem reus mortis hoc tempore habendus est: Nam vnica est iustitiae ratio & immutabilis. Circumstantiae verò, vt in factis, sic in iure variant quamplurimùm, quadam rationis analogia.*

Hoc dictum non potest commodiùs intelligi quàm allatis exemplis, quae euidentiam rebus adferre solent. In toto autem exemplorum genere nullum est euidentius quàm quod de poenis reorum est, qui alicuius culpae ciuiliter (vt vocant) reprehensibiles ex lege conuicti sunt. Nam alioquin si quid leges aut iubent, aut vetant, aut etiam permittunt, non potest in eo tam perspicuè ab omnibus ratio iuris illius obseruari; & à plerisque satis est obsequium praestari legi, quamuis rationem illius non ita capiant. Praemiorum verò munerationúmque exempla tum rara sunt & infrequentia, tum verò minus exposita multorum cognitioni atque iudiciis. Sed poenarum suppliciorumue, quae hominibus contra legem venientibus importantur, exempla sunt frequentissima, ad omnium cognitionem & in oculis omnium palàm exposita, & infestissima multorum iudiciis, quia plerique ad reorum excusationem, iudiciorúmque accusationem specie misericordiae facilè inclinantur. Quapropter ex hoc vsus legalis genere exempla sumpturi sumus, quibus hoc axioma postremùm declaremus.

Dicimus ergo eum qui iure communi ciuiliter ex lege Mosis reus mortis est, eumdem reum mortis hoc tempore habendum esse: id est, & morti addictum, secundùm rationem à Deo praescriptam, & à iudicibus mortis addicendum. Sed duas distinctiones certo consilio adhibemus, cùm istud de reo mortis ex lege Mosis pronunciamus, dicendo: *reum iure communi, ciuiliter.* Prior distinctio est respectu fundamenti, cùm reum

reum dicimus *communi iure:* Posterior respectu ordinis, cum adiicimus *reum ciuiliter.* Vtrumque autem est necessarium: quia ex lege Mosis quicunque rei fuerunt mortis, non omnes fuerunt ciuiliter rei, nec omnes communi iure; sed alij iure particulari, & secundùm diuinum ordinem ac ceremonialem quendam fuerunt rei, alij communi, atque ciuiliter. Quaecumque autem leges in Mose eiusmodi sunt, vt ex iure communi velut fundamento perpetuo, & ciuiliter secundùm ordinem publicum inter homines receptum, hominem addicant morti propter maleficium ipsius; eaedem certè ex ratione & iure communi ciuiliter homines obligant, vt ex eis iudices sententiam ferant, & rei iudicentur iudiciáque lata subeant: quia illa virtutum omnium regina iustitia hoc vtroque casu concurrente est immutabilis, & immutabiliter ab omnibus obseruanda. Exempli causa, cùm lex pronunciat in homicidam haec verba, Cùm quis arrogauerit contra proximum suum occidere eum astu, etiam ab altari meo rapito eum ad mortem: Item qui percutit patrem suum aut matrem suam, omninò morte plectitor: Item, Plagiarius, siue vendiderit hominem, siue deprehensus fuerit in manu eius, omninò morte plectitor: Item qui maledicit patri suo aut matri suae, omninò morte plectitor, & similia: Hîc certè concurrit vtraque ratio, quam disertis verbis iubemus obseruari; puta quòd isti homines rei mortis sunt, non simpliciter ex lege Mosis, sed iure communi tam ad alios omnes homines, quàm ad eos quibus lex illa data (f. 1518) est pertinente, idque ciuiliter, non autem Ecclesiastico vel ceremoniali instituto. Nam cùm ea omnia iuris communis sint, quae recta ratio communis docet: & ciuiliter obtineant omnia quae secundùm ordinem ciuilem ad societatem hominum pertinent: haec autem exempla omnia sint istius generis: non possunt qui aliud sentiunt, vtcumque prae se ferant humanitatis & clementiae speciem, quin rectam rationem & communem ordinem imprudentes labefactent, nisi in hunc modum iudicare didicerint. salutaris haec seueritas, quam dictat communis ratio, & ordo publicus postulat (vt verbis vtamur Tullij) Epist. 2. ad Brutum. vincit inanem speciem clementiae. Quòd autem hae leges à Mose scriptae sunt, id certè minimè efficit vt iuris communis esse desinant, aut ciuiliter obligare: alioquin oporteret Mosem ab omni iure communi abstinuisse, & à ciuilitatis contemplatione: quam rem vel cogitare de Mose, vel Deo tribuere (qui Mosi & populo suo legem imperauit) est summè impium & ab omni ratione alienissimum. Itaque homicida si ad mortem rapitur, fit conuenienter legi Mosis: sed ex ratione & iure communi, atque ciuiliter: cuius vtriusque rei exemplum absolutissimum extat in lege Mosis. Si patrem aut matrem filius percusserit: si alter alterum fuerit suffuratus indigno plagio: si quis parentibus maledixerit, eadem ratio iuris communis est, quae poenam capitalem statuit ciuiliter: nihil causae adferri potest ex ratione communi aut humano ordine, cur istud supplicium non sit in reos istorum scelerum statuendum. contra enim, hoc modo nisi statuitur, & rectae rationi illi, & iuri communi, & ciuili ordini teterrima fit iniuria: quibus omnibus secundùm aeternam illam rationem, & naturalem diuinámq. legem vita hominum & libertas, & parentum honor ab omni iniuria vindicatur diligentissimè, & indignus vita pronunciatur, quisquis proximum vita aut libertate (quae cum vita ferè comparatur) & parentes iusto honore spoliauit. Stat igitur firmum illud prius axiomatis antecedentis membrum, eos qui in lege Mosis rei mortis pronunciati sunt ex iure communi ciuiliter, hoc quoque tempore reos mortis haberi oportere.

Sed in altero regulae illius membro alia ratio est. Nam etsi ex ratione communi iudicia fiunt de maleficis ciuili ordine, per determinationem simplicem, aut per analogicam, in circumstantiis tamen rationem diuersam opus est obseruari: quia ius commune secundùm rationem rectam de rebus propositis iudicat simpliciter, non examinatis & expensis circumstantiis particularibus, quae interdum ad rei grauitatem

leuitatémque

leuitatémque plurimum momenti adferunt. Sed vbi accidunt circumstantiae, tum pro modo & conditione earum ius commune fit analogicum: id est, modificatur ius ex modo earum de quibus iure statuitur: ac proinde (vt scholasticorum more loquamur) ex iure communi simpliciter fit ius commune secundùm quid. Hanc autem modificationem ratio ipsa adhiberi iubet, ne fortè (quod antè dicebamus) summum ius summa sit iniuria: Neque solùm illud ἀκριβοδίκαιον in ἐπιείκειαν & aequitatem vertit, dicendis sententiis, verùm etiam in cognoscendis & peruestigandis circumstantiis & cum ratione expendendis, ante quàm feratur de factis sententia. Hoc pacto demum efficitur, vt de iure illo communi, quod per se est simplicissimum, circumstantiae aliquid non minuant, aut detrahant quicquam, sed potiùs varient pro commoditate rerum. Quod dicimus: similiter exemplis vt antè, illustremus: & quidem sumptis à suppliciorum modo, propter eas ipsas causas quas antè perstrinximus. Viri aut mulieres (inquit Moses) si erit ex eis pytho, aut ariolus, omninò afficiuntor morte, lapidibus obruuntor: caedis eorum causa est in eis. Item, Is qui duxerit mulierem & matrem eius, scelus est, igne comburunto eum & eas, vt non sit scelus in medio vestri. Leuit. 20. 14. In his exemplis & consimilibus non obscura sunt vtriusque illius partis, quam in regula antecedente statuimus, documenta. Nam primùm illud ex iure communi ciuiliter constat, Pythonem aut ariolum inter bonos ferendum non esse: quandoquidem pietas iure naturali & diuino imperatur, pietati verò Pythonum ariolorúmque officia, responsa & consultationes aduersantur: quum rem planè diuinam eripiant Deo, & à Daemonibus eandem postulent quicunque his artibus vtuntur, aut etiam ad eas attendunt quacunque specie. Praetereà & illud quoque iuris communis est ciuiliter, magistros illos artis nefariae, qui abiurata pietate & cultu veri Dei ad scelera ista transiuerint, atque ex professo in istis sese occupauerint, daemoniis mancipati contra ius naturae diuinúmque in populo Dei expositum, reos mortis esse: vt qui hoc vno scelerato studio Deo, naturae, & rationi rectae certo consilio renuncient. Ea denique ratione siquis mulierem & matrem illius duxerit, ex recta ratione & iure naturali (f. 1519) est, vt damnetur factum: & quia factum est damnabile, conclusio ex eadem ratione & iure communi certa est, hominem facinoris istius reum, reum mortis esse: quae duo ad veritatem pertinent prioris menbri in praecedente regula positi: eum qui iure communi ciuiliter reus mortis fuit ex lege Mosis, reum quoque mortis in hoc tempore haberi oportere. Sed in circumstantiarum iure, vt in factis discrimen ponendum est ex factorum analogia. Fieri enim potest, vt circumstantiae huic aut illi sceleri accedant, quae sceleris in iudiciis modum grauent, aut alleuent: ex quo fit vt qui morti adiudicatus est ex iure communi ciuiliter, teneatur simpliciter supplicio mortis: sed hoc supplicium grauius aut leuius efficiatur iusta sententia iudicis. Nam primùm ij quos lex addicit igni, arbitrio iudicis ex factorum circunstantiis laqueo, gladio, lapidatione, aut aliis praetereà generibus puniri possunt: deinde verò illud ipsum supplicium ignis grauius aut leuius institui potest. Sic iuri communi iudex satisfecerit, reum multando morte: circunstantiis verò ex iure quodam singulari satisfecerit arbitrio viri boni, si acerbiorem aut leuiorem mortem reo inferri curauerit. Postremò & illud quoque crebro vsu venit, vt quod simpliciter ex iure communi capitale est, ex circunstantia factis accedente efficiatur leuius, nec nisi ab homine Tenedio, aut Dracone rigido in eum modunt damnari possit. Atque hae illae sunt circunstantiae, quae suprà iuris communis rationem in exercitio legum obseruari possunt, & quas iura communia permittunt arbitrio iudicis custodis legum. Quemadmodum autem qui iure communi ciuiliter ex lege Mosis reus mortis est, idem in hoc tempore reus mortis habendus est: ita è diuerso quisquis eodem iure & modo non est reus mortis, neque hoc tempore reus mortis habendus est. Ex iure autem communi dico, simpliciter, siue (vt vulgò loquuntur) caeteris paribus: quia secundùm

secundùm quid, id est pro ratione circunstantiarum ad crimen accedentium mutatur interdum species maleficij: & crimen modò atrocius, modò leuius efficitur, vnde poenarum varietas solet existere. Sed hanc varietatem nemo, nisi ex legitima & diligentissima cognitione maleficiorum & circunstantiarum omnium exploratione, legitimè potest adhibere. Atque haec de iure communi satis. Nam quae amplius huc adferri possunt, magis ad rationem iuris particularis pertinent: de quo deinceps dicturi sumus.

CAP. VII.

Quid sit iuris particularis in Mose mutatum aut mutabile simpliciter.

Postqvam de iis diximus quae ad rationem iuris communis ciuiliter in Mose pertinent, nunc de iure particulari nobis dicendum est: in quo distinguendo iudicium opus est prudentia & accuratione summa adhiberi. De his autem hoc modo statuimus: Thes. 31. *Quaecunque leges iuris particularis sunt, in ritibus ac ceremoniis positae, omnes fuerunt mutabiles: pleraeque iam mutatae sunt, non modò in circumstantiis, sed etiam re ipsa: praesertim quaecunque ad vmbram futurorum fuerant institutae. Nam rectè olim scholastici, praecepta Mosis Iudicialia esse mortua, ceremonialia haec mortifera.* Iuris ergo particularis genera duo sunt: Vtrumque iuris moralis administrum: Nam iuri morali ad societatem humanam respicienti inseruit ius ciuile siue politicum, pro modo vniuscuiusque reipublicae institutum, quod particulare: Morali verò ad cultum Dei & pietatem pertinenti inseruit ius Ecclesiasticum, quod ceremoniale vulgò appellatur. Quapropter etiam ritus, & ceremonias inter se distinximus; quia in iure politico sui sunt imperati & solemnes ritus: ceremoniae verò propriè non nisi sacrae obseruationes in cultu diuino appellantur. Ac moralis quidem iuris ea natura est, vt ipsum per se constans sit & immutabile: quae verò propter illud constituta sunt, & ad ipsum respiciunt tanquam ad finem suum, ea iura mutabilia esse vel eo ipso demonstratur, quòd sunt propter aliud: quandoquidem quicquid propter aliud est, id tum saltem mutatur vniuersè, cum finem eius adepti sumus. Haec autem iura (vt diximus) duum sunt generum, quae iudicialia vulgò & ceremonialia appellantur. Exempli causa: Lex ciuilis, eáque particularis est ad honestatem pertinens, cùm mandauit Deus: cum exibit exercitus contra hostes tuos, spatium esto tibi extra castra, vt egrediaris illuc foras, videlicet purgaturus aluum tuam: & paxillus esto tibi praeter arma tua: erítque cum sessurus eris foris, vt eo fodias, & rursus tegas excrementum tuum. Deut. 23. 12. 13. Et hoc quoq. politicum est ad humanitatem pertinens, cum inquit Deus; ne tradito seruum domino suo, qui confugiens ad te eripuerit se à suo domino: tecum maneto in medio (f. 1520) tui, &c. Deut. 23. 15. Itemque illud, si ingrediaris vineam proximi tui, comedes quidem vuas pro desiderio tuo ad saturitatem tuam, at in instrumentum tuum ne indito, &c. Deut. 23. 24. Ceremonialia verò illa sunt: Cùm exibit exercitus contra hostes tuos, si fuerit in te quispiam qui non erit mundus casu nocturno, is exito extra castra ne ingreditor in castra: sed erit appetente vespera vt lauet se aqua, deinde cùm occidit sol, veniat intra castra. Deut. 23. 11. Et illud: Ne inferto mercedem scorti, aut pretium canis in domum Iehouae Dei tui pro vllo voto: Nam abominationi Iehouae Deo tuo sunt pariter ambo ista. Deut. 23. 18. Haec omnia exempla in hunc locum visum est congerere, vt palàm fiat omnibus,

quantopere sit necessaria communis illa politicarum legum vel iudicialium à ceremonialibus & Ecclesiasticis distinctio, antequam de iure particulari: quo hae species duae continentur, aggrediamur enarrationem institutam.

Hîc autem ius particulare in lege Mosis appellamus, quicquid Deo visum est per Mosem populo suo in ritibus & ceremoniis, id est, in politeia & Ecclesia ad societatem humanam & diuinum cultum indicere, secundùm particularem conditionem illius populi cui legem ferebat Deus: quemadmodum ius Atheniensium, Lacedaemoniorum, Romanorum, aut Persarum, aliorúmue appellamus. Habent enim singulae gentes, ciuitates, adeóque municipia ipsa, ac fermè vici affectiones quasdam particulares, propter quas particularia iura introduci solent, & possunt, & debent: quae alibi si obtinerent, communitati damnosa forent. In hunc igitur modum Deus ius particulare populo Israelis dixit, legésque particulares tulit, de quibus nunc instituimus ἐν τύπῳ dicere.

Hae autem leges, quaecunque iuris particularis sunt à Deo latae, omnes inde à principio suo fuerunt mutabiles. Nam omnes propter aliud latae sunt, & de republica mutabili, & ratione rerum, personarum, circunstantiarúmque mutabilium, & modo mutabili, & ad mutationem destinatae: quae res de legibus iis quae simpliciter morales sunt, ac non institutae secundùm quid, non potest cum ratione & veritate praedicari.

Etsi autem omnes huiusmodi leges sunt secundùm se natura sua mutabiles: harum tamen aliae seruantur liberè, vbicunque visum est, pro ratione communitatum, aliae ex facto mutatae sunt, neque amplius obseruantur. Estque haec mutatio, quam de istis legibus iuris particularis affirmamus, longè amplior mutatione illa quam in capite praecedente de legibus communis iuris dicebamus. Nam in illis circunstantiae solum dicuntur variare secundùm quandam rationis, quae ius humanum dictat, analogiam: ac proinde mutatio fit ex parte duntaxat, eaque minima: in his autem legibus, quae omninò sunt natura mutabiles, mutatio fit siue ex parte, siue vniuersè, non solum circumstantiarum (vt in illis quae iuris communis sunt) verùm etiam rei ipsius imperatae lege.

Rursum verò quaecunque leges hoc modo mutatae sunt, aut voluntate hominum libera, pro commoditate personarum, rerum ac circunstantiarum depositae sunt: aut ex necessitate penitus antiquatae: cuius generis sunt quaecunque ad vmbram futurorum fuerant institutae. Colos. 2. 17. Nam quarum ceremoniarum corpus in Christo est, earum tota & obseruatio in Ecclesia periit: quemadmodum vmbrae adueniente Sole dispelli solent. Quapropter etiam optimè argumentatur Apostolus, dicens: Ego Paulus dico vobis, si circuncidamini, Christum nihil vobis profuturum; testor omni homini qui circumciditur, eum esse debitorem seruandae totius legis: inanes facti estis, separati à Christo, quicunque per legem iustificamini, & à gratia excidistis. Galat. 5. 2. 3. & alibi: Ne quis vos damnet ob cibum, vel potum, aut respectu festi, aut nouilunij, aut sabbathorum: quae sunt vmbra rerum futurarum, at corpus est Christi. Quae verò ceremoniae ad ordinem potius communem, quàm ad vmbram futurorum bonorum pertinuerunt, eae citra necessitatem absolutam pro arbitrio hominum & commoditate publica desiuerunt. Quapropter mihi quidem perplacet communis illa scholasticorum distinctio, qua praecepta Mosis iudicialia mortua esse tradiderunt, id est, non ita viuere vt obligent: ceremonialia verò esse mortifera, id est, non posse amplius viuere, aut inter viuentes obseruari, quin rei mortis efficiantur quicunque operam dant eorum obseruationi, prout Hieronymus & Augustinus in Epistolis suis locuti sunt.

Iudicialia autem praecepta Mosis mortua esse cùm dicimus, simpliciter ea considera-

ramus

ramus quà sunt iudicialia: Quemadmodùm etiam de ceremonialibus quà simpliciter ceremonialia sunt, hunc sermonem nostrum volumus accipi (f. 1521). Nam locum de ratione mixta illorum inter se, certo consilio in Caput sequens reiicimus. Iudicialium enim ea natura est, vt primùm communem rationem velut substructam habeant, cuius fundamento nitantur (haec autem est immutabilis) Deinde verò ex particulari modo personarum, rerum & circumstantiarum, posita sint in particulari iure: quod ius, quia in ratione particulari est positum, docet communis ratio esse mutabile: Ac proinde praecepta Mosis iudicialia omnia mori potuisse, & nunc esse re ipsa mortua extinctáque, & sublata ex communi vsu. De legibus verò ceremonialibus aliquid amplius nobis dicendum est; non tam quòd huius loci sint, quàm quia plerumque ceremoniale quippiam in iudicialibus Mosis legibus interuenit: quo fit, vt haec non possint commodè exponi sine illorum declaratione.

Thes. 32. *Sunt ergo ceremonialia praecepta in Mose particularis iuris, aut specie substantiáque ipsorum, aut circumstantiis. Specie, si principio, obiecto, aut fine typico vel ceremoniali fundatae sunt, aut omnia simul obtinent: circumstantiis, si alia insuper accidentia ceremoniis applicantur.* Haec ceremonialium institutorum distinctio adeò est necessaria, vt sine ipsa non possit commodè intelligi ceremoniarum ratio, prout opus est ad institutionem Ecclesiae Christi. Nam quicquid ceremoniale est, id aut essentia; aut accidente ceremoniale dicendum est. quod si quis aliter mauult, aut per se est ceremoniale quiquid est eiusmodi, siue interna constitutione ipsius, aut per accidens, siue affectione foris adueniente. Quod autem interna sui ratione naturáque ceremoniale est, id specie ceremoniale appellamus: Quod affectione & appendice foris adueniente, id ceremoniale est circumstantiis, etsi per se & natura sua generis est alterius. Quae autem specie naturáque substantia sua sunt ceremonialia, ea tribus modis, siue separatis, siue coniunctis discernimus: quos modos antè in tertio capite exposuimus, cum de veritate legum immutabili diceremus. Nam aut principio & ortu, siue fundamento suo ceremoniale est institutum; aut obiecto, ad quod institutum pertinet; aut denique fine, ad quem tendit institutum. Si quid horum, aut tria haec simul, typum habeant vel ceremoniam, institutum ceremoniale est. Typum appellamus, expressam rebus figuratiuis rerum verarum imaginem: Ceremoniam verò, expressam actionibus, quas institutum Dei sanctificauerit, sanctarum actionum, spiritualiúmque & diuinarum imaginem. Horum inquam si quid est in lege, siue principio, siue obiecto, siue fine ipsius, siue duobus horum, siue cunctis: ceremoniale institutum appellamus. Sed praestat rem exemplis ex lege sumptis declaremus.

Thes. 33. *Principio ceremoniale est, vt Leuitici* 23. *Terra ne venditor lege mancipij, Obiecto, vt Exod.* 20. *Altare terreum facito mihi (quod ambulatoriae fuit reipublicae Israelitarum) & quaecunque Exodi* 25. *& seqq. imperantur. Fine, vt Exodi* 13. *Sanctifica mihi primogenitum & sexcenta alia.* Legem illam primam Principio ceremonialem esse statuimus, quia alioquin simpliciter & secundùm se absolutè eiusmodi lex potest ciuilis esse, & ciuiliter ferri atque obseruari: Sed quod à Deo imperata est populo Israelitarum, id ex principio siue fundamento ceremoniali profectum est; quia Deus se mancipem illius terrae, & terram vel regionem illam optima lege mancipij ad se pertinere, nec ad alium quemquam, ceremoniali obseruatione voluit ostendere, & Israelitas hoc pacto iussit constantissimè profiteri beneficium Dei: quemadmodum Domini vassallis suis quos vocant Feudatarios, aut etiam Emphytheutis solent imponere legem aliquam fiduciariam, aut aliam quamuis, & sibi dominium merum semper vindicare. Ex hoc fundamento in eumdem modum legem de Chananaea tulit populo Israelitarum Deus; vt se regionis Dominum, illos Emphyteutas, siue colonos perpetuarios (vt Iurisconsulti vocant) ex beneficio Dei & Domini ipsorum esse ostenderet.

Eorum verò, quae obiecto ceremonialia sunt, exempla in lege Mosis extant innumera, & quae nemo ignorat esse ceremonialia: adeò per se euidens est & palàm in oculis omnium exposita illorum ratio. Quae omnia etsi natura sua fuerunt mutabilia, vt antè diximus; tamen etiam secundùm tempora pro conditione & modo ipsorum mutationem subiuerunt. Eorum enim alia durabilia fuerunt constanter ad Christi aduentum vsque, complementum mysterij redemptionis nostrae & promulgationem Euangelij, tantisper denique dum respublica stetit Israelitarum; alia durauerunt ad tempus vsque deportationis Babylonicae; alia ad tempus illud vsque, cum à Selomone templum exstructum est & sanctificatum Domino: alia ad tempus quo regnum fuit institutum, & donec Iudices reipublicae Israelitarum praefuerunt: alia denique durationem non habuerunt diuturniorem, quam cum Israelitae ex Ægypto egressi in profectione fugae (f. 1522) (quae annorum fuit quadraginta) Chananaeam versus contendebant; quod tempus ambulatoriae reipublicae Israelitarum appellamus. Pòst enim fuit stataria, quàm in Chananaeam sibi promissam aduenisset. Quid? quòd etiam singularia fuerunt, & ad singularem actionem & horam vnam instituta ceremonialia? huius generis, Exodi 12. aliquot exempla extant, cùm Pascha Iudaeis imperatum singularibus in illud tempus ceremoniis instructum est, vt cùm speciatim vno versu dicitur; Ita comedite pecudem illam lumbis vestris succinctis, calceamentis vestris ad pedes vestros, & baculo vestro in manu vestra: & comedetis eam cum festinatione. *Exod.* 12. 11. Etenim hae quatuor obseruationes illius temporis fuerunt solùm, neque in exemplum post illud tempus vnquam, aut in legem publicam à Iudaeis tractae sunt. Atque haec illa causa est, cur exemplum legis illius, vt paulisper duraturae, maluimus in hunc locum adferre, quàm alia exempla legum, quae diuturniorem auctoritatem in populo Dei habuerunt: vt hoc exemplo ratio mutandarum ceremoniarum fieret euidentior. Deus enim tum principio illo altare terreum fieri sibi iussit: cur posteà ligneum? nisi vt terreum intelligamus in antecessum, siue per prouisionem (vt loquuntur) fuisse factum, donec cultus amplius perscriptus & definitus esset? pòst Deus altare ligneum mandauit sibi fieri, Exodi 30. & obductum aere: Itémque lacum vnum lauandis sacerdotibus: cur posteà altare auro obductum, plura altaria, & labra lotionis causa, & alia eiusmodi à Selomone curata sunt? 2. Chro. 4. nisi vt intelligamus ceremoniale institutum illud ad rempub. Israelitarum tantisper attinuisse, dum certa sede & domo carebat Deus? De aliis ceremoniis iudicium idem. Nam obiecta illa, de quibus lex cauit, pro conditione populi Israelitarum variauerunt quamplurimùm.

Fine autem ceremonialia fuerunt instituta, cùm alia omnia, tum ea maximè quae ad figurandum Christum, personam, actiones, officia, beneficiáque eius olim pertinuerunt, vt exempli causa, cùm Deus mandaret, sanctifica mihi primogenitum, Exodi 13. Fuit quidem finis ille communis ad ordinem priscae Ecclesiae pertinens, vt primogeniti Deo sanctificati cultum ipsius in familiis singulis exercerent, & ministrarent Domino: quod officium penes primogenitos eo vsque perdurauit, dum Leuitae in locum ipsorum singulari Dei institutione successissent, vt cautum est lege, Numerorum 3. Sed ille proprius finis ad Christi aduentum vsque perdurauit, sanctificatos fuisse primogenitos Domino, vt in suis familiis singuli typi essent Christi, eúmque Dominum nostrum, & primogenitum inter multos fratres hac sanctificatione diuina adumbrarent. Atque haec quidem de ceremonialibus institutis satis, quae secundùm essentiam vel speciem suam ipsorum meritò ceremonialia dici possunt.

Ad genus alterum transeamus, quod circumstantiis ceremoniale est. *Thes.* 34. *De circumstantiis ergo ceremonialibus iudicium idem fieri necesse est, siue ad speciem ipsam ceremonialem accidant, siue ipsae per se constituant speciem ceremoniae: vt cùm dicitur, Non facies vllum opus in die sabbathi.* Circumstantiarum enim vt in rebus aliis, ita etiam

in

in ceremoniis duplex est ratio: vna quòd speciei rerum aliarum accidunt, & circumstant eas, vt corpora circumteguntur vestibus, aut certè coniunctae sunt: altera; quòd ipsae interdum constituunt rerum earum quae aguntur, speciem; ex qua res siue actiones nostrae bonae dicuntur aut malae. Nam quae res simpliciter & per se bonae sunt, eae interdum malae fiunt circumstantiis. Est tempus, quo res bona aut media siue indifferens redditur mala, quia intempestiua est: Est locus, quo res bona siue indifferens redditur mala, quia non sit loco; similitérque modus est, & instrumenta, quibus res bonae aut indifferentes efficiuntur malae, quia nec modo, nec adiumentis commodis. Atque hac occasione circumstantiae dicuntur factorum speciem constituere. Cùm autem humana facta determinentur legibus, meritò etiam leges cauerunt de circumstantiis, praesertim qua ad speciem factorum nostrorum pertinent: iisque non solùm communibus atque absolutis, verùm etiam singularibus & ceremonialibus, de quibus hîc nobis est sermo. Quamobrem de tempore quidem ita statuimus, omni tempore Deum coli à nobis oportere; sed Deus diem vnum speciatim instituit, quo vult coli à nobis singulariter, & huic diei adiunxit necessariam quietis ab operibus nostris obseruationem. Vtrumque ceremoniale, & diei, & quietis obseruatio. Ac propterea diei illius obseruationem in diem alterum transportauit Christus: quem & resurrectione sua sanctificauerat, & praescripsit sua in terris vsque dum in caelum ascenderet, & communi Apostolorum in Ecclesia obseruatione, quemadmodum ex scripturis sacris didicimus. Similiterque de loco: est quidem (vt Paulus loquitur 1. Cor. 1. 2.) Deus in omni loco Dominus noster olim ac perinde vbique (f. 1523) in spiritu & veritate colendus: sed tamen locum populo Chananaeam, cultui Ierosolyma, & Sionem montem, ac templum in eo consecrauerat: quae singularis consecratio loco ceremonialibus legibus est deputanda. Atque hae leges aduentu Christi desiuerunt: Nam (vt inquit Apostolus Colos. 2. 17.) haec vmbrae fuerunt futurorum, corpus autem est Christus. Haec igitur & consimilia omnia, vt natura sunt mutabilia: ita lege mutationis fuerunt à Deo instituta, & prudenter ab iis quae immutabilia sunt in lege, distinguenda. Sed quia pauciora sunt in lege Mosis instituta, quae absolutè simplicitérque iudicialia sint, & multa cum iudicialibus plurimum confunduntur, quae aut specie aut circumstantiis sunt ceremonialia, in quorum confusione & coagmentatione internoscenda difficultas versatur maximè: nunc ad genus mixtum mutabilium in lege institutionum veniamus.

CAP. VIII.

Quid sit mixti iuris in Mosis legibus mutabile.

FIERI non potest, vt qui de legibus Mosis perinde iudicant ac si omnia ad vnum aliquod genus sigillatim referenda essent, & omni ex parte de eodem accipienda, ij leges Mosis aut bene interpretentur, aut conuenientem ex eis percipiant fructum. Thes. 35. Nam *plurima in eis praecepta sunt, quae compositam quandam ex morali, iudiciali, & ceremoniali iure rationem habent promiscuè, ac non vnius sunt duntaxat generis:* si qua sunt simplicem rationem morum, aut iudiciorum, aut ceremoniarum seorsim habentia (sunt autem haec pauciora) non obscura est hac quidem in parte eorum interpretatio. Itaque plurimùm accidit, vt quae moralia, in causa pietatis, siue ad Deum spectante, ceremoniis: in causa verò communis nostri aliorum in alios officij, ritibus

ritibus iudicialibus, vel politicis exornentur. Nec absimiliter iudicialia siue politica tum de moralibus aliquid habent necessariò, quia rationem communem & fundamentum ipsorum; tum etiam de ceremonialibus, si quid fortè (vt plerumque accidit) cum Dei cultu coniunctum habent; & ipsa quoque per se aliquid insuper iuris particularis habent ex ritu politico, quem Deus illi reipublicae Israelitarum iudicauit commodum. Ceremonialia denique ipsa sic versantur in ceremoniis & obseruationibus sacris, vt tum doctrinam morum ad fidem, pietatem, iustitiámque pertinentium velut fundamentum siue naturali siue diuino iure dispositum, necessariò complectatur: tum in causis multis aliquid de iudiciali participent, quà res politicae cum Ecclesiasticis coniunctae sunt, & res humanae cum rebus conscientiae.

Exempli causa; Iuris communis atque moralis est simpliciter illud praeceptum, Ne occidas: quo ex praecepto sequitur conclusio politica: occisorem auctoritate publica persequendum esse & afficiendum morte. Sed quid si non comperiatur? de hac specie, prospexit Dominus morali praecepto sapientissimè, quod partem ceremonialem partémque politicam simul complectitur: cùm ita praecipit, Si quis inueniatur in terra, quam Iehoua Deus tuus dat tibi vt haereditario iure possideas eam, confossus iacens in agro, nec notum sit quis percusserit eum: tunc egressi seniores tui & iudices tui metientur spatium inde ad ciuitates quae sunt circa confossum illum: erítque vt ciuitatis illius quae proxima erit isti confosso, ciuitatis ergo illius seniores accipiant vitulam de armento quae non sid ad vsum adhibita, quae non traxerit iugum: & deducentes seniores illius ciuitatis vitulam illam in vallem horridam in qua nihil colitur neque seminatur, decollabunt ibi vitulam in illa valle: deinde accedentes sacerdotes filij Leui, quos elegit Iehoua Deus tuus ad ministrandum sibi & benedicendum in nomine Iehouae, & ex quorum praestituto agetur in omni controuersia & omni plaga; omnes quoque seniores ciuitatis illius qui sunt proximi, ad confossum istum, lauabunt manus suas super vitulam, decollatam in ea valle, & protestantes dicent; manus nostrae non effuderunt hunc sanguinem, & oculi nostri effundentem non viderunt. Expia populum tuum Israelem quem redemisti, Iehoua, & ne impone reatum sanguinis innoxij in medio populi tui Israelis. Deut. 21. 1. &c. In hoc praecepto Dei moralia documenta duo sunt, quae à plerisque non admodùm, aut certè molli brachio, si fortè, obseruantur: vnum, quòd tota respublica rea est coram Domino innoxij sanguinis effusi, nisi rem persequatur: alterum, quòd si rei cognitionem peruestigare & consequi nullo pacto potest, purgare se religiosè debet, tum coram Domino, tum coram populo Dei reliquo, vt fidem suam populo & Ecclesiae probet. Ad hanc rem, quae moralis est, neque aliter quàm ratione ciuili & Ecclesiastica coniunctim procu(f. 1524)rari potest, Deus praecepta adhibuit, quibus suas partes magistratui, & suas Ecclesiae praescriberet. Nam magistratui ciuilem quaestionem & peruestigationem diligentissimam, protestationémque coniunctam ceremonia, Ecclesiae verò expiationem communi nomine imperauit. In caeteris quoque generibus, iudiciali inquam & ceremoniali, eadem ratio tenenda est: quemadmodum exemplis sequentibus per occasionem suis locis demonstrabitur.

Postquam igitur rem ita esse ostendimus, de iure illius (id enim maximè hoc loco agitur) videamus. *T..es.* 35. *In his quae mixti sunt generis, quod morale est, permanet; quod absolutè iudiciale, mutatur circumstantiis; quod ceremoniale, vniuersè perit: cuiusmodi sunt obseruatio diei sabbathi, Exodi* 20. *Lex de homicidarum receptu in vrbes perfugij, Num.* 35. *Purgatio illa de homicidio, cuius incertus auctor, Deut.* 21. *Et similia.* Itaque in hoc mixto legum Mosaicarum genere, quas iudiciales appellamus siue politicas, tres partes distinguendae sunt, moralis, politica, & ceremonialis; & ius earum sigillatim discernendum.

Prima

Prima pars, eáque omnium potentissima est, quam moralem appellamus. Nam haec, siquidem simpliciter moralis est, ad pietatem iustitiámque & honestatem pertinet; iuris communis est, & rationis communis, siue ex naturali, siue ex diuina lege: ac proinde constanter permanet, neque vlla occasione aut facto potest contingere, vt refringatur aut reflectatur illius auctoritas. Haec enim aeterna ratio, per legem naturalem diuinámque sic rationi hominum imperat; vt quicquid iuris est, tum absolutè, tum secundùm omnes casus & circumstantias definiat necessitate absoluta, cui nemo cum ratione potest obloqui, neque cum fructu aduersari.

Ea verò pars Mosaicarum legum quae iudicialis est, qua absolutè iudicialis est (nam quod mixtum est, semper exceptum volumus) non mutatur ratione aut substantia; sed tum sibi in seipsa constat, tum in analogia, secundùm quam iudicium fieri potest de causis consimilibus: at verò in circumstantiis mutationes subit quàm plurimas, & pro tempore, loco, personis, factis, modo, causis, atque adiumentis, tum praeteritis, tum etiam praesentibus, aut futuris, publicis atque priuatis variatur: Et quicunque in administratione humana omni consilia sua ita non temperant, vt varietati rerum varietatem iudiciorum accommodent, ij rebuspublicis plurimùm incommodant; vel potiùs perdunt eas funditùs iudiciorum suorum obfirmatione: quia magis constantia quàm consilio iudicióque certant, sine quo respublica non potest consistere.

Pars verò ceremonialis, quaecunque extat in Mosis legibus & mixto earum genere, ea hoc tempore periit vniuersè, neque homines ampliùs obligat in effectu (vt loquuntur) iure & auctoritate legis. Sunt enim ceremoniae iuris particularis: quod ius tum natura sua mutabile est, vt antè diximus, tum verò in ceremoniis mutatum re & circumstantiis: praesertim verò in iis ceremoniis quae ad rerum futurarum vmbram fuerunt institutae. Nam & ipsae ceremoniae Legis propter aliud fuerunt institutae, ac proinde mutabiles, vt antè conclusimus; & nobis rem, cuius causa fuerant, assecutis, mutatae sunt, & circumstantiae omnes mutationem earum legum non modò postulant, sed etiam flagitant. Etenim (vt percurramus singulas) tempus est diuersissimum: illud pueritiae, hoc verò adultae Ecclesiae: quibus in temporibus si vnam & eamdem administrationem omninò desideres, dementiae est, non sapientiae. Loci ratio maximè differens: tum enim Chananaea, Hierosolyma, Templum, singulari instituto Dei relationem sacramentalem siue ordinationem ad rerum sacrarum significationem in Ecclesia praebendam habuerunt: nunc sublata illa institutio singularis tota, vt Deus vbiuis locorum in spiritu & veritate adoretur. *Ioan.* 4. 23. Tum personae fuerunt singulari beneficio Dei instructae corporeis & carnalibus commodis, adiumentísque quàm plurimis & ornatae praerogatiuis singularibus supra omnes gentes: nunc ex omnibus gentibus vocantur promiscuè, quicunque ordinati sunt ad vitam aeternam, citra commodorum adiumentorúmque illorum contemplationem. In factis quoque differentia omnia: Nam etiam multa facienda Iudaeis praecepta sunt, quae nulla ratione facienda praecipi Christianis possunt, aut ab illis exigi: tantum discrimen est in rebus omnibus. De causis quid dicturi sumus? sunt quidem nobis communes causae cum priscis illis Iudaeis, gloria Dei, communis salus, & communio societatis humanae in natura rerum, & in Ecclesia Dei: sed Causae particulares fuerunt illis, quas Deus sapientia sua infinita praescripsit verbo, secundùm quas tum respublica illorum fuerat aliusmodi, tum singulae fermè obseruationes pro modo illius reipublicae institutae. (f. 1525) Quòd si haec vnica tum temporis causa extitisset, quae multa praescripta olim & obseruata fuerunt ad futuri praesignificationem: haec ipsa vnica & singularis causa subministratura est plus satis argumenti, vt agnoscamus immutatam esse conditionem istarum legum. In modo autem quàm maximum discrimen est; quia modum rerum & actionum omnium varietati rerum, quas antè diximus, contemperari oportuit: Itémque adiumenta

menta & auxilia, siue instrumenta, quaecunque ad illius reipublicae & Ecclesiae institutionem pertinebant; cùm nunc carnalia illa atque typica omnia sublata sint, & in veritate consummata ea quae illis instrumentis atque obseruationibus fuerunt adumbrata. Rectè igitur concludimus, quod ceremoniale fuit (nunc enim veritatem & corpus habemus ipsum) id vniuersè perisse: periisse autem, siue vsu, quia mutatum est liberè; siue iure ipso, quia mutari ex iure & necessitate oportuit. Quis nempe ceremonias illas in hoc tempore velit teneri mordicus, aut redintegrari, quas Deus instituerat olim, vt res futuras adumbrarent, consummata iam veritate; aut quas ordini & modo illius reipublicae contemperauerat, sublata iam republica per voluntatem iudiciúmque ipsius? Atqui ad haec duo ceremoniae omnes pertinebant: aut ad significandam veritatem, praecipuè futuram; aut ad cultum instituendum secundùm eam rationem qua Deus sese colendum patefecerat, & circumscripserat cultoribus suis in illa republica & Ecclesia sua. His ergo sublatis, & ceremonias sublatas confirmamus.

Nunc ad exempla veniamus, quae in propositione argumenti huius adduxi. sunt autem illa tria: quae postquam explicauerimus, vnum praetereà adhibebimus, quod his temporibus videtur pernecessarium propter difficultatem ipsius. Primum exemplum est de obseruatione diei sabbathi: quam obseruationem Deus sanciuit olim morali, & iudiciali siue politica, & ceremoniali lege: Nam legis moralis ex iure morali est, cùm Deus praecipit, Sex quidem diebus nos operari & facere totum opus nostrum; die verò septimo, id est, vno de septem nos recordari, diem esse Domini vnum de septem institutum, quem diem in religioso cultu Domini consumamus, sanctificemúsque. Non possunt boni mores, ne secundùm naturam quidem ipsam, apud eos homines constare, qui vnum de septem diebus non obseruant & sanctificant Domino. Huic verò morali instituto accedit politicum, ídque politicis obseruationibus multis insuper instructum in lege Mosis, cùm dicit Deus: non facies vllum opus in eo die, nec tu, nec filius tuus, nec filia tua, nec seruus tuus, nec ancilla tua, nec bos tuus, nec asinus tuus, &c. Quod praeceptum ratione politica magis expressit Moses, dicendo, vt quiescat seruus tuus & ancilla tua sicut tu. Deut. 5. 14. Huic praecepto seuerissima fuit adiuncta sanctio, cùm Deus diceret; quisquis prophanauerit sabbathum, omninò morietur, hominis facientis opus in eo excindetur anima in medio populorum suorum: & quicumque fecerit opus die sabbathi, omninò morietur. Exod. 31. 14. Ceremoniale verò in hoc instituto est, diei circumscriptio; causa circumscriptionis; & ritus obseruationis. Circumscriptionem diei appellamus, quòd dies ille sabbathi praecisè definitus est, quem Iudaei adhuc obseruant pertinacissimè. Nam quòd in eo die potius quàm alio vllo imperata est Iudaeis sanctificatio, id habuit ceremoniam partim ordinis, partímque figurae: quae duo fundamenta ceremoniae certis occasionibus aequissimum est aut mutari, aut etiam abiici. Causam circumscriptionis, cur dies ille ipse institutus est, duplicem animaduertimus; vnam propriam atque singularem, quia sex diebus fecerat Iehoua caelum, & terram, mare, & quaecunque in illis sunt & quieuerat die septimo; ac propterea benedixerat Iehoua diei sabbathi, & sanctificauerat eum, vt esset perpetua antecedentis illius operis recordatio: Alteram communem, quòd esset quietis piorum spiritualis meditatio atque exercitatio, in praesens tempus; & in futurum illius ipsius quietis, quae absoluta demum in caelis futura est, significatio.

Hîc verò quid mutabile sit, quid immutabile, etsi ex antecedentibus boni facilè intelligunt, tamen imperitiorum causa hanc distinctionem rerum in hoc exemplo accuratiùs demonstrabimus. Morale igitur quicquid est propriè & per se, id iure communi obligat immutabiliter: ac proinde ex illa institutione sabbathi cognoscimus, etsi omne tempus in officiis pietatis consumendum est religiosissimè, tamen certum diem de

septenis

septenis vnum ad communem Dei cultum veraeque pietatis exercitamenta ab hominibus omnibus postulari: qui secus fecerit, eos contra ius commune rationémque communem venire, quas res Deus exemplo & auctoritate sua inde à creatione sanctificauerit. Iudiciale autem quicquid est simpliciter, siue po(f. 1526)liticum, id duobus modis distingui necesse est. Nam in hoc genere inuenitur aliquid mutabile, & aliquid immutabile permanet. Cùm autem mutabiles in hoc genere dixerimus circumstantias esse, ex eo continuo sequitur nos hoc tempore in ea iudiciorum parte minimè obligari, quae in circumstantiis posita est: Exempli causa. Nos secundùm conscientiam non teneri obseruatione annorum intermissionis, aut iubilaeorum, aut consimilium, quae lex imperauerat. Leuit. 25. 4. 8. &c. Praetereà cùm multae leges iuris particularis sint, id est, particulariter ad illum populum, illud tempus, regionem illam, & caetera pertinentes; hoc etiam adiicimus, plerasque earum legum quae iuris particularis sunt in ritibus forensium obseruationum positae, iam mutatas esse, non modò in circumstantiis, sed etiam reipsa: cuiusmodi interdictum illud est. Ne accendatis ignem in omnibus habitaculis vestris die Sabbathi, Exod. 35. 3. & quaecumque praetereà instituta sunt eiusmodi, ex principio, aut obiecto, aut fine ceremoniali pendentia, vt praecedente capite ostendimus. Quaecumque autem rationis communis sunt, & iuris communis in politico legum Mosaicarum genere, ea aut ratione communi obligant, aut analogia; ac proinde diem illum sabbathi, qui à Iudaeis superstitiosè adhuc obseruatur, nolumus quidem obseruari, quia iuris communis & rationis est; quae publicum ordinem atque politeiam suam aequè in rebus Ecclesiasticis & diuinis, ac in forensibus & humanis postulant. Ceremonialia verò, quaecunque simpliciter ad ceremoniam pertinent, ea mutationis lege à Deo iam olim lata sunt; & quisquis ea mutari prohibet, menti legislatoris ipsius ac veritati aduersatur. Sed tamen hîc rursum opus est ceremonialia prudenter à nobis distingui, ne peraequè omnia eodem loco habeantur. Sunt enim ceremonialia, haec ordinis, & illa figurae, vt antè diximus. Quae autem ordinis sunt, si ad communem ordinem pertinent, puta conuentus haberi, certo loco, tempore, haec non tam ceremoniae, quàm politeiae sunt: & quia instituta politica iuris communis sunt immutabilia, vt antè ostendimus, propterea haec à nobis non tanquam ceremonialia, sed potiùs tanquam politica Ecclesiae, id sed, ad iustum ordinem honestatémque ipsius pertinentia (quae duo Paulus praecepit diligentissimè 1. Cor. 14. 40.) curantur religione summa. Sin ad ordinem iuris particularis spectant, quod ius particulare ad Christianos reipsa minimè pertinet, sed tantùm analogia; omninò statuimus ceremonias illas rectè mutatas esse, aut pro commoditate piorum mutabiles: Quandoquidem leges huiusmodi aut principio, aut obiecto ceremoniales sunt, aut fine ipsarum implexam necessariò habent mutationis legem. In iis verò legibus ceremonialibus quae figuratiuae vulgò appellantur, aut quà figuratiuae sunt, ratio est longè diuersa. Nam omnis figura ceremonialis, aut rerum praeteritarum est recordatio, aut praesentium demonstratio, aut futurarum praesignificatio. Quae ad recordationem praeteritorum beneficiorum fuerunt olim à Deo institutae & ad praesentium significationem, semper quidem fuerunt mutabiles; sed non omnes eamdem necessitatem mutationis subiuerunt. Quae ad ceremonias praenuncias rerum futurarum in Christo, omninò atque funditus perierunt, quia hae sine turpissima & impia abiuratione Christi, Dei in carne his temporibus vltimis patefacti, vigere non possunt. Itaque sabbathum, quà recordatio fuit creationis, mutatum est: sed non ita necessariò, quin recordatio creationis hoc quoque tempore obseruari posset, si nihil amplius inesset sabbathi illius obseruationi. Quà praesentem quietem Christianorum omnium, in Christo pacem, iustitiam, vitámque obtinentium, repraesentat; non obseruatur, quia haec beneficia Christi alio die nobis parta, & plenè consummata sunt, atque patefacta; nimirum primo die

49 hebdomadis;

hebdomadis; (Matth. 28. 1.) quo die resurgens Christus ex mortuis nouam hebdomadam regni sui (vt ita dicamus) inchoauit; & substituit exemplo atque auctoritate sua illius diei obseruationem in sanctissimo Apostolorum coetu & primitiuae Ecclesiae suae. Quatenus verò sabbathi illius ceremonia pertinuit ad rerum futurarum in Christo significationem, omninò est abolitum, nec sine grauissimo (vt ita dicamus) sacrilegio redintegrari aut repeti potest illius obseruatio.

Secundum exemplum est de homicidarum receptu in vrbes perfugij; cuius institutio habetur Numer. 35. 11. & Deut. 19. 2. In hoc autem exemplo tria illa concurrunt similiter, quae in praecedente exemplo docebamus; mora(f. 1527)le, politicum, & ceremoniale. Morale est & communis iuris homicidam vlciscendum, sed non temerè vlciscendum: legitimo tempore, & modo cognoscendum: eum qui vltrò homicidium commiserit, plectendum morte: qui nolens aut casu fecerit, à morte vindicandum; & saluti innocentis aut certè non planè nocentis consulendum. Haec omnia moralia sunt ex iure communi, quae Deus à nobis obseruari praecipit diligentissimè. Atque haec ipsa quoque iuris communis axiomata sunt certissima principia & semina politici illius iuris, quod distinctè à Deo positum est; vt iudicet consessus inter percussorem & vindicem sanguinis; & eruat homicidam è manu vindicis. Ceremonialia verò quaedam cum politicis institutionibus istis confusa sunt, ex quibus ius particulare appellatur, positum in politeia & ceremonia; cùm praecipitur constitui vrbes perfugij quò se recipiat homicida; cognosci in illis de facto homicidae: homicidam in vrbe perfugij habitaturum esse, donec moriatur sacerdos magnus qui vnctus est oleo sanctitatis: si antè homicida de loco decesserit, & incidens in manus vindicis afficiatur morte, reum mortis non fore vindicem, &c. Haec omnia iuris particularis sunt, & ceremoniam figuratam habent venturae in Christo gratiae: qua ex figura seu typo vniuersa ratio particularis istius iuris profecta est. Cùm autem ceremoniae adumbrantes venturum Christum & beneficia illius, planè interciderint: quis non videat tum ceremoniam hanc, tum quaecumque ad ceremoniam hanc ipsam pertinent, etiam in politica iudiciorum obseruatione, salutari aduentu Christi & complemento promissionum, quas adumbrabant figurae istae, concidisse? De his ergo iudicium idem fieri necesse est quod suprà in antecedente exemplo fecimus. Exempli tertij quoque, quod est purgationis de homicidio cuius incertus auctor, Deut. 21. 1. non absimilis est ratio. Nam & morale in eo est, de homicidio quaeri & cognosci oportere, de incomperto Ecclesiam & rempublicam purgari, ídque per eos ad quos pertinet publica rerum istarum auctoritas & procuratio: & politicum ac iudiciale est, ista politico ordine fieri ad communem purgationem omnium & iuris conseruationem: & ceremoniale est: capi vitulam abiugem, in vallem asperam procedere: vitulam iugulari, manus lauari super vitulam, & publica testificatione probari conscientiam omnium, & expiationem peti à Domino: quae omnia in ceremonia posita fuerunt, tum particularis iuris professionem piorum ad praesens testificantia, tum ceremonialia futurorum vmbracula; corpus autem eorum Christus, vt Apostoli vtamur verbis. In his ergo omnibus, quod iuris communis est permanet: quod particularis, extra ceremoniam, seruari potest, siquis velit: nec indecorum aut praeter honestatem foret, rempublicam & Ecclesiam in casibus eiusmodi probare conscientiam suam, & implorare Dei misericordiam, vt expietur à malo sed ceremoniam illam figuratiuam (vt vocant) nemo bona fide, aut probabili argumento vllo potest hac memoria nostra exigere.

Addamus huc etiam (si placet) exemplum quartum, vt antè diximus; de quo eo libentiùs dicturi sumus, quòd multorum iudiciis exagitatur hoc nostro tempore, & vocatur in dubium, prout studia sunt partium. Illud autem est pseudoprophetarum, defectorúmque, & transfugarum condemnatio, quam Moses Deuteron. 13. imperauit.

Verba

Verba Mosis, de pseudopropheta seducente haec sunt: Cùm surgens in medio tui propheta aut somnians somnium ediderit tibi signum aut prodigium quamuis eueniat signum aut prodigium illud quod praedixerat tibi, dicendo, sequamur Deos alienos quos non nouisti, & colamus eos: ne auscultato verbis prophetae istius, aut isti somnianti somnium: quia tentat Iehoua Deus vester vos, ad cognoscendum an sitis amantes Dei vestri ex toto corde vestro, & ex toto animo vestro. Iehouam Deum vestrum sequimini, & ipsum timete, & mandata eius obseruate, ac voci eius auscultate, eúmque colite, & adhaerete ei. Propheta autem iste, aut somniator somniorum iste, plectitor morte: quia suasit apostasiam contra Iehouam Deum vestrum, qui eduxit vos è terra Ægypti, & qui redemit vos è domo seruorum, depulsurus te à viâ quam praestituit tibi Iehoua Deus tuus vt ambules in ea: Ita sustuleris malum illud è medio tui. Haec lex omnino moralis ac iudicialis est, nec vllas in se habet circumstantias, ex quibus ceremonialis appellari possit: si hoc exceperis, quòd Moses statim pronunciat in ipso limine, *cùm surgens in medio tui propheta*, *&c.* His enim pauculis verbis, *Surgens in medio tui*, aliquid innuit positum in ceremonia; nempe quod agit in parti(f. 1528)culari de illo Dei populo quem eduxerat è terra Ægypti, & redemerat è domo seruorum, vt postea loquitur, & de eo propheta qui surgat in medio, & de medio populi illius; hoc est, qui tum ipse sit de eo populo quem Deus singularibus illis beneficiis erat prosecutus, tum fratres suos, populum illum Dei, ad apostasiam sollicitet. Ergo hoc praeceptum hac vtraque ratione habet ceremoniale obiectum, cetera moralia sunt communi iure, & ex morali politica. Morale igitur est, si quis ex populo Dei extiterit, qui ratione quamuis populum Dei palam atque apertè sollicitet, dicendo, sequamur Deos alienos, quos non nouisti, & colamus eos, non esse auscultandum illi. Iudiciale est, hominem illum morte plectendum esse, quia suasit apostasiam contra Iehouam Deum nostrum, id est, defectionem à Deo vero cognito, & transfugium ad falsos Deos ignotos. Hoc malum capitale esse qui negat, pietatem, rationem, & ordinem publicum labefactat importunissimè: vt siquis in hoc tempore ad Muhamedismum, aut Gentilismum ausit populum Christianum prouocare, qui ipse Christianus fuerit in Christi via verè institutus. Sed tamen non dubium est, quin ceremonialis illa ratio, quam modò perstringebamus, atrocius crimen efficeret: nimirum quòd homo iste ex eo populo esset, eumque populum sollicitaret, qui amplissima testimonia, & quidem aspectabilia, gratiae ac praesentiae diuinae habebat in se: quia eduxerat eos Dominus è terra Ægypti, redemerat è domo seruorum, & collocabat in ea terra, eo populo, & cultu, qui sacramentis gratiae praesentiaeque diuinae abundabat. Ac propptereà nemini bono dubium esse potest, falli quàm plurimùm eos, qui indiscriminatim omnes homines errantes in doctrina sacra, quorum opera alij in eundem errorem impelluntur, hac seueritate Iudiciorum stringendos putant. Nam & conditione facti, & circumstantiarum omnium, maximum discrimen opus est obseruari inter eos, quos in hunc modum damnauit Moses, & eos qui hoc tempore errores aliquos contra salutarem doctrinam promouent. Factum enim, cuius nomine Pseudoprophetae damnantur morte, est pura puta apostasia hominis perfricta fronte Deo renunciantis & alios in renunciationem eandem elata manu prouocantis: qui arcem ipsam salutis, id est, Deum veritatis petit: non autem ex hoc aut illo veritatis capite, aut compluribus etiam non ita grauibus exorbitat. Tum est hominis ex Ecclesia & in Ecclesia errores suos voluntariè obtrudentis, & labefactantis piorum Ecclesiae membrorum fidem. Postremò hominis est in Ecclesia prisca Iudaeorum hoc virus impietatis suae profundentis, in qua Ecclesia quam plurima extabant documenta singularia, quae hominum fidem constringerent, & perfidiam atrociorem efficerent. Quae res vbi concurrunt in crimen alicuius pseudoprophetae & hominis plani: alienum

num esse à religione & fide eum putauero; qui pseudoprophetam eiusmodi, reum impietatis istius, morte mulctandum negauerit.

Sed grauior eodem in loco à Mose quaestio videtur subiici, cùm de clandestino seductore & de publica defectione seu apostasia loquitur eodem Capite, & (quod grauius est) cùm de homine transfuga, qui à vero Deo ad Idola sese contulerit, capitalis quoque fertur sententia Deut. 17. Quae tria exempla cùm ad eandem rationem communis iuris pertineant, primùm ordine proponemus, deinde verò communiter rationem sententiae illius explicabimus. De priuata igitur sollicitatione ad apostasiam Lex Mosis sic habet: Deut. 13. 6. &c. Si clàm te incitet frater tuus, aut filius matris tuae, aut filius tuus, aut filia tua, aut vxor sinus tui, aut amicus tuus, qui est sicut tuipse, dicendo: Eamus & colamus Deos alienos, quos non nouisti tu aut maiores tui, è diis populorum qui sunt circa vos, propinquorum tibi aut longinquorum abs te, ab vna extremitate terrae vsque ad extremitatem alteram illius: ne acquiescito ei, neque auscultato ei, neque parcito oculus tuus ei, neque clementia vtitor, neque celato eum: sed omnino occidito illum: manus tua primùm esto contra illum vt morte afficias illum, posteà verò manus totius populi, vt obruas eum lapidibus donec moriatur: quia quaesiuit te depellere à Iehoua Deo tuo, qui eduxit te ê terra Ægypti è domo seruorum, &c. De publica defectione ibidem sic praecepit Moses: Deut. 13. 12. &c. Si audiueris de aliqua ciuitatum tuarum, quas Iehoua Deus tuus dat tibi ad habitandum, illic, dicentes: Egressi homines nequissimi de medio tui depulerunt habitatores ciuitatis suae, dicendo, Eamus & colamus Deos alienos quos non noueratis: vbi inquisiueris & peruestigaris, percunctatus fueris bene: si ecce vera certáque fue-(f. 1529)rit res illa, si commissa fuerit abominatio ista in medio tui, omnino percutito habitatores ciuitatis illius acie gladij: internecioni deuoueto eam, & omnes qui erunt in ea, iumentáque eius acie gladij, &c. Postremò de particulari defectione lex in hunc modum lata est: Deut. 17. 2. &c. Si inueniatur in medio tui, in aliqua è portis tuis quas Iehoua Deus tuus dat tibi, vllus vlláve qui fecerit quod malum videtur in oculis Iehouae Dei tui transgrediendo fedus eius, & abiens coluerit Deos alienos, incuruando se habens honorem illis, aut Soli, aut Lunae, aut vlli exercitus caelorum, quod non praecepi; renunciatúmque fuerit tibi atque audiueris: cum inquisiueris bene, si ecce vera certáque res illa erit, si commissa fuerit abominatio ista in Israële; omninò produces virum illum aut mulierem illam, qui commiserint rem pessimam hanc, ad portas tuas, virum, inquam, illum aut mulierem illam; vt obruas eos lapidibus, ac moriantur. In his tribus legibus agitur de seducentibus & seductis pariter, & vtrique sententia Dei vltimo supplicio addicuntur.

Ac de pseudoprophetis quidem seducentibus palàm, actum est in eo exemplo quod antè praemisimus: sed de eo qui in apostasiam impellit clanculùm, seuerius fortasse iudicium Dei mitiori alicui videbitur, ambienti laudem existimationémque clementiae. Verumtamen si quis in hoc exemplo primùm quidem factum ipsum, deinde verò circumstantias omnes accuratè inspexerit; animaduersurus est partem iuris communis, partémque iuris singularis in hac lege Mosis existere. Iuris communis est auctorem apostasiae non esse audiendum, nec illi parendum, nec celandum; sed afficiendum iusto supplicio: qui quidem sciens prudens vniuersè Deo & populo eius renuncians, & ad cultum daemonum transfugiens, alios in idem genus criminis sollicitauerit. In facto igitur caeterísque circumstantiis clandestinus iste auctor apostasiae eadem ratione est, qua ille publicus, de quo antè Moses praeceperat: tantùm in ratione loci discrimen est, quòd ille publicè; hîc clàm animos in apostasiam tentat perducere. Haec verò circumstantia non minuit grauitatem facti, sed plerumque amplificat, & in hac causa certè omnino facit. Nam qui in publicum prodit hoc consilio, plerumque nec ita vete-

rator

rator est, nec tantum efficit atque is qui clàm irrepit in domos, & animos piorum specie familiaritatis & amicitiae adspergit veneno suo. Denique (vt absoluamus paucis) qui publicè tentat, plus commouet, sed minùs permouet: qui autem clanculum, etsi pauciores commouet, plus tamen permouet ac efficaciùs: quemadmodum plus est in dolo & arte plerumque positum, quàm in conatu manifesto. Quapropter sapientissimè Domino visum est clandestinae auctorem apostasiae, qui se suúmque virus πανούργως insinuauerit, tam reum esse mortis quàm qui fretus sola fermè audacia prodere in publicum perdita consilia apostasiae voluerit: quemadmodum tam reus est homicidij qui veneno fratrem, quàm qui sica tollit; ac plerumque etiam atrocius crimen efficitur isto criminis perpetrandi modo. Nec refert vtrum hîc multos, nec ne sollicitauerit: quemadmodum in fure nihil interest, vtrum decies mille, an centum abstulerit: quia satis est hominem impij istius artificij compertum esse; ídque legitimè, id est, non vnum solùm sed etiam alterum sollicitauisse, quorum testimonio conuinci possit. Nam propterea in hoc ipso argumento cauit Dominus de hac re: dicendo, Ex sermone duorum testium aut trium morte afficitor is qui moriturus est; ne afficitor morte ex sermone testis vnius. Deut. 17. 6.

Iam verò ad alterum genus legum veniamus. De seducentibus vidimus, qui quidem à vero & viuente Deo prudentes scientes volunt pios abducere in apostasiam vniuersalem (vt vocant) transfugiúmque miserrimum. Sed quid fiet seductis miseris alieno facto? De his similiter prospexit Dominus in lege Mosis duobus locis quos antè adduximus: & siue singularis aliqua persona seducatur, siue etiam ciuitas vniuersa, excidium seductorum imperauit. Seductos autem dico non in hunc aut illum errorem simpliciter à salutari scientia; sed qui à vero Deo ad deos falsos transfugiunt, id est, toti pietati & religioni renunciant. Durum fortasse praeceptum illum Dei à multis existimabitur: sed tamen Dei praeceptum fuit, qui est iustissimus. In hoc autem praecepto, ad recognoscendam iustitiam eius (nam mixti generis est) morale, à iudiciali & ceremoniali accuratè distingui necesse est. Morale est; quisquis sciens prudens vero Deo & cultui eius renunciat vniuersè, & ad falsos Deos transfugit, non esse audiendum, ac ne ferendum quidem in populo Dei. Iudiciale est, morte plectendum esse siue hominem, siue hominum coetum, quem ciuitatem appellamus. Fundamentum verò iudicialis huius instituti ceremoniale est. Quod morale est, permanet immuta-(f. 1530)bile. Iudiciale quandoquidem fundamento ceremoniali nititur, non iuris communis simpliciter, sed particularis est: quaecunque verò leges particularis sunt iuris, omnes fuisse mutabiles ante docuimus. Non igitur haec sententia mortis sic accipienda est, vt si in seductos homines quoslibet in omne tempus esset imperata: cùm ceremonia, (quae fundamentum est illius) rationem (vt nouerunt omnes) habeat temporariam atque mutabilem. Quid ergo, dixerit quispiam, est ceremoniae? nempe in personis, tempore, loco est ceremonia, quae factum aggrauet: Personis, quia Iudaei erant vel Israelitae, quos Deus beneficiis singularibus sibi vindicauerat, & assertos in libertatem sanctificauerat ex omnibus populis, vt populus ipsius essent: tempore, quia recens erat beneficiorum Dei recordatio, & multiplex praesens significatio, sacramentorum omnium quae Deus lege indixerat, atque etiam aspectabile symbolum praesentiae illius: loco, quia regia illa Cenahanaea erat tamquam domicilium Dei, quò Israelitas gratiosè velut hospites intromiserat Deus, vt toti in eo domicilio, siue hospitio penderent auctoritate hospitis illius Dei, ad quem ius pertinet non solùm vbique, verùm etiam singulariter in domo sua ferendi leges arbitratu sua. Nam ab huius legibus quicunque discedunt, vbiuis locorum sint, rei sunt coram ipso: Sed ij maximè impietatis rei dicendi sunt, qui in domo ipsius coram ipso, à quo gratiosè excepti atque ornati sunt, legibus ipsius obnituntur. Quid? nónne furtum, & homicidium, & adul-

terium

terium domesticum grauius est eo quod extra domum perpetratum est? nónne illud ipsum domesticum crimen grauius est, si in dominum ipsum, quàm si in conseruum committitur? haec igitur particularis fuit illa ratio, qua atrociora Israelitarum scelera effecta sunt, & atrocioribus suppliciis vindicata. Nam hae circumstantiae nulla ratione hoc tempore in Ecclesia Dei seruari possunt, vt de hominibus seductis eodem modo iudicetur.

Thes. 37. Atque in hunc modum pleraeque se habent leges Mosis iudiciariae, quae tum ius politicum naturae commune ex ratione illa communi & immutabili, & singulare gentis ex particulari iure & ratione singulari (vt antè diximus) *participant, tum ceremoniale ab instituto gratiae. Has autem leges quae ita mixtae sunt, nec rectè intelligimus, nisi τὸ ἠθικὸν ἀπὸ τοῦ τυπικοῦ distinguamus, nec quisquam strictam earum obseruationem hoc tempore cum ratione potest exigere* in Ecclesia Dei; quo tempore acclamari potiùs illud Pauli in aures piorum omnium necesse est; in libertate, qua Christus nos liberauit, persistite, & ne regredientes implicamini seruitutis iugo. Gal. 5. Item, quicumque volunt speciosi apparere in carne, ij cogunt vos circumcidi, aut aliis ceremoniis vti, tantùm ne ob crucem Christi persecutionem patiantur. Gal. 6. 12. Nam ne ipsi quidem qui circumciduntur, legem seruant; sed volunt vos circumcidi, vt de vestra carne glorientur. A nobis verò absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quam mundus nobis crucifixus est, & nos mundo. Nam in Christo Iesu neque circumcisio quicquam valet, neque praeputium, neque alia vlla ceremonia à patribus aut lege accepta; sed noua creatio.

Cur autem non teneamur illis obseruationibus, rationem exponentes, paucis hoc modo concludimus: Thes. 38. *nam pars earum* (*vt ita dicamus*) *mortalis est atque mutabilis, pars mortua, & pars mortifera. Qui autem figit mutabiles aut mortuas pro absolutè necessariis, libertatem; qui mortiferas, vitam mentibus Christianis, quantum quidem in ipso est, è medio tollit.* Duplex igitur causa est, cur illa antecedentia non obstringant nostras conscientias ad sui obseruationem: altera est natura ipsa rerum illarum antecedentium: Altera, euentus ex obseruatione illarum consecuturus. Quod enim ad naturam rerum illarum attinet, tribus modis obseruatur: aliae in vsu sunt, aut esse possunt; sed mortales (vt ita dicamus) atque mutabiles: quemadmodum exempli causa, si hominem quem lex addicit lapidationi, laqueo, igne, gladio plectendum iudex pronunciauerit. quid enim vetat, quo minùs etiam lapidationem strangulationemue imperet? Aliae sunt mortuae, id est, non solùm vsu, sed etiam iure ipso abolitae: quemadmodum de ciuitatibus receptus homicidarum causa institutis, de eo qui captiuam vxorem duxerit, Deut. 22. 14. &c. iudicium arbitramur fieri oportere. Aliae denique mortiferae, puta quaecunque propriè ad Christum velut corpus vmbrarum illarum, respexerunt, & ad complementum salutare redemptionis nostrae figurandum; cuiusmodi fuit in legibus politicis praeceptum de cadauere suspensi sepeliendo eodum die, ne pollueretur terra quam Iehoua Deus noster in possessionem Iudaeis tradiderat. Deut. 21. 23. Nam illa praecepta quae in hunc modum ad Christum respexerunt, propriéque typi ac desti(f. 1531)nati fuerunt illius, obseruari fuit mortiferum, ex quo tempore Christus exhibuit complementum eorum Ecclesiae suae. Quemadmodum autem ipsa legum natura hoc docet; ita etiam euentus obseruationis illarum, si quis forte vrgeat, ex natura recognoscendus est. Nam qui figit mutabiles aut mortuas leges, perinde atque si absolutè essent inter Christianos necessariae, is libertatem Christianam tollit, cùm ex re libera facit necessariam, & laqueo graui ac periculoso impedit conscientias. Adde etiam (quod amplius est) interdum veritatem ab eo tolli, qui res mortuas praedicat esse necessarias: quemadmodum si quis legem de votiuo Naziraeatu necessariam hoc tempore esse contenderet, aut etiam liberam, ex quo est mortua. Num. 6. 2. Qui verò mortiferas leges ferre non dubitat, cuiusmodi

modi eas esse docuimus quae veritatem suam & complementum in Christo habuerunt, is mortiferum (vt ita dicamus) poculum propinando, vitam mentibus Christianis adimit, quantum quidem in ipso est; nisi Deus pater miserationum eam gratiosè datam gratiosissimè conseruaret.

Hîc verò dixerit quispiam: Atqui, si leges illae mortuae aut mortiferae sunt, ex quo Christus exhibuit complementum gratiae; ne ipsi quidem Apostoli ab hoc crimine excusari possunt: qui leges ceremoniales illius generis tum obseruauerunt ipsi, tum ab aliis obseruari voluerunt, quas tamen mortiferas hoc loco appellamus. Huius enim rei habentur exempla Actorum 15. cùm abstineri etiam à suffocatis rebus & sanguine iubent: Actorum 16. cùm Paulus Timotheum circumcîdit contra quàm docet Galatas: Itémque Actorum 21. cùm Paulus de sententia Iacobi totiúsque seniorum consessus obseruauit purificationem, atque in templum ingressus est denuncians expletionem dierum sanctificationis, vsque dum oblata foret pro vnoquoque eorum oblatio. His tribus exemplis videtur euerti quod antè diximus, Non posse integra libertate, veritate, & vita piorum ceremonias illas obseruari.

Sed tamen si quis rem penitius introspexerit, eâdem vtrumque animaduersurus est; tum verum esse quod antè diximus, tum Apostolos fecisse officium in eis exemplis quae aduersus doctrinam illam proferuntur. Nam in his exemplis & consimilibus duo obseruanda sunt: primùm eorum distinctio, quia non sunt vnius & eiusdem generis: secundò autem ius singulorum secundùm genera. Duo enim exempla in hoc numero (vt ita dicamus) mortua sunt, vnum mortiferum: quapropter ea inter se confundi minimè conuenit, cùm iure sint diuersissima. Mortua sunt haec duo: primum, quod est de sanguine & suffocato cauendo; & tertium, quod est de purificatione Pauli, & oblatione votiua. Mortiferum est secundum, puta circumcisionis patribus datae obseruatio. Rursum quae mortua esse diximus, ea inter se ratione differunt. Nam sanguinis & suffocati interdictum naturalem habuit significationem; ritus purificationis & oblationis significauit professionem piorum voluntariam, neque ad Christum figurandum pertinuit vllo modo, aut vllo iure aptari potest. Quapropter siquis hoc tempore vellet à suffocato & sanguine abstinere (quae ceremonia est mortalis siue mutabilis) non impediretur; modo ne id fiat causa conscientiae. Nam cùm interdictum illud officia humanitatis inter omnes exercendae significauerit, & commendauerit studium de vita hominum conseruanda, quod officium à natura est; & signum liberè & res significata necessariò obseruatur, si modò ab signo absit superstitio: res media est planè atque indifferens. quapropter rectè Apostoli consuluerunt Ecclesiae Dei, vt pij omnes à violanda priore legis tabula (quod idololatria uel pollutione simulachrorum synecdochicè nomine scortationis praeceptum est) & à violanda fratrum conscientia in rebus adiaphoris abstinerent, quod nomine suffocati & sanguinis fuit declaratum. Act. 15. 29. Ritum verò illum votiuae professionis, cuius exemplum est Act. 21. 26. non solùm mutabilem, sed etiam mortuum mutatúmque dicimus: quia ritus fuit voluntariae cuiusdam ceremoniae, qua homines vltrò se in sanctimonia exercebant, eámque profitebantur de se ipsi; non autem de Christo quidquam figurabant. Nam qui ritum illum Naziraeorum votiuum Numerorum 1. 2. ac voluntarium cum ritu illo necessario atque imperato confundunt, cuiusmodi fuit Schimsonis ritus, ij iudicio meo conturbant res quàm remotissimas: cùm vo(f. 1532)tiuus Naziraeatus à piis adhiberetur ad exercitamentum professionémque sui ipsorum, qua expleta gratias agebant oblatione Domino; Imperatus verò ad praefigurationem Christi pertineret.

Grauissimum verò exemplum illud est, quod de Timotheo circumciso per Paulum adducitur: cùm ipse Paulus quàm maxima voce contenderit, Si circumcidamini, Christum nihil vobis profuturum. Galat. 5. 2. Mortifera est igitur circumcisionis obseruatio,

uatio, ex quo impleuit Christus illius veritatem. Atqui eam adhibuit Paulus post illud tempus, quàm veritatem illius Christus impleuerat: aut ergo rem mortiferam Paulus adhibuerit, aut antecedens falsum dicamus necesse est. Responsio est, disiunctiuam non esse ἄμεσον, ideóque infirmam argumentationem. Dicimus enim circumcisionem prisco tempore fuisse legitimam atque salutarem: hoc tempore fore mortiferam, si quis vtatur ea: Sed medio quodam tempore fuisse mortuam, necdum mortiferam; nimirùm quo tempore legales illas ceremonias (vt verbis vtamur Augustini Epist. 19.) efferri cum honore quodam oportuit. Optimè enim ad Hieronymum scribens Augustinus tria tempora in ceremoniis demonstrauit distinguenda; vnum ante Christi passionem, in quo legales ceremoniae nec erant mortiferae nec mortuae, sed ad vitam piorum ordinatae: Alterum post tempus Euangelij in publicum diuulgati, quo tempore legales illae ceremoniae aut mortuae, aut etiam mortiferae censendae sunt, praesertim quae ad complementum veritatémque in Christo praefigurandam pertinebant: Tertium denique intermedium tempus, quod pertinuit à passione Christi ad promulgationem vsque Euangelij: In hoc enim tempore fuerunt quaedam mortuae legales ceremoniae, quia neque vim vllam habebant ipsae, neque ad obseruationem ipsarum tenebatur quisquam: sed tamen non continuò fuerunt mortiferae, quia pro ratione hominum ad tempus sapientia diuina dissimulatae sunt. Nam quicunque ex Iudaeis transibant ad Christum, poterant licitè obseruare legales illas ceremonias, dum spem in eis non collocarent, eásque sibi necessarias esse ad salutem arbitrarentur: tanquam si absque legalibus fides Christi iustificare hominem non posset. qui autem ex gentibus ad Christum adducebantur, hi nulla ratione ceremonias illas tenebantur obseruare, sed vti libertate quam Christus sanguine suo electis suis comparauit, ídque ad aedificationem, ac non ad destructionem: prout res omnes medias siue indifferentes à piis prudentibúsque viris necesse est occupari. Nam hac ratione Timotheum circumcidit Paulus, vt aedificaret; Titum verò minimè, ne plus hoc suo facto destrueret. Gal. 2. 2. Fuit enim primo tempore circumcisio vitale sacramentum: secundo tempore corpus emoriens & cadauer recens mortuum: tertio denique tempore, in quo versamur, cadauer redolens atque mortiferum: Quia quod illo principio mortuum erat simpliciter, progressu temporis, quo amplius coepit inualescere doctrina Euangelij, mortiferum effectum est. Ac tum quidem efferebatur honorificè, vt corpus mortuum: aut velut moriens, commodè curabatur: nunc verò conditum sepultúmque in omnem memoriam permanet: ne, si refodiatur, exhalet mala in Ecclesia Christi mortifera. Iam enim (Augustinus inquit) cùm venisset fides quae priùs illis obseruationibus praenunciata, post mortem & resurrectionem Domini reuelata est, amiserant tanquam vitam officii sui. Verumtamen, sicut defuncta corpora, necessariorum officiis deducenda erant quodammodo ad sepulturam, nec simulatè, sed religiosè; non autem deferenda continuò, vel inimicorum obtrectationibus tamquam canum morsibus proiicienda. Proinde nunc quisquis Christianorum, quamuis sit ex Iudaeis, similiter ea celebrare voluerit; tamquam sepultos cineres eruens, non erit pius deductor vel baiulus corporis, sed impius sepulturae violator. Atque in eamdem sententiam optimè Fausto Manichaeo & aliis fuit iam olim ab eo responsum conuenientissimè. I. 19. contra Faust. Manich. c. 17.

Quae cùm ita sint, vtrumque optimè statuimus, & bene tunc à sanctis Apostolis prouisum esse, & nunc bene à nobis statui; qui figit mutabiles aut mortuas leges, pro absolutè necessariis, libertatem Christianis: qui mortiferas, vitam adimere. Hanc verò libertatem & vitam in veritate custodiat idem qui peperit & donauit, Christus Dominus & seruator noster, aeterna spiritus sui communicatione. Amen. (f. 1533).

V.

EIRENICVM DE PACE ECCLESIÆ CATHOLICÆ.

EIRENICVM

DE

PACE ECCLESIÆ CATHOLICÆ

Inter Christianos, quamuis diuersos sententiis, religiosè procuranda, colenda, atque continenda:

In Psalmos Dauidis CXXII & CXXXIII Meditatio

FRANCISCI IVNII.

Illustrissimo Principi, Domino potentissimo,

D. MAVRICIO, LANDGRAVIO HASSIÆ,
Comiti in Catzenelbogen, Dietz, Zigenheim, & Nidda, &c.

Domino clementissimo, gratiam & pacem à DEO *Patre & Domino*
IESV CHRISTO.

ACERBISSIMVM quidem, Princeps Illustrissime, luctum intulit Deus familiae vestrae, quum Illustrissimum Principem parentem tuum ex hac misera commoratione ad se in stationem beatam euocauit. Quem luctum eo acerbiorem T. C. scio accidisse, quòd eo semper optimo parente & duce fidelissimo vsus sis ad totam rationem vitae & studiorum tuorum institutum. Quòd si tristis ille & funestus casus aut solus extitisset, aut solam T. C. affecisset, aequiore animo fuisses laturus ipse, & minus sensura Germania tota: de cuius pace & tranquillitate semper quàm fidelissimè optimus ille parens labourauit. At quàm multa funera in Germaniae vidimus anno vno! quàm multis casibus fuit Germania de ira Dei minante, & terrores & plagas & mala grauissima denunciante certior facta à Domino! Intus funera, foris bella vtrimque in fines indignissimè & atrocissimè irrumpentia: quae T. C. (scio) afficiunt vehementiùs quàm

quàm vel domestica haec calamitas. Etsi in domestica hac calamitate, id est incommodi; quòd dum Germaniae commune ex malis tantis laborat, eodem tempore illa subsidio, immò praesidio pacis & tranquillitatis firmissimo, parente tuo, orbata est. Quid dicam, nisi iram Dei exardescere? minari ferulam? ad veram pacem cum Deo, cum Ecclesia, cum fratribus Germaniam totam reuocare! Nam grauia quidem illa, adeóque grauissima. Sed video (proh dolor) malum Germaniam exedens longè grauissimum: Scindi Germaniam non tam per hostes exteros, mundo, carni, ambitioni, & tyrannidi iniustissimae seruientes, quàm per eos ipsos Germaniae partes & alumnos, qui ex naturae conscientia pacem corporis vt membra, ex gratiae conscientia pacem Ecclesiae vt filij pacis procurare debent. Video ipsos quos recep(f. 677)tui canere quàm religiosissimè oporteret, administros pacis euangelizaturos pacem in Domino, eos ipsos inquam bellicum canere quàm ardentissimè, & primos in ordines Ecclesiae, ordines pacis, contrà quàm Deus pacis mandauit, contentione summa incurrere. Quid? nonne vident discidia nostra esse amicorum dispendia, hostium compendia (vt cum Hieronymo dicam) & publica irae diuinae incendia? Misereatur Dominus: me quidem miseret secundum Dominum: & quamuis iam absentem à Germaniae solo per voluntatem Dei, tamen vt praesentem animo grauiter afficit istorum malorum, quae video & praeuideo, cogitatio. Atque his quidem malis prouisurum confido Deum, & prouisuros pios Principes amantes pacis publicae & suae, amantes pietatis, amantes patriae. Sed quia tu, Maurici Illustrissime. non postremus es in eorum numero, qui studio meditantur pacem, officio procurant, & exemplis (quibus abundas domi ab auo, à parente tuo) incitantur: non potui quin & Germaniae communi vestrae & T. C. animum meum constantem & studiosum vestrae pacis vobis exponerem à discessu meo. Scripsi de pace documenta communia, quae in mente sunt, in ore omnium; sed non sunt aut compárent vsquam in opere. Nam eo ipso quòd communia sunt, negliguntur, teruntur pedibus: curant singuli singularia & particularia, vt vocant. Latinè scripsi, vt Germaniae vestrae aliqua saltem τροφεῖα renumerem, qui annos amplius XXV in ea vixerim. Optimo animo cupiui ἀντιπελαργεῖν. Haec causa me adduxit vt hoc opusculum, qualecunque est, T. C. inscriberem, & per manus eius offerrem Germaniae tuae. T. C. oro vt hoc meum officium sibi exhibitum in bonam partem accipiat, studiúmque interpretetur bene: Deum verò opt. max. auctorem pacis & chari(f. 678)tatis verae, vt benedicens precibus & labori meo, Ecclesiam Germaniámque ipsam vestram stabiliat in pace & sanctimonia, & omnium animos, procerum ac popularium, in primis T. C. regat in consiliis, atque ad pacem dirigat constantissimè, vt instrumentum pacis sanctificatum à Domino ad gloriam ipsius, Ecclesiae & Reipub. vtile futurum ac salutare quàm diutissimè.

T. C. studiosissimus,

Franciscus Iunius.

EIRENICI

PARS PRIMA,

SEV MEDITATIO IN PSALMVM CXXII.

Naturale studium est omnium vt fruantur bono; & ad fructum boni consequendum depellunt à se contraria naturae luce, quibus oppugnatur bonum. Hunc autem appetitum, qui rebus omnibus naturalis est, multa insuper accidentia solent acuere, in primis autem molestae malorum infestantium moles & fluctus procellarum: qui quo grauius impendent atque exagitant, eo plus animi humani premuntur sollicitudine. Ac sollicitudo quidem de proprio & singulari bono ita est singulis indita, vt moneri quemquam non sit opus de bonis singularibus & priuatis commodis persequendis, aut propulsandis incommodis. Sed cùm à natura ita sit comparatum, vt singula quaeque ad vnum aliquod commune bonum referantur, homines verò supra res creatas per singularem Dei gratiam luce rationis, & quàm plurimis ad bonum adiumentis instructi sint: quod indignum aliis rebus existimant, eas à bono communi discedere. id multo amplius de se ipsi debent statuere: qui & bono proprio instructi, & ad commune documentis tam multis prouocati, tam fugiunt quàm qui maximè suauissimum illum fructum communis boni, & in publicum malum velut coniurati ruunt pertinacissimè.

Etsi quid de bono illo naturae ponendo ante oculos omnium, aut de malitia hominum dicamus multis, commune bonum, quod natura exhibet, oppugnante? Est bonum longè praestabilius, summum bonum, optimum bonum in Deo positum, & ab eodem expositum, velut principio omnis boni, cùm in natura, tum supra naturam rerum creatarum omnium: ad cuius boni conscientiam, exspectationem, & apprehensionem à Deo regignimur, instituimur, prouocamur, ducimur, trahimúrque vi quadam salutari, & incredibili misericordia: & quò Deus impium hunc mundum prouocat, suos transmissurus ad participationem supernaturalis suae & diuinae gloriae. Huius tanti boni fontem se exponit Deus, plenitudinem in Christo exhibet, riuos in mundo statuit, aquas salutares in ecclesia distribuit suis, omnes denique in communionem sanctorum omnibus modis salutaribus prouocat, ad ipsius aeterna bona aeternùm percipienda in Christo Iesu, & hîc etiam in terris, dum peregrè absumus à Domino, in vnitate corporis & spiritus vnâ fide per vinculum pacis degustanda.

Hîc verò quid dicturi sumus, cùm miserabilem istam funestissimámque mundi ruentis constitutionem animaduertimus? simul videmus, simul horremus: & iusto dolore,

dolore, si quidem verè Christiani sumus, in isto Christianitatis funere ac busto contabescimus. Ierem. 9. 1. O si quis daret caput meum esse aquas, & oculum meum scaturiginem lacrymarum, vt deflerem interdiu & noctu tot funestos casus mundi & cruentissima ecclesiae vulnera, intus, foris, à domesticis, ab exteris indignissimè imposita! O si quis poneret me in deserto, in deuersorio viatorum, vt derelinquerem populum istum rebellem, & abirem ab eo migraturus ad dominum meum, Deum veritatis quae exulat, & Deum pacis quae à filiis pacis oppugnatur! Libet enim, adeóque iustissimus dolor cogit me erumpere in illa Ieremiae Prophetae verba: quibus funestum gentis suae, ac potiùs priscae illius ecclesiae statum deplorabat. Nam si haec tempora cum illis comparem, omnino statuo illa vetera vtcumque fuerint misera, ab his nostris omni malorum genere, vt cùm maximè, superari: Quibus neque ad summum (f. 679) illud & vnicum verè bonum communi studio aut zelo priuato contenditur. neque via certa ad illud pertinente insistitur, neque pietatis ratio ante mundi peruersi oculos versatur, neque inclinatio ad iustitiam vllam, neque amor veritatis ad omnia haec consequenda tenendáque pernecessariae, neque prudentiae modus ad publicum priuatúmque bonum in pace & sanctimonia promouendum: Sed contrà (vt verbis prophetae vtamur (Psal. 14. 3.) omnes omnino corrumpunt vias suas, in mente ipsorum impietatem colunt, & abominandas actiones animo perpetrant, reipsa non est qui faciat bonum sibi ipsi, nedum fratri & conseruo suo.

In hac tanta strage ruináque miserabili orbis Christiani, quem sua ipsius membra, tum aduersus seipsa, tum verò inter se pugnantia, praesertim religionis & pietatis nomine, lacerant indignissimè, & porrò pessumdatura sunt, nisi salutaris à caelo manus Dei fecerit medicinam: Quid agerem, nisi vt oculos meos in caelum attollerem ad Deum salutis nostrae, & illa arma militiae nostrae spiritalia caelitus emissa corriperem, vt in Dei nomine (cui seruio, & Ecclesiae catholicae eius secundùm ipsum) fratres meos, & membra Christi, tam quae vocata sancta, quàm quae vocanda per Dei gratiam, sermone & exemplo (si quid exemplo possum) ad pacem vnitatémque spiritus reuocem, in vnitate corporis illius quod Deus redemit sanguine suo?

Quam ad rem primùm Deum omnipotentem oro supplex, Patrem domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis cognatio nominatur in caelo & terra, Deum veritatis & pacis, vt abiectâ ratione peccatorum tot & tantorum, quibus maiestatem ipsius & alij alios plus satis offendimus, veritatem suam demonstret errantibus, & veram pacem intus & foris stabiliat, quâ alij alios ferre, & omnes ad Deum contendere vno animo possimus in Christo Iesu redemptore & seruatore nostro. Deinde verò fratres omnes meos, fratres (inquam) & vniuersali naturae lege, & communi vocatione gratiae, & singulari spiritus communicatione, rogatos volo quàm diligentissimè per summas illas Dei miserationes, quae nobis perituris affulserunt, & adhuc nos circumfulgent in malis nostris (proh dolor) pereuntes: si qua est consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua communio spiritus, si quae viscera ac miserationes, vt de explendo sanctorum gaudio mecum laborent diligentissimè; vt itidem sint affecti, eandem charitatem habentes, vnanimes & sententiis vni; nihil gerentes per contentionem aut per inanem gloriam, sed ex modestia alij alios sibi praestare existimantes, quisque non sua spectent, sed etiam quae sunt aliorum: Denique is sit affectus in nobis omnibus qui in Christo Iesu, velut capite & summo exemplari nostro. Postremò autem, quia de hoc ipso argumento, dum omnia inter Christianos miserè clamoribus & vociferationibus impotentissimis personant, artibus euertuntur, & cruentantur caedibus constitui secundùm Deum ex sanctissimo ipsius verbo aliquid pronunciare, quod secundùm veritatem & charitatem (quam omnibus imperauit Deus) ad vtilitatem publicam iudico pertinere! Peto ab omnibus & singulis quàm possum amantissimè, ne quid

quid aut de me homine abiectissimo, aut de scripto hoc instituto meo praeiudicati concipiant in animis suis, tanquam si in harum aut illarum partium (quibus hodie Christianus orbis miserè scinditur) odium, inuidiam, aut notam qualemcunque sim allaturus, aut de me ipse magnificè suprà quàm decet aut oportet sentiam, aut meam operam praefidenter aliorum, quos amo, colo, venerórque, operae anteponam: sed potiùs sic de me statuant, me omissa causarum, rerum, & actionum singularium, quae in hoc tempore discutiuntur, ratione, citra praeiudicatum vllius hominis, ex sola veritatis diuinae contemplatione de pace Christianorum, quae communia sunt (hinc enim traducimur particularibus studiis & occasionibus) dicturum esse: qui de me sic sentiam, non solùm aliorum peccata, sed mea quoque ipsius in Deum grauissima his lamentabilibus Christianitatis dissidiis castigari: qui denique de mea operâ non aliud praedicem, quàm quod sit tenuissima, & à fine proposito absit quàm longissimè, sed tamen à Deo sit, qui etiam tenues operarios & infirmos cum valentioribus occupat in domo sua extruenda, ad sanctorum coagmentationem & aedificationem corporis Christi. Deus nouit, cui seruio in spiritu mentis meae quantum incendium (vt ita dicam) in praecordiis & animo meo sentiam hac tristi facie Christianitatis excitari: quantum me horum & illorum simul misereat, qui religionem imprudentes oppugnant religionis studio, naturam auctoritate naturae, & Deum ipsum diuinae auctoritatis specie ipsorum oculos, dum ad se ipsi non satis attendunt praestinguente. Quod si meam hanc opellam, cuius studium in me concitauit Deus, ille pater miserationum & omnis consolationis auctor sua benedictionis manu direxe(f. 680)rit vt & veritatem in se habeat, & omnibus praebeat, & bonis saltem aliquot testatam faciat veritatem hoc officio meo, maximum mihi operae precium fecisse videbor per benedictionem illius.

Hanc autem scriptionem meam ita certum est temperare, vt à Deo omnia, à me nihil (cuius quidem conscius esse possim) in medium afferam. Quapropter materiam totius sermonis ex Dei verbo deprompturus sum, ne à forma veritatis illius quam Deus expressit verbo, temerè abscedam: Tractationem verò diuinae huius materiae atque argumenti iusto ordini, quoad eius fieri poterit, conformatum pertexam breuiter, dilucidè, ac populariter.

Summa argumenti ergo futura est: Iam plus satis in orbe Christiano dimicatum esse; pacem quærendam secundum Deum, inueniendam, amplectendam, & modis omnibus retinendam, vt fructus illius, quos Deus verbo proponit, amplissimos assequamur. Partes autem sermonis istius duae futurae sunt: Vna, de modo pacis: Altera, de fructu illius. Modum, ex verbis Dauidis Psal. 122. Fructus ex Psalmo 133. eiusdem verbis exponemus. Antequam verò ad singularem venimus vtriusque loci interpretationem, cùm vtroque in Psalmo communis extet inscriptio, de ea prout ad rem praesentem attinet, nobis dicendum est. Inscriptio sic habet, *Canticum excellentiarum*, id est, omni excellentia instructum, *Dauidis*. quibus verbis modus, & res quae agitur, & auctor proponitur: Auctor quidem, *Dauidis* nomine: Res, *excellentiarum*: Modus verò, *Cantici* appellatione.

Cùm autem ad iustam istarum rerum intelligentiam id primum ratio naturae nostrae postulet in docendo, vt de Re ipsa antequam de Auctore aut Modo cognoscamus, quam rem *excellentiarum* nomine diximus demonstrari; Duo hic nobis expendenda sunt, quae in dubium adduci possent: nimirum Hebraei nominis interpretatio, & conditio rei quae his Psalmis exponitur. Nomen enim Hebraeum plerique omnes interpretantur variè: Alij gradus: Alij adscensus: Alij denique excellentias, quod postremum secuti sumus.

Qui gradus interpretantur, ex coniecturis & sine probatione certa, quae quidem ex scriptura constare possit, narrant gradus in templo fuisse: secundùm quos Leuitarum Musicam

Musicam excercentium ordines in ministerio sacro consisterent, quo tempore fiebant sacra coram Domino. Alij verò diuersum tempus stationum illius ponunt: nempe tum Leuitas inMusico opere per suos ordines suisse occupatos, cùm sacerdotes & alij ad lectionem legis & tractationem Scripturae S. comparabant sese, expectabantúrque coram populo, dicturi de Cathedra Mosis: quam ad rem historia Nehemiae 9. 4. abutuntur. Sed nec factum illud, meo iudicio, confirmari potest, nec testimonia quae adferuntur, cum hac narratione facti consentire. Nam cùm Leuitarum ordines Musicam excercentium plures mùlto fuerint, vt ex 1. Chron. 15. (quem locum adducunt vulgo) confirmatur, & secundùm portas, ac non secundùm gradus fuisse dicantur distributiones illorum passim: non video quo pacto res istae differentia tam perspicuâ distinctae confundi possint. Quod autem ad illum Nehemiae locum, tantum abest vt de re musica exponi possit, cùm Leuitae occupati fuisse dicuntur in sanctissimo illo ministerio, vt contrà ex ipsius capitis argumento & narratione tota constet euidentissimè, nihil tum ad musicam, sed omnia ad flebilem luctum fuisse composita, cum populus totus ad ieiunium religiosissimum & sanctissimam confessionem peccatorum vocatus esset. Nam cum in eodem Psalmorum libro fideles pronuncient, Quomodo cantaturi essemus canticum Iehouae in regione extera, id est, in hoc luctu publico: quis putet illos eiusdem pietatis in altero luctu, eóque acerbissimo, oblitos esse?

Hac igitur interpretatione omissâ, statuunt alij adscensus hoc loco denotari: quorum adscensuum occasionibus circumscribendis discrepant. Hi enim hos Psalmos pertinere putant ad illa tempora, quibus pij singuli è suis stationibus adscendebant Hierosolyma, apparituri solenni modo coram facie Domini: quem ritum lex docet quamplurimis locis, & Propheta celebrat Psalmo 42. & 84. & 132. exempláque docent in Vetere & Nouo Testamento passim. Illi verò ad tempus reuersionis ex Babylonia iudicant pertinere: siue vt adscendentes Hierosolyma se his meditationibus sanctis confirmarent, aliique alios inter se hortarentur, siue vt liberationis illius diuinam memoriam his sacris cantionibus meditationibúsque recolerent. Verùm cùm istarum rerum, vtut speciosae sint, nullum vestigium in scripturis compareat, mihi religio est ex narrationibus eiusmodi, quas sola coniectura gignit, interpretationes afferre, & res probandas tanquam probatas & compertas in (f. 681) medium adducere. Quodsi ex coniecturis solum agendum esset, mallem Hebraeam vocem *adscensus* quidem exponere, sed ita vt de spiritali piorum euectione ad Dominum potius quàm de corporali motu intelligeretur: quæ interpretatio cum ea ipsa quam nos amplectimur conuenientiam esset habitura. Sin gradus malit quis reddere, vt Esai. 38. hos Psalmos secundum horas solario distinctas cantatos in templo dixerim (vt de Psalmo 22. testatur inscriptio) post reuersionem Babylone. His itaque omnibus omissis iudicamus Hebraea voce non *gradus*, aut *adscensus*, sed *excellentias* (vt antè diximus) denotari. Moris est autem apud Hebraeos, vt quae in summo & superlatiuo (vt loquuntur) gradu enuncianda sunt, ea substantiuis nominibus pluralis numeri exprimantur. Sic Canticum canticorum, Dan. 9. & 10. desertum desolationum, Ierem. 12. verba venti, Iob. 16. nimbus vocum Iob. 38. quibus in isto genere nihil comparari possit. ac proinde *Canticum excellentiarum* illis cùm dicitur, tam sonat quàm dixeris *excellentissimum*, vel *Omni excellentiâ* (quae quidem verè excellentia est) *& praestantiâ summâ instructum*. Atque haec interpretatio, quia vsui Hebraeorum communi omnino respondet, & omnibus coniecturis narrationum factorúmque caret, mihi omnium probatur maximè.

Non sum nescius fore, qui obiiciant eandem quoque aliis psalmis & canticis sacris inesse excellentiam & propterea iniquum esse, vt prae illis excellentiae laus his perbreuibus Psalmis adscribatur. Sed si ad rem pij attenderint, animaduertent in hoc inscriptionum genere duo quaedam oportere obseruari, sine quibus indignus hic inscriptionis modus

esse

esse videretur. Vnum est; quòd apud Hebraeos hae inscriptiones absolutè, ac non comparatè accipiuntur, tanquam si dixeris Canticum omnem in se excellentiam continens: quae res citra aliorum canticorum comparationem ita praedicatur, vt his Psalmis sua excellentia adseratur, de aliis verò nihil derogetur planè. Alterum, quod etiam certo quodam respectu singularis est his Psalmis excellentia, quam prae aliis obtinent, & Dei spiritus testificatus est. Est autem excellentia summa & aliis anteponenda in his Psalmis aut respectu auctoris sui siue principij, aut rei, aut modi ad eam pertinentis. Non autem auctoris: nam rerum excellentissimarum & vniuersam naturam quam longissimè superantium omnium, & singularum, auctor vnus est Deus Pater in Filio per Spiritum. Restat igitur, vt dicamus excellentiam inesse his Psalmis propter rem aut modum ipsorum: Quae duo secundùm rationem & respectum quendam ducimus coniungenda.

Nihil hic dicimus de horum Psalmorum comparatione cum exteris siue humanis cantionibus secundum quam omnes Psalmi & spirituales odae à Deo sanctificatae in scripturis communem habent excellentiam, Principio, Re, & Modo simul omnia humanarum cantionum genera omnibus modis superantem: Etsi hac quoque communem excellentiam his Psalmis adscribi necesse est, vel eo ipso quòd sunt in cantionum diuinarum & spiritualium genere. Sed tantùm hoc loco agimus de comparatione horum Psalmorum cum aliis eiusdem generis, qui omnes Principio, Re, & Modo spirituali communicant. Hi enim certo quodam respectu excellentiam sibi vindicant auctoritate & testimonio Spiritus, non in se aut respectu sui, sed in nobis potius & respectu nostri: quia si ad Rem quae continetur illis respexeris, simplicissimam habent rei quae agitur applicationem suprà quàm alij Psalmi aut Cantica Scripturis S. comprehensa: Si ad Modum, eandem habent breuissimam, ac proinde ad memoriam hominum commodissimam. Sed quia de his rebus perspicuo ordine dicendum est secundùm eas partes quas antè inscriptione proponi docuimus, praestat iam ad excutiendas partes singulas veniamus.

De excellentia itaque dicturi principium illud à natura ingeneratum, quod antè dicebamus, toti huic argumento praestruimus: Naturam quamque bonum appetere. Huic autem principio alterum quoque adiungi necesse est, Naturam quamque sic bonum appetere, vt appetat melius, si potest contingere: ac proinde ubi ad bonum quo melius nihil est, ad bonum (inquam) summum peruenerit, in eo conquiescere, vt quo nihil melius. Bonum autem particulare communi, & humanum diuino cedit, naturale supernaturali: quia commune supernaturale, & diuinum est excellentius. Haec bona homines, prout sunt disciplinabiles, re sic assequuntur, vt certâ doctrinae viâ atque ratione ad inuestiganda, noscenda, consequenda, tenendáque ea perducantur. Quapropter vt bonum vnum praecellit alteri, sic vna doctrina alteri pro conditione obiecti illius circa quod (vt loquuntur) doctrina quaeque occupatur, & rationis (vt vocant) formalis ad obiectum pertinentis (f. 682). Hic autem quis neget ipsissimam excellentiam in his verbis tradi? in quibus non quoduis particulare, sed commune: non naturale, sed supernaturale: non humanum, sed diuinum planè bonum hominibus exponitur? Res igitur est excellentissima, doctrina rei excellentissimae his Psalmis consignata: ac proinde si ad res caeteras respexeris, communis est in his impressa (vt in caeteris quoque scripturis) supra res omnes excellentia. Quòd si excellentiam appetimus, Ergo & horum Psalmorum doctrinam (quae nihil nisi excellentia est) appetamus necesse est.

Deinde verò cùm in rebus ipsis supernaturalibus & diuinis alia bona aliis praestantiora sint, id etiam nobis videndum est, vt singularem horum Psalmorum excellentiam sanctè recognoscamus, & ad eam probè cognitam religiosè colendam & amplectendam

amplectendam accendamur. Est autem horum Psalmorum excellentia siue praestantia: Vna communis, Altera propria. Communis est, quòd à Deo auctore sunt, quòd res diuinas tradunt, & quod diuino modo ad eam rem sanctificati sunt, vt reliqui Scripturae loci, Praetereà Psalmorum & hymnorum spiritualium in Scripturis ea est ratio, vt respectu nostri excellentiores, aliis Scripturis in doctrinae modo esse videantur. Nam res sanctas singulari quodam modo vsui nostro accommodant, & quasi temperati sunt ad modulum naturae nostrae ex inscientia commodius informandae, ex infirmitate confirmandae, atque in veritate, iustitia & sanctimonia, aduersus omnes animi perturbationes & impedimenta intus forisque obuenientia, per singularem illum applicationis modum constabiliendae: qui modus non ita est in aliis scriptionum sacrarum generibus. Itaque & hanc excellentiam Psalmorum & canticorum spiritualium communem his psalmis adscribimus. Nam scriptura quidem illa diuina aliis omnibus antecellit: sed in scriptura respectu applicationis ad vulnera, perpessiones, actiones, & difficultates quasuis animorum nostrorum Psalmi aliis scripturae partibus anteponendi sunt.

Quemadmodum autem Scriptura S. aliis scriptis toto genere, & Psalmi reliquae scripturae secundum quendam applicationis modum antecellunt: ita etiam hi psalmi, quamuis perbreues, suo quodam iure aliis dicuntur antestare. Cur autem? quia etsi rem eandem cum aliis communem tradunt, & eodem modo: in re tamen & in modo ipso singulare aliquid recognoscendum est. In re enim Lux quaedam familiaritatis emicat suprâ quàm in aliis plerísque psalmis, & quasi à multis circumstantiarum singularium, quae alibi occurrunt, tenebris expurgata: In modo autem, breuitas ad facilitatem accedens, quam vel pueruli memoria facilè complecti potuerint. Quae cùm ita sint, non dubitamus quin pij omnibus expensis in eam sententiam nobiscum venturi sint: totius quidem scripturae; tum in se, tum in nobis excellentiam esse homini psychico incredibilem, nobis admirabilem: sed psalmorum libro atque argumento singularem inesse modum excellentiae: his autem inter caeteros summè singularem. Atque haec quidem de excellentia, si comparationem huius cum illa ex inscriptione instituere quisquam voluerit: quam excellentiam Spiritus sanctus affirmauit prouidentissimè, ne illa breuitas atque facilitas (vt fit) in contemptum abire posset. Alioquin mihi non displicet, si (prout Hebraei plurimum faciunt) hanc excellentiae praedicationem absolutè & citra comparationem acceperis.

Caeterùm quia excellentiam huic doctrinae & huic scriptorum generi attribuit Deus, cùm omnes tum naturâ iubente, tum Deo per Apostolum praecipiente 1. Cor. 12. 31. ad viam excellentiae teneamur contendere: id nobis obseruandum est, Omnis doctrinae praestantiam esse in rebus duabus positam. Nam aut eo doctrina vna alteri anteponitur, quòd dignior in se ipsa est, aut quòd est certior. Dignitas, in re: Certitudo, in modo illius exploratur.

Ac rei quidem dignitas ad scientiae dignitatem facit, si res alias multas dignitate superauerit. Scientia verò diuinarum rerum, non dico multas, sed omnes alias omnino superat, & transcendit longissimè: adeò vt quod minimum est illius, sit maius quauis humanarum scientiarum amplitudine. Cùm autem scientiarum, quae quidem apud homines habentur dignissimae, aliae in contemplatione, aliae in actione versentur, & omnes scientia diuinorum ex aequo superet: ex eo planè conficitur quicquid dignitatis in Theoricis, quicquid in Practicis obseruari potest: id totum plenissimè non naturali, sed supernaturali; non humano, sed diuino modo in hoc existere. Est autem Theoricarum dignitas partim ex Rei vel Materiae natura, partímque ex comprehensionis modo huiusmodi, quòd ea considerant sua quadam ratione secundùm naturam, quae ra(f. 683)tioni subiecta sunt: Practicarum verò dignitas potissimùm iis tribuitur, quae ad vlteriorem finem non sunt ordinatae, sed in eo propriè conquiescunt; sicut, exempli

exempli causa, ciuilis scientia militari praestat, quia militia ad bonum ciuitatis ordinata est. Haec omnia si in doctrina sacra religiosè expendamus, & ea ipsa quam ex his psalmis (Deo dante) sumus percepturi; Deus bone, quantam dignitatem maiestatémque cernimus ab omni parte circumfulgentem nos & diuinis illis radiis in mentibus collustrante! Nam si ad rerum contemplationem respexeris, haec scientia, haec doctrina est primò & principaliter de iis rebus, quae sua altitudine & amplitudine transscendunt rationem (supra omnes caelos euectae sunt,) & diuinitus è caelo res omnes perfundunt sua luce quae ad participationem eiusdem dignitatis caelesti gratia ordinatae sunt. Sin ad finem ipsius animum & cogitationem nostram conuertamus, non eum finem proponi simpliciter animadvertemus, qui à natura rebus creatis omnibus, aut etiam humano generi propositus est, sed ad cognitionem, fructúmque suauissimum nos perduci illius finis vltimi, ad quem omnes alij fines scientiarum & actionum sunt ordinati. Deum enim vt finem statuit & communem terminum, cùm rebus creatis caeteris, tum hominibus singulariter destinatum: neque hoc solùm, sed finem cuiusque proprium in illo communi termino reuelat, quòd in eo apprehenso aeternam salutem & beatitudinem simus adepturi: denique, ne quisquam aberrare possit, media singula ad finem illum pertinentia & necessariò cum eo coniuncta declarat sapientissimè. quibus rebus quid dignius, vel augustius cogitari potest?

Venio ad certitudinem. Quaecunque in hominibus scientiae fieri solent plurimi, eae certitudinem suam ex principiis & mediis cognitionis dicuntur habere. Principia earum naturalia sunt immota & immediata per vim quandam naturae in humano intellectu ingenerata: quorum alia ab ipsis scientiis, alia ab aliis depromi solent tanquam à superioribus. Huic doctrinae meritò vindicatur omnis excellentiae perfectio: quae immediatè non à natura, sed à Deo: nec per naturam, sed per reuelationem gratiae principia sua obtinet certa, immota, & immediata. Quòd si quae interdum à natura & ratione humanâ adhibet, ea non tanquam mutuò aut precariò à superioribus sed suo iure tanquam ab inferioribus & ancillantibus assumit: non quo perficiatur ab illis, sed quo perficiat illas, & in vsu iustissimo singulas occupet. Nam cur non vtatur hac via Dominus & seruator noster? cuius doctrinam non propter defectum vel insufficientiam (vt ita loquamur) ipsius, sed propter defectum intellectus nostri, ad quos haec salutaris doctrina pertinet, his adiumentis instrui oportuit: vt ex iis quae per naturalem rationem, velut scientiarum omnium humanarum matrem, innotescunt, faciliùs ad ea percipienda deueniamus atque deducamur, quibus humana ratio & natura tota superatur. Media verò ad certitudinem doctrinae huius pertinentia cum his principiis planè consentiunt. Illae enim scientiae quibus homines intumescunt, certitudinem suam habent ex illo naturali rationis humanae lumine, quae potest errare: prout euentus in hominibus singulis plus satis ostendit. Haec verò scientia (vt cum Propheta loquar) excellentiarum, perfectam diuinitus habet certitudinem ex lumine supernaturalis scientiae & diuinae, quae nec ipsa errare potest, nec ab vllo erroris spiritu circumduci. Sed quid multis probationibus aliunde accitis opus est? Doctrinam excellentiarum appellat Deus: quis dubitet eam ita esse vt appellat Deus? Deus hanc esse dicit sapientiam nostram & prudentiam ante oculos populorum, vsque adeò vt isti audientes dicant, Tantùm gens ista maxima populus sapiens est & prudens: quis contradicat Deo veritatis? Est igitur excellens, imò excellentissima, imò omni omnis excellentiae perfectione absolutissima: quae omnia locutione Hebraea designantur. Cùm autem haec singula eiusmodi sint, vt hominem, vel natura teste, ad huius doctrinae amores incredibiles debeant excitare: ô miserum hominem, qui aliis in rebus omnibus facilè cupit excellere, praeterquam in iis quae veram excellentiam, certam plenámque Deo teste & auctore obtinent!

Huius

Huius autem excellentiae tum adiuncta manifestissima, tum certissima testimonia sunt duo illa reliqua capita, quae ex inscriptione horum psalmorum antè ostendimus. Quisquis enim de excellentia hac necdum sibi videtur satis confirmatus, ad auctorem, ad modum respiciat: Hic certè habiturus est, vnde suam illam fidei infirmitatem statuminet. Auctor est Deus, instrumentum, Dauid, à Deo sanctificatum & in perscribendis his psalmis occupatum. Ille rex, Propheta θεόπνευςος, ille homo secundùm cor Dei, vt scriptura loquitur, testis incorruptus, & publicus Dei in (f. 684) Ecclesia, Ecclesiaeque apud Deum notarius, publica fide & auctoritate hos psalmos exarauit. Has operas, Dei inquam & Dauidis, in his psalmis concurrentes, excellentes esse, & de rebus excellentissimis credent, quicumque Deum, Ecclesiam, & tantum Dei seruum à Deo Ecclesiáque adhibitum ad istud opus verebuntur.

Huic dignitati & certitudini alteram adiunxit Deus, cùm hos ipsos psalmos & cantica esse voluit, eáque publicè in Ecclesia cani, & ab eadem asseruari. Primùm enim quanta sit vis numerorum & modulationis in mentibus hominum & animis excitandis, flectendis, firmandis, regendísque in omnem partem, nemo homo ignorare potest. Quod autem in natura fit, id Deus sanctissimè & sapientissimè in rebus sacris, & in his ipsis voluit obseruari. Deinde non parum momenti adferre videtur harum cantionum auctoritati, quòd Deus non solùm ad cantum commodas in populo suo extare voluit, sed etiam in publicum auctoritatem earum diuinam testificatus est: nec illis solùm temporibus colendam & suscipiendam, sed in omnem praetereà posteritatem, his temporibus vltimis, hac luce Euangelij, ad secundum usque aduentum Christi obseruandam. Quae cùm ita sint, cùm harum cantionum quas hoc tempore interpretandas suscepimus, ea sit Principio, Re, & Modo ipsarum auctoritas, ea rerum (vtcunque paucae videantur) Veritas, Vtilitas, Honestas, atque Neccessitas ex Dei ipsius veracis atque fidelis testimonio, vt nihil in rebus humanis adaequari, nihil comparari possit, vt quae toto genere ab eis differant, & res omnes humanas, quae dici aut cogitari possunt, maximopere antecellant: excitemur per Deum immortalem ex illo infausto lethiferóque veterno, quo nos communis ille aduersarius salutis nostrae soporauit, & in quo nati, educati, alti conquiescimus plus satis. Videamus tandem nihil in rebus omnibus mundi existere, quod nobis veram excellentiam praebeat, quamuis ostentet speciem: nihil attendi à nobis oportere, ad quod (vt certatim facimus) apprehendendum concurramus in his labentibus & caducis rebus: praeterit enim figura mundi huius, inquit Apostolus, 1 Cor. 7. 31. quin potiùs pro eo quod ita miserè in fluxis rebus naturâ & studio diffluimus, veram excellentiam rerum quaeramus studiosissimè: veram doctrinam excellentiae naturâ extinctam, sed gratiâ oblatam percipiamus diligentissimè: & verum auctorem doctrinae huius (cuius beneficio ad veritatem rerum doctrinarúmque salutarium quàm indulgentissimè prouocamur) auscultemus religiosissimè: & in scholâ eius haerentes, tanquam ad pedes ipsius, hauriamus de riuis veritatis, expectantes dum ad fontem illius plenissimum plenissimè perducamur.

Ex his itaque fontibus de conditione sanctae pacis & Christianae ducturi aliquos riuos ad communem aedificationem, Deum oramus vt nobis de ipsa excellentia dicturis praesit Spiritu excellentiae suo, & lecturos omnes afficiat eiusdem excellentiae suae studio ac conscientiâ, vt viam excellentem hanc insistamus omnes, & ad finem perfectionémque illius vno animo contendamus in Christo Iesu vnico, aeterno, & perfecto seruatore nostro. Cùm autem duo capita de Pace receperimus ante nos esse dicturos: Vnum, de Re & Modo ipsius: Alterum, de Fructibus: Iam auctore Domino venturi sumus ad prioris explicationem, prout verba nobis sanctus ille Dei Spiritus praeiuit olim per Dauidem Psalmo 122. & nobis in eundem Psalmum dicendi gratiam admensurus est.

PSAL-

PSALMVS 122.

1. *Laetor de dicentibus mihi, Eamus in domum Iehouae.*

Huius psalmi Finis est, vt Deus in Ecclesia sua glorificetur intus fide, foris obsequio fidei omnibúsque officiis pietatis, in vnitate Spiritus per vinculum pacis. Summa est, Fructum Spiritus in omnibus piis esse gaudium spiritale, & pacem in iustitia; quam pacem Deus in Christo publicè dedit Ecclesiae, & singulis membris illius, in se, atque inter se colendam cum Deo & secundum Deum. Rom. 14. 17. Partes itaque duae sunt: Nam primum loquitur Psaltes de spiritali piorum gaudio in Christo & Ecclesia eius: ad quod gaudium omnes homines sermone salutis & exemplo piorum prouocantur, quinque versibus: Deinde verò pax illa ostenditur quam Ecclesia colit, ex quo caelesti illo gaudio (quod modò diximus) perfusa est, quatuor versibus vltimis (f. 685).

Antequam verò de his partibus distinctè dicimus, non est praetereunda silentio illa occasio, quae suis temporibus Dauidem excitauit vt hunc sanctissimum psalmum ad gloriam Dei canendum Ecclesiae traderet. Quisquis vel mediocriter in lectione historiae sacrae versatus est, non ignorat quantis difficultatibus inde à morte Iosuae populus Dei laborauerit, in peccatis suis mersus, & in malis quamplurimis variè propter peccata sua à Deo exercitus: à quibus malis etsi interdum longo interuallo recreabatur, liberationes aliquas diuinâ manu adipiscens, tamen ne Samuelis quidem ipsius aut Saulis temporibus fuisse piis refrigerium (vt cum scriptura loquar) eiusmodi; ac post illis contigit quàm Dauid in regnum euectus est, atque in eo confirmatus. Hanc constitutionem Dauidem assecutum, cùm sui officij, tum diuinarum in lege promissionum recordantem, de arca foederis in ciuitatem suam importanda, & domo extruenda seriò cogitauisse: quorum prius, id est, arcae importatio in ciuitatem Dauidis, contigit viuente ipso: posterius, domus aedificatio, in tempus filij reiectum est. 2 Sam. 6. & 7. Cùm autem re in consilium missa, arca illa Dei in tentorium, quod Dauid parauerat, inferenda esset, celebritatem fuisse maximam à Dauide imperatam ad deducendum arcam Iehouae in locum eius, quem parauerat ei: & alacritatem summam tum à sacerdotibus Leuitísque, tum à popularibus singulis exhibitam, sibi, & Ecclesiae toti, regnóque hanc Dei gratiam gratulantibus expertus est. 1 Chronic. 15. & 16. Ad hanc igitur occasionem cùm Dauid anteactas gentis suae & Ecclesiae Dei calamitates memoriâ repetetet, praesentiáque beneficia cum illis compararet, ad hoc canticum exarandum deponendúmque in Ecclesia fuit auctore Dei spiritu adductus; vt eâ ratione testatum faceret, se tum rerum praesentium, quas videbat oculis, tum illarum quas animo cernebat in Ecclesia Dei, argumento ad hanc praedicationem diuinam excitari. Videbat enim populum suum ab hoste liberatum, se regem tranquillum datum, locum electum à Deo designatum, Arcam Dei symbolum gratiosae praesentiae eius importatam in ciuitatem suam, populum Deo, Regi, & sibi gratulantem, omnia denique laudibus & plausu piorum personantia de tot tantísque acceptis beneficiis. Sed haec quantula fuerunt, si cum spiritalibus, quae iam tum cernebat animo, comparentur? Cernebat populum Dei ab hoste Satanâ liberatum in Christo redemptore nostro: hunc regem pacis à Deo datum, quem adumbrabat Dauid: Deum sibi & Ecclesiae toti in Christo esse praesentissimum singulari praesentiâ gratiae per communicationem spiritus, & mansionem apud se populúmque suum statuisse: pios omnes acclamantes huic sanctissimo Dei aduentui: Denique haec omnia plenissimè à Christo consummanda, tum priore aduentu ipsius, cùm sermo factus est Caro, & consummauit in se quae-

se quaecunque sunt opus ad salutem nostram, tum posteriore illo exoptatissimóque aduentu, quo omnia in nobis consummaturus est, vt sit Deus omnia in omnibus.

Hac igitur occasione diuinitus sibi oblata Dauid ad canendum hunc psalmum, & tradendum Ecclesiae productus est. Quae occasio etsi his temporibus vltimis in typo minimè perseuerat, omnino tamen in rei veritate perdurat constantissimè. Quapropter aequitas postulat, & iubet pietas, & cogit necessitas, vt dum aberrans à contemplatione huius sanctissimae occasionis Mundus furit in sua ipsius viscera, ad sensum illius, agnitionem, amorem, & studium prouocetur: & omnes pios Dei administros ad rem hanc adlaborare necesse est, fretos certâ expectatione caelestis paternaeque benedictionis, si in hoc opus in fide incubuerint.

Iam de illis duabus partibus quas antè statuimus, Gaudio inquam & Pace piorum, videndum est. Gaudium suum, quo pius perfunditur in spiritu Dei, exponit Propheta, cùm & affectionem suam narrat, & causas illius. Affectionem proponit vnico verbo, *Laetor* siue *laetatus sum*. Causas verò percurrit sequentibus.

Non temerè autem à professione suae illius laetitiae siue gaudij Propheta exorsus est. Nam plurimae antè illud tempus calamitates populum Dei peruaserant: neque dubium est, quin eo ipso tempore adhuc manarent vlcera tristitiam bonis adferentia, siue ad internas hominum infirmitates, siue ad mala foris accedentia respicerent. Sed cùm Propheta horum omnium malorum sensui opponit gaudium, eo ipso docet euidentissimè quàm verè sit à Tullio dictum, Lib. 3. de legibus, iniquam esse praeteritis bonis malorum enumerationem: quae res etsi à naturâ est, plurimum tamen ignorantiâ, infirmitate, & sin(f. 686)gularibus nostribus studiis oppugnatur. Nam quotusquisque est, obsecro, qui urgente vno aliquo malo non eò abripiatur statim, perinde atque si omnia bona interuentu vnius mali concidissent? Vt ergo ex malo tristitia concipitur, sic ex bonis delectationem & gaudium, quamuis in malo praesentissimo, constanter à piis teneri necesse est. quam vim si naturae instinctu pecudes, & rationis luce homines, etiam à Deo alieni, omnibus seculis ostenderunt: indignum, turpe, flagitiosum est, hominem Christianum diuini spiritus virtute & veritatis luce circumfusum, in vno aut altero mali impendentis sensu, exutâ bonorum quae summa & plurima à Deo obtinet, conscientiâ mollescere. Haec igitur illa vis est, qua sanctissimus Dei seruus praeterita praesentiáque populi mala per fidem superuolans Deum assurgit hoc loco, & fructum sibi inesse praedicat quem mundus non potest eripere: nimirum gaudium illud spiritus, cuius nos Deus facit participes communicatione gratiae, adeò vt etiam in ipsis afflictionibus nos gaudere narret Apostolus, & gaudere iubeat in spe, atque in Domino: neque id solùm, sed etiam de nostris afflictionibus praedicet gloriari. Rom. 5. 3. & 12. 12.

Sed quia gaudium non satis est imperari, nisi materia iusta illius extiterit (alioquin non gaudium, id est, delectatio cum ratione coniuncta, sed opinio esset ac (**φανταζόμενον**) ad causas veniamus illius gaudij, quod Dauid tum de se praedicabat, & quod Dei Spiritus inde ab eo tempore imperauit suis, cùm auctoritate sua hunc psalmum sanctificans seruandum & obseruandum in Ecclesia deponeret. Causarum quae sanctum illud gaudium Dauidi attulerunt, duo sunt genera: quarum aliae (vt ita loquamur) sunt particulares, & priuatum quendam respectum habent: Aliae verò communes sunt, ad bonum publicum pertinentes. Vtrumque genus Propheta distinctè explicat: nam priores vers. 1. & 2. pósteriores, tribus sequentibus versibus ostenduntur. Quem ordinem conuenientissimum à piis omnibus diligenter opus est obseruari, vt nunquam in suis priuatis commodis aut studiis conquiescant, sed ab iis semper ad communis & publici boni rationem gaudiúmque de eo (si quod obtulerit Dominus) attollantur. Has igitur causus ordine expendamus.

Particularium

Particularium, siue earum quae ad singularia membra Ecclesiae pertinent, loci duo sunt. Nam est sermo consilij exhortationísque vers. 1 est opus communionis sanctorum, vers. 2. Sermonem concilij & exhortationis Propheta explicat dicens, se *de iis qui dicerent ipsi*, *eamus in domum Iehouae* laetatum esse. Sensus est: duobus nominibus pium illud & religiosum gaudium in priuata sua causa à Dauide fuisse perceptum: nam & personarum dicentium respectu illum fuisse affectum gaudio, & rerum quas dicebant illae Dauidi consulentes atque gratulantes.

Ac personarum quidem nobiscum de regno Dei laborantium respectu percipi gaudium à nobis oportere Natura & Scriptura docent. Cùm enim à naturâ omnes simus ab vno principio orti, omnes vnius speciei, omnes sociales, omnes iisdem bonis naturalibus ac veluti pignoribus instructi, quaecunque ad conseruationem speciei & societatis humanae pertinent; profectò & sibi, & speciei, & societati, & Naturae denique toti putandus est aduersari, quisquis suas facultates non studet eò conferre, & ex eis non sentit gaudium. Quid? nonne ferae in suo genere sic feruntur instinctu naturali, vt speciem suam curent, & propterea etiam, vbi opus fore senserint, congregentur? Caetera animantia (Plin. lib. 7. Natur. hist.) in suo genere probè degunt: congregari videmus, & stare contra dissimilia: Leonum feritas inter se non dimicat: serpentum morsus non petit serpentes: ne maris quidem belluae ac pisces nisi in diuersa genera saeuiunt. Et tu, homo à feris, ratione praeditus ab expertibus, & socialis à solitariis vincaris? tu operam des, vt feritate & abalienatione vincas caetera, & in tuo ipsius naturae funere triumphator tibi videaris?

In primis autem respectus hominum pios affecturus est gaudio, cùm aliorum studium erga Deum & erga se pium animaduerterint: quemadmodum Propheta nobis exemplum hoc loco statuit, dicens se *laetari de hominibus dicentibus sibi* & se alloquentibus pio illo sermone, qui pòst exponitur. Nam fit quidem plurimum, vt si quis nos refugiat, à nostra communicatione abhorreat, nostráque ipsorum bona auersetur aut auertat, iustam nobis causam habere videamur cur non gaudeamus de illis, aut illorum bono. Etsi haec ipsa abalienatio nullo iure probari potest, cùm particulare (vt vocant) factum, (f. 687) & particularis causa, id est, vitium huius aut illius de iure naturali non possit derogare, nedum abrogare, & hominis odium, inuidiam, inimicitias, simultates, iniurias excusare. Sed cùm homines eiusmodi sunt erga nos, vt quod bonum est, dicant, & nobis dicant; aut si aliud quàm bonum dixerint, tamen animo spectant ad bonum, quamuis decipiantur specie illius: inhumanum est, si quis eo hominum facto non afficiatur gaudio, & de illa sancta ad bonum conspiratione, quamuis caecâ aut caecutiente, gratuletur. Atque haec causa est cur priscos illos Corinthios hanc certissimam materiam gaudij relinquentes, & in suo ipsorum fastu & fratrum imperitiorum contemptu insolescentes, grauissimè Paulus monuerit dicens, De spiritualibus donis, fratres, nolim vos in ignorantia versari. scitis vos gentes fuisse, qui ad idola illa muta, prout rapi contigisset, abripiebamini. Quapropter notum vobis facio, nullum per spiritum Dei loquentem dicere Iesum Anathema, & neminem posse dicere Iesum Dominum, nisi per Spiritum S. S. 1 Cor. 12. 1. 2. 3. tanquam si diceret, iniquam esse inter homines illam aemulationem qua alij alios videntur antestare, & primas sibi arrogant ex spiritualium donorum conscientiâ. Nam siue ad dona respexeris, siue ad eos ipsos qui ea obtinent: omnia isti humano fastui & arrogantiae repugnare. Etenim ad ea quod attinet, omnino dona esse; ac proinde alienae gratiae, non virtutis nostrae. Praetereà spiritualia esse: non ergo carnis aut naturae nostrae, sed spiritus & caelestis gratiae, prout in eâdem epistola dicebat Apostolus, Quis est qui discernit te? aut quid habes quod non acceperis? quod autem ad eos homines qui dona ista per Dei gratiam participant, eos cùm natura, tum anteactâ experientiâ, & praesente spiritus diuini testimonio

monio in animis ipsorum ab ista iniquitate in suos fratres reuocari. Natura enim omnes ignorantes rerum spiritualium esse, donec eas nos Deus docuerit: nec plus cognitionis de illis posse nobis contingere, quàm prout de suo lumine Deus accenderit demensum fidei. Experientiam verò vitae anteactae nostrae id ipsum testari luculentissimè: cùm omnes à naturâ infideles se fuisse sibi sint conscij, & abreptos fuisse post idola muta & mundi vanitatem prout contigerit: neque tum fuisse futurum gratum iustúmque nobis officium, dum illis tenebris circumclusi haerebamus, si quis insolente fastu nos in tenebris siuisset computrescere. Postremò autem praesentem gratiae diuinae infirmos sustinentis & caecos illustrantis conscientiam satis ostendere tenues illas scintillas diuinae lucis non exsufflandas fastu, aut contemptu extinguendas esse; sed magni semper faciendas, velut spiritus Dei munera, quem ne in minimis quidem puerulis oporteat contristari. Et quis dubitat, quin in eo ipso dicentium numero, quos hic commendat Dauid, fuerint homines omnius generis secundùm dona Spiritus & gradus scientiae, qui temporibus illis poterant contingere inter se distinguendi? fuerunt docti, indocti, firmi, infirmi, excelsi, mediocres, tenues, omnes in eodem sermone pro modulo donationis Christi occupati: de quibus omnibus promiscuè Dauid laetatus est ad Christum commune caput omnis boni nostri, non ad commune malum vitiositatémque naturae nostrae respiciens, & in omnibus honorans Dei imaginem. Quae res nobis omnibus esse documento debet, vt neque personarum ratione, neque tenuitatis, infirmitatis, aut ignorantiae illarum abducamur à dono Dei (quantulumcumque sit) in ipsis recognoscendo: sed vel tenuissimam lucis diuinae scintillam, quam gratiosè Deus communicauerit, propter Deum & Christum & Spiritum eius habitantem in ipsis foueamus diligentissimè, laetitiámque fraternam de illis capiamus spiritu.

Quod autem Propheta dicit hanc sibi laetitiam fuisse allatam *de dicentibus sibi*, non est otiosum. nam Dauidem hoc verbo *sibi*, statuimus duo hominum genera innuisse: quorum alij vocatione communi, alij singulari hos sanctos sermones cum Dauide habuerint. Communis vocatio est Pietatis Charitatísque, quam Deo & proximo debemus singuli. Vocatio verò illa singularis est, muneris atque consilij, quo cum rege communicare in re tanta tenebantur quoscumque Deus ad consilium publicum Ecclesiae, & Rex ad consilium regni allegerat. Neque enim dubium est, quin Sacerdotum, Leuitarum Prophetarúmque consilium in rebus Dauid acceperit; & in iis quae ad ordinem publicum pertinuerunt, aliorum quoque sententias rogauerit quos ad publici ordinis curam & conseruationem adhibebat: quemadmodum ex verbis auctoris 1. Chron. 13. & 15. & sequente con(f. 688)firmatur. Atque haec profectò maxima est (vt ita dicamus) messis fructúsque maximus spiritualis illius gaudij qui hic in terris potest contingere, cùm omnes ordines sancta consensione diuinitus inditâ suis Principibus dicunt, & illis vicissim Principes, ea quae ad constitutionem regni Dei sentiunt pertinere: praesertim si iusto ordine aguntur omnia, quem 1. Chron. 13. & 15. legimus informatum. Nam Deus primùm permouit Regis Dauidis animum ad sanctam hanc cogitationem, eúmque spiritu suo intus allocutus est: hoc deinde auctore Dauid cum suo Consilio communicat, 1 Chronic. 13. pòst de sententiâ Consilij omnibus indicit rem deliberatam: denique sic instituuntut omnia, vt Deus ordini praesit, omnes Deum sequantur ordine, & ita conficiantur ea quae iam olim Deus lege promiserat. Sic multiplicem laetitiam percepit Dauid, cùm aequè in consilio suo ac in vniuerso populo pietatis studium animaduerteret; Studium autem? imò etiam officium studiosissimum, cùm inter se, tum ipsi regi dicentium quae religionis & pietatis studium imperabant.

Hic verò secundus locus est, qui laetitiam illam animo Dauidis informauit, quòd sanctè dicentes audiret, *eamus in domum Iehouae.* Pauca verba consilij: sensus amplissimus.

amplissimus. Hoc consilium procerum cum rege, idem consilium fuit popularium inter se adhortantium ad executionem illius: *Eamus*, inquiunt, *in domum Iehouae.* Huius autem consilij & hortationis eò pertinentis vnicum est argumentum, nempe adiri ad Deum oportere, & vna huius argumenti actio. Verumtamen huius actionis in hisce pauculis verbis tres leges comprehenduntur sanctissimo consilio fixae: Prima est de Fine: Secunda, de Viâ ad finem pertendente: Tertia, de Actu piorum iustâ viâ ad finem concursantium. Finis est *Iehoua.* Via est ecclesia, *domus Iehouae:* Actus est, *Ambulatio ad Iehouam* per Ecclesiam ipsius.

Ac de Fine quidem multa huc à nobis adferri nihil necesse est. Hunc enim finem sic natura docet rerum omnium, etiam vitae & sensus expertium, vt non possit quisquam sine impia & iniquissima oppugnatione naturae ad alium finem contendere. Quod autem natura res omnes perdocet, id recta ratio naturae nostrae indita longè amplioribus documentis perceptura esset, nisi tum internae tenebrae mentis (nam tenebrae sumus) tum particularia animi studia (nam infirmi & malitiosi sumus) tum innumerabilia mundi fallacis obiecta (nam figura mundi & fuco circumuenti sumus) rationem illam praestinguerent. Verumtamen, vt impedita est, restant in conscientiâ quaedam scintillae veri & iusti, quae homines pietatem & iustitiam in mendacio detinentes, adeóque diabolos ipsos Deo & saluti nostrae aduersantes, euincunt hoc vnum principium, hunc finem singularem esse vniuersis & singulis naturâ duce propositum, à quo, in quo, per quem, & propter quem omnia sunt, & omnes quoque (vt verbis vtamur Apostoli) viuimus, mouemur, & sumus. Neque solùm id natura nostra & rerum creatarum omnium contestatur, verumetiam natura Dei omnia circumfulget virtute admirabili, & sine testimonio sui, praecipuè apud homines, se non sinit vnquam. Quapropter *Iehoua* Hebraeis appellatus est, vt qui sit *αὐτοών*, vt loquuntur patres: ipsum ens absolutum, ad nihil extra se relationem habens, & ad quem omnia omnino ex necessitate referantur. Hunc autem finem omnes duobus modis docemur cognoscere: puta vniuersali naturae luce, & communi testificatione scripturae vel diuini verbi: secundum quae testimonia nemo est qui non sit dicturus, si modò animum contra veritatem non obfirmauerit, *Iehouam* esse, & cognosci oportere, denique ad ipsum contendi vt verum finem salutarem nostrum.

Ac illud quidem homines pij & instituti in verbo Dei facilè ferre possunt, imò de eo laetari cum animis suis, si fratres imbuti eâdem gratiâ & informati singulari reuelatione eius, cùm ipsi inter se, tum ipsis acclamauerint, *Eamus ad Iehouam.* Etsi non desunt in eorum ipsorum numero (proh dolor) qui perinde acsi Deum & mundum, & naturam sibi solis esse oporteret, indignè ferunt hanc lucem cognitionis inesse suis fratribus, aut certè hanc praeferre atque exhibere ipsis ex pietatis & charitatis lege: Quo malo repurget gratiosè Dominus membra sua, & corpus Ecclesiae suae virtute spiritus, quem iuris & ardoris spiritum in scripturis appellauit. Verumtamen si fortè res nobis futura est cum hominibus eiusmodi, qui singularem illam inspirationem & reuelationem gratiae non sunt adepti à Domino, quid di(f. 689)cturi sumus? Si auctoritate scripturae quam legunt, dicant, *Eamus ad Dominum*, sed non dicant commodè, quia non intelligunt: si auctoritate naturae, quamuis nec singulari reuelatione spiritus, nec communi illâ ac publicâ testificatione scripturae instructi: si igitur naturâ duce hac sancta acclamatione vtentur, *Eamus ad Dominum*, quod iudicium de illis facturi? quam sententiam laturi sumus? Horret animus cogitanti immania illa iudicia, conatus, facta, quibus hic mundus, & ipse Christianus orbis plus satis circumfluit, Impietatem specie pietatis, inhumanitatem specie charitatis, iniustitiam praetextu iuris intus spirantia & foris contestantia. Atqui de his ipsis laetari nos oporteret singulos, & errantibus lucernam accendere; non offendicula

 pedibus

pedibus illorum obtrudere, aut bene cupientibus vim afferre malè. Nónne lex maledictum eum pronunciat, qui caeco in viâ offendiculum posuerit? nónne id natura docet, quod olim caecus ille cecinit Ennius? Homo qui erranti comiter monstrat viam, Quasi lumen de suo lumine accendat facit: Nihilominus ipsi lucet, cum illi accenderit. Quod si haec in rebus corporis & vitae praesentis Deus, Natura, boni, omnes denique praeceperunt; longè amplius profectò & diligentiùs danda est opera, vt in rebus animi & ad futuram illam aeternam vitam pertinentibus prosimus omnibus, obsimus nemini. Et, per Deum immortalem, quid est quod nos impediat, ne miseris illis ex morbo & errore animi laborantibus acclamemus ad bonum, & à malefaciendo abstineamus quàm fidelissimè? Nam si illi caeci sunt, at nos fuimus: Si oberrant caecitate, at nos oberrauimus: Si denique impedimento sunt, at impedimentum habent, vt nos habuimus: quo magis nostra commiseratione & alleuatione digni sunt. Si quis ergo de scripturae mente non satis informatus, tamen bono animo ad Deum contenderit, etiam de eo laetandum est quod procurat bono animo, quamuis non procuret bonum: foueri oportet quod bonum est, errorem tolli; quemadmodum olim dicebat Augustinus, Errorem tolle, & serua hominem. Similiter si quis in medium producatur fretus solâ naturae luce, qui Deum requirat simplice animo; non temerè depellendus de gradu, sed sollicitè appellandus est, & omni officio ac potius pietate ad pietatis notitiam producendus: laetitia spiritualis de hoc homine capienda: neque solùm ore & sermone testanda foris, sed ex corde & veritate intrinsecus effundenda, vt sanctissimum hunc Prophetam (qui fuit vir secundum cor Domini) ex animo & corde toto imitemur. Quod si huius exemplum non potest eò nos adducere, videamus saltem quid Apostoli apud infideles egerint: quanto labore, studio, fide, religione Paulus dicatur cum illis versatus esse, & quantâ sollicitudine cum infirmis ea communicauisse quae acceperat a Domino. Plenus est harum historiarum totus Auctorum liber, plenae documentorum epistolae. Denique seruator ipse Christus, qui suis Apostolis sermone & exemplo praeiuit, suósque imitatores nos esse voluit, nónne illum ipsum iuuenem, qui se omnia obseruauisse dicebat à iuuentute dilexit & monuit officij? quamuis eo tempore non legatur illum amoris illius monitorúmque fructum aliquem percepisse, nedum edidisse; sed contrà indoluisse propter sermonem Christi, & contristatum abiisse. Marc. 10. 22. Quamobrem cùm Dei, Naturae, & Scripturae sacrae testimoniis, & piorum omnium, adeóque Christi ipsius exemplis doceamur finem hunc esse homini cuiuis propositum (est autem à naturâ propositus, & à Deo expositus, quà obscurius, quà euidentius pro voluntate ipsius) cur naturae bonum, quamuis imperfectissimum, in homine damnemus? Cur eum propter mala praeteritis bonis impellamus in ruinam miserabilem? cur subuertamus impotentiâ animi, & malitiâ nostrâ? Videamus potius, vt scintillam boni accendamus quàm vt extinguamus; & accensam foueamus ac fortificemus studiosissimè, laetitiámque sanctam communiter de ea capiamus cum bonis omnibus & cum Angelis electis in caelo: ne fortè quod olim praedicabat Dauid de suo spiritali gaudio in hac causa, id nobis in horrendam condemnationem vertatur iudicio Dei; postquam vestigia Dauidis ex historiâ sacrâ, & ex verbis ipsius hoc loco didicimus ad omnem pietatem humaninatémque erga quosuis homines religione summâ contendisse.

Hic verò respondebit fortasse quispiam, de Fine quem sibi omnes homines ante oculos ponunt, non admodum dubitari: sed totum laborem nostrum in eo esse, vt viam quâ peruenitur ad Finem illum, teneamus. Rectè: Bene est igitur si de Fine inter omnes constat. At quotusquis(f. 690)que est qui de miseris hominibus ignorantia aut infirmitate abreptis sic iudicet ex charitatis officio? quàm multi propter opiniones de aliis conceptas fratres suos, alienos seruos, propter quos Christus mortuus est,

temerè

temerè condemnant, & pacam pronunciant eos linguâ testari contrà quàm animus sentiat, vt iniquitatem iudiciorum suorum proteruè tueantur? Apage istam insaniam, non homine Christiano, non naturali homine; non brutà animante dignam: quae insania inde à seculis multis animas perdidit innumerabiles. Verumtamen esto, de Fine conueniat, vt antè dictum est: ergo de Viâ qua ad finem peruenturi sumus, deinceps videndum est. Atque hic secundus locus est, quem antè ad horum verborum interpretationem probe obseruari diximus oportere.

Via quâ ad Deum opus est contendere, à nobis definita est Prophetae verbis, cùm *domum Iehouae*, id est, Ecclesiam pro via nobis habendam esse traderemus. Hoc illud est, inquiet fortasse quispiam, quod tantopere cupimus: & quidem eo amplius cupimus, quo videmus amplius necessariam esse reipsa viam, & tamen vanitate hominum controuersam. Nam Ecclesiam quidem viam ad Deum esse plerique omnes agnoscimus: Sed in circumscriptione & determinatione illius, fermè (quod vulgo dici solet) quot capita, tot sententiae. Ergo vt de re tam necessaria, & tamen plus satis controuersa, inter nos conuenire possit, duo ponenda sunt, quae nemo bonus (dum sibi constabit mente) negaturus est. Vnum est, dum de hac circumscriptione Ecclesiae sententiae audiuntur & discutiuntur, oportere vt alij feramus alios, ac non contrà quàm in optimis rebus publicis & iudiciis bene constitutis iure obseruari solet, ab executione statuamus rei exordium. Alterum est, vt faciliùs de hac quaestione conuenire possit, etiam consentiamus inter nos de certis mediis vel potiùs principiis confessis vtrinque inter diuersas partes opus esse, ex quibus paulatim, animis compositis & rixis sepositis, ad assequendam illam circumscriptionem veniamus determinationémque Ecclesiae. Interea verò ne in hac nostra opera aërem dicamur caedere, sine discrepantium inter se partium praeiudicio, Principium confessum apud omnes cum bona pace omnium statuemus. Illud autem est Scriptura sacra, de qua optimè olim Augustinus cum Donatistis agens, in Scripturis, inquiebat, didicimus Christum: In Scripturis didicimus ecclesiam: Cur non ergo in scripturis communem Christum atque Ecclesiam retinemus? Ex his autem scripturis, velut immediatis à Deo, certis, atque immotis principiis delineaturi Ecclesiam, non colligemus hinc inde quae ad hoc argumentum videntur pertinere: sed haerentes in hoc ipso cantico vestigia Prophetae κατὰ πόδας persequemur. Sic de Ecclesia dicemus, quae hic ipse locus nobis subministraturus est, & Dei Spiritus ex eo edocturus.

Haec igitur informata est à Dauide Ecclesiae ratio, quam ex ipsissimis verbis omnes (spero) mecum recogniturі sunt. Ecclesiae duplex est ratio: Interna, & Externa. Internam rationem Propheta explicat hac vna appellatione, quòd *domus Iehouae* est. Externam verò rationem in communione sanctorum positam demonstrat planè sequentibus. Id solum discrimen interuenit inter ilam Ecclesiam & hanc nostram, quam Christus adunat Euangelij praedicatione, quod illa cum re habuit vmbracula; haec re cum illa eadem est, sed inuolucris exempta vmbraculorum typorúmque eiusmodi, vt facta à Christo fuit disparatio. Iam de ratione interna & essentiali Ecclesiae videamus.

Describitur Ecclesia duabus suis partibus essentialibus (ut omnibus rebus fieri solet) cum *domus Iehouae* appellatur. Nam quà *domus*, materia significatur: *Iehouae domus*, forma essentialis huic materiae indita.

Materiae quam in Ecclesia obseruamus, cognitio est euidens. Neque enim agere hoc loco statuimus de Ecclesia Dei in caelis versante atque gloriosa, ex angelis hominibúsque coagmentata secundum electionem Dei in Christo Iesu: sed tantùm de Ecclesia Dei, quae hic in terris versatur, & in fide tantisper ambulat dum ad perfectionem illam perducta sit. Materia igitur huius Ecclesiae ex hominibus est: nam ex his, tanquam ex lapidibus domus, aedificatur Ecclesia Dei. Sed hi lapides viui

viui sunt, vt à Petro appellantur, ex quibus coagmentatur Dei viuentis domus. 1. Pet. 2. 5. Lapidum autem quibus structores in aedificationibus vtuntur, duplex est ratio, extra opus, & in opere. Iam primùm sparsi & iacentes in agro lapides videntur, qui ad structuram adhiberi possunt: pòst in ipso opere & aedificatione domus. Ea(f. 691)dem quoque ratione homines considerantur: tum secundùm naturam iacentes in via, qui adhiberi possunt ad structuram spiritalem Dei, tum secundùm opus gratiae, quum in structura diuina ex facto occupati sunt.

Secundùm naturam itaque sunt in potentia quodam modo, vt vocari possint tantisper dum hic in via sunt: quemadmodum idem Propheta cecinit Psal. 2. 12. dicens, Osculamini filium, vt non irascatur & pereatis in via, cùm exarserit vel mimimum ira eius. Ac proinde cùm Deus illos in via relinquat, sibi iudicium seruans de iis quos aut assumpturus ad opus suum, aut in via media relicturus est otiosos, non est hominis cuiusquam iudicium de illis facere: nam Deo hoc iudicium est. non est cuiusquam illos negligere: nam praeceptum charitatis in omneis omnibus est datum. non est cuiusquam propter offensas in illos inuehi; siue Deum offendant, nam serui alieni sunt, non autem nostri; siue nos ipsos ratione vlla, nam mea est vltio, ego rependam, dicit Dominus. Sed potiùs eaedem nobis omnibus partes obseruandae sunt, quas Deus exemplo suo monstrat, faciens vt Sol suus exoriatur super malos ac bonos, & pluat super iustos & iniustos: & quas Christus reipsa praestitit erga nos, cùm adhuc essemus peccatores atque inimici ipsius, pro nobis mortuus. Denique illud ipsum praeceptum quod Dauid illius verbis denunciauit eodem in psalmo, quàm diligentissimè colendum est: vt singuli tanquam administri gratiae & misericordiae Dei, ipsos, dum in via sunt, fraternè appellemus, dicentes, Nunc animaduertite, eruditionem percipite, colite Iehouam cum reuerentia, & exultate cum tremore: osculamini filium, & c. quae paulò antè adduximus.

Quod autem ad opus gratiae, & illos qui in ipso opere & aedificatione sunt per gratiam, quis neget religiosè illos agnosci oportere, tanquam materiam à Deo sanctificatam ad opus diuinum ipsius? Etsi horum duo sunt genera: nam alij tanquam lapides rudes atque impoliti ad Ecclesiam adducuntur verbo aceruatim: Alij in Ecclesia sunt, & de substantia illius dicuntur esse, vt lapides in opere structurae singulatim occupati. Nam perinde accidit in hac aedificatione spiritali, vt in structuris humanis videmus obseruari. Primùm adfertur materia promiscuè: Deinde verò speciatim hic lapis in opere occupatur, ille intactus relinquitur. Demonstrat illud Ioannes dicens, E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum: sed vt patefieret non omneis esse ex nobis, egressi sunt. 1. Ioan. 2. 19. Quòd si illi ipsi lapides qui in agro iacent, dum hîc in terris viuimus, non sunt negligendi: profectô bona fide nemo homo hominem neglecturus est, qui aut sistetur coram aedificio Domini, aut in eo occupabitur singulari gratia illius. Nam quemcunque Deus sistit, qua auctoritate, quo iure homo depulsurus est, donec ipse Deus architectator suae domus depulerit? quemcunque occupat Deus in opere, quis deturbaturus est: pudeat ergo Christianos, qui inscientissimis suis praeiudiciis aut impotentissimis studiis sic abripiuntur, vt quam Deus materiam domus suae aduocat, ipsi negent, auertant, & omnibus viribus interturbent. Deus fert materiam tamdiu, quae ad domus suae structuram adhiberi potest: & tu, homo miser, ne ad momentum quidem perferre possis? Deus aduehit materiam, & struem accumulat ad commoditatem aedificationis suae: & tu, homo demens, disperdas & disiicias proteruè quae coaceruauit Deus? Ad summam, Deus aedificat de hac materia quoscunque tanto honore gratiae dignatus est in filio dilectionis suae: & tu, homo ingratissime, gratiam illam Dei, & opus gratiae, & Deum ipsum oppugnes iniquitate tua? absit à nobis

nobis longissimè isthaec insania. Statuamus potius cum animis nostris, Nos omnes, quotquot Christiani sumus, operas Dei esse: ac propterea vocatione communi teneri ferre quaecunque fert Deus, & proximos omnes nostros secundum naturam, vocationem, & gratiam ad eandem communionem aduocare. In primis autem quicunque operarij sunt Domini ex vocatione singulari, aut in numero dignissimo operariorum eius ex ordine haberi volunt, quo amplius honoris à Domino donis, & vocatione adepti sunt, ij sic cogitent, se non vt praeeant arbitratu suo, sed vt Dominum praeeuntum sequantur omni religione ac fide vocatos esse: Itaque sui esse maximè officij, vt homines disiectos & exteros ab aedificio Domini miserentur animo, sermone vocent, & opere exemplóque praeeant diligentissimè: Quoscunque vero aut verbo trahit ad domum suam, (f. 692) aut virtute spiritus applicat, iis omne officium pietatis & humanitatis per charitatem ἀνυπόκριτον praestent in Domino. Nam commune hoc officium est omnibus imperatum, vt omnibus benefaciamus: sed cùm de illo numero omnium propiùs adiungantur nobis qui vocantur verbo (nam mihi Christianus est quàm Turca propinquior) proximè autem qui vnitate spiritus continentur nobiscum in Ecclesia Dei: nos his maximè omnium, velut domesticis fidei, oportet benefacere. Nulla materia, dum in via sumus, negligenda (nam quis nouit quo vtatur Deus?) sed haec tamen illi anteponenda est, prout verbo & opere demonstrat Deus. Atque haec de materia ad domum Dei pertinente satis.

Forma autem essentialis huius domus in relatione, id est, ordinatione & applicatione ad ipsum posita est: cuius respectu domus *Iehouae* appellatur. Nam vt corpus vnum ex omnibus hominibus constituatur, prout specie omnes sumus vnum: non tamen continuò sumus domus vna *Iehouae*. Sed alia quaedam forma ab altero principio, quàm à natura est, secundùm quam ex hac communi materia vel corpore, id est, ex specie humani generis domus *Iehouae* conficitur. Notum est autem in scholis, relationem, quam vocant, formam esse earum rerum quae ad aliquid referuntur: ac proinde citra relationem ea quae reipsa relata sunt, id ipsum quod sunt, non posse esse. Relationem autem, secundùm quam haec domus ex lapidibus viuis coagmentata veram suam formam & essentialem obtinet, demonstrat nomen *Iehouae*: quia Ecclesia domus *Iehouae* appellatur, tanquam domini sui; & vicissim Dominus, huius domus, quam Ecclesiam vocamus, dominus. Est autem essentialis forma, per quam res est atque operatur. Quod si res relatiua est, eius forma essentialis vsque adeò in respectu alterius & relatione posita est, vt citra illum respectum nec sit, nec agat quicquam. Sic Ecclesia, quicquid est, quicquid agit quâ Ecclesia est, id totum est & agit in Domino: & relatio eius ad Dominum, certissima & vnica forma eius essentialis est. Formam autem dico inde à principio, & secundum esse, & secundum potentiam, & secundum actiones operationésque ipsius, & secundum finem: quia ex eo, & per eum & in eum sunt omnia: Cui sit gloria in secula. Rom. 11. 36.

Etenim Deus solus solum est principium supernaturale gratiae, Deus, inquam, Pater in Christo Iesu per communicationem Spiritus. Quapropter tum ab eo omnis cognatio dicitur nominari in caelo & terrâ, tum verò Ecclesia & singula illius membra dicuntur esse Christi, & Christus Dei. Ephes. 3. 15. 1. Cor. 3. 22. Atque hic etiam locus eò pertinet (prout argumentum docet Apostoli) vt intelligamus hunc respectum siue relationem, ad essentiam totam Ecclesiae, hoc est, non ad generationem solùm, verùm etiam ad constitutionem eius protendi oportere: quia vt ab eo, sic in eo subsistit Ecclesia: imò longè firmiùs ac gloriosiùs in eo subsistit, qui solus immortalis est & subsistit per se, quàm aliud quicquam. Quin etiam cùm omni essentiae sua sit à natura inclinatio & operatio, gratia verò naturam anteeat numeris omnibus; ex eo quoque illud consequitur, quòd omnem suam potentiam Ecclesia à Deo obtinet gratiosè;

gratiosè; qui omnia in omnibus vniuersè implere dicitur, Ephes. 1. 23. & cuius vicissim complementum Ecclesia appellatur: quia Deus singulariter in ea collocat thesauros potentiae suae, & illa vicissim cum Apostolo agnoscit libentissimè & audenter praedicat, Omnia possumus in eo qui confirmat nos. Cùm autem illius potentiae, quae ad omnia etiam contraria subeunda instruitur virtute Dei, suae sint actiones, in quibus potentia illa & virtus quasi determinatè occupatur, quemadmodum ex potentia habitum, & ex habitu actum generari tradunt scholastici: id quoque fateantur omnes etiam imperitissimi necesse est: Deum, qui principium est omnis potentiae & operationis in rebus creatis vniuersè & in tota natura rerum, multò magis fundamentum esse operationum omnium Ecclesiae suae per singularem assistentiam gratiae, quam promisit dicens, Nam ero tecum, vt auctor Epistolae ad Hebraeos argumentatus est, cap. 13. vers. 5. Quòd si rerum istarum omnium ratio ita est comparata, vt Ecclesia sine relatione ad Deum nulla sit, omninò ex ea ipsa relatione & respectu finem quoque Ecclesiae pendêre statuimus. Nam, cùm domus sit propter dominum & habitatorem suum, Ecclesia verò sit Dei viuentis domus; quis vsque adeò inter homines desipiat, vt domum luteam & ex necessitate misero homini fabrefactam, ad vsum hominis velut finem suum spectare iudicet; Eccle(f. 693)siam verò à Deo liberrimè, sine vlla necessitate ipsius, ex indignissimis hominibus collectam, putet ad alium finem quàm ad eius gloriam, qui sine vllo defectu suo, sed merâ gratiâ aedificauit, pertinere?

His ita constitutis, optimè concludimus in relatione Ecclesiae ad Deum formam essentialem Ecclesiae constitui oportere: cuius relationis fundamentum Deus est, & principium omnis boni, vt in natura rerum naturaliter, sic in natura Ecclesiae supernaturali gratia: ac proinde, sicut in natura nihil est quod ortum, essentiam, virtutem, operationem, finémque suum assequatur sine hoc principio atque fundamento; ita nihil planè in Ecclesia esse, nedum Ecclesiae corpus, quod sine hoc principio gratiae quidquam istorum fuerit habiturum. Denique vt corpus sine animâ nihil est, ita Ecclesia sine illa anima sua nihil futura est: Nam anima (inquit Augustinus) vita est corporis, animae vita Deus.

Sed istius formae essentialis quam Deus hac beatissima relatione indit Ecclesiae suae, modus itidem diuinus est. Est quidem naturalis relatio Lunae ad Solem à quo foeneratur lucem, sed non est vnio, non in relatione stabilitas. Est quidem relatio animae ad corpus in homine constituendo: sed haec vnio naturalis est, ac proinde vt ortum habet, sic etiam fertur ad interitum naturali quodam impetu, prout res compositae ad principia sua dissolutione continuitatis suae reuertuntur. In hac verò relatione, magnifica, gloriosa, diuina omnia. Nam Deus pater sic mittit filium ad Ecclesiam suam, vt sèmper vnum sint: filius à Patre missus sic ad eam venit, vt semper vnum sit cum Patre, quod aeternum est; & semper vnum cum Ecclesia, quod beneficium suo tempore coeptum in aeternum permansurum est; vnum inquam cum Ecclesia sua, tum participatione naturae & affectionum illius omnium, tum personae suae in vnitate naturae nostrae & spiritus sui bonorúmque suorum omnium communicatione: Spiritus denique sanctus à patre & filio procedens in Ecclesia est praesentissimus illa ipsa praesentia gratiae, secundum quam Ecclesia tota & singula ipsius membra templa Dei & Christi, quia Spiritus Dei habitat in ipsis, appellantur. 1. Cor. 6. 19. 20. Vtcunque dissoluatur naturalis relatio, vtcunque soluatur vnio, quae in rebus creatis inueniri potest, haec vnio supra naturam est: ac proinde non tendit ad interitum, vt res naturales; sed supra omnem interitum omniáque interitus instrumenta quàm longissimè euecta est, cùm fundamentum suum habeat in Domino.

Vsus verò relationis istius qualis, obsecro, futurus est, cùm omnia diuina & suppeditata diuinitus in hâc relatione videamus? Certè quicquid Ecclesia videt, audit, odoratur,

odoratur, gustat, tangit, sentit; imaginatur, appetit, intelligit, quidquid viuit, quidquid mouetur, quidquid est, id totum diuinum oportet esse: Et quidquid fidelia illius membra instituunt, similiter ab eodem principio, eodem motu, & modo ab illis institui conuenit. Nam si Deus, si Christus vita nostra est (vt est) cur vitam alteram viuamus quàm Christi? cur aliud cogitemus, quàm cogitationes decentes membra Christi? cur aliis rebus studeamus, quàm iis quas docet Christus? cur denique in Christo dicamur esse, si non viuimus Christo? Vt forma rei cuiusque est, ita operatur. quisquis Christianus es, quà Christianus es, spiritum habes Christi, principium & formam Ecclesiae Christi. In hac forma Christum, & proximum, & teipsum oportet recognoscas, vt dignè incedas vocatione tua. Id sibi olim voluit Apostolus, cùm ad Corinthios scriberet, Charitas illa Christi constringit nos; vt qui hoc statuerimus, si vnus pro omnibus fuit mortuus, nempe omnes fuisse mortuos: illum autem pro omnibus mortuum esse, vt qui viuunt posthac non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus & suscitatus est. Itaque nos posthac neminem nouimus secundum carnem: quod si etiam nouimus Christum secundum carnem, nunc tamen non amplius nouimus, si quis igitur est in Christo, noua creatura est: vetera praeterierunt, ecce noua facta sunt omnia, haec autem omnia ex Deo, qui reconciliauit nos sibi per Iesum Christum, &c. 2. Cor. 5. 14. & c. O diuinam formam veritatis! formam scientiae! formam charitatis! quam Apostolus de se in Christo subsistente ita praedicauit, ita gloriatus est in Domino, vt eâdem tum formam corporis Ecclesiae Catholicam exprimat, tum singularem membrorum illius in Christo Iesu. Nam videmus Paulum in Christo constrictum vinculo charitatis: cuius charitatis pignora effectáque certissima haec sunt, quòd (f 694) & Christus mortuus est; resurrexítque pro nobis, & nos in ipso mortui ac suscitati sumus, vt viuamus ipsi. Videmus Paulum in istâ coniunctione charitatis, verâ scientiâ formae illius Christianae ita praeditum diuinitùs, vt eâdem scientiâ, nos autem diuersâ, & Christum, & se, & fratres suos cognoscat simul, non secundum carnem, id est, naturale corpus & speciem illam externam quam à primo homine etiam citra rationem peccati habitantis in nobis accepimus, sed secundum illam sanctissimam constitutionem spiritalem quam Christus in sese à carnis infirmitatibus & morte vindicatus virtute suâ obtinet, ac communicauit, velut Ecclesiae caput & primogenitus inter multos fratres, cum Ecclesiâ suâ & membris singulis illius. Quâ in constitutione effectum est, vt Christus nos omnes, & vicissim nos Christum & fratres nostros in Christo secundum renouationem illam ab eo factam cognoscamus. Videmus denique in his duabus rebus, charitate inquam & cognitione Christianâ nostrâ, certissimam veritatem ab omni mendacio, vanitate, & mutatione alienam: secundum quam, quisquis in Christo est, noua creatura est: vetera praeterierunt, quae propè sunt vt intereant, & noua facta in credente sunt omnia nouitate aeternùm duratura, cùm & auctorem habeat Deum patrem, mediatorem effectorémque Christum, per quem reconciliati sumus Deo & patri nostro.

Hâc radice charitatis, hoc succo veritatis, hac luce cognitionis atque scientiae, hac denique forma Christianitatis instructi, si Christum nouimus, si nos in Christo experimur, cur non & Ecclesiam, & membra illius, tum quae iam ex facto vocata sunt per Dei gratiam, tum quae porrò vocanda misericorditer, cur non (inquam) hos omnes in eadem charitatis radice, & succo veritatis, eadem cognitionis luce, eadémque Christianitatis forma cognoscamus? Haec enim illa ratio est, quae recreauit summáque laetitia Dauidem affecit, & omnes bonos exemplo eius affectura est: haec illa forma cuius conscientia Apostolus non dubitabat dicere, Siue insanimus, insanimus Deo, siue sana mente sumus, vobis mente sana sumus: adeò possidebat vera illa forma hominis Christiani Apostolum Christi, vt non ad se respiceret, sed ad Christum caput nostrum,

& in

& in Christo omnia membra corporis illius in veritate, scientiâ, & charitate Christiana amplexaretur studio & amore insuperabili. Horum exemplis si nos religiosè studebimus conformare, & mysterium pietatis in bona conscientia & fide ἀνυποκρίτῳ & charitate retinebimus: non dubium est quin eiusdem laetitae cùm in hoc, tum in futuro seculo consortes futuri simus per Dei misericordiam. Sed, eheu, si ad haec tempora oculos & cogitationes nostras conuertimus, quid aliud dicturi sumus, quàm quod olim dicebat Christus? Vae mundo propter scandala: vae homini per quem eueniunt scandala. Mat. 18. 7. Prospiciat gratiosè pater ille miserationum, & mundum ruentem gratia salutari retrahat. Omninò, vt res sunt, forma illa Christianitatis deperit, quam scripturis expressit, sancti vitâ adumbrarunt, quam denique Christus quotidianis signis & documentis testatam facit. Veritas in profundo demergitur, lux scientiae cognitionísque salutaris certatim oppugnatur atque extinguitur, Charitas fermè non comparet vsquam. Et quis miretur, si laetitiae illius spiritualis loco grassatur carnificina in mentibus manibúsque plurimorum, quos hoc etiam tempore reuocat Dominus auctoritate, rationibus, & exemplis ab impietate & iniustitia ipsorum?

Hactenus duo exposuimus ad hunc locum pertinentia: nam Iehouam finem esse ostendimus Ecclesiae toti & piis in ea singulis propositum: deinde Ecclesiam relatione spiritali cum Deo coniunctam, tantisper dum coniuncta manet, quáque ipsum respicit, velut iter piae cuiusque animae esse demonstrauimus, vbi inueniat Dominum. Restat locus tertius de actione piorum ad Deum in Ecclesia contendentium: *Eamus*, inquiunt, *in domum Iehouae*, & c. Duplex igitur est piorum actio in Ecclesia, & per Ecclesiam ad Deum verum & viuentem contendentium. Vna est, quòd eunt ad Dominum: altera, quòd in Ecclesia, euntes, permanent atque perseuerant. Prioris actionis documentum habetur his verbis; *Domum Iehouae adeamus*: posterioris autem illis: *Consistentes sunt pedes nostri intra portas vestras*, *ô Hierosolyma*. Hîc fides, hîc patientia, hîc perseuerantia sanctorum paucissimis verbis à Propheta grauissimè demonstrata, cùm (f. 695) ire dicuntur, in iis finibus se euntes continere quos circumscripsit Deus, vtcumque intus, foris, dextrorsum & sinistrorsum laetitia & labor ipsorum oppugnetur.

Ac primùm quidem non temerè dicuntur *ire* quicunque ad Ecclesiam Dei vocati sunt, aut vocantur adhuc misericordia eius. Nam siue ad hominem, sedémque illius respexeris, siue ad Deum & sedem gloriosam eius, nihil est quod nos non doceat, iter (si sapimus) fieri à nobis oportere, vt egredientes è nobis ipsis & sede hac nosta, iusto itinere non autem iniusto, vero ac non fictitio, ad Deum transeamus, & sedem caelestem illius. Nam quid est homo? totus miser, natus in miseria, in eadem à natura agens, viuens, moriens, denique miseria ipsa. Quid sedes hominis? miseriae campus, quem nemo homo (usque adeò miseri sumus) vel minima ex parte possit decurrere. E diuerso autem quid est Deus, nisi pater ille miserationum & omnis bonae donationis autor, qui solus miserum hominem sola misericordia sua potest vt omnipotens est, vult ut optimus est atque misericors, scit vt est sapientissimus, è miseria ipsius & sede miseriae eripere?Quam rem, quia promisit & fidelis est ac verax, secundum illam potentiam suam, bonitatem, misericordiam, & sapientiam est effecturus. Et quae huius sedes? iustitiae, vitae, gloriae, in quam omninò quisquis conscenderit, tutus ab omni impetu in Dei praesidio, ad aeternitatem conquieturus est. Quantum autem, obsecro, interuallum putandum est inter illum quem praedicamus Deum, & nos miseros homunciones, qui domos luteas incolimus? Quantum distat illa aeterna & caelestis sedes & immota ciuitas, ab hoc momentaneo & putri gurgustio quod nos incolimus? Est igitur faciendum iter, si ex hoc miserrimo domicilio nostro ad illud beatissimum aspiramus. Hoc iter nemo homo in terris, aut Angelus è caelo docere aut monstrare potuit.

potuit. Deus idem docuit, & posuit. Docuit in scriptura; posuit in Ecclesia, deducit nos ac potiùs trahit virtute sua, id est, spiritus aeterni sui communicatione.

Primum itaque quod ex illo sanctorum sermone discimus, illud est, nos peregrè abesse à Domino; & vbicumque locorum simus, videndum esse, vt tum à nobis supra nos, tum à mundo supra totum nunc mundum fugiamus, nisi mala nostra, id est, peccata & miseriae innumerabiles ex peccatis accumulatae nobis plus aequo allubescant maximo malo nostro. Deinde, cùm homini cuiuis prudenti non id tantùm sit videndum, vnde effugere ipsum oporteat, verumetiam quò & qua vtiliter ipsum contendere; alterum illud Christianis opus est, vt prout à se ipsis mundóque toto profugiunt, ita ad finem summum omnium & summum bonum suum transfugiant diligentissimè: praesertim cùm is ipse, qui principium & finis omnis boni, adeóque summum bonum, vel potiùs vnicum nostrum est, se tam gratiosè sistat in oculis omnium & exhibeat perfruendum. Quam ad rem si defixa oculorum acie toto animo & tota mente adlaboraremus, profecto nec tam multis incommodis alij afficeremus alios, nec in singulis quae obueniunt impedimentis, citò, trepidè, segniter, atque infirmè haereremus. Accedit ad haec sanctissimum illud Dei, qui nos vocauit, studium Ecclesiam suam in hoc terrarum orbe seculóque pangentis, velut ouili caulam, & familiae domum: cuius claustra & repagula propterea à Deo fixa sunt, vt cùm nosmetipsos in Ecclesia Dei fratrésque nostros agnoscamus, aditum ad Deum molientes, tum verò Deum ipsum sanctificationem Ecclesiae suae & membris eius adferentem praesentia & salutari gratia. Quorum omnium seria contemplatione sancti iam olim perciti inter se dixerunt; *Domum Iehouae adeamus*, vt Propheta hoc loco narrat; id est, cùm ipsi sibi gratulantes addiderunt calcaria, vt Deum & sacrarium eius accederent, tum alios sermone, exemplo, & omni pietatis officio, non imperio & violentia (quò plerique omnes videntur ruere) non ostenso metu, religiosissimè prouocarunt.

Quid ergo est, ô grex Christi, quod nos tantopere impediat ab his omnibus pietatis, iustitiae, sanctimoniae, & religionis verae officiis? Quid est, obsecro, quod miseram istam peregrinationem nostram, ac potius emansionem qua emanemus à Domino, nobis tam suauem efficiat? Quid est siue in nobis, siue in hac misera statione & tota conuersatione nostra, quo alliciamur atque constringamur, ne possimus à nobis ipsis & nostra miseria fugere? Quòd siquid est suauitatis (vt quidem videtur nobis) in hac ipsa miserrima conditione nostra, quid est vsque adeò (f. 696) suaue aut vtile, aut boni instructum specie, quod cum illo fine summo & bono vnico comparari possit? quid est quod non perrumpamus, vt tandem conatu iusto ad rapiendum fructum summi illius boni perducamur? quid est in hac abiectissima statione nostra factóque nostro contaminatissima, quod nos sic fascinet. vt mentes ad domum illam coelestem, quam *Iehoua* inhabitat, minimè attollamus? quid, quod oculos praestinguat, ne lucem illam à Deo in Ecclesia ipsius commodissimè expositam prosequamur, eáque praelucente mala fugienda, & bona prensanda, vtenda, fruenda, secundùm Deum cognoscamus, & alij alios ad eandem cognitionem, apprehensionem, & fructum gratiae excitemus? quid, quod nos iubeat saluti nostrae ipsorum obsistere, & metum, minas, artes, vim, gladios, ignes, laqueos, quaerentibus salutem secus quàm nobis videtur, oppangere? Cogitemus potiùs per Deum immortalem, per salutem illam nostram, quam pretioso sanguine suo Christus comparauit, quantum malum nos circumsideat opprimátque, nisi ad Deum contendamus: quanta bonorum innumerabilium in Deo suauitas: quanta in Ecclesia claritas: quanta in communione sanctorum delectatio, mutuis celeusmatis inter se adhortantium: quanta vis maximae illius nubis testium (vt Apost. ad Hebraeos cap. 12, v. 1. vocat) nos velut circumsonantis clamore sanctissimo in caelo & terra, vt praeeuntes sequamur & obsequamur Domino. Hac cogitatione

 armati

armati fugiamus nos ipsos & mala nostra, ad Deum transfugiamus per Ecclesiam eius, & alij alios ad participationem admirabilis eiusdem lucis religione & charitate vera prouocemus. Haec illa est sanctorum actio, quam Deus imperat, quam Dauid praedicat, quam pius quisque diuinam iudicat, & quam nemo nisi impius, si viderit aut modo aliquo senserit, abdicaturus est. Sed hanc actionem animus non corpus, mens non manus praestare potest; quandoquidem (vt docebat Christus, Ioan. 4. 24.) Deus est Spiritus, & eos qui ipsum adoraturi sunt, in spiritu & veritate praecipit adorare. Det nobis idem qui praecipit, vt corpore, & animo, & spiritu ita comparati, à nobis ad ipsum in Ecclesia fugiamus indesinenter, & alij alios secundùm illam charitatem Christi adiuuemus in persequenda percipiendáque illa communicatione gratiae, incredibilem laetitiam, fructum spiritus suauissimum, in nobis editura.

2. QVOD *consistentes sunt pedes nostri in portis tuis*, *ô Hierosolyma.*

ACTIONEM sanctorum omnium singulorúmque diximus antè à Propheta circumscriptam esse certissimis ac pernecessariis finibus, cùm illos accedere ad Deum Ecclesiámque illius, & permanere in ea praedicaret apud Dominum Deum suum. Iam verò exposita priore parte, qua pij sese ad Deum in Ecclesia eius adeundùm comparauerunt, hîc altera subiicitur, qua sanctam perseuerantiam suam profitentur in boni illius diuinitùs percepti communicatione. Huius ergo propositionis summa est, profiteri pios, & hoc tempore Christianos omnes, se in Catholica Dei Ecclesia & parte Catholicae quae hîc in terris versatur, constanter mansuros esse, neque ab ea aut diuinis institutis eius temerè discessuros. Atque hanc professionem singuli pij hoc loco ita dicuntur facere, vt sui religiosi studij non hunc solùm aut illum, sed totum Ecclesiae corpus, Ecclesiam (inquam) ipsam testem aduocent, spectatricem sancti consilij & voluntatis suae. Quamobrem vt hoc argumentum commodiùs exponamus, & singuli meliùs intelligant, tria nobis ordine videnda sunt in hoc versu paucis comprehensa. Primùm, quam perseuerantiam profiteantur pij: Secundò, quos fines statuant illius perseuerantiae; Postremò autem quos adhibeant testes conscientiae ipsorum annuentes atque attestantes. Perseuerantiam denotant haec verba, *Consistentes sunt pedes nostri.* Fines illius perseuerantiae circumscribuntur ab illis, cùm inquiunt, *in portis tuis.* Testimonium verò Ecclesiae ad haec omnia appellatur, quia illius est testificari secundùm Deum, tum de portis suis (vt cum Propheta loquamur) tum de membris intra portas eius agentibus.

Ac primus quidem ille locus de perseuerantia sanctorum non temerè à piis adhibetur: quia omnes homines ad sanctitatem veram à Deo prouocati & accensi in Ecclesia eius, adhuc ea caecitate mentis & carnis infirmitate sunt, dum hîc in terris viuunt & lubricum iter huius mundi premunt, vt nullo fermè negotio pedes eorum à viis quas Deus praescripsit auertantur. Probat Deus, excaecat mundus, debilitat caro, peccatum frangit, Satanas fallit, omnia denique pedibus piorum insidiari videntur quàm periculosissimè, nisi Dei manus, Ecclesiae ars, & nostra ipsorum obseruatio (f. 697) diligentissima aduersus tot mala, quae nos infestant, concurrerint. Peregrinantes itaque pij à Domino & arduum huius vitae iter contemplantes, quo ex se ipsis egredi, in Ecclesiam ingredi, & ad Deum transgredi ipsos necesse est, actionem illam spiritalem corporeis vmbraculis significauerunt, cùm sibi pedes in hoc spiritali incessu & consistendi officium tribuerunt. Hîc enim siue incedamus, siue consistamus, non pedis, sed mentis opus est (vt antè diximus) quae facultatem suam in rebus spiritualibus occupat spirituali modo, sine corporalium instrumentorum operatione vlla: sed tamen nobis, qui carnales sumus, & secundùm carnem per analogiam quamdam

infirmo

infirmo captui nostro accommodam res spirituales accipimus, adumbrat actiones suas corporalibus instrumentis. *Pedes* igitur *nostri*, inquiunt, *sunt consistentes*, i. perstamus in Ecclesiâ Dei, ad quam peruenimus, vt praecedente versu fuit expositum. Et quamuis subinde nostrâ ipsorum infirmitate & alienâ occasione factóque impellamur, & propemodum de beatâ illâ sede, quantum in nobis est, deiiciamur, tamen experimur subinde etiam nos in Deo & in Ecclesia eius confirmari, quo nomine gloriamur etiam in mediis nostris afflictionibus.

Itaque in locutione hâc, *Pedes nostri consistentes*, reuerâ plus inest, quàm si dictum fuisset à piis simpliciter, *Consistunt pedes nostri*, quemadmodum Hebraeae linguae vsu demonstratur passim. Nam primùm testantur pij factum suum, deinde tentationes suas, ac postremò studium quo tentationibus obsistunt in Domino. Factum suum hoc esse pronunciant, quòd freti virtute Iehouae (qui formam essentialem Ecclesiae & membris illius indit Spiritus sui communicatione) se in Ecclesia & domo Dei viuentis continent, ad quam singulari gratia illius vocati, adducti, & agglutinati sunt, vt immoti in ea haereant, tanquam superstructi salutari illi petrae, cuius Christus Matt. 16. 18. & Paulus 1. Cor. 10. 4. meminerunt. Tentationes sunt non quidem disertis verbis expressae, sed hâc loquendi formulâ tacitè comprehensae, quòd intus & foris in pios irruunt mille incommoda, quibus ab illâ statione deturbari possent in quam gratia Dei perducti sunt, absque Deo essent vindice ipsorum. Nam vt homini qui totus infirmus est, etiam infirmo pedibus, si aduersentur solum lubricum aut arena fluens atque instabilis, aestus Solis, imbres, procellae, venti, omnia denique obstiterint, conditio eius in ipso est miserabilis: ita pios, dum hîc sunt, versari constat in Ecclesia Dei infestos grauissimis, innumerabilibus, ac diuersissimis calamitatibus; aduersus quas sibi ipsi nequeant prospicere, sed tantum fortiter fixo pede id sibi statuant laborandum, ne demoueantur de eo loco vbi fruuntur praesentia Dei ipsos confirmantis. Hoc. n. sibi verba illa volunt, *Pedes nostri sunt consistentes*: perinde atque si dicerent; Impelli quidem multifariam grauissimè saepissiméque ipsorum pedes, & singulis momentis propè esse vt dilabantur impedimentorum vehementia: verumtamen se adhuc pedibus firmis consistere, nec rebus aduersis, quae infestant ipsos, vel ad momentum cedere. His denique rebus accedit studium illud, quod tertio loco posuimus: cuius studij documenta duo sunt, Phrasis quam antè diximus, & tota haec enunciatio. Nam Phrasi vel locutione Hebraea constantiam suam in labore studióque consistendi apud Dominum profitentur: Enunciatio verò tota sermonem resipit hominum vere sanctorum, qui iustificati fide & pacem habentes cum Deo in Christo, etiam suis oppressionibus & angustiis gloriantur, vt Apostolus praedicauit. Viderunt nempe sanctae illae animae spiritu Dei actae, id non esse suarum partium, vt alienos pedes obseruarent, aut iis offendicula insidiásue ponerent: non vt eos, contrà quàm pietas & charitas Christiana docet, proteruè in lapsum impellerent: non vt miseros etiam non intelligentes, vel ad se non aduertentes animum, persequerentur infesti: sed hoc sibi potiùs curandum esse, vt ad suos pedes, i. institutum vitae & administrationis suae attenderent, eos circummunirent à rebus omnibus aduersis, & se in omni bono secundùm Deum & coram ipso in Ecclesia confirmarent. Quem finem si actuosum hoc nostrum seculum ante oculos iamdiu proposuisset sibi, certè tot funestis malis iamdiu caruisset mundus, & feliciter Ecclesia increscens aegrè fecisset Satanae & sceleratissimis administris eius. De perseuerantiis diximus; iam de altero illo quem proposuimus loco, de finibus, inquam, & terminis ad perseuerantiam constitutis videamus.

Fines quibus sese religiosissimè perseuerantia sanctorum continet, proponuntur his vocibus, *in portis tuis*. Describuntur autem allegoricè, vel potiùs typicè, pro commoditate

moditate Ecclesiae, quae tum in gente Iudaeorum fuit. Quapropter antequam de argumento dicamus, aliquid destringendum est de isto priscae Ecclesiae vsu, secundùm typos à Deo institutos Ecclesiam catholicam, & partes, (f. 698) & attributa illius in Scripturâ adumbrantis. Quaecunque igitur hoc modo enunciantur de Hierosolymis, ciuitate Dauidis, Sione, domo Iehouae, & similibus, pro ratione locorum variam habent interpretationem. Ea autem est triplex. Nam aut secundùm rem naturae fit enunciatio, aut secundùm aliquam figuram veritatis, aut secundùm veritatem figuratae gratiae. Secundùm rem naturae, siue (vt loquuntur vulgò) per naturalem modum intelliguntur Chananaea, Ierusalem, Sion, &c. quum intelliguntur prout fuerunt in naturâ rerum, citra diuinae relationis per gratiam institutae contemplationem. Nam ex eo quod singulari instituto Deus haec sanctificauerat, non est mutata earum rerum natura, quin Chananaea regio esset, vt aliae, & Ierusalem ciuitas, & Sion mons, vt antè fuerat, & pòst etiam permansit in rerum naturâ; sed eandem naturam suam in se singula habuerunt. Atque hoc sensu interdum in sacra Scriptura nominantur. Secundùm figuram aliquando in Scripturis vsurpantur eadem nomina, propter symbolicam vel sacramentalem (vt vocant) relationem ad res diuinas, quae ipsis adumbrabantur, non ex natura ipsarum, sed institutione & ordinatione Dei: Quae institutio non tollebat id quod naturâ erant, sed tantum efficiebat, vt id ipsum quod in rerum natura exstabat, quendam velut colorem & lucem relationis ad res spirituales institutione Dei acciperet. Itaque factum est non raró, vt nomina eiusmodi figuratiuam significationem in verbo Dei habuerint. Secundùm veritatem gratiae tertio modo (vt antè diximus) haec eadem nomina vsurpantur pro iis ipsis rebus spiritualibus quas instituto Dei figurabant: quemadmodum hoc nostro tempore, vt iusta fiat harum enunciationum quae in Testamento vetere sunt accommodatio, accipi eas à nobis necesse est. Nam Ierusalem, quae in Testamento vetere dicitur, nunc Ecclesia est: eodémque modo portae, quae à Propheta hoc loco nominantur, fines seu termini Ecclesiae non muris aut portis definiti, sed animo & cogitatione interpretandae sunt. Alioquin etiam non raró vsu veniebat in priscâ illâ Ecclesiâ, vt tria haec interpretationum genera in comprehensione vnâ simul concurrerent: vt nomine Chananaeae tum regio quà erat in naturâ rerum, tum figura quae ad veritatem gratiae diuinae Ecclesiaeque significandam fuerat à Deo instituta, tum denique veritas ipsa qualis in Deo & apud Deum est, non autem in naturâ, aut figurâ solùm intelligeretur. Atque in hanc sententiam pij nomen portarum hoc loco in prisca Ecclesia acceperunt. Nam & ad portas vrbis Hierosolymorum respiciebant, prout erant in natura rerum, & ad figuram relatiuam ipsarum, prout Dei ordinatione & verbo figurales credebant esse, & ad veritatem ipsam portis (vt ita dicam) temporalibus figuratiuè & sacramentali modo adumbratam. quemadmodum & in Sacramentis nostris aquam, panem, vinum, tum materiam elementarem, tum relationem figuralem, tum figuratam ea veritatem appellamus. Nos verò ad quos plenitudo temporum peruenit, non respicimus ad materiales portas, quae iam diu esse desierunt; non ad figurales propriè, cùm id quod non est in natura rerum figura esse non possit alterius, prout vulgò dicitur non entis non esse accidentia; sed tantùm veritatem spectamus gratiae quam Deus portarum nomine figurauit.

Vt ergo de veritate constet, id primùm ad haec nobis tenendum est, has portas in scripturis synecdochicè appellari, tum rei illius terminos quae agitur, tum rem ipsam totam suis terminis circumseptam, tum denique ius, auctoritatem, dominium, administrationémque; & vsum illius. Nam etsi muri vrbis cuiusque portis iuncti constituunt terminos: tamen excellentiore quodam modo dicuntur portae ciuitatem termini, quia intus & foris commoditate portarum efficiuntur omnia quae ad vsum oppidorum

oppidorum vtilitatémque pertinent: muri autem termini caeci sunt (vt ita loquamur) non ad actiones quasuis ciuitati commodas, sed ad tegumentum & defensionem solummodò comparati. Quòd autem extremitatum appellatione id totum intelligatur quod illis comprehenditur, nemini homini insolens videri potest, qui in ore vulgi innumeras eiusmodi locutiones animaduerterit, continens pro contento, vt vocant, vsurpantis: vt crumenam petens pecuniam petit. Quòd autem postremò pro iure, auctoritate, potentiâ, administratione, & vsu significando dicuntur portae, id à communi more prisci illius seculi profectum est. Nam ad portas munitiones erant, armamentaria basilicae, fora, & conuentus dicendi iuris, vt multis Scripturae locis confirmatur: Vnde mos ille obtinuit, vt ius, auctoritas, consilium, potentia, & vires omnes portarum nomine notarentur. Matt. 16. 18. Quo sensu dicebat Christus, aduersus petram & superstructam Ecclesiam non esse (f. 699) praeualituras inferorum portas. Hîc verò non agitur de portis Ecclesiae fabrefactis & materialibus, non de corpore ciuitatis aspectabilis, non de ordine humano aut potentia vlla carnis; sed de corpore ipso Ecclesiae: quod cùm spirituale sit Ecclesia est, portarum quoque appellationem spirituali modo oportet intelligamus. Sunt igitur portae Ecclesia ipsa, & sancti illius fines & termini à Deo circumpositi Ecclesiae atque constituti ad corporis vnius coagmentationem, & iustum ordinem gubernationémque illius,

His portis à Deo positis, personae, res, & actiones quae coram Deo in Ecclesia sunt, continentur. Personae, à Deo vocatae; res à Deo datae; actiones denique à Deo in Ecclesiam praestitae, & in ea nobis imperatae. Cùm itaque Sancti testantur palàm *pedes suos esse consistentes in portis Hierosolymorum*, ad tria illa respiciunt; Deóque & Ecclesiae spondent, se tamquam personas à Deo electas atque vocatas gratiosè, perseueraturos apud se & inter se coram Domino in Ecclesia eius vti rebus à Deo datis, se laborem consumpturos in actionibus eius percipiendis, & in obseruandis colendísque operibus ab ipso imperatis occupatum iri. Cùm autem rerum & actionum, quarum aliae in priuato & singulari vsu, in publico ordine positae sunt, modus deinceps sequentibus versibus exponatur, haec omnia eò sumus reiecturi. Id vnum quàm diligentissimè recordari pios necesse est, perseuerantiam qua vtuntur homines extra Ecclesiam, aut etiam in Ecclesia, extra fines à Deo constitutos, damnabilem esse pertinaciam: omnes autem laborem suum, operam, atque industriam eò conferre oportere, vt non solùm in Ecclesia sint, sed etiam ex Ecclesia sint, & tanquam germana membra illius in rebus actionibus decentibus vocationem suam indesinenter sese exerceant: atque etiam siquae dubiae sunt, siquae incognitae, de iis quaerant, & consulant, quemadmodum in portis olim singuli functiones suas solebant cognoscere, & ab iis qui communi praeerant mandata diligentissimè accipere, fidelissiméque exequi. Nam quaecunque Christianus sentit vocationi suae tum communi omnium, tum etiam singulari atque (vt vocant) personali conuenire, ea vltrò defungitur: de quibus verò nihil planè, aut non satis informatus videtur sibi in animo & conscientia, certam eorum rationem ex Dei verbo, aut certis administris illius fidelibúsque dispensatoribus, antequam ad opus accingatur, religiosè cogniturus est.

Hac perseuerantia piorum hominum finibúsque positis, de testibus videndum est, qui à filiis Dei hoc loco appellantur. Ac testium quidem, ante quorum oculos decet nos obire vocationem nostram, multa sunt genera. testem enim habemus vniuersorum, & rerum etiam abditissimarum cognitorem, qui etiam iudex futurus est, Deum. Huius testimonium sanctè coram hominibus, vbi alia testimonia non prosunt, ex pietate, veritate, & charitate appellamus. Testes item habemus angelos è caelo, communi Domino cum Ecclesia obsequentes, & ciues Hierusalem illius in caelis, qui & intuentur faciem patris nostri qui in caelis est, mandata illius accepturi, & minimorum etiam puerulorum

puerulorum curam gerunt, prout iubentur à Domino. Matt. 18. 10. & in Ecclesia hîc obseruant studiosissimè multiformem illam sapientiam Dei: Ephes. 3. 10. neque id solùm in opere gratioso spiritualium benedictionum eius, sed etiam in externo illo ordine, qui conuenienter cum interna illa Dei gratia in communione sanctorum coniunctus est: quò spectans dicit Apost. 1. Cor. 11. 10. à muliere potestatem, i. potestatis signum haberi in capite propter angelos: denique in rebus piorum gestis & perpessionibus: de quibus dicitur eadem epist. c. 4. v. 9. Dei seruos etiam angelis spectaculum factos esse. Testis praetereà mundus est, coram quo similiter sancti fiunt spectaculum vt ibidem affirmat Apost. adeò vt non dubitauerit Episcopo ministranti in Ecclesia Dei legem hanc indicere, vt etiam ab extraneis bonum habeat testimonium, ne in probrum incidat & laqueum Diaboli. 1. Tim. 3. 7. Testes denique habemus priuatim sanctos quosque, nobiscum in Dei Ecclesia conuersantes: quorum testimonia eo pluris fieri à nobis necesse est, quòd domestici sunt illius domus, cuius & nos. Ex his omnibus & aliis quoque testimoniis vnicum Propheta hoc loco adhibuit, & apud hunc testem cogitationem, studium, officia sua professus est: nimirum Ecclesiam Dei. Non quòd idem apud Iehouam Deum suum fideles non profiterentur: nam quisquis in Ecclesia professionem hanc adhibet, apud Deum profitetur, qui indesinenter in Ecclesia habitat, eámque sanctificat lauacro regenerationis per verbum. Non etiam quòd angelorum testimonium Ecclesia prisca nesciuerit, cui Deus quamplurimis angelorum significationibus crebrò testatus est praesentiam suam (f. 700). Non quòd mundi ipsius refugerit testimonium, coram quo nos omnes confiteri Deum & Christum necesse est, ac non negare beneficium eius. Sed testimonium Ecclesiae quoties adhibetur, & quoties apud eam quod partium nostrarum est ex animo profitemur, toties coram Deo & angelis eius eadem opera officium facimus: quod officium domestici solùm vident, non vident exteri. Videt ergo Deus officium hoc & probat, vt Dominus iustus domus: Vident angeli, vt conserui in eadem domo: Videt Ecclesia & membra illius nobiscum versantia, vt custos beneficiorum Dei & mater nostra omnium in Domino, ac proinde eodem iure custos professionis nostrae erga Dominum Deum nostrum. Hanc verò professionem non videt mundus, quia oculis carnis videt: sed optimè videt Ecclesia secundùm Deum, quia sanctos oculis fidei cernit in charitate & vnitate spiritus. Rectissimè itaque pij apud Ecclesiam profitentur sanctam professionem hanc, tum quia eadem opera Deum & angelos ipsos certissimos testes habent eorum omnium quae in Ecclesia faciunt, tum quia singulari quodam instituto & conuentione Ecclesia est communis depositaria Dei pariter ac nostri: nam in ea Dominus exposuit thesauros suos à piis singulis delibandos, & vicissim in ea pij exponunt vota sua & professiones quasque pietatis suae, vt coram Domino acceptae sint in vnitate corporis Christi. Hanc fidelem depositariam olim appellabant pij, cùm Hierosolyma nominarent: idque iisdem modis, quos proximè declarauimus cùm de portis Hierosolymorum ageremus. Vrbs enim Hierosolymorum aut secundùm naturalem illam materiam, aut secundùm figuram, aut secundùm veritatem à sanctis illis hominibus enunciatata est. Hic triplex modus simul concurrebat, cùm pij verbis Prophetae istis vterentur: Nam & materiatam Ierusalem videbant, & figuram cernebant qua vestiebatur materiata Ierusalem instituto Dei, & in veritate velut anima illus conquiescebant, quia Deus praesentiam suam gratiosam prolixè in ea confirmabat.

Prodest autem piis huiusmodi Ecclesiae appellatio plurimum, facto, & exemplo. Facto prodest, quia singuli hoc facto officium suum erga Ecclesiam probant (quid enim piae matri non debeant pij filij?) & quia Ecclesiam prouocant ad officia in prolem morigeram & officiosam maiore cum fructu & alacritate maiore praestanda: Illi praestamus singuli personalia officia nostra; illa verò dispensat nobis tum communia omnibus

omnibus quae habet, tum etiam singulis personalia ad aedificationem nostram. Atque hoc illud est quod antè diximus, Ecclesiae partes esse has secundùm Dominum, vt tum de portis suis exhibeat testimonium, tum de membris agentibus intra portas suas. Nam ex portis suis (vt ita loquamur) depromit iura Dei quae in sinu habet; de membris verò testimonium edit, siue intus piorum singulorum mentes instituendo, & consolando, & recognoscendo ex verbo Dei & fide ipsorum obedientiáque fidei, siue foris in communione sanctorum fouendo atque educando: imò (quod amplius est) aberrantes castigando, & veluti salutari manu ad gremium suum reuocando indulgentissimè. Quemadmodum autem haec facta singulis nobis vtilitatem adferunt, sic etiam aliis exempla commodissimè offeruntur ad aedificationem filiorum Dei. Quapropter illi quoque ipsi qui in hunc modum instituunt vitam suam, in scripturis sacris fideles testes Iesu Christu & Ecclesiae eius nominantur. Neque dubium est quin eodem pij respexerint, cùm hoc loco non seorsim apud se singuli, sed coniunctis operis publicè in Ecclesia praedicarent, *consistentes sunt pedes nostri.* Poterat quidem separatim quisque dicere, Consistentes sunt pedes mei; Sed haec communio sanctorum, haec sanctimoniae communicatio, vt suis auctoribus ex facto prodest, ita spectatoribus exemplo, & auditoribus hortamento.

Ecquis iam adeò demens aut furiosus est, vt non videat quantas vtilitates piae illae animae iucunda hac praedicatione & professione officiorum suorum fore animaduerterint? Quod autem in illis videmus, agite, demus operam vt ipsi quoque in nobis videamus. Si non videmus, vt profectò multi sunt oculis capti, quibus princeps huius mundi oculos mentis ipsorum excaecauit ne credant veritati, discant illi Deo auctori gratiae sese committere, quem auctorem naturae sciunt: Discant praelucente Domino ex verbo ipsius, se hîc in via esse, ac potius in biuio, quod Christus elegantissimè nobis figurauit: Discant viam quae fert ad salutem Ecclesiam esse, cuius humilitas nom debet quemquam auertere à via salutis ineunda: Nam iter angustum ad salutem est. Matth. 7. 14. Discant sibi pedes & commoditatem ad instituendum iter suppeditari gratiosè à Domino, si verbo promissionum eius crediderint: Discant, ex quo in Ecclesia sunt, animum & vires sibi à Deo inge(f. 701)nerari & augeri, quò sint consistentes eorum pedes, nec aduersarum procellarum impetu deturbentur, prout Dominus in Ecclesia est praesentissimus; Discant denique Ecclesiam Dei muris & portis munitam esse quas Deus antè oculos pictas & manui inscriptas habet, quemadmodum per Isaiam pronunciauit, vt tum impetus omnes hostiles & tela aduersantia frangant quiescentes sub vmbra alarum Domini, tum ad omne officium in pietate, iustitia, veritate, & charitate adducantur. Nos verò qui iam Dei beneficio immerentes, inuiti, repugnantes, ad lucis illius admirabilis participationem vocati sumus, & qui hac luce freti videmus mysteria Dei in Ecclesia eius exposita, quae non videt mundus, & spiritalem fructum ex eis communiter ac singulariter percipimus in Christo Iesu, quanto studio, quanta religione, quanta contentione pietatis ad haec omnia recognoscenda in Domino, in ecclesia, in fratribus nostris, in nobis ipsis opus est accurere? qui Ecclesiam nouimus Dei domum esse, qui salutem à Deo in Ecclesia quodammodo depositam, qui pedes nostros diuino ductu in ea collocatos, qui eadem virtute pedes ibidem consistentes omnium procellarum impetum proculcare, qui nos à Deo Ecclesiáque curari in portis illius quam fidelissimè, qui denique omni benedictioni spirituali in locis supercaelestibus in Christo nos locupletatos esse, quo vsque tandem operibus nostris & conuersatione ementiemur lucem diuinae veritatis in nostris mentibus & conscientiis radiantem? Quin potius Deo, Ecclesiae, fratribus, & nobis ipsis tribuimus singulis quod suum est? Iam plus satis à Deo auertimus mentes, animos, & officia pietatis omnia, quibus nos obstrictos esse iamdiu Deo auctore, testante verbo,

verbo, conscientia fodicante nouimus. Iam plus satis eripiuntur ab Ecclesia Dei illa trophεῖα, quae adolescentes ingenui matribus naturâ duce solent refundere, ac potius (vt vno verbo dicam) deripiuntur de Ecclesia membra viuentia Domini, quae pretioso sanguine suo comparauit, impietate, iniustitia, & inhumanitate, addo etiam imprudentia indignissima eorum qui velut columnae Christianitatis dici & haberi volunt. Iam plus satis in fratres nostros iniqui fuimus, & grassantur in Ecclesia Dei pastores qui pascunt se ipsos, adipem comedentes, lanam induentes, quod opimum est mactantes, gregem non pascentes, ouem Christi morbo affectam non confirmantes, aegrotam non curantes, confractam non obligantes, depulsam non reducentes, pereuntem non requirentes, sed vi dominantes in gregem Christi & per saeuitiam, adeo vt dispersae sint oues Christi destitutae pastore, & sint cibo omnibus bestiis agri, dispersae, & fraudi, violentiae, atque tyrannidi impotentissimorum hominum expositae. Ezech. 35. 2. &c. Iam plus satis ruimus praecipites in perniciem nostram: & quamuis cum animis nostris veritatis diuinae & gratiae in Ecclesia conscij, tamen delicias facimus in ignoratione, infirmitate, & aberratione nostra. Videamus igitur deinceps, si vis facienda est, (est autem) vt nobis ipsis vim sanctè faciamus, memores illius quod olim dicebat Christus, rapi à violentis regnum Dei: Matth. 11. 12. qui in carne caeci sumus, videamus in Spiritu; qui infirmi, confirmemur; qui dormientes, excitemur; qui segnes, animemur; qui frigentes aut etiam tepidi, inardescamus ad illa pietatis in Deum, veritatis in Ecclesiam, iustitiae & charitatis in fratres, & sanctimoniae in nobis officia, quae Deus imperat. Deum nouimus, Ecclesiam nouimus: & nos igitur, & fratres in Ecclesia noscamus, obseruemus, & colamus studiosissimè; pedes nostros & ipsorum pariter confirmemus facto, sermone, & exemplo; consistamus in Ecclesia Dei, neque sinamus nos ab ea quacunque specie dimoueri; in portis Ecclesiae disciplinam Christi & Ecclesiae, quàm maxima fide possumus, studeamus discere atque retinere; & in testimonio Dei Ecclesiaeque ipsius piorúmque omnium Deo in Ecclesia obsequentium conquiescamus, vt fructum illum tranquillum iustitiae & gloriae superatis hostibus salutis nostrae Dei virtute reportemus in Christo Iesu. Faxit Dominus Deus salutis nostrae.

3. *Hierosolyma constructa, vt ciuitas quae coagmentata est in sese pariter.*

Adhuc sequuti vestigia Prophetae & priscae illius Ecclesiae, de piorum laetitia diximus ex causis singularibus nempe quòd pij singuli cùm sibi ipsis tum suis fratribus sermone acclamant, & operibus suis adiumento sunt, vt Ecclesiam Christi ineant, & in ea perse(f. 702)uerent quammaxima fide ac religione possunt: Huius rei aspectu & conscientia ingenerari mentibus ipsorum & inualescere spirituale gaudium, quo singuli in fide & obsequio Dei magis ac magis confirmentur. Deinceps videndum nobis est de causis communibus eiusdem gaudij, prout tribus versibus huius Cantici (quorum hic primus est) eas diximus contineri. Neque enim Christiano homini satis esse debet, quòd se & aliquot alios, qui proximè aderunt, facientes officium animaduerterit, nisi etiam vniuersitatem Ecclesiae animo contempletur, & communi gaudio de bono communi illius saturetur. Quemadmodum enim nullum membrum in corpore humano ita est αὐτόνομον, vt se solum curet aut ea ipsa quibus proximè coniunctum est, sed naturae instinctu quodam corporis integritatem suam integritatem putat; ita etiam pios in vnum corpus coalescentes Spiritus vnitate, cuius corporis caput est Christus, omninò decet cum membris non modò proximis & coniunctissimis, sed cum omnibus etiam quae Spiritus adunat quam longinquissimè communicatio. Etenim quod priuati hominis, vt singularis membri, gaudium esse potest, si commune corpus in quo

in quo agit male habuerit? aut quae salus expectanda membro si contabescit corpus? Contrà verò, quod gaudium singulari membro deesse potest, si valere corpus animaduerterit? quòd si ipsum singulari quodam modo afficiatur malè, quod malum ipsi grauiter damnosum esse potest, si commune bonum corporis ipsi futurum est bono, & vires communes suas ad singularis membri commoditatem collaturum? In hunc modum Prophetae sancti & prisca Ecclesia Dei à singularium membrorum bono & boni conscientia, docuerunt nos omnes ad boni communis explorationem & sensum assurgendum esse, vt veram laetitiam assequamur; quandoquidem nec diuturna est laetitia membri pereunte corpore, nec certa pernicies eius, si quo malo infestabitur, valente corpore, & ad confirmationem laborantis membri accurrente. Nunc ergo secundùm hoc causarum genus videamus, quibus recreantur pij, & in omnibus rerum difficultatibus consolationem certam adipiscuntur, gaudent, atque gloriantur.

Positis antè priuatis & singularibus causis Christiani illius gaudij, communes iam tribus his versibus afferuntur, quarum haec summa est: Pios priuato & singulari quidem respectu quem in superioribus exposuimus, sanctam laetitiam animis suis percipere; sed longè maiori laetitia affici ex communis boni contemplatione, quod bonum in Ecclesia cernunt, & ab Ecclesia ad se sentiunt deriuari: tum quia hac recognitione bonorum in Ecclesia recognoscunt Ecclesiam, tum verò quia suam ipsorum conditionem in Ecclesia ipsa sentiunt, & sibi de ea gratulantur. Bonorum autem quae ad Ecclesiae cognitionem, & ad membrorum eius aedificationem faciunt, ratio duplex hoc loco ponitur. Nam primùm absolutissima Ecclesiae in se coagmentatio ponitur, hoc versu; deinde verò officia omnia ad coagmentationem illam pertinentia atque indesinenter in ea profluentia, duobus sequentibus. Atque hae duae res omninò sunt opus ad piorum confirmationem: quemadmodum in symbolo Apostolorum, postquam professi sumus nos credere sanctam Ecclesiam catholicam, illicò subiicimus, communionem sanctorum; cuius communionis modus in hoc versu, opera sequentibus duobus exponuntur.

Atque haec quidem descriptio Ecclesiae vel domus Iehouae (vt ante fuit appellata) tum quidem erat necessaria, cùm locus Hierosolymorum ad symbolum sanctae Ecclesiae recens constitutus esset; prout principio ostendimus fuisse locum nuper à Deo designatum, & gratulante populo celebritatem maximam fuisse indictam, vt cultus Dei semel eo in loco institutus Deo auctore permaneret. Sed si tum necessaria fuit haec circumscriptio, certè multo magis necessaria videtur esse his miseris temporibus, quibus omnes certatim sibi Ecclesiam arrogant: nec praefidentiores vlli doctores aut duces ad demonstrandam Ecclesiam existunt fermè, quàm ij ipsi qui nec Deum, nec Ecclesiam, nec proximum, nec seipsos norunt, aut etiam si norunt (proh dolor) non possunt ipsi à se discedere, & sibi renunciare, vt Deo, Ecclesiae, proximóque cedant, & consulant saluti suae. Quia igitur, si qui haec lecturi sunt, statim obiicient: At quaenam haec Ecclesia est, quam Spiritus Dei hac magnificentia verborum praedicauit? hoc illi à nobis responsum habeant: primùm sapientissimè à Spiritu Dei magnifica haec verba ad commendationem Ecclesiae adhiberi, quia parui vel potius minimi, addo etiam nullius pretij à plerisque omnibus censetur esse: qui nihil sibi, carni, & sensui suo non arrogant, vt quiduis de Ecclesia de(f. 703)rogent: Deinde verò nos paratos esse, si viri boni esse volent, cum ipsis bene agere, & Ecclesiam quam sibi ostendi volunt ex veritate & in simplicitate demonstrare. Ex veritate: nam verbum Dei sequemur ducem, & (ne abeamus longiùs) ex his ipsis Prophetae & priscae Ecclesiae verbis exponemus: nam verbum Dei est veritas, & verbum vitae aeternae. In simplicitate autem, quia sepositis omnibus argutiis & verbis humanae sapientiae, enuntiaturi sumus de hoc argumento quaecunque nos hic docet veritas,

vt omnes hac ratione (qui fructus est maximus, de quo antè diximus) tum Ecclesiam in Deo, tum nos in Ecclesia noscamus, & laetemur de hoc vtroque bono laetitia illa spirituali, quam sancti olim professi sunt.

Ecclesiam ergò, diuinum argumentum laetitiae nostrae, Propheta hoc loco descripsit atque commendauit duobus nominibus, vt studium piorum adeundi eam & permanendi in eâ magis ac magis accenderet: quum ostendit primùm quid sit Ecclesia in se, deinde quae officia & operationes in ipsa, ex quibus internosci possit. Nam quod plerique omnes hoc tempore conqueruntur, id certissimum est, Ecclesiam, vt in se est, non facilè ab hominibus cognosci posse, sed notas illius obseruari foris oportere. Habet quidem Ecclesia in sese notas, sed quas ij solùm vident, qui in Ecclesia sunt: Sed quaecunque foris existunt notae, eae à domesticis optimè, ab exteris etiam aliquo pacto, etsi non optimè, videri possunt. Hunc igitur ordinem Propheta seruans, Ecclesiam, prout in se est, hoc versu describit, dicens: *Hierosolyma constructa, vt ciuitas quae coagmentata est inter se pariter.* Meminisse autem velimus lectores eorum quae antè diximus, de Hierosolymorum interpretatione. Fuerunt materialia (vt ita dicamus) Hierosolyma in natura rerum; Fuerunt figuratiua & sacramentalia instituto: Fuit veritas figura sacramentali adumbrata. Vidit prisca illa Ecclesia materiatam vrbem Hierosolymorum: accepit à Deo figurae institutum & coluit: Credidit veritatem, & prehendit fide: quam nos eadem fide percipimus, postquam materiata Hierosolyma perierunt, & figurae sunt à Christo antiquatae. Est ergo in hoc loco nomen Hierosolymorum sic accipiendum atque si perscriptum à Propheta esset, Ecclesia constructa, &c. de qua Ecclesia cùm tantopere hoc nostro seculo laboretur, audiamus quid Propheta dicat, & insequamur vestigia illius ad peruestigandam in veritate Ecclesiam Dei.

Dicit ergo; *constructa vt ciuitas quae coagm. &c.* Quibus verbis ostendit Ecclesiam in se ipsa aedificium esse, deinde ostendit aedificationis modum. Nam aedificium esse pronunciat, *Optimè constructam:* Modum verò aedificationis sequentibus declarat, dicens; *vt ciuitas quae coagmentata est inter se pariter.* Sed quemadmodum Hierosolyma in typo & figura dicta sunt, pro eo quod est Ecclesia; sic etiam attributa haec secundùm modum illius figurae & typi conscripta sunt: Et quod tum in opere materiatum fuit, nunc in opere citra materiam illam intelligendum est, quia Ecclesia opus spirituale est. Nam etsi homines (vt antè diximus) materia sunt Ecclesiae, tamen non sunt materiati secundùm animam, quod est praecipuum ipsorum: deinde Ecclesiam forma, non materia facit: ac proinde homines in Ecclesia & de Ecclesia sunt, quà is qui forma Ecclesiae, in eis est: quam formam in versum primum declarauimus, cùm de domo Iehouae diceremus. Postquam igitur formam illam essentialem & internam ex Prophetae verbis cognouimus, iustissimum est & ordini conuenientissimum (quemadmodum Propheta fecit) ut quaecumque huic formae adiuncta sunt necessaria cognoscamus: Cúmque res omnes à forma habeant suum esse & operationes suas, vt ex eodem auctore; quid illa forma in materia efficiat, & quid per materiam, doceamur.

Efficit ergo forma illa quam suprà diximus, vt Ecclesia sit aedificium spirituale, & vt sit aedificium omnibus modis vnum. Etsi non temerè à Propheta dicitur, *Hierosolyma aedificata*, pro eo quod nos dicimus, Ecclesia aedificium. Nam hac ratione duo voluit Propheta à nobis obseruari, quid sit, & à quo sit effecta ac potiùs efficiatur id quod est. Est enim aedificium, & quidem aedificatum ab eo qui solus diuinitus diuinam aedificationem potest instruere, & quod in dies aedificatur per gratiam illius: quemadmodum etiam Apostolus ad Hebraeos, cap. 3. 6. hanc domum à Christo Iesu constructam praedicat, & subesse illius vt filij imperio ac gubernationi.

Hoc fundamento vniuersè posito, Ecclesiam esse aedificium Dei, Propheta transit ad decla-

ad declarationem modi vel conditionis diuinae, quam in Ecclesia vident solùm ij quibus Deus illuminauit mentis oculos vt videre possint. Dicit enim, *vt ciuitas coagmentata inter se pariter;* & seruato sem(f. 704)per eodem simili, tria de conditione communi Ecclesiae Dei praedicat: Primùm quidem ciuitatem vel quasi ciuitatem esse; tum ciuitatem optimè inter se coagmentatis partibus; postremò dignitatem maximam & ciuitati inesse, & singulis partibus illius, eo quòd inter se pariter coagmentata sint omnia.

Quod itaque primùm *ciuitatem* esse dicit, simile alterum est ab eo, quod primo versu positum est, cùm domum Iehouae appellaret: sed tamen vtrumque Ecclesiae catholicae optimè conuenit. Nam eadem est vna domus, si ad Deum inhabitantem in ea respexeris: & vna ciuitas, si respexeris ad incolas eius vni Deo, & vni Domino vnâ fide, vno baptismate seruientes, & adhaerentes in vnitate spiritus. Quemadmodum etiam (quod est augustius) vnum corpus appellatur, quà subest vni capiti & viuit de vita illius in spiritus illius vnitate. Ac proinde vt corpus vnum ex membris compluribus, domus vna ex lapidibus, ciuitas vna ex domibus coagmentata & comstituta est, ita etiam Ecclesia ex variis velut membris, lapidibus viuis, aedibúsque constare dicitur.

Ad hanc autem constitutionem siue corporis, siue domus, siue etiam ciuitatis, necessaria sunt multa, communia pleraque, pauca singularia. Communia sunt haec: principium, quod à Deo (vt Apostolus ad Hebraeos loquitur) constructa est, & adhuc construitur continetúrque & est virtute illius: finis, quod ad Dei gloriam inhabitantis ipsam; materia, quod ex hominibus, vt membris lapidibúsque viuis, ad hanc spiritualem structuram pertinentibus: forma quòd eatenus corpus, domus, ciuitas Christi est, quatenus suam relationem ad ipsum habet, & vicissim Deo optimo maximo visum est relationem ad ipsam habere per gratiam & εὐδοκίαν ipsius: tum etiam actionis modus, quòd aedificatur adhuc & colligitur per verbum Euangelij, & illa verbum accipit quo adiungatur Christo, & maneat in ipso, prout in Euangelicis promissionibus declarauit Christus: postremò effectus multiplex, quem Ecclesia in genere agnoscit, cum à se praedicat credi sanctorum communionem, prout est communio membrorum in corpore, partium in domo, & in ciuitate aedium. Ex quibus omnibus illud conficitur, Ecclesiam Dei tum reipsa vnam esse, prout corpus, domus, ciuitas sunt aliquid vnum: tum etiam iure vno esse, prout corpus, domus, ciuitas iuri vni subsunt, & ex eo administrari solent.

Verumtamen in hac communione & rei & iuris, quaedam inueniuntur singularia, prout singulis in corpore membris, in domo partibus, in ciuitate domibus suus ordo, suaeque functiones attributae sunt. Nam primùm in ipsa velut materia domus, corporis, aut ciuitatis, partes aliae ab aliis inter se differunt proprietatibus singularibus, quas in Ecclesia personales possumus appellare: cum nec omnia membra idem sint, sed eiusdem corporis membra; nec eodem ordine sint, sed eodem corpore: similitérque nec omnes lapides domus, nec aedes ciuitatis singulae. Deinde habitu & officiis inter se differunt, prout à Deo distinguuntur donis & vocationibus: quas vocationes rursum Apostolus distinguendas docet duobus modis; 1. Cor. 12. 4. &c. cùm respectu operae siue actionis, administrationum meminit; respectu verò operis siue effectus ostendit diuersas esse operationes: secundùm quae, quamuis inter se plurimum differentia, membra singula Ecclesiae ita occupantur in iis muneribus quae praescribit Deus, vt vnvs & idem Spiritus omnia efficiat in omnibus pro demenso donationis Christi. Quapropter expendant Christiani, quantopere indignum sit vocatione ipsorum, & honore quem Deus ipsis habere dignatus est in filio dilectionis suae, si aut membra corporis, aut lapides domus, aut ciuitatis partes, quas Deus adunat

adunat gratiosè, animo ingratissimo diuulserint atque disperserint: Et quia hoc tempore Deus in colligendo sanctissimo illo corpore, templo, & ciuitate operam suorum occupat, quantopere ab iis alienum qui Christiani audiunt, si membra quae Deus aduocat deterruerint, quae adducit depulerint, & in eos sint iniurij quibus gratiam facit Deus, aut spes ostenditur facturum esse.

Quòd si haec omnia vel hac vna ciuitatis appellatione nobis ostenduntur; quanto magis, si ad modum ciuitatis illius venerimus, veritatem istorum omnium sentiemus, & officium charitatis animaduertemus praestari à nobis oportere? Nam Ecclesia non quoduis aedificium aut vulgare appellatur, sed reipsa praestantissimum (vt sequentibus verbis exponitur) & dignitate nulli in caelo aut terra postponendum. Hanc dignitatem (vt antè perstrinximus) duobus modis Propheta ostendit: quod est vt ciuitas coagmentata inter se membris ipsius, & quòd pariter coagmentata est: quibus duabus in rebus interna illa sanctorum communio versatur, quam antè diximus. Nam (f. 705) quòd pariter coagmentati sunt qui in Ecclesia sunt, illud est à communione Dei & Christi sanctificantis ipsos: quòd autem inter se coagmentati sunt in ea, illud communionis est, quam colunt inter se sancti & vocationis sanctae in Christo participes. Hanc ergo communionem, quam sancti inter se habent intùs, & quam mundus videre non potest, sed oculus fide purgatus à Domino in corpore ipsius, declarant haec verba; *vt ciuitas quae coagmentata est inter se*, nimirum membris suis, ex quibus coagmentata est. Quod item de corpore & domo enuntiari debet: tanquam si dixeris Ecclesiam esse corpus, quod firmè coagmentatis est inter se membris, vel domum coagmentatis optimè partibus.

Huius autem coagmentationis respectus duplex est. Nam est coagmentatio membrorum cum suo capite, partium domus cum fundamento, & regionum cum arce ciuitatis sanctae: & est eorundem inter se coagmentatio. Ad priorem respectum coagmentationis illa fermè omnia pertinent quae in versum primum de domo Iehouae dicebamus: ex quibus constat Deum ipsum essentialem formam esse Ecclesiae suae relatione gratiosa. Sed quia non poterat fieri, vt formae illius capaces efficerentur homines propter materiae ineptitudinem (nam potiùs conueniret igni cum aqua, id est, creaturae vni cum altera, quàm conueniat creaturae cum creatore suo, finitae cum infinito) propterea Deus ille & pater domini nostri Iesu Christi singulari dispensatione gratiae misit filium suum, qui materiam naturae nostrae sibi assumeret, vt in ea ipsa caput esset istius corporus, & lapis *ἀκρογωνιαῖος* istius aedificij, denique arx & fundamentum ciuitatis huius, quam Deus extruxit ac non homo. Hic ergo primus locus coagmentationis est; nimirum quòd Christus se adiunxit nobis, & nos item sibi, vt essemus cum ipso vnum, os ex ossibus eius, & caro ex carne eius, denique vt ex eo totum corpus congruenter coagmentatum & compactum per omnes suppeditatas commissuras ex vi intus agente pro mensura vniuscuiusque membri incrementum capiat corpori conueniens ad extructionem sui ipsius per charitatem, Ephes. 4. 16. Cúmque huius capitis, quod dedit Ecclesiae pater, sit summa perfectio in se, summa virtus in alias res, & summus ordo ad omnia; ex eo sequitur quod dicit Apostolus, prout in eo inhabitat omnis plenitudo. Deitatis corporaliter, ita nos in eo completos esse, Coloss. 2. 9. 10. & nostram societatem esse cum filio Dei Iesu Christo, & cum patre in ipso. 1. Ioan. 1. 3.

Ex illa autem societate & communione quam sancti cum Christo habent, omnino sequitur altera haec consociatio atque communio, qua membra inter se consociata & coagmentata sunt siue (vt Paulus loquitur 2. Cor. 5. 15.) constricta charitate Christi. Nam idem qui nos adunauit sibi, eo ipso quod diuersa membra adunat sibi, eadem inter se adunauit. Vnio cum Christo primas tenet, & Christi nobiscum virtute Spiritus;

Spiritus; ex hac vnione consequitur vnio sanctorum inter se, & coagmentatio siue compages inuiolabilis, quam nulla res potest dissoluere aut labefactare, quia nullus eorum quem Christo dedit pater de manu eius periturus est. Ioan. 10. 28. 29.

Quae cùm ita sint, facilè Christianus quilibet nobis assensurus est, si imperturbato animo ad haec legenda & expendenda venerit: non posse quenquam Christianum bona fide renunciare communioni alterius, quem Christus aut adiunxit sibi, aut se adiuncturum spem facit. Nam qui fratrem suum, seruum Dei, membrum Christi proteruè abdicat, persequitur, infestat, aut vlla denique iniuria afficit, is eo ipso facto Christum auctorem communionis salutaris nostrae abdicat, qui nos sibi, & alios aequè ac nos sic adunauit & adiunxit virtute spiritus, vt nos vnum esse inter nos voluerit, qui vnum cum ipso sumus. Nam vbi est Christus, obsecro, nisi vbi Spiritus illius? & vbi Spiritus, nisi vbi vita Christi? & vbi vita Christi, nisi vbi viuit, i. in corpore eius? & vbi corpus vnum, nisi vbi consensus inter membra corporis de vno capite, vno spiritu, & vnâ vitâ communiter viuentia. Quòd si vnum sumus, quomodo in funestam diuisionem essemus ruituri? Quod vnum est, id planè indiuisum sit necesse est; quidquid est, eo ipso est, quod vnum est. Diuisi cùm sumus, non sumus vnum: diuisi cùm sumus, non sumus. Quis ergo obducta nominis Christiani specie mihi persuadeat se Christianum esse, cùm re diuisus est, & animo diuisionem spirat atque interitum? O miseram Christianitatem, quae in sua diuisione vnitatem, in renunciatione Christi Christianitatem, in interitu suo certissimo vitam sibi spondet imaginatúrque, & de eâ non secus exultat quàm qui phrenesi abreptus dat sese in mare praecipitem, videtúrque sibi in suauissimo cubili fu(f. 706)rentia membra sua ad quietem componere. Auertat hanc labem Dominus pro sua misericordia, quam video, & horreo magis an lugeo? horreo casum ineuntem, Christianitatem lugeo pereuntem: nec habeo quod dicam, nisi ex Prophetae verbis! Propter contritionem filiae populi mei conteror, atratus incedo, stupor corripit me. an opobalsami nihil est in Galaade? an nullus medicus ibi est? Nam cur non reualescit filia populi mei? cur magis ac magis in suam infirmitatem relabitur? Ierem. 8. 22. Sed ad rem venio.

Secundus locus, quem in modo coagmentationis voluit Propheta obseruari, est quòd Ecclesiae membra, aut domus, & ciuitatis huius partes *coagmentatae sunt pariter*. Pariter? dixerit quispiam & quomodo pariter coagmentati sint qui sunt impares, qui donis differentes, qui vocationibus distincti? Agnosco lubens non omnia esse paria in omnibus ciuitatis istius partibus, & corporis huius membris: sed de coagmentatione, non de personis agimus. Ergo vt demus aliquid impar esse, aut (si ita placet) imparia plurima; tamen quod rei caput est, id in omnibus par esse res ipsa demonstratura est. Nam sunt quidem Christiani inter se impares donis, quae admetitur Christus vnicuique prout vult; sunt item impares vocationibus, communibus, & singularibus, in quarum officiis dona à Deo accepta occupari atque consumi necesse est. In his rebus si qui pares Christianos statuunt, morbo animi, non autem scientia iudicióque in eam sententiam adducuntur. Neque obscurus est ille insignis locus Apostoli, vbi differentiam donorum, administrationum, operationúmque agnoscit in Ecclesiae membris, & illustrat copiosè membrorum quae in copore humano sunt similitudine. 1. Cor. 12. 12. &c. Sed etsi in his rebus tum quas Deus agit, tum quas nos secundùm Deum agimus, non mediocris videtur diuersitas; tamen in capite rei (vt ante diximus) pares sumus, pariter consociati Christo, pariter Spiritus eius participantes, Spiritum vitae & sanctificationis verae, & pariter vitae radicem habentes in Christo & Spiritu eius, quamuis non pariter vitae accessiones & precessus ab illo habeamus, & actiones operationésque praestemus: quemadmodum & taleis surculísque in trunco vita vna est, licèt nec eadem omnino à trunco accedant omnibus, nec itidem

itidem procedant singuli, nec folia, flores, fructus edant illi pariter. Est autem caput rei & fundamentum Christus, Spiritus, & vita illius. Qui alias res in seipsis non perinde habent, neque Christi & Spiritus & vitae fructus pariter explicatos sentiunt in se, aut coram illis proferunt, hi non continuò extrudi possunt ex regno Christi, aut frangi eorum animi odiosis comparationibus. Nam si ramos & fructus eosdem non habent; at idem principium, eandem radicem habent: ac proinde cùm in principio & radice & vita sint pares, pariter coagmentati à nobis censendi sunt. quò respiciebat Apostolus dicens, nullum per Spiritum Dei loquentem dicere Iesum anathema, & neminem posse Iesum dicere Dominum, nisi per Spiritum sanctum. 1. Cor. 12. 3. Est enim relata, etiam minimi cuiusque in regno caelorum cum Christo capite nostro coagmentatio, qua omnes manemus in illo, & ille in nobis manet: ac propterea prout anima in omnibus corporis membris viuit, & omnia vicissim in illa, & viuit indiscreta vita, quae omnium & singulorum communis est: ita etiam in nobis Christus. Par itaque omnium est vnio, & communio par: sed impar à Christo quidem; donorum, vocationum, & operationum ex communione hac in nos proficiscentium modus: à membris verò, ordo, functiones, & operationes impares.

Est igitur Christiani cuiusque officium, vt quàm diligentissimè secum ipse reputet, quantam gratiam honorémque à Deo acceperit, quòd in spirituale illud aedificium accitus, & coagmentatione firmissima compactus cum Christo & membris illius, parem cum reliquis suis fratribus sortem haereditatis & gloriae in communione Christi adeptus est: Ac proinde quemadmodum interno illo Seruatoris nostri testimonio in fide credit, & suo testimonio in charitate credi desiderat se esse membrum Christi Ecclesiaeque catholicae eius, ita etiam de aliis pro sua in Christum fide & charitate in fratres statuat, eos secum in compagem sanctissimam hanc adducendos curet, adductos cum Christo & Ecclesia eius coaluisse sentiat, honorémque eis tribuat prout honorem à Deo ipsis haberi videt. Non hîc opiniones hominum quae fidei Christianae repugnant, non aduersantes charitati suspiciones, offensiones, odia, aut eiusmodi alia adducenda sunt, vt iudiciis nostris, quae de aliis temerè facimus, superciliosè indulgeamus. Fides in Christum, qui alterum vocat vt me, & charitas in proximum, quae me aequè erga illum obligat atque alios erga me, haec illa sunt quibus nos agi in hac vita decet: vt deinceps neminem secundùm carnem cognoscamus, quemadmodum profitetur (f. 707) de se Apostolus, sed si quis est in Christo, cum nouam creaturam esse statuamus, & paris nobiscum vitae dignitatísque consortem. Non sum nescius Hebraeam vocem aliter exponi vulgò, & ad solam quantitatem (vt vocant) discretam referri plurimùm, cuius ratione constat nos omnes, qui diuisi sumus alij ab aliis, vocari in corporis illius vnitatem. Veruntamen cùm rem introspicio diligentiùs, non possum quin ad quantitatem quoque (vt vocant) continuam hanc vocem referam, & hoc in loco intelligam conuenientissimam aequalitatem nostram omnium in summo illo beneficio Christi participando hac voce declarari, vt in structura iusta omnes partes ad dignitatem & firmitatem operis sunt suo modo aequabiles. Quae doctrina plurimum momenti ad consensionem & pacem inter eos quos Christus Ecclesiae suae accensuit, & porrò vocaturus est, alendam & continendam adiicit. Atque haec causa est, cur *pariter* potiùs quàm *vnà* visum fuerit Hebraeam vocem reddere.

4. *Nam illuc ascendunt tribus, tribus Iah, ad testimonium Israeli datum, vt celebrent nomen Iehouae.*

Postquam de forma essentiali Ecclesiae diximus, & communione interna sanctorum, quam

quam illa relatio Ecclesiae ad Deum, vt forma essentialis efficit; nunc pro eo ordine quem sapientissimè obseruauit Psaltes, de communione externa videndum est, quam interna illa communio perpetuam sibi & inter homines planè necessariam adiungit comitem. Nam si illud verum est quod Philosophi omnes natura teste docuerunt, formae internae in re quaque externam à natura respondere, & suam inter vtramque esse conuenientiam; non potuit certè gratia (quae modis omnibus naturam superat) non prouidere atque efficere, vt formae internae quam Deus Ecclesiae indidit, adhiberetur externa propria, & cum illa tanquam matre conuenientissima. Rem sic habere à natura demonstrat hominis cum animante bruta comparatio. Hominis. n. forma essentialis à natura quantum (Deus bone) anteit formam pecudis? quanto praestantior anima illa est, quam Deus ad imaginem suam secundùm suam similitudinem fecit, & qua hoc figmentum terrae animauit, sentiente illa anima quae agit pecudes? propterea homini forma longè praestantior, & animae illi principatum habenti in his rebus creatis & ad res superas euocandae conuenientior, foris est indita. Sic in rebus caeteris, quae ordine naturae progignuntur. Quòd si in natura Deus ordinem sapientiae suae hoc pacto demonstrauit, natura autem, si cum gratia comparabitur, tanto inferior est quanto vestigium alicuius est inferius imagine expressa, & ipsa imago homine: non posset sine grauissima in Deum contumelia statui contra id quod antè diximus Deum formam externam rei cuiusque in natura accommodauisse internae, in gratia verò operibúsque gratiae illam huic minimè contemperauisse: praesertim cùm gratia naturam superet, imperfectam perficiat: & instauret perditam. Stat igitur certum & indubitatum axioma illud, Deum formae illius internae in Ecclesia auctorem, etiam externam formam illi indidisse pro ratione internae illius formae accommodam. Iam verò alterum quoque axioma certum est, nec ab vllo homine controuerti potest, qui mente sibi constiterit: externam rei cuiusque formam esse internae indicem & notam cuiuis ante oculos expositam: ac propterea si quis de forma interna ratiocinari voluerit eámque comprobare, optimè argumenta duci ab externa forma, tanquam à signo necessario quo res certò internosci potest in hunc modum à forma externa hominis quem videmus, quamuis dormientem, rationale animal esse concludimus: sic de pecude itémque de arbore, & consimilibus eadem via post omnem hominum memoriam in recognoscenda Dei gratia & Ecclesia, tamquam obiecto gratiae, sapientes homines argumentati sunt, & obseruatis externis Ecclesiae notis de veritate interna iudicarunt: quemadmodum etiam hoc in loco Psaltes explicata essentiali forma & interna ἐνεργείᾳ eius probationem illius ipsius veritatis, quae à Deo fuit Ecclesiae indita, instituit a forma & ratione externa illius, dicens: *Nam illuc*, &c. Sic. n. statuit, cùm forma externa summam semper habeat à natura cum interna conuenientiam, & illa sit huius index apud eos qui tantùm ex indiciis & signis iudicare possunt; se propterea hoc argumento naturali vti, & in recognoscenda veritate gratiae Dei & Ecclesiae in veritate regenitae per verbum formam externam illius adhibere testem. Atque hic quidem modus cûm omni tempore fuit necessarius ad veritatem & simplicitatem Christi Ecclesiaeque à mendacio, hypocrisi, & simulatione Satanae administrorúmque illius secernendam, tum verò hoc nostro seculo vt cùm maximè est obseruandus: in quo maxima animorum dissensio doctrinarúmque varietas extitit iamdiu, & tamen singulorum est constans & pertinax in suis dissensionibus, an erroribus? de Christo, & de veritate, de Ecclesia gloriatio. Quod itaque antè recepimus, idem hoc loco facturi sumus, & κατὰ πόδας (vt loquuntur) sequentes Prophetae nostri & priscae illius Ecclesiae vestigia, notas formámque externam illius Ecclesiae, ac proinde etiam Christianae secundùm Prophetae verba demonstrabimus.

Postquam igitur Propheta statuit illam veram & germanam Dei Ecclesiam esse, quam

quam ex forma essentiali & proprietatibus internis eius descripserat, probationem dicti illius sui instituit à forma externa eius & proprietatibus externae formae, tanquam signis euidentissimis & simpliciter necessariis, ex quibus interna veritas cognoscatur. Huius formae summa est, Externa communio sanctorum, habens suam cum interna communione analogiam. Cùm autem internae communionis, quam antè exposuimus, sint partes duae: vna, à Deo respiciente Ecclesiam suam per gratiam; altera, ab Ecclesia respiciente ad Deum suum per fidem: Iusta analogia inter vtramque formam postulabat, vt duae quoque partes assignarentur externae formae Ecclesiam hominibus, qui foris vident, indicaturae. Hanc rationem Propheta seruauit, cùm argumentis à forma externa ductis internam veritatem Ecclesiae probare statuisset. Itaque vtrasque partes in descriptione formae externae circumscribit diligentissimè: tum partes Ecclesiae tendentis ad Deum salutis suae, vers. 4. tum verò partes Dei Ecclesiam regentis & ducentis praesentia gratiae, vers. 5.

In hoc igitur versu prior communionis sanctorum locus in cultu positus exponitur, siue in externa cultus ex pio & religioso sensu animi obseruatione, Quia autem hic cultus, de quo iam dicturi sumus, quaedam habet communia, & quaedam singularia ad priscam illam Ecclesiam (quam Deus variis rudimentis instituit) propriè pertinentia; videndum nobis est, vt primùm verba ipsa Prophetae, prout ad Ecclesiam illam respiciebant, exponamus: deinde verò ex figuris illis atque vmbraculis recognoscamus veritatem communem Ecclesiae illius & nostrae.

In ratione Ecclesiae illius, quod ad formam externam attinet, quatuor sunt capita ex verbis Prophetae obseruanda, quibus forma externa Ecclesiae circumscribitur: nimirum res, personae, actiones, & circumstantiae: quae omnia in iusta Ecclesiae Dei constitutione, prout effici inter homines potest, necessarium est obseruari. Ac rerum quidem ad formam externam Ecclesiae pertinentium veritas non ab hominibus, sed à forma interna Ecclesiae pendet; id est, à reali illa relatione, qua homines res verè diuinas sibi à Deo oblatas suscipiunt tanquam de manu illius, vt earum, tanquam externarum (vt cum Tertulliano loquar) contesserationem argumento sentiant, profiteantúrque, se in praesentia gratiosa Dei, & relatione siue ordinatione Ecclesiae ad ipsum symbolis externis contestata, salutem suam agnoscere. In his autem rebus quid est boni, quod homo adferre possit? qui & ipse ab omni bono & salute alienus est totus, & res omnes ita labefactauit vitiositate sua, vt omnia, etiam si tentaret millies, ingrata Deo, vtpote peccato suo ingratus, esset praestiturus. Quam rem optimè Michaeas exprimebat dicens, Qua re instructus veniam ante Iehouam, & incuruabo me adorans Deum excelsum? an veniam ante eum cum holocaustis, cum vitulis anniculis? an accepta haberet Iehoua millia arietum? myriadas torrentium olei? an darem primogenitum meum pro defectione mea? fructum ventris mei pro peccato animae meae? indicauit tibi, ô homo, quid sit bonum. Ecquid Iehoua requisiuit abs te, nisi vt exerceas ius, & ames benignitatem, & modestè ambules cum Deo tuo? Cùm itaque in Ecclesia Dei ad iustam rationem formae externae illius sanctas res eas quae formam externam constituunt, necesse sit adhiberi; quae res nunquam ab homine, sed à Deo solùm omnia in omnibus operante in Ecclesia sua praestari possunt, vt idem formae externae sit auctor qui internae est: propterea priscam illam Ecclesiam & cultum eius externum Propheta describens, omissa planè mentione illarum rerum quas sibi homines conferre posse viderentur, ad eas solùm vel potiùs ad eam solùm pios reuocauit, quam Deus in Ecclesia sua testem salutaris praesentiae suae posuerat. Hanc rem Propheta exprimit testimonii appelatione cùm dicit: *Ascendere tribus Iehouae ad testimonium datum Israeli.* Testimonium autem in vulgo quid appelletur, omnibus notum est: in rebus sacris quid appelletur, videndum est. Est igitur

igitur testimonium in Ecclesia Dei, à Deo proficiscens, aut intùs, aut foris. Intus, est testimonium Spiritus Dei, viuificantis & (f. 709) excitantis testimonium spiritus nostri & conscientiae inspiratione sua. Foris est testimonium verbi & symbolorum quae verbo coniunxit Deus. Prius testimonium ad formam internam pertinet. Est enim lux illa, qua Ecclesia Christi illustratur & singula membra eius: sed de hoc testimonio antè satis diximus pro consilio nostro, neque est huius loci. Quod autem foris est in Ecclesia testimonium, aut in sermone positum est (nam sermo uitae atque salutis est à Deo) aut in symbolis & sacramentis eius. Quapropter in Scripturis Deuter. 4. & 5. & in libro Psalmorum passim, verbum Dei nomen testimonij vel testificationis obtinet: Arca verò foederis, in quâ nihil nisi lapideae legis tabulae continebantur, & ex qua Deus testabatur praesentiam suam, consulentibúsque respondebat, consimiliter testimonium fuit appellata. His duobus capitibus continetur quidquid ad formam externam Ecclesiae in rebus positam propriè instituit Deus. Quinetiam hae duae res ipsae (vt modò diximus) vno aspectu in Ecclesia videbantur; quia reuera vnum sunt secundùm substantiam, etsi in specie materiáque externa differunt. Nam quid fuit testimonium illud materiale arcae, quàm capsa & loculus verbi? & quid aliud verbum in tabulis exaratum fuit, quàm anima quaedam corporis materialis illius? tantum eo discrimen est, quòd vt anima nunquam interit, sed permanet in natura sua, corporis autem figura transit; ita verbum (quod anima est) in Ecclesia permanet, vt nota constans & perpetua Ecclesiae Dei: corpus verò transmeat & antiquatur instituto Dei. Rectissimè ergo Psaltes, cùm rerum diuinarum (quae formam externam Ecclesiae ostendunt) mentionem facturus esset, *testimonium* hoc loco pronunciauit synecdochicè (vt loquuntur) & verbum testimonij diuini & thecam illius comprehendens.

Cùm autem theca facilè pereat, corrumpatur, mutetúrque, thesaurus verò in ea conditus (vt modò dicebamus) sit per prouidentiam Dei durabilis in Ecclesia eius: sic statuendum est, in forma externa Ecclesiae quaecunque res ad hanc formam constituendam pertinent, eas in duos ordines distribui posse, permanentium & pereuntium: quas etiam commodè antiquorum vocibus nominaueris illas statas, & has ambulatorias. Itaque ante legem fuit Ecclesia Dei, cùm nondum esset Arca testimonij & inde quoque à deportatione in Babyloniam Ecclesia fuit sine Arca, quemadmodum in suis Commentariis passim Iudaei agnoscunt, & ex libris Ezrae ac Nehemiae non obscurè colligitur. sed sine verbo Dei nunquam Ecclesia Dei extitit, nunquam extitura est: Deus in domo sua mutus esse non potest. Ac proinde cùm aliae res omnes natura sua adesse & abesse possint sine corruptione rei, quae agitur, & variam (vt ita loquamur) faciem induant ex dispositione Dei sapientissima; non dubium est quin Propheta hoc loco maximè ad rem permanentem respexerit; ex qua, velut specifica (vt vocant) differentia, species vera Ecclesiae Dei secundùm formam externam illius dignoscatur. Nam etiam (vt diximus) in illa ipsa Arca inerat verbum Dei digito eius exaratum. Restat igitur vt dicamus, non ex Arca, aut aliis eiusmodi accessionibus cognitam fuisse Ecclesiam, sed ex verbo quod continebatur Arca, & quod Ecclesia in ea seruabat: ac proinde verbum Dei externum forma externa est Ecclesiae, ad quam respicere oportet omnes qui certò ex necessariis & indubitatis indiciis Ecclesiam nosse foris voluerint: & quemadmodum per illud tempus hoc indicio cognita est, ita etiam memoria nostra Ecclesiam Dei cognosci oportere.

Duo hîc obstare videntur, ad quae ordine paucis respondebimus: Prius est, Ecclesiam priscam ante legem non habuisse verbum Dei scriptis exaratum, quod videri posset: ac propterea hanc formam non esse ad iustam cognitionem Ecclesiae necessariam. Posterius, Legem fuisse in Arca, non Euangelium: Quòd si Lex fuit Ecclesiae index, & index perpetuus ac permanens; apud Iudaeos potiùs quàm apud Christianos

 Ecclesiam

Ecclesiam esse, quia Lex forma sit Ecclesiae aspectabilis, non autem Euangelium Christi. Ad haec soluenda (vt rem ordine persequamur) intelligendum est verbum Dei formam sensilem Ecclesiae esse, primùm quà enunciatur & auditur, deinde verò quà scribitur legitúrque enunciatum: nam verbum est mentis index, scriptura, verbi. Cumque sensilia omnia externa sint, certè ipsum verbum quà fuit enunciatum, ante quàm commendaretur scriptis, rationem habuit externae formae in Ecclesia Dei: siue Deus per se, siue per alios enunciauerit ipsum. Et (quod amplius est) vt demus libros apud priscos illos patres ante legem minimè extitisse, tamen sanctos illos patres (prout centurias aliquot annorum viuebant prouidentia Dei) libros loquentes fuisse in sanctis suis fa(f. 710)miliis cum libris mutis comparandos; vt qui Dei Prophetae essent ordinarij; Gen. 20. 7. quorum fides atque auctoritas in dubium vocari non posset: praesertim cùm ordinaria illis esset cum Deo communicatio, & Deo cum illis. Quapropter cùm verbum Dei sensile habuerunt, id est, à Deo pronunciatum, & quotiescunque opus fuit, testatum amplissimis significationibus illius ante ora & oculos omnium; non est cur desideremus verbum scriptum in Ecclesia illa, quemadmodum post illud tempus datum est. tum enim primùm scriptum dari coeptum est, (etsi iam antè in carne Abrahami & seminis eius fuerat scripta quodammodo Dei reuelatio) cùm Dei populus numerosissimus effectus esset, & grauissimae corruptiones ingressae ex Ægyptiorum aliorúmque impiorum conuersatione, postquam ducentos amplius annos in Ægypto, immemores diuinae promissionis & foederis cum Abrahamo initi, in peccatis miserè consenuissent, vt Apostolus ad Galatas scribens confirmauit, cap. 3. v. 17. Nam ex eo demum tempore Deus populum suum, tum à praesente corruptione, tum à futura gratiosissimè vindicauit, cùm doctrinam veritatis & salutis scriptis commendasset. Sic verbum enunciatum & auditum perpetua est nota Ecclesiae Dei: verbum scriptum, ex quo est, perpetuum symbolum enunciati & enunciandi: idem verbum, sed tradendi solùm ratione differens. Quò respiciebat Apostolus, cùm auctore Spiritu Dei scriberet in hunc modum: Quomodo credent ei de quo non audierint? quomodo autem audient absque praedicante? & paulo pòst: Non omnes auscultarunt Euangelio. Esaias enim dicit, Domine, quis credidit sermoni? Ergo fides ex auditu est, auditus autem per verbum Dei. Rom. 10. 14. 16. 17. Haec ad primam obiectionem satis.

Altera, quòd verbum Legis, ac non Euangelij, in prisca illa Ecclesia fuerit scriptum, falsa propositio est, & in sanctam illam Ecclesiam contumeliosa. Nam habuit Ecclesia eandem fidem quam pater Abraham olim habuerat: Abraham autem promissiones, foedus ex promissionibus, & veritatem promissionum foederísque in Christo perceperat; quibus rebus Lex ne minimum quidem derogauit. Nam, inquit Apostolus, Pactionem priorem ratam factam à Deo, respicientem in Christum, Lex (quae post annos quadringentos & triginta coepit) non fecit irritam, vt vanam promissionem redderet, Galat. 3. 17. Sed inquient, Agitur de testimonio quod fuit in Arca foederis; illud autem testimonium solummodò decem praecepta Legis tabulis inscripta continebat. Agnoscimus id quidem, si rectè intelligatur: sed non dicimus primùm nihil fuisse de testimonio scripto, nisi quod Arca inclusum esset: nam & illam ipsam scripturam & reliquum Legis diuinae canonem Deus per Mosem conscribi, sacerdotibus & Ecclesiae tradi, religioséque coram eodem testimonio seruari mandauerat. Deut. 31. 24. 25. 26. Fuit ergo testimonium hoc in Arca, illud antè Arcam: In Arca, velut depositum seruandum: Ante Arcam, velut beneficium vtendum: Sed vtrumque idem substantia, quamuis qui in Arca erat Canon, esset canonis illius quem sacerdotes manibus terebant, Epitome. Postremò, nequid glorientur qui hoc argumentorum genere insidiari cupiunt imperitiorum mentibus; addendum est, quod illi fortasse non vident, ipsa decem praecepta (quae vocant) tabulas illas, non Legis solùm mentionem facere

facere, sed & Euangelij. Nam nónne à promissionibus Euangelicis, & à recordatione illarum, & à recente typo, nempe liberationis ex Ægypto, Deus initium facit, dicens, Audi Israel, Ego sum Iehoua Deus tuus qui eduxi te è terra Ægypti? Nonne eas docuit Apostolus non fuisse abolitas superueniente Lege? Omninò igitur pias mentes statuere illud necesse est, verbum Dei enunciatum & scriptum formam externam esse, quam Deus in Ecclesia positam voluit: vt cùm se & suos ipsa internosceret, tum eam alij, prout Deum confitetur, hac forma externa obseruare possent.

Atque hoc quidem testimonium quo sit argumento, nolumus hoc loco exponere, quia id est loci alterius. In praesentia id satis futurum esse iudicamus, si testimonium hoc intelligendum esse Dei moneamus, quo tum Deus de se ipso rebúsque diuinis tantum nobis testatur quantum expedit gloriae ipsius & saluti nostrae, tum nostrûm singuli illustrati potentissimo illo Dei testimonio adducimur, vt de nobis ipsis vicissim testimonium exhibeamus Deo, in nobis habeamus, & in oculis mundi sancta professione Dei & salutis nostrae praebeamus. Quae causa est, cur Prophetae visum est testimonium non simpliciter nuncupare, sed nominatim addere, fuisse *Israeli datum*, & Ecclesiae indesinenter esse expositum. Sed quia hoc quod iam attingimus, ad locum secundum pertinet, quem de (f. 711) personis esse diximus, tempus est vt ad eum locum veniamus explicandum.

Personarum igitur quas Deus intus informat testimonio suo, & palàm testatas facit in oculis omnium, prout verbum Dei internum percipiunt atque externum profitentur, ratio à Propheta duobus modis ostenditur, vniuersè & particulatim. Vniuersè Ecclesia ostenditur *Israelis* siue Israelitarum nomine: particulatim verò, prout singulares Ecclesiae à Deo distributae sunt, demonstratur *tribuum* & quidem *tribuum Iah* siue Iehouae appellatione. Quemadmodum autem in explicatione rerum docuimus, res typicas & particulares à substantia & veritate earum in nominibus istis discerni oportere, hic eodem modo fieri necesse est. Nam typicae sunt appellationes, & angustiores; quarum veritas diffusa est latissimè. Typica illa duo sunt, quòd *Israel* vel Israelitae, & quòd *tribus* appellantur. Nam cùm populus Iudaeorum pars fuerit Ecclesiae Dei per illud tempus praestantissima & Ecclesiam Catholicam Christi certo quodam modo adumbrauerit, primùm de ratione illius Ecclesiae propriè, tum de ratione Ecclesiae Catholicae, quod ad personas attinet, per analogiam videndum est. Cùm ergo Israelem Propheta nominat, totum corpus Ecclesiae quam Deus tum vocabat verbo, intelligit: cùm autem tribus nominatim inter se distinctas (nam id sibi vult ex Hebraeorum vsu repetitio illa nominis *tribus*, *tribus Iah*) partes illius Ecclesiae, quam totam dixerat Israelis nomine, designauit: & ita quidem designauit, vt ordo membrorum in corpore voce tribuum comprehenderetur. Tria sunt igitur ex Prophetae verbis ad rationem personarum, quas Deus informat in Christo, pertinentia: vniuersitas velut corpus, partes vt membra corporis iusto ordine inter se constituta, & applicatio formae illius quam antè exposuimus. Ecclesiae vniuersitas in illo ipso typo quem Propheta hoc loco nominat, tribus modis spectari potest: primum secundum rationem externam eius, deinde secundùm internam, postremò autem secundùm vtramque simul. Secundùm rationem externam solùm Israel dicebatur, qui erat in propatulo Iudaeus, & cui erat in carne circumcisio, vt Pauli vtamur verbis: Secundùm internam solùm Israelis nomine dicebantur, qui in occulto Iudaei erant, & circumcisione cordis in spiritu ac non litera praediti, quorum laus non ex hominibus est, sed ex Deo ipso. Rom. 2. 25. 29. Secundùm vtramque dicebantur, in quibus ratio interna & externa formae diuinitus impressae respondebat. Ad quae omnia respexit Apostolus, cùm diceret: Non omnes qui sunt ex Israele, sunt Israel, neque qui sunt semen Abrahami, omnes sunt filij, Rom. 9. 6. 7. Secundùm externam formam fuerunt Israelitae, quos

quos Deus profligauit in deserto, & quicunque auditis promissionibus non perceperunt sermonem fide contemperatum in se ipsis, vt Apostolus loquitur, id est, Israelitae carnales & impij, Hebr. 4. 2. Secundùm internam nos Israelitae sumus, & semen Abrahae, vt scribit Apostolus ad Galatas: nos qui à litera & obseruationibus corporalibus liberati sumus in Christo Iesu. Gal. 3. 19. & 6. 15. Secundùm vtramque dicti fuerunt Israel in Ecclesia illi, qui secundùm carnem ex Israele descendentes vestigia fidei illius secuti sunt. In hunc modum, Propheta loquutus est, cùm uniuersitatem Ecclesiae, Israelis nomine designaret: cui vniuersitati datum est à Deo illud testimonium. Nam vniuersitati illi promiscuè credita sunt eloquia Dei, Rom. 3. 2. quae singulis illis hominum generibus testimonio essent: iis quidem qui solùm secundùm carnem fuerunt Israelitae, ad euictionem & iudicium ipsorum: reliquis verò, ad informationem & salutem ipsorum Deo gloriosam.

Quòd autem illa Israelitarum vniuersitas in tribus distincta fuit, id partim ciuilis ex naturae principiis petitae, partímque ceremonialis fuit obseruationis ex institutis gratiae. Principium naturae est, quòd secundùm ortum familiarum distinguuntur tribus: ex eo principio leges ciuiles, de tribuum distinctione in Israele obseruanda à Deo profectae sunt: quae leges secundùm rationem tum beneficij à Deo collati, tum Israelitarum tanquam emphyteutarum siue perpetuorum (vt vocant) colonorum Dei, tum denique regionis ipsius latae sunt, cùm in eius possessionem à Deo mittebantur. Gratiae verò, quam Deus seccundùm typum & veritatem Israeli contulit, praecepta sic fuerunt lege temperata, vt ceremonialibus quibusdam ritibus ac distinctionibus instruxerit populum illum veterem ad gratiae suae commendationem. Sic omnibus rebus istis per singularem Dei prouidentiam in Iudaeorum populo adunatis, suus ordo singulis fuit attributus: Ordo autem partim à natura, partímque ab instituto, vt in optimis rebus publicis solet obseruari. Nam fuit ordo in illa vniuersitate, primùm quidem Ecclesiae ipsius ad (f. 712) Deum, deinde membrorum partiúmque ipsius inter se, tum communium, quas vulgò Ecclesias particulares appellamus, tum verò singularium. In vniuersitate id fuit ordinis, quòd tota Ecclesia & respublica sequebantur Deum, haerebántque Deo secundùm institutionem Dei, qui locum Hierosolymorum elegerat in quo habitaret, suàmque praesentiam testatam faceret, & ad illud velut consilium summum, cui certissimè praeerat Dominus, & ad responsa extraordinaria ipsius in rebus Ecclesiasticis aequè ac politicis (si quae grauiores fortè obtingebant) solita est accurrere. In partibus vniuersitatis illius consimiliter ad ordinem pertinebat, quòd alia tribus ad res sacras & Ecclesiasticas, alia ad humanas atque politicas cum auctoritate curandas à Deo erat disposita, dum aliae subessent illarum administrationi. In personis verò singularibus id quoque fuit ordinis, quòd praeter communem vocationem omnium, quae charitatem in omnes spectat promiscuè, (hanc enim cuique debemus semper, etiam tum cùm praestamus maximè, Rom. 12. 9. &c.) aliae peculiari quadam obstrictae fuerunt vocatione ad rerum, hae diuinarum, illae humanarum procurationem, aut etiam vtrarumque simul, quà priuata opera, quà publica, cùm ciuili, tum Ecclesiastica. Atque hic quidem ordo totus à summa illa, & essentiali forma Ecclesiae Dei profectus est: qui donis & vocationibus singulos instruebat, vt in rebus sibi ab eo mandatis ponerent operam. Sed quia totius ordinis vsus in actione versabatur, restat vt ad locum tertium, qui de actionibus est in Ecclesia Dei, transeamus.

Actiones igitur Ecclesiae & membrorum eius duobus modis circumscribuntur hoc loco. Nam primum dicuntur omnes ire ad testimonium, deinde verò in Dei laudibus occupari. De priore Propheta inquit, *Ascendunt tribus ad testimonium datum Israeli:* de posteriore verò dicuntur haec verba, *vt celebrent nomen Iehouae.* Hae autem occupationes duae sanctissimae in prisca illa Iudaeorum Ecclesia suas quasdam externas ceremonias

ceremonias habuerunt: quarum aliae communes sunt omnium aetatum, puta quae ad honestatem & iustum ordinem in sacris rebus agendis pertinent: Aliae singulares illius temporis ad vmbram futurarum rerum pertinentes, quemadmodum scitè distinxerunt Apostoli in celebri illo conuentu Hierosolymis habito, (Act. 15, 29.) & Paulus ad Galatas & Colossenses demonstrat euidentissimè. Omninò tamen perpetuum illud est, quòd omnes pij in communione sanctorum comparent coram facie Domini ad testimonium ipsius, & celebrant nomen ipsius. Est igitur iam olim piorum in communione sanctorum officium duplex: vnum, vt percipiant à Deo verbum salutare eius, & loquentem audiant: Alterum, vt suis orationibus appellent ipsum, & gratiarum actione omníque posessione sancta agnoscant beneficium eius. Atque haec quidem duo officia singuli apud se & intra priuatos parietes tenentur praestare Domino; sed cùm hic agatur ex professo de ordine publico in prisca Ecclesia ad communionem sanctorum instituto atque obseruato, commodè Propheta vsurpauit *ascendendi* verbum: vt eo significaret officium publicè â piis praestitum qui ex suis domibus, sedibus, & tribubus etiam longinquissimis prodibant vltrò, vt ad haec duo officia coram Domino praestanda castè & religiosè accederent.

His officiis adiungendum est quartum illud capud quod antè diximus, nimirum circumstantiarum, quae in rebus omnibus agendis solent occurrere, aliae perpetuae, aliae verò pro occasione variantes. Perpetuas appellamus eas, sine quibus nec personae agentes nec actiones illarum constare possunt: cuiusmodi sunt temporis, & loci. Variantes autem eas, quae modò sese offerunt in nostris actionibus, modò absunt ab illis: & cùm adsunt, aliâs hoc modo adsunt, aliâs illo modo: quia vt adsint in agendis rebus, nec per ipsas, nec per nos certa est necessitas atque perpetua. Quinetiam illae ipsae duae quas diximus necessarias, suis quoque ceremoniis non simpliciter aut per se, sed propter significationem ipsarum necessariis olim fuerunt quasi vestitae mandato Dei, vt cùm (exempli causa) dierum distinctio lege imperata est, & feriae anniuersariae constitutae: Similitérque in ratione loci, cùm locus Hierosolymorum est conuentibus sacris destinatus, & quaecunque eiusmodi lege indixit Deus vt typi rerum futurarum essent. Ad hanc ambulatoriam (vt antè appellauimus) ceremoniam Propheta respexit, cùm diceret, *Nam illuc ascendunt*, ad vrbem puta Hierosolymorum, cuius duobus praecedentibus versibus proximè meminerat.

Ex his autem omnibus quae de prisca Iudaeorum Ecclesia propriè hoc loco enunciata sunt, cùm Spiritui sancto visum fuerit haec ipsa cantica ad Catholicam Ecclesiam & Christianam transmittere, ita colligimus eandem quoque rationem in forma externa, personis, actionibus & circumstantiis, quae quidem per se aut respectu alterius necessariae sunt, obseruari à piis oportere. Forma externa si fuit illis testimonium à Deo datum Israeli: Ergo formam externam Ecclesiae catholicae hoc etiam tempore in testimonio scripturae sacrae quam prophetae & Apostoli diuinitus inspirati consignarunt scriptis & Ecclesiae tradiderunt recognosci oportere. Personarum si fuit distinctio ex donis & vocationibus à Deo institutis, ad commoditatem: etiam externae formae atque internae veritatem, Ergo eadem Ecclesia Catholica ex donis & vocationibus à Deo testatis distingui personas oportere. Si actiones, officiáque tum Ecclesiae ipsius, tum membrorum omnium eò pertinebant, vt Deus audiretur homines in verbo suo alloquens, & illi Deum vicissim alloquerentur precibus, & gratiarum actione omnem honorem ei exhiberent, atque ad hanc rem conuentus sacros colerent frequentaréntque: ergo nobis dandam esse operam, vt Deum audiamus loquentem, eidem precibus & gratiarum actionibus honorem habeamus, denique ad hoc opus religiosè conueniamus inter nos, facturi communiter seruorum Dei officium, cum audiemus mandata ac promissiones eius, gratiam implorabimus in rebus aduersis

& in

& in secundis profitebimur. Hic ordo formae illius externae, quam in Catholica & Christiana Ecclesia semper opus est obseruari: ac propterea circumstantiarum quoque non negligenda ratio, quae ad harum rerum obseruationem sine vanitate aut superstitione commodare possunt.

Atque haec quidem omnia vbicunque esse animaduertimus, ibi cogitandum est Deum Ecclesiam suam statuisse; id est & praesentem esse singulari praesentia gratiae, & formam internam atque essentialem Ecclesiae illi ac membris illius indere ex beneplacito voluntatis suae. Quòd si haec omnia non comparent simul in eo coetu ad quem respicimus, tamen non existimamus temerè sententiam aduersus vllum ferri oportere, tanquam si à Deo abesset planè qui abest à iudicio nostro. Serui alieni sunt, illius Domini, qui & nos & alios & illos ipsos redemit sanguine pretioso suo: siue stent, siue cadant, stant & cadunt Domino suo. Ac propterea fugienda nobis sunt quàm diligentissimè praepropera illa iudicia, quibus alij alios plus satis irritante Satana & mundo applaudente, infestamus atque offendimus. Quid enim? an continuò siquid formae illius externae deest, quam circumscripsit Propheta his verbis, legitimum futurum est, alienos ab interna Ecclesiae forma conuentus illos aut fratres illos iudicare? & tamen (proh Deum immortalem) quotus quisque hoc tempore est, qui seriò cogitet de impediendis aut inhibendis iudiciis eius modi? quotusquisque non effunditur in acerbissima seuerissimáque iudicia, cogitatione, animo, sermone, scriptis; iísque non solùm priuatim communicatis, sed etiam publicè in lucem datis maximo Ecclesiae malo?

Si fortè in vna aliqua circumstantia, aut etiam altera pluribúsue, priuatus aliquis dissenserit, si etiam publica auctoritate instructus, si Ecclesia vna, si plures, in circumstantiis, ritibus, ceremoniis, non planè iudicio nostro, aut moribus conformantur; plerique omnes clamant de pietate, de Christianitate actum: atque vtinam clamarent solùm. Etsi clamores totidem sunt infesta tela, quibus imperitorum mentes obfirmantur, & labefactantur infirmorum. Sed cùm accedunt contumeliae, proscriptiones, condemnationes & alia id genus, putásne, mi homo, illud institutum à Christo esse, aut à Christiano sui compote probari posse? non vides dum ordinem externum propugnas verbo, eundem ordinem à te ipso ante omneis oppugnari? destrui quod ais exstruendum?

Sed quid si res grauior sit, quàm quae his circumstantiis debeat accenseri? nam circumstantiarum locus postremus est. Ergo quid si in actionibus, aut in ratione personarum vocationúmque, aut in ipsa externa forma non sit conuenientia, quam oporteat esse? Etiam hîc suspendi cupio & inhiberi iudicium nostrum. Nam ad actiones quod attinet, quas aequum est pluris fieri quam circumstantias, eas sic oportet in personis Ecclesiísque expendi vt non propterea oppugnentur Ecclesiae Dei, quà Ecclesiae sunt & aliquid in Christo obtinent quamuis actionibus malis, impietatem & iniustitiam planè redolentibus circumfluant. Erit quidem hic, ille, erunt plerique (si ita videtur) impij: sed tamen tantisper dum ordo aliquis est, (f. 714) & forma illa externa permanet, quam primo loco posuimus; caue Ecclesiae nomen huic conuentui abiudices. Si feceris, non fecit Christus, non Prophetae in prisca Iudaeorum Ecclesia (nam & Eliam iudicio suo facientem reuocauit Deus) non Apostoli in tam multis Ecclesiis Christi, quarum vlcera grauissima animaduertebant, curantes malum (quoad eius fieri poterat) prudentia & charitate sua, non abijcientes Ecclesiam importunitate atque confidentia imprudentissima.

Sed quid si etiam in personis agnoscendis conuentus erret? seruos Dei in Ecclesia legitimè ordinatos non agnoscat? illegitimè ordinatos habeat pro legitimis? denique Ecclesiam vnam contra alteram aedificet, siue haeretico studio, siue feruore schismatis ardescente? pergraue quidem hoc malum: sed tamen ne hos quidem maximo

publico

publico malo ex morbo animi laborantes ita praefractè à nobis oportet iudicari, vt si iam planè abdicati essent à Domino, qui ordinem illius hoc modo abdicant: non ita feruet iudicio Deus. Nam primum etsi ordinem Christi reijciunt iniquitate sua, tamen non totum ordinem reijciunt, sed hunc ordinem, huius aut illius Ecclesiae, aut etiam plurium: non enim planè ordinem ab ipsis reijci ex facto ostendunt, cùm ipsi ordinem in suo corpore & conuentibus suis obseruent quodammodo. Deinde (quod est rei caput) formam illam externam Ecclesiae seruant, id est, verbum Dei, Scripturam sacram: quae cùm integra apud illos est, colitúrque, non possunt iure sic damnari, vt si ab omni Ecclesia planè discessissent. Quam ob causam orthodoxi Patres fidelissimè quidem aduersus haereticorum Ecclesias pugnauerunt gladio spiritali Dei; sed tamen nec Ecclesias esse planè negauerunt eorum qui ita sentirent, nec ministerium illarum funditus deleuerunt nec sacramentum baptismatis in eis perceptum, si eius substantia integra seruata esset, iterari censuerunt in Ecclesiis orthodoxis suis oportere. Iudicabant enim sapientissimè ista infirmitate hominum, quamuis grauissima, irritam fieri non posse veritatem Dei.

Sed quid si ergo Scripturam S. quae forma externa est Ecclesiae à Deo impressa, accipiant quidem & habeant pro certissimo principio, sed tamen non satis accipiant bene? Nam de illis qui Scripturam non accipiunt planè, quaestio hîc nulla est: cùm id pro certo habeamus omnes, quibuscunque forma externa à Deo subministrata non inest, iis internam inesse non posse: ac proinde infidelibus non competere nomen Ecclesiae, ac ne Iudaeis quidem, quamuis recipiant partem scripturae, tum quia publica testificatione renunciauit illis Deus, tùm quia potissimam partem non accipiunt. Quamuis enim praesignificationem, quam in Testamento vetere habemus, colant; complementum tamen, quod in nouo doceri credimus, proterunt pedibus. De illis ergo qui Scripturam agnoscunt & colunt, absit vt iudicium praeceps feramus arbitratu nostro suspendi iudicia potiùs necesse est, quàm in eos quibus gratiam suam Deus testatam facit incurrere. Quod malum quot & quanta mala Christiano orbi hac nostra memoria attulerit, nemo homo est qui non videat, & (si quidem verè homo est) horreat. In hoc igitur hominum genere duo velim obseruari, quae piis (spero) satisfactura sunt, & quibus temeraria audaciáque esse eorum iudicia demonstrari potest, qui momento perrumpi omnia statuunt oportere, & damnari quoscunque non probauerint. Primum igitur quod in hoc genere peruelim obseruari, hoc est, vtrum Scripturam teneant & habeant pro diuino principio reguláque fidei & conuersationis nostrae: Alterum est, si quidem Scripturam tenent, vtrum rem scripturae teneant, id est, ea accipiant quae Scripturis sacris exponuntur. Nam primùm Scripturam si tenuerint, retinent formam datam diuinitùs: quam formam externam tanti voluit haberi Deus, vt Ecclesia Dei vocatione habenda sit quaecunque hanc formam retinet. Atque hoc illud est, quod sibi voluit Apostolus cùm ad Romanos scriberet: Quae est igitur praestantia Iudaei? aut quae vtilitas circumcisionis? cap. 3. 1. Multa per omnem modum. primarium enim illud est, quòd eis credita sunt eloquia Dei. Ex his enim euidentissimè docemur, quibus credita Dei eloquia, eos (vtcunque homines infidi sint plerique) tamen adhuc praerogatiuam illam retinere, non per se, sed per illam Dei fidem quam ipsorum infidelitas non potest inanem reddere, dum ipsi in tolerantia expectare eos placuerit. Formam externam ipsam imprimit Dominus traditione verbi sui: quod verbum qui retinent, tantisper dum retinent, principium formae à Deo impressae iudicandi sunt retinere: quemadmodum nummo tritissimo, tantisper dum vestigia signatae formae permanent, promiscuè (f 715) vtimur, eúmque iustum agnoscimus. Et certè maximus est piis hominibus aditus ad miseros illos, qui Scripturam retinent, informandos in via Christi; si in spiritu charitatis lenitatísque cum illis egerint, cùm principium

cipium commune vtrimque agnoscitur, ex quo de religionis nostrae veritate conferre possimus, & instrumento communi alij alios instruere.

Sed tamen fieri non potest, vt qui Scripturam tenent, iidem non teneant rem Scripturae, saltem aliqua ex parte ipsius: Nam si qui vt Iudaei tenuerint eam, ij ne Scripturam quidem retinent, cùm nihil retineant eius. Vt ergo de iis dicamus qui Scripturam cùm rebus scriptura expositis retinent, gradus horum sunt innumeri. Nam quantum interuallum est à perfectione huius officij, vsque ad extimum imperfectionis gradum, qui vniuersae alienationi à Deo est proximus, tantus numerus graduum constitui potest in iis siue hominibus, siue Ecclesiis, à quibus Scriptura cum re scipturae retinetur. Sunt autem hi gradus planè innumerabiles, cùm hoc ab his, illud ab illis, plus, minus, explicitè, confusè, purè, impurè teneatur. Sed quia non est consilij nostri, vt gradus illos peruestigemus, duo summa genera solùm destringemus ad institutum hoc pertinentia; quandoquidem hic de illis tantùm laboratur qui propter defectum aliquem non videntur habendi in Ecclesiae numero. Nam alioquin constat neminem hominem aut Ecclesiam esse in terris, quae perfectè perfectionem Scripturae cum rerum Scriptura comprehensarum perfectione teneat; sed aliquam tolerabilem inter homines constitutionem Ecclesiae perfectionem humano sermone appellari, & eos dici ab Apostolo perfectos, qui ad aliquem vsque gradum per Dei gratiam ascenderint. 1. Cor. 2. 1. Philip. 3. 15. Eorum igitur quorum imperfectio facit vt Ecclesiam Dei habere penes se minimè videantur, respectu illius formae externae quam Scripturam sacram appellamus, duo sunt genera: Nam alij Scripturam & rem scripturae in fundamento tenent; alij Scripturam sic tenent, vt à fundamento discedant longissimè. Fundamentum appellamus, siue (vt loquuntur vulgò) articulos fundamentales fidei, eos sine quibus fides Christiana constare non potest; cuiusmodi sunt articuli de Deo, qui fundamentum est salutis nostrae obiectúmque fidei immutabile. Qui ergo Scripturam & fundamentum illud salutare tenent, quamuis in rebus singulis non aequè sit explicata illorum fides, tamen ex forma externa quam impressit Deus, in Ecclesia Dei habendi sunt. Nam quae ratio est in membro, eandem in corpore quoque Ecclesiae oportet obseruari. Membri in fide infirmi miseremur, rectè: quidni etiam corporis ex infirmitate laborantis? Dum anima est in eo, viuit: dum aliquid est vitae, anima est in eo. Qui verò à fundamento absunt, & de litera Scripturae in carne gloriantur, ij certè Ecclesia Christi haberi non possunt. Sed rursum in illo genere multa veniunt obseruanda. Verbi gratia: Si ij qui fundamentum retinent, ipsum purum aut impuratum retinent: si impuratum, quanta impuritate impuretur: Si impuritate summa, vtrum apertè impuretur ab ipsis, an verò ab iis qui contradicunt reuincatur ex consequente impuritas. Nam in his rebus magno iudicio in hominibus, magna religione opus est; ne illud ipsum beneficium, quantulumcunque est quod à Christo Iesu perceperunt, importunitate & acerbitate nostra intereat.

Atque vtinam hic modus charitatis veritatísque inter Christianos his calamitosis temporibus obseruari posset: vtinam sententiae importunae, animi infesti, sermones aculeati, actiones asperae atque vehementes à Christianis hominibus toties abessent longissimè, quoties cum iis qui aliud sentiunt, conferre cogitant. Nam quid agimus? quid cogitamus, obsecro, cùm sermonum eiusmodi habendorum necessaria nobis offertur occasio? plerique omnes in eo sumus, vt ostendamus nihil nobis placere posse quàm quod à nobis cogitatur, dicitur, praestatur, in communicationibus eiusmodi; adeò suauiter nos ipsos nobis admetimur. Itaque praeiudicia nobiscum afferimus de iis hominibus quibuscum agendum est, de sermonibus ipsorum detrahimus, indignitatem augemus quibuscunque modis possumus, absurda accumulamus, quibus magis deterreamus ipsos, quàm adducamus ad veritatem Christi, pro eo quod manus erigendis

dis

dis & fulcra firmandis iis admoueri oporteret, & faces illustrandis. Nam his absurdis quae ne per somnium quidem ipsis in mentem venerunt. iniuriam sibi fieri clamitant. itaque clamores vltrò citróque audiuntur, conuicia, contumeliae, maledicta, scripta etiam profunduntur his rebus omnibus instructissima, quibus animi qua iure qua iniuria obfirmantur: (f. 716) sed nihil de penu charitatis, pauca de fonte veritatis, ex quo in praeiudicata de personis, mentibus, sermonibus, actionibus ipsorum traducimur. Imò (quod longè grauissimum) si qui veritate victi cogitent sine ignominia transire ad veritatem, inuidemus Christo laudem, volumus vicisse, & tropaea illorum nobis, non Christo cupimus: quo obfirmantur miseri, ne per nos dicantur pudefieri. Quousque tandem, ô fratres in Christo dilectissimi, quousque abutemur patientia Dei nos studiosissimè ad veritatem suam in charitate & humilitate reuocantis & ad vnitatem Ecclesiae suae? quousque perturbationibus animorum nostrorum sinemus nos, quà prudentes, quà imprudentes abripi? quousque dabimus operam vt alij aliis extorqueamus formam illam externam, quam Deus nobiscum gratiosè & cum fratribus nostris communicat? Iam plus satis aliena bona minuimus, mala amplificauimus, & noua insuper accumulauimus, vt deijciamus quos ex mandato Dei opera nostra oportuit erigi. Quin potiùs agnoscimus testimonium Iehouae apud hos & illos esse, in quos infesti ruimus? Quin videmus Israelem esse, quemcunque Deus informat in sui illius testimonij communicatione? Quin cernimus eôdem alios contendere atque nos facimus, ac de amplectendo Iehouae testimonio retinendóque laborare? Quin animaduertimus illos, absque nobis esset qui importunè inter nos obstrepimus, ad celebrandum nomen Domini concurrere? sinamus potius illos, per Deum immortalem, in sanctis his studiis occupari, & bonum illorum studium Christiana prudentia duce omni studio industriáque adiuuemus: neque committamus, vt facto nostro à bonis institutis auocentur, atque ad mala inardescant, prout in contentionibus humanis plurimùm euenit. Cur de circumstantiis rerum magnopere laboremus, & Ecclesias imprudentia grauissima inter se committamus? Cur etiam propter actiones varias, si quas improbamus, & reipsa improbandae sunt, perinde censores agamus in fratres nostros, ac si momento apud illos tota Ecclesia concidisset? An ergo existimamus actiones hominum formam Ecclesiae esse? Effecta sunt & consequentia illius; & quibus homines quidem possumus cognoscere singulos: sed si Ecclesiam iudicamus mox, ad eorum castra nos transfugere (quod absit) oporteret, qui nullam Ecclesiam in hac vita iudicant existere. Cur etiam de personis & earum dignitate, ordine, auctoritate tuenda, ita contendimus, vt si extra hunc aut illum Ecclesiae modum non esset Ecclesia? Equidem non probo ab illis Ecclesias scindi: sed ne hoc quidem probo, vt qui scindunt inscientia & infirmitate sua, ij scientia & auctoritate tua ac potiùs tyrannide (quisquis es) ita rescindantur. Si enim Ecclesiam, in qua versor per Dei gratiam, illi non agnouerint: at mihi tamen hoc tempore satis futurum est, si videro aliquam Christi Ecclesiam ab illis agnosci: vt me, vt hanc aut illam Ecclesiam agnoscant, non magnopere laborabo, modò agnoscant Christum: pro certo habens, si in Christo paulatim confirmentur, fore vt confirmato mentis oculo me & alios viuere in Christo videant, & ampliùs cum coetu piorum coalescant. Quòd si nitidissimum illum Scripturae fontem suarum inuentionum & traditionum coeno coinquinant, vtrùm nos meliores veritatis illius vindices putamus fore, quàm Deus ipse sit? Conquiescamus igitur in voluntate illius, neque anteuertamus opera misericordiae, aut iudicia eius nostris iudiciis: quos expectat, expectemus sequentes ipsum: quos vocat, si per nos vocare placuerit, vocemus in fide & spiritu lenitatis: si per alios, ne interuertamus; sed gloriam ipsi tribuamus, quòd & alia, & plura, atque haud scio an commodiora instrumenta quàm nos simus, ad opus suum dignetur adhibere. Ipsius est praestare omnia: nostrum verò ad perpauca &

tenuissima ministeria, ad quae nos vocauerit, fidem & obsequium nostrum ei sanctificare ex voluntate eius: & ed eo laetari sanctissima laetitia spiritus, si quos nobiscum à Deo videbimus adhiberi qui dicant, Domum Iehouae adeamus.

5. *Quia ibi consident throni iuri, throni domui Dauidis.*

In explicatione proximè praecedentis versus ostendimus Prophetam formae internae, quam Deus indidit Ecclesiae suae, externam formam subiecisse ordine commodissimo: vt omnes Ecclesiae partes intus & foris iustam proportionem & συμμετρίαν habere videamus. Illius autem externae formae substantiam esse docuimus in canone verbi Dei, quod verbum per Prophetas & Apostolos à Deo inspiratos literis consignatum est & in Ecclesia depositum: hoc charactere signatam esse Ecclesiam Christi, ex cuius (f. 717) auctoritate & praescripto duplex opus in communione sanctorum obseruari possit: vnum, à piis erga Deum & verbum ipsius: alterum à Deo erga pios, & omnes eos qui in Ecclesiam aspectabilem verbi diuini signo colliguntur: Operis nostri erga Deum duas esse partes: Vnam, vt indesinenter ascendamus ad testimonium Domini, & contendamus ad perfectionem illius: Alteram, vt omnia conferamus ad eius gloriam, consilia, instituta, sermones & facta nostra. Nunc verò locum alterum qui ad communionem sanctorum pertinet, Propheta hoc versu aggreditur, nequis se in incertum currere aut aêrem caedere existimet, dum operam dat Ecclesiae in communione sanctorum; sed potius ita statuat cum animo suo, non debere se, vt seruum Domini, in officio suo segnescere; praesertim cùm sciat Dominum in ea communione praesentem esse, & nunquam ab actionibus suis salutaribus desinere.

Summa igitur est huius versus, nunquam Dei partes desinere, aut otiari Deum in communione sanctorum: Deum semper esse accedentibus & consulentibus se praesentissimum, qui exaudiat, curet, praestet quicquid opus est ad suorum bonum, vt rex iustissimus, gratiosissimus ac potentissimus, sanctificans Ecclesiam suam, ídque non solùm spiritu (hoc enim ad formam internam pertinet, de qua antè diximus) verùm etiam ordine aspectabili coniuncto cum verbo, atque ex verbo ipsius. Ad hunc enim ordinem aspectabilem Propheta respexit, dicens: *Quia ibi consident throni iuri, &c.* Sensus igitur est, pios omnes laetari cum animis suis, accurrere, & figere pedes suos in Ecclesia visibili, tum propter formam internam quam Deus exhibet Spiritu, tum propter formam externam inditam traditione verbi, & officia vltrò citróque ex verbo consequentia; id est, non solùm propter officia piorum ad testimonia Dei confluentium & celebrantium nomen illius, sed ante omnia propter officia, quae Deus exercet in Ecclesia aspectabili, eam regens sceptro potente verbi, & iusto ordine ad sceptri illius exercitium (vt vulgo loquuntur) pertinente. Et certè neminem puto ita desipere, vt domi suae ordinem habendum putet, in domo Dei non putet: cùm Deus sít ordinis, non autem confusionis & status incompositi, vt dicit Apostolus. 1. Cor. 14. 33. Quòd si quis ordinem illum diuinum in spiritu solùm, ac non in rebus externis esse contenderit, profectò eum hominem aut planè spiritualem, aut nulla ex parte spiritualem esse oportebit. Nam si omnis ordo à recta ratione est, & recta ratio à Deo velut principio omnis boni in natura rerum, quisquis ita sentit aut purè naturalis est & ψυχικὸς (vt Scriptura loquitur 1. Cor. 2. 14.) qui ordinem in domo Dei non videt, aut (quod amplius est) ipsum naturae sensum amiserit: spiritualem. n. hominis perfectionem, dum in hac vita est, imaginari ridiculum. Si ergo mundus naturae domicilium est, & hoc domicilium ordinem suum habet; quid de Ecclesia, quae domicilium est gratiae, dicturi sumus? Scilicet gratia naturam corruptam instaurabit, & perficiet imperfectam: domum verò suam sine ordine abire sinet auctor ille gratiae.

Huius

Huius autem ordinis quem Deus in domicilio suo constituit, duplex est ratio: Vna, simplex, propria, & necessaria; altera, composita figuris & ceremoniis, atque ambulatoria. Quam vtramque rationem distinctè Deus posuit in prisca Ecclesia Iudaeorum. Partes verò pro ratione obiecti duae: Vna Ciuilis, ad rerum humanarum administrationem spectans: altera Ecclesiastica, ad rerum sacrarum procurationem. Has duas partes secundùm vtrumque modum quem antè perstrinximus, Propheta attingit, dicens primùm quidem de rebus sacris & diuinis, *Ibi considere thronos iuri*; deinde verò de humanis, *Ibidem esse thronos domui Dauidis*. Quapropter vt singulae huius versus partes meliùs intelligantur, primùm administrationes illae ex Prophetae verbis distinguendae sunt; pòst videndum quid sit quod de illis administrationibus praedicatur.

Ac primùm quidem id necesse est obseruari, administrationes metonymicè thronorum vel soliorum appellatione designari. Notum est eos qui iuridicundo praesunt, & alios qui auctoritate praeualent, ex soliis responsa dare consulentibus· & solia esse iuris, auctoritatis, & potestatis signa. Cùm itaque Propheta non vnius throni aut solij, sed complurium meminerit, eo significatum voluit à Deo esse potestates vt Apostolus ad Romanos scribit, cap. 13. v. 1. & ordinem inter potestates ipsas constitutum, quarum solia sunt, ac postremò ordinem ipsarum ad eos quibus praefectae sunt. Potestates autem cùm dicimus, secundùm rationem administrationis illius quae ipsis commissa est, volumus accipi. Nam cùm potestas nulla sit nisi à Deo, id pro certo nobis habendum est, solam Deo potestatem quae sine principio est, sine fine esse, & non solum tempo(f. 718)re, verumetiam re ipsa (vt loquuntur) indeterminatam: E diuerso autem cum reliquae potestates principium à Deo habeant, etiam finibus suis circumscriptas esse, & limitatum (vt vocant) earum modum.

Est autem inter homines potestatum in hac vita modus (si bene obseruaui) triplex. Primus est, quem Philosophi dictione Graeca δεσποτικὸν appellauerunt: Secundus, quem πολιτικόν. Tertius, quem ὑπηρετικὸν vocant. Despoticam siue dominicam (vt cum Iureconsultis loquar) potius eam appellamus, quae sic absoluta est, ut tota illius ratio ex voluntate illius pendeat qui dominus est, citra vllam iutis illius cum subditis communicationem. Atque haec in Tyrannicam transit facillimè, cum dominus plenitudine potestatis suae (vt cum vulgo loquar) abutitur. Politicam potestatem eam appellamus, quae temperatum habet dominium cum eorum qui subsunt voluntate, & consensu. Tertij verò generis potestatem, quam ministratoriam dicere possumus, intelligimus eam quae voluntati alienae tota obsequitur: ac proinde partim ex superioris, à quo instituta est, voluntate leges accipit, partímque voluntati eorum qui subsunt accommodatur, interdum, & contemperatur quodammodo ad vtilitatem ipsorum. Primum genus à solius dominantis pendet arbitrio, qui ad se respicit & vtilitatem suam. Secundum pendet à consilio praecipuè dominantis, subditorúmque secundariò; & respicit ad vtilitatem publicam. Tertium ab vtrisque pendet, voluntatémque horum & illorum spectat legitimè ad vtilitatem omnium. Atque haec quidem potestatum genera si cum potestate Dei comparentur, planè subsunt voluntati illius: sed Deo qui est per se (vt ita dicam) sufficientissimus, adeóque ipsa in se sufficientia, nullam vtilitatem adferunt. Sin autem secundùm se, vt inter homines sunt, considerari eas placuerit, Primum genus, vt apud homines vsurpatur, plerumque nimis est αὐτοκρατορικὸν, & brutum nescio quid aduersus naturam sapit: Caetera tum in societate humana ordine publico conuenientiora videntur esse, tum etiam à Deo in regendo populo ipsius, tanquam aequiora & naturae humanae magis consentanea fuerunt instituta: cùm illa potestas imperio mentis respondeat, haec sensuum & corporis ministerio. Sic autem instituta sunt, vt politicus ordo vtrumque genus potestatis in se habuerit: Ecclesiasticus verò contentus fuerit solo ministratorio, quia in ratione Ecclesiae Dominus

minus summum ius imperiúmque semper & constantissimè sibi vindicauit. Itaque in Politico fuit ordo potestatum inter se, tum summae quae regia dicebatur, tum verò inferiorum ex ordine: quem ordinem potestates illae omnes, & inter se ipsae, & erga eos qui ipsis suberant & commissi erant administrationi ipsorum, obseruabant. In Ecclesiastico verò erant omnia ministratoria, à solo Dei imperio pendentia, & ad vniuersi vtilitatem solùm pertendentia: adeô vt ne ipsi quidem sacerdoti summo liceret in re incognita quidquam, nisi consulto ore Domini, statuere: quemadmodum aliquot exemplis in libris Mosis ostenditur.

De his ergo potestatibus tria sunt quae Propheta hoc versu distinctè praedicat: Primum quódnam sit officium harum postestatum: Secundum, qui custodes officij: Tertium denique qualis earum constitutio à Domino. Officium demonstrat Psaltes, cùm *thronos* appellat *iuri:* custodes & **νομοφύλακας** exprimit, dicendo, *thronos domui Dauidis* institutos; Constitutionem verò pauculis verbis declarauit dicens, *illic considere:* id autem est, Hierosolymis.

Ius autem officiúmque ad potestates pertinens pro conditione earum, & condititione temporum, variè circumscriptum est. Nam cùm potestatum aliae humanae & politicae sint, aliae diuinae & Ecclesiasticae; similiter rationem iuris necesse est duplicem obseruari: vnam, ciuilem & humanam, secundùm quam hominem inter homines necesse est inculpatè & sine crimine ciuiliter viuere: alteram spiritualem & diuinam, secundùm quam necesse est hominem quemque coram Domino ambulare inculpatè, & esse integrum, vt continetur verbis foederis quod Deus olim cum Abrahamo pepigit. Gen. 17. 1. Iuris humani praecepta tria prudentes tradiderunt; honestè viuere, alterum non laedere, & suum cuique tribuere. Etsi haec duo, si quis accuratiùs volet expendere, ad vnum & idem videntur pertinere. Nam qui suum cuique tribuit, non laedit alterum: & contra qui laedit alterum, suum cuique minimè tribuit. Iuris autem diuini precepta si quis in pauca volet contrahere, commodè verbis Pauli vsurus est, ad Titum scribentis hoc modo, Illuxit gratia illa Dei salutifera quibusuis hominibus, erudiens nos, vt abnegata impietate & mundanis cupiditatibus, sobriè, & iustè, & piò viuamus in praesenti seculo, expectantes beatam illam spem & illustrem aduentum illum gloriae magni illius Dei ac seruatoris Iesu Christi, Tit. 2. 11. (f. 719) 12. 13. Nam pro eo quòd humanae iustitiae fundamentum est natura: & lux, conscientia naturae corruptissimae: hîc fundamentum supernaturale diuini iuris ponitur gratia Dei salutaris; & lux gratiae, fides in conscientia domesticorum Dei & piorum illucescens. Pro eo quòd opera humanae iustitiae illius ponuntur ea quae paulo antè diximus; diuini iuris religiosissima opera nobis praescribuntur duo: vnum, vt opera infructuosa naturae corruptae, adeóque ipsa corruptio quae inhaeret nobis, & arma quaeuis illius depellantur: alterum, vt opera lucis vel fructus spiritus progignamus. Horum modus triplex: Primus, respectu nostri, prudens & peruigil sobrietas, ne circumueniamur ab extrinsecis impedimentis, aut extrinsecis perturbationibus nostris: Secundus, erga alios, iustitia, qua damus operam mente, animo, sermone, facto, nequem laedamus, sed suum cuique tribuamus coram Domino, à quo vocati sumus in vnitate spiritus: Tertius erga Deum, pietas, qua Deum religiosè cognoscimus colimúsque, & in ipso recognoscimus quoscunque vocat ad participationem eiusdem gratiae. Postremò autem pro eo quòd humana illa atque ciuilis iustitia, in terminis miserae huius naturae conquiescens, nihil certò habet quò vlteriùs praeter hanc vitam respiciat, salutaria illa praecepta Dei nos ad spem gloriae & gratiae excitant, quae hominem vel miserrimum & desperatissimum supra hanc naturam possit ad boni summi expectationem erigere.

Ad haec duo iuris, corporalis inquam & spiritualis, humani & diuini, genera,

thronos, id est, administrationes olim in populo suo instituit Deus, quarum administrationum tanta est necessitas, vt neque ordo naturae sine ordine humano in rebus creatis constare possit, neque in hominibus ordo gratiae sine ordine diuino & Ecclesiastico. Suus naturae ordo à Deo datus est, & suus gratiae, suúmque ius ordine vtrique inditum: quod ius à singulis hominibus prudenter coli, à custodibus verò quàm religiosissimè diligentissiméque vrgeri necesse est.

Nihil de singularibus istius iuris partibus dicturi sumus: oramus Deum, iuris diuini ex gratia, & humani ex natura auctorem sanctissimum, vt mentes hominum plus satis hoc funesto temporo à iure aberrantes afficiat vero studio quaerendi vtriusque iuris: quia frustrà ius docebitur, nisi adest animus noscendi illius & retinendi studiosus; quem animum tum ipsi nobis, tum aliis omnibus magis ac magis indi optamus à Domino. Id vnum dicturi sumus, quod ex multis Scripturae locis apud Mosem constat: quemadmodum populares, inter quos de iure non satis conueniebat, superiores suos consulebant, vt quid iuris esset ex eis cognoscerent; ita etiam eos qui iuri dicendo praeerant, si ius non tenerent, aut non satis sibi tenere viderentur, non temerè & pro imperio consulentibus respondisse; sed potestatem summam, summum iuris potestatúmque auctorem, consuluisse, ex cuius ore (vt Scriptura loquitur. Num. 27. 5.) responsa darent. Atque hanc rem non solùm pij reges & principes diligenter obseruarunt in rebus humanis, verumetiam rerum sacrarum administri eo religiosiùs ad consulendum Dominum adiuerunt, quo grauiùs in rebus sanctis & diuinis quàm in profanis atque humanis peccari animaduerterunt: praesertim cùm sibi conscij essent longè angustiorem ipsis esse potestatem à Deo attributam, id est, non auctoritate politica, sed administratoria solum se esse praeditos, supra quem administrationis modum si quid arrogarent sibi, impium fore in Deum, & Ecclesiam eius sacrilegium.

Atque hoc illud est, ad quod nominatim Propheta respiciebat, cùm faceret mentionem *iuris*. Nam Deus inter vestes sacras λόγιον instituerat, quòd vulgò ex translatione vetere Pectorale iuris appellatur: ex quo pectorali Deus per Vrim & Tummim respondebat extra ordinem consulentibus, siquid grauius, aut quod scientiam excederet ipsorum, oriretur. Hinc reges, hinc sacerdotes, hinc iudices responsa exorabant, & certi aliquid cognoscebant, de rebus incertis. Quae cum ita sint, omninò videmus quàm verum sit illud quod antè dicebamus, hîc agi potissimùm de ordine Ecclesiastico, quo Deus sanctis olim voluit consulere & testificari praesentiam suam, sed ex eo sequitur alia esse perpetua in ordine Ecclesiastico, alia transeuntia. Perpetuum habuit Ecclesia λόγιον inde à principio, & habitura est ad consummationem vsque saeculi: temporarium verò habuit prisca Ecclesia Iudaeorum & ceremoniale praeter alia plurima λόγιον. Transiit ceremonia & antiquata est; λόγος in seculum permanet quem nos consuluimus, & omnes administros Dei aequissimum est sepositis aliis omnibus studiis & occupationibus, quibus plus aequo incon(f. 720)siderati & imprudentes quàm plurimi immerguntur, studiosissimè consulere. Atque haec quidem de potestate Ecclesiastica, quam Deus in Iudaeorum Ecclesia auctoritate sua sanciuerat.

Illius autem potestatis & ordinis, sicut etiam humani, custodes instituit Deus Reges & Principes, quorum solia in pietate iustitiáque constabiliuntur à Domino. Propterea Psaltes ab his potestatibus, quas Ecclesiasticas appellauimus, ad ciuilem potestatem transit, subiiciens ibidem *thronos ad domum Dauidis* in vrbe Hierosolymorum consistere; tanquam si diceret Deum auctorem esse naturae pariter ac gratiae; ac proinde vt gratiae administras potestates ordinat, ita etiam naturae & humani ordinis potestates esse ab ordinatione eius: Cúmque naturae bona perficiat gratia ac non aboleat,

aboleat, sapientissimè Deum prospexisse, vt quae bona in ordine humano sunt, eadem in Ecclesia obseruentur: non enim reiicienda esse, quia humana sunt; sed quia bona, retinenda & excolenda cultura salutaris gratiae. Sunt ergo Reges, & Principes, & potestates humanae in Ecclesia, & sunt de Ecclesia, cùm eiusdem capitis & corporis in vnitate Spiritus vna fide sunt effecti participes. Quapropter etiam hortabatur Apostolus, vt deprecationes, preces, postulationes, gratiarum actiones fierent pro Regibus, & quibusuis in eminentia constitutis. 1. Tim. 2. 1.

Sed tamen cùm *domus Dauidis throni* disertis verbis hoc loco appellantur, tria illa capita in memoriam opus est reuocari, quae antè distinximus, cùm de domo Iehouae & Hierosolymis ageremus: Domum Dauidus nempe secundùm naturae modum, secundùm figuram, & secundùm veritatem intelligi pro ratione locorum oportere: Secundùm naturam significari homines qui suo ordine extiterunt ex ea familia in rerum natura: Secundùm figuram eandem familiam intelligi, qua regnum spirituale Christi figurauit: Secundùm veritatem esse illud ipsum Spirituale regnum, quod Christus Dauidis filius aeternùm possidet, quemadmodem angelus dixerat: Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur, dabítque ei Dominus Deus sedem Dauidis patris ipsius. Luc. 1. 32. Est autem regnum temporale, quodcunque in Ecclesia & inter homines humano ordine instituit Deus, ad custodiam omnis boni ita constitutum vt ne illud quidem ipsum bonum spirituale, quod in Ecclesia disposuit Deus, alienum à cura ipsorum Regum haberi oporteat. Nam si humano ordine & instituto obligantur ad procurationem communis boni: certè ex quo illi in eo ipso humano ordine à Deo praesente sanctificati sunt, reipsa obligantur humano & diuino iure etiam ad bonorum spiritualium procurationem, non dico administrationem: nam distincta sunt dona, administrationes, & operationes singulari prouidentia Dei. Quapropter nec reges in administrationes Ecclesiasticas inuolare possunt, nec administri Ecclesiastici in regias & ciuiles humanásque. singulis tantùm est oneris, vt furore, non sapientia agi videantur, qui alia insuper onera sibi imponi petunt aut etiam facilè patiuntur, quacumque occasione aut specie id fieri posse putauerint. De cura solùm & custodia loquor, quam piis regibus principibúsque Deus semper demandauit: non vt leges ferant Ecclesiis quà Ecclesiae sunt, id est, regno spirituali Christi, qui vnus animarum nostrarum legislator est; sed vt leges à Deo latas per administros eius obseruari curent, instent, & vrgeant, nequid de cultu Dei decedat, vnde ira ipsius in admistros, regémque siue principes, & populares omnes accendatur. Hoc igitur commune est omnium temporum in Ecclesia Dei: singulare autem illius temporis fuit institutum illius regni, qua typus à Deo institutus est, quo spirituale regnum Christi fuit in rudi populo ante plenitudinem temporum adumbratum. Nam huius typi veritatísque contemplatione Ecclesiam illam confirmare in omnibus rerum difficultatibus & consolari voluerat inde à principio Deus, Abrahamo de ea dicens, In semine tuo benedicetur omnibus gentibus: Dauidi verò longè gloriosiùs multa; vt cùm plurimis Scripturae locis, tum Psal. 89. demonstratur luculentissimè. Etenim cùm prisca illa aetas quibusdam veluti fulmentis opus habuerit, vt in expectatione Christi Iesu firma consisteret, sapientissimè Deus prouiderat, vt quemadmodum sacerdotij, sic etiam regni aeterni illius vmbraculum aliquod & vestigium in rebus humanis existeret: quam ad rem tribus Iehudae, & in ea nominatim domus Dauidis electa est. Quapropter etsi ordinem politicum in Ecclesia Dei planè oportet existere, aut Ecclesiam sese in eo ordine continere, denique alterum ordinem alteri coniunctum esse: id tamen ex hoc loco intelligendum est, ciuilis huius ordinis non tam (f. 721) propter necessitatem ipsius mentionem hoc loco factam (quae tamen summa est necessitas) quàm propter typum à Deo institutum, vt promissionum suarum de regno spirituali aeternóque

nóque Christi veritatem aliquo pacto ante oculos priscae illius Ecclesiae repraesentaret.

Atque hae quidem administrationes in ea Ecclesia à Deo constitutae sunt, vt forma externa Ecclesiae conueniente ordine seruaretur: qua forma singuli ad conscientiam & probationem internae, quam principio dicebamus, quasi ducerentur manu. Sed quia (vt olim dicebat Iurisconsultus quidam) parum est si ius in ciuitate sit, nisi sint qui dicere possint; ita etiam res se in Ecclesia habet; age de custodibus & curatoribus iuris istius videamus.

Custodes igitur iuris & ordinis sancti, quem hoc loco Ecclesia praedicauit, communi appellatione significati sunt domus vel familiae Dauidis: quemadmodum apud Prophetas passim videmus eo nomine hanc domum celebrari, & contrà prae caeteris familiis in populo Dei reprehendi, si quando iusta ratio ordinis à Deo imperati publicè negligeretur. Huius autem custodiae ac procurationis modus in his Prophetae verbis duplex intelligendus est. Nam quà Dauid secundùm humanum ordinem fuit potestate praeditus, modus custodiae humanus est: quà autem fuit typus Christi ex diuina institutione, diuinus modus, cuius in Christo & à Christo consummabatur veritas. Humani illius modi caput fuit Dauid; & quicunque ad familiam eius pertinuerunt, ij quaedam veluti membra extiterunt; cum summo illo capite ad corporis totius & ordinis in corpore conseruationem conspirantia secundùm Deum. Diuini autem modi caput vnicum & immutabile Christus est: qui ministerio non solùm sacerdotis summi, aut seniorum ex sacerdotibus, aut sacerdotum ipsorum atque Leuitarum ex ordine, verumetiam Prophetarum extra ordinem, quotiescunque visum esset, vtebatur ad hoc suum opus in Ecclesia sua promouendum. ex quo fiebat, vt hi quidem singulari sua vocatione in ministerio suo operam consumerent; illi verò, Dauid inquam & qui ex familia eius, vrgerent ministerium illud, & ordinem humanum suum in procurando rerum sacrarum ordine religiosè occuparent. Sic videmus Psalmos à Dauide fuisse Ecclesiae datos; & ordines ministerij sacri, adhibito Prophetarum sanctorum Dei virorum consilio, distributos: vt disertis verbis auctor libri Chronicorum aliquoties confirmauit.

Restat locus tertius, de stabilimento istius ordinis: quod Propheta innuit perpaucis verbis, dicens haec *folia illic considere.* priùs quidem, vbi de fidelibus Ecclesiae membris actum est, dixit tribus ascendere illuc ad testimonium Iehouae: nunc verò agens de diuino ordine, aut rebus diuinis ministrante, qui Dei auctoritate institutus est in Ecclesia eius, dicit Propheta in loco considere. Id autem significare videtur Psaltes considendi verbo, Deum auctorem istius ordinis in Ecclesia sua, tum stabiliuisse ordinem illum, tum verò actiones illius ordinis praesentia sua direxisse & firmauisse ad gloriam suam. Consident enim, qui in pace sunt, aut qui immoti sunt ab aduersis rebus: consident praetereà, qui maturè consilia ineunt, vt benè rebus gerendis praesint ac salutariter. Cùm itaque hi throni dicuntur considere, partim de pace & firmamento illorum prouisum esse à Deo intelligimus, partímque res iusto ordine consilióque prouisas, curatas, gestas, tanquam à sapientibus administris diuinae voluntatis, in quorum consessu consilióque (vt alibi dicit Psaltes) Deus praefuerit. Psal. 82. 1. Enimuerò quidni sedissent sedente Domino? quidni substitissent, Deo suam sedem ac domicilium in eo loco statuente? Nam vbi tutiùs sedeat Ecclesia piorum, quàm in sede & habitatione Domini. sanctificantis praesentia sua & confirmantis electos omnes, ac praesertim administros suos? Quòd si illic, non alibi sedent, quid nobis cum illa ἀλλοτριοπραγία, quae tam multorum infestat mentes? Hanc Spartam curemus singuli quam nacti sumus, & sequamur vestigia dicentis Pauli, Quid mea interest etiam de extraneis iudicare? nónne de iis qui intùs sunt vos iudicatis? de extraneis verò Deus iudicat. 1. Cor. 6. 12. 13.

O verò

O verò beatos illos, qui hac praesentia Domini apud suos versantis in animis suis confirmati ordinem illum diuinum agnoscunt; tum Ecclesiasticum, quo docentur diuina iura, & in fide ac obsequio sancto continentur pij; tum verò Ciuilem, quo intercedente atque adiuuante ad studium diuini ordinis excitantur! Nam profectò, vt Deus vnus est, ita vnus ordo quem instituit Deus: si non (f. 722) vnus, ne ordo quidem est: Nam eo ipso quòd ordo est, vnitas eius statuitur. Quòd si ordo vnus est, quomodo vnum esse omnes inter nos ordine, & pugnantes item animis inter nos possimus? Atque vnum ordine diuinitus imperato sumus: throni ordinis à Deo instituti in Ecclesia, & in republica: in Ecclesia, diuinus ordo Christi, quem nemo sine impietate oppugnare potest: in republica, humanus ordo, cui nemo obsistit sine atroce in naturam ipsam contumelia. In Ecclesia, ius ab ordine diuino cognoscimus, ius constantissimum ab aeterna illa ratione proficiscens, & immutabile: In republica, iuris illius diuini habemus adiumentum, & potestates administras propter hunc ipsum finem à Deo datas. Atque haec omnia in sede quadam firma & immota, id est, in Ecclesia, sunt à Deo constituta: vnde administros suos iubet ordini publico & singulis membris ad hunc ordinem pertinentibus in sua quemque vocatione consulere, & omnes sanctificat praesentia sua.

Absit igitur à nobis, si Christiani sumus, si ordinem Ecclesiae & reipublicae omnísque societatis humanae diligimus, si ius à Deo & naturae ordine imperatum, colimus; si stabile quoddam verae pacis & tranquillitatis domicilium appetimus: absit, vt discidiis & contentionibus ordinem illum sanctissimum conturbemus, quem Deus in Ecclesia sua obsignauit, & quo obsignat Ecclesiam suam. Absit, vt diuisi & diuulsi artibus violentiáque Satanae malimus esse, quàm in Deo vnitatis & pacis, & in catholica Ecclesia eius, vnitate spiritus, & vnitate ordinis contineri. Quòd si non omnes idem sentimus per omnia, absit, vt continuò statuamus nos vnum ampliùs non esse, qui rebus tam multis & principalibus vnum sumus. Qui vnum Deum habemus patrem, à quo omnia, vnum Christum, in quo omnia, & vnum Spiritum, per quem omnia vnum corpus in vnitate Spiritus, vnam fidem in praecipuis his capitibus, quamuis secundùm plus & minus (vt loquuntur vulgo) differentem, an propterea nos vnum esse negabimus, & dissidia inter nos faciemus, quia vnum per omnia sententiis non sumus? Quid? nónne in vno & eodem homine videmus voluntatem sibi ipsi repugnantem, quae tamen vna est? voluntas naturalis appetet quod refugiet intelligens, sensus voluntatem hominis contra intellectus iudicium excitabit: volet aegrotus vna voluntate sanitatem & rem aduersam sanitati, hoc sensus, illud naturae facultate: volet pius saepenumerò quod non vult Dominus, & tamen religio simul ipsi futura est velle quod non vult Dominus: quemadmodum similitudine filij vitam petentis prorogari patri contrà quàm vult Deus, Augustinus olim demonstrabat. an propterea duo homines fiunt, aut seipsum homo lacerat & manus affert violentas sibi? Quod in vno homine fit, miratis fieri in tanto corpore? & quod in vno corpore fers, humano tamen; non feres in corpore Christi diuinitus adunato? nec eo ipso tempore feres, quo inchoata est corporis illius coagmentatio, cùm in perfecto homuncionis corpore, id est, ad perfectam staturam vel constitutionem suam euecto feras? Deus meliora. Contendamus potiùs omnes vno animo, vt quamuis diuersum sentientes in rebus particularibus, vnum in communi simus: Erigamus oculos ad contemplationem throni illius gratiae in caelo positi, vbi non solùm dissentientes, sed (quod grauius est) inimicantes Deo sunt reconciliati Deo per sanguinem Christi. Si me offendit alter in re humana dissentiens, condonare iubeor auctoritate Domini: qui autem à me dissentit in causa fidei, si errat, non me offendit sed Dominum suum. Dominus autem condonat; ego non condonem? Deinde si errat, non reuelauit Dominus

Dominus ipsi; ferendus est errans; expectandus Dominus qui errantem doceat: & manus nostrae non ad depellendum errantem, sed ad viam monstrandam potiùs adhibendae, si Deus operam nostram ad salutem & institutionem eius volet occupari. Nam quis nescit propterea Euangelium & vniuersam doctrinam salutis mysterium appellari, quòd sola reuelatione gratiae homini innotescat? aut, prout Christus ipse dicebat Nicodemo, quis ignorat nullum ascendisse in caelum, & res caelestes perinde nouisse ac si peruestigasset coràm, nisi eum qui descendit è caelo, filium hominis qui est in caelo? Quis non audiat Jesum Christum clara voce inclamantem patri, & dicentem, Gloriam tibi tribuo, pater domine caeli & terrae, quòd haec occultaueris à sapientibus & intelligentibus, & ea retexeris infantibus? Matth. 11. 25. Quis in sese reflectens oculorum aciem non agnoscat, & sentiat illud, quod optimè docet Apostolus (1. Cor. 2. 6. &c.) de ministerio diuini verbi, sapientiam esse non seculi huius, neque principum seculi huius qui abolentur, sed sapientiam Dei in mysterio positam? occultam sapientiam, quam praefinierat Deus ante secula ad gloriam nos(f. 723)tram? quam nemo principum seculi huius cognouit? sapientiam rerum quas oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in mentem hominis venerunt, quas parauit Deus iis à quibus diligitur? quam sapientiam Deus solus retegit per spiritum suum, prout spiritus scrutatur omnia, etiam profunditates Dei: Nam vt nemo hominum nouit ea quae sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in eo; ita etiam ea quae sunt Dei, neminem nouisse nisi Spiritum Dei, & quicunque Spiritum ex Deo acceperint: animalem hominem non esse capacem eorum quae sunt Spiritus Dei: Nam ea illi stultitiam esse, nec posse ab illo cognosci, quia spiritualiter diiudicantur. Et tu, homo, non feras hominem in naturae tenebris errantem, quem Deus fert ante oculos tuos tolerantia sua, & vocat gratia? absit à nobis isthaec insania.

Quòd si ne illa quidem ipsa auctoritate Diuini verbi ab ista praesumptione iudiciorum nostrorum deducimur: pudeat saltem Christianos, pudeat eos omnes qui Christiani audire volunt, intolerandae istius audaciae, cùm hominem naturalem & scientiae humanae inanísque philosophiae opinione inflatum, plus humanitatis in suis iudiciis habuisse audient. Themistium illum philosophum in historia Ecclesiastica legimus longè mitiorem & aequiorem erga Christianos fuisse, quàm ipsi Christiani sint. Narrat enim Socrates, Hist. Eccles. lib. 4. cap. 32. cùm Imperator Valens Antiochiae degeret, & quiescens à bellis exteris incursionibúsque barbaricis grauiter infestaret orthodoxos, & quotidie maiora supplicia in eos excogitaret; tandem opera Themistij illius Philosophi acerbissimam illam saeuitiam hominis fractam, & ipsum ad maiorem aequitatem & moderationem reuocatum esse: nam libellum de ea causa Valenti inscripsisse, quo nominatim ipsum Imperatorem appellabat, docebátque non esse cur mirum ipsi videretur, si fortè Christianorum dogmata interdum dissiderent, nec inter se conuenirent planè. Etenim reuera perexiguam esse illorum discrepantiam, si cum multitudine & confusione dogmatum comparentur quae apud Graecos obtinebant. illorum enim esse amplius trecenta dogmata. In rebus autem quae sola opinione percipi possunt, prout ex necessitate, si quid homo in rebus diuinis percipit, opinione percipit, (nam fidem nesciebat carnalis Philosophus) plurimum fieri, vt dissideant valdè sententiae: & Deum ipsum velle gloriam ita sibi conciliare dissidentibus hominum sententiis, vt eo magis quisque reuereatur maiestatem eius, quandoquidem cognitio eius non est illi exposita ad voluntatem animi. His sermonibus & consimilibus argumentis appellatus à Themistio Imperator Valens lenior in orthodoxos effectus est. Quòd si natura duce humaniter cogitandum in causa religionis de hominibus esse iudicauit Philosophus ignarus veritatis, vtens axiomate quod Sapiens confirmauit, gloriam Dei esse celare verbum: Prou. 25. 2. si Philosophi illius monitis

 fractus

fractus est quodammodo Valentis Imperatoris animus, qui sanguinem & caedes Christianorum tanta ferocitate spirauerat; quid nos Christianos, obsecro, necesse est facere erga ignorantes aut errantes quosque? quibus sermonibus reuocare in viam? qua commiseratione animi dies & noctes de miserorum errantium institutione & salute laborare? Hoc nos omnes docet, huc ducit natura ipsa, & humanus ordo, & diuinus ordo, & communis Ecclesiae, & priuata singulorum de gratia salutari Dei experientia, constantissima Dei ex verbo ipsius testificatio: quibus omnibus nos praestat cedere, quam particulari corruptioni naturae nostrae in nostram ipsorum & aliorum perniciem obsequi.

6. *Expetite pacem Hierosolymorum* dicentes, *Tranquilli sint amantes tui:*

7. *Sit pax in praemunitione tua*, *tranquillitas in palatiis tuis.*

QVAM multis circumsideamur bonis à Domino in Ecclesia eius, & quantam laetitiam in animis nostris ex eo percipiamus, hactenus satis, iudicio meo, ex verbis Prophetae audiuimus. Nam cùm & priuatis singulorum membrorum officiis, & communibus Dei in corpus totum Ecclesiae summísque beneficiis intus & foris demonstratis, potentissimè Propheta se & Ecclesiam priscam suis temporibus ad hanc laetitiam excitauerit: nos, qui Deum esse nouimus constantissimum in promissionibus gratiae, & salutari beneficentia in Ecclesiam suam, iisdem (f. 724) argumentis vti necesse est, vt confirmemur ipsi, & alios in cognitione ac conscientia eiusdem boni, quoad eius per nos fieri potest, confirmemus.

Atque haec quidem Christiana laetitia in nobis eiusmodi est, vt omnem metum omnémque dolorem eximere ex mentibus nostris & fugare possit, si eam animo verè concepimus. Sed quia illius gratiae virtutísque diuinae (quae in se est absolutissima perfectissimáque) sensus est in nobis imperfectissimus: propterea visum est Spiritui sancto, exposita per Prophetam laetitia spirituali nostra, certissimísque illius argumentis, effectum laetitiae illius coniunctissimum reliquo Psalmo exponere nimirum publicam denuntiationem laetitiae illius ex studio Christiano, procurationémque diligentissimam illius laetitiae propagandae in vniuersitatem Ecclesiae; ex quo ingeneratum est in nobis spirituale gaudium, de quo antè diximus. Id enim naturale est, vt laetitia hominem quasi fundat & dilatet modis omnibus; vt contrà, tristitia contrahit hominem, & quodammodo in angustum cogit: qui laetatur, diffunditur in se, & extra se, nec potest quin erumpat apud alios in testificationem laetitiae suae: quam rem sensus naturae docet, & parabolis euidentissimis expressit Christus, viri qui ouem perdiderat, foeminae quae drachmam, & patrisfamilias qui filium. Luc. 15. 4. 8. 11. Secundùm hanc igitur rationem Propheta suam ipsius & communem Ecclesiae laetitiam cùm descripsisset verbis antecedentibus, iam venit ad illam inclinationem naturalem laetitiae, nimirum ad publicam denunciationem illius, & saluberrimam adhortationem ad pacem, qua laetitia alitur atque continetur ad Dei gloriam.

Docturus autem Propheta illud officium pacis ad laetitiae conseruationem pernecessarium, duobus modis credentes instruit de hac Christiana pace. Nam primùm hortatione vtitur vehementissima, tanquam praeco religiosissimus voluntatis Dei, versu sexto & septimo, quos antè exscripsimus: Deinde verò suum ipsius exemplum spondet, & ante oculos piorum exhibet sese uelut ducem futurum ex facto ad ista pietatis officia, non autem vocalem solùm praeconem, spectatorem, hortatorémque otiosum, duobus versibus vltimis. Cùm autem sermone instituit docere alios Christianam

tianam pacem; tanquam doctor fidelissimus in schola Domini, primùm rem ipsam imperat, deinde praeit verba singulis ad rem quam imperauit pertinentia. Rem enim ipsam imperat summatim, dicens; *Expetite pacem Hierosolymorum:* Verba autem praeit credentibus quibus hoc imperat, cùm subiicit, *tranquilli sint amantes tui* &c. oratione conuersa ad Hierosolyma.

Ac primùm quidem quid sibi velit Psaltes Hierosolymorum appeliatione, satis (opinor) constat ex praecedentibus. Nam versu 2. & 3. rem totam copiosè explicauimus. Pax verò quid significet, nobis videndum est: vt singuli suum officium, ad quod excitantur his verbis, tenere possint. Vt itaque paucis absoluamus, cùm desiderium pacis vniuersè hoc loco praecipiatur, & huius ipsius pacis sequentibus verbis tradatur enarratio, ne longiùs abeamus, Pacis nomine intelligimus constitutionem vacuam ab omni malo, & in omni bonorum genere intus & foris quiescentem. Ac proinde, quia pax certa homini esse non potest, qui non solùm intus abundat malis & bonis vacuus est, sed etiam foris omnibus malis appetitur, & ab omni bono quasi refugitur: ita è diuerso pacem homini illi esse statuimus, quem bona certatim appetunt & fugiunt mala. Eadémque ratione de Ecclesia dicimus, quam vrbs Hierosolymorum olim adumbrauit; hanc dici pacem illius, cùm ipsi bene est ac non male. Quomodo autem Ecclesiae bene esse possit, superiora docuerunt. Bene est Ecclesiae; quae laetatur de filiis suis; ad quam filij adeunt & adhaerent; cuius forma interna est Deus; externa, communio sanctorum, cum Deo verbo salutis & precibus, & piorum inter se insto ordine quem Deus instituerit ad coagmentationem sanctorum, ad aedificationem corporis Christi. His rebus vera pax Ecclesiae continetur: quemadmodum vera pax & iusta corporis constitutio in optima formae internae, atque externae, & actionum omnium, accidentiúmque commoditate versatur. De hac pace quam pij cum Deo habent, cum animis suis, cum Ecclesia tota, & cum membris singulis eius, & cum omnibus hominibus, Propheta nunc demum loquitur, & omnia antegressa bona comprehendit hac vna pacis appellatione, dicens: *Expetite pacem Hierosolymorum.*

Hierosolyma, id est, Ecclesiam Dei bonam esse confitemur omnes, tanquam Dei viuentis domum: tum pacem illius domus bonam & iucundam esse. Vnum à nobis desideratur; vt cùm bonam esse Ecclesiam, & bonam Ec(f. 725)clesiae pacem sentiamus omnes in nostra conscientia, nos quoque bonum officium erga Ecclesiam, quam praedicamus bonam, & ad pacem, quam natura bonam esse docet, faciamus. Huc nos hortatur & vocat Propheta dicens, *Expetite pacem Hierosolymorum:* tanquam si diceret; Ita estis singuli à natura comparati, vt neque bonum priuatum vestrum, neque commune noueritis; ac ne illud quidem expetatis, aut etiam procuretis, si quando nouisse datum est; adeò magnae sunt in vobis tenebrae. Quòd si in ipsis humanis rebus non videtis, quid vobis, quid publico vtile esse possit; multo magis aberraturi essetis à bono spirituali vestro, & Ecclesiae Dei, quarum rerum notitia nemini nisi ex reuelatione Dei potest obtingere. Nunc verò cùm per Dei gratiam ex praecedentibus constet, Deum, Ecclesiam, & fratres germanos vestros à Deo in Ecclesia genitos, & vos denique ipsos à vobis cognosci praelucente face diuini verbi: videte, ne in malo naturae vestrae torpentes haereatis, néve à bono prosequendo, cuius notitiam impertiuit Deus, abstineatis impiè, sed bonum publicum Ecclesiae, & priuatum spirituale vestrum in Ecclesia procurate, quibuscunque modis pote est. Quod si plura non potestis (quemadmodum reuera non sumus idonei per nos ipsos ad cogitandum quidquam velut ex nobis ipsis; sed quòd idonei sumus, illud ex Deo est, 2 Cor. 3. 5.) saltem date operam, vt votis ardentibus ex animo, religiosissimísque precibus coram Domino contendatis, & intus studia vestra quàm diligentissimè accendatis

datis ad pacem, id est, bonum publicum Ecclesiae, & in ea priuatum vestrum procurandum. Hoc igitur summum praeceptum est, ad quod pios hortatur Psaltes ex antecedentis laetitiae causarúmque laetitiae argumento.

Cùm autem praeceptorum diuinorum omnium eiusmodi sit auctoritas, vt quibuscunque praecepta dantur, ij praeceptis illius obsequi teneantur sine exceptione vlla; profectò nos, qui singulari Dei beneficio in Ecclesiam ad perceptionem voluntatis eius vocati sumus, necesse est de obsequio fideli cogitare, vt pacem Ecclesiae petamus, quemadmodum nobis praecepit Deus. Ac propterea, ne fortè in petendo incerti simus, tanquam si nesciremus quid à quo peti oporteat, indidit Propheta piis velut in os sanctissimam petitionis formulam, cùm dicit: *tranquilli sint amantes tui*, *sit pax in praemunitione tua*, *&c.* Huius enim petionis loci duo sunt à Propheta indicati, incremento conuenientissimo, cùm pacem Ecclesiae docet peti à nobis oportere & foris & intus, communiter & singulariter: Foris quidem etiam iis qui amant Ecclesiam communiter, quamuis nondum sese illi adiunxerint; intus verò singulariter, domesticis fidei & Ecclesiae catholicae. Nam quemadmodum si quis pacem habitationis suae desiderauerit, circumspiciat opus est foris, quae impedimenta arcenda, quae adiumenta retinenda; deinde verò dispiciat intus quid ipsae partes habitationis postulent; ita etiam pios omnes post omnem hominum memoriam Deus informauit, vt in hoc domicilio mundi omnibus benè cupiant, & pacem colant cum omnibus, quoad eius fieri potest, vt Romanis scribebat Apostolus; cap. 13. v. 18. deinde vt ipsi Ecclesiae ante omnia benè cupiant secundùm Deum. Quinetiam hunc ipsum ordinem, quem nobis praescribit Psaltes, Deus in suis promissionibus quas enunciauit Abrahamo, distinctè seruauit, ne quemquam Christianum taedeat illud postulare, quod in promissionum numero recensuit Deus. Dicebat enim primùm de omnibus etiam exteris, Benedicam iis qui benedicent tibi: postea verò de Ecclesiae Christianae membris subiecit illud alterum, Benedictae erunt in te omnes familiae terrae. Genes. 12. 3. De omnibus ergo promiscuè, etiam exteris, ab Ecclesia Dei pronunciantur haec verba, *tranquilli sint amantes tui:* de ipsis verò domesticis sequentia enunciata sunt.

Ac prius quidem per se est euidens: si tantùm illud obseruemus amantium Ecclesiae duo esse genera, prout distinctè à Psalte enumerantur paulo pòst octauo versu, dicendo; *propter fratres meos*, *&* *amicos meos*, &c. Sunt enim hi fratres; id est, germana Ecclesiae membra, & iamiam ex facto ad eam pertinentia in Christo Iesu, aut etiam in ea degentia secundùm formam externam & ordinem aspectabilem illius; illi verò amici, quamuis extra Ecclesiam positi, qui nec oderunt Ecclesiam animo, sermone aut facto obsunt: sed aut bene cupiunt ipsi ex animo, quamuis ipsi sibi id non cupiant boni, aut certè amicè ferunt, vt Ecclesia sit, atque tranquilla sit: de quo genere dicebat Christus, Qui non est aduersum nos, pro nobis est. Luc. 9. 50. Pro his ergo omnibus Ecclesia postulat, vt ipsis bene sit, & tranquillitate fruantur, denique communibus (f. 726) secum beneficiis magis ac magis cumulentur à Domino.

Alterum verò optatum in versu 7. quod ad domesticos Ecclesiae pertinet, duas partes illas pacis euidenter notat, de quibus antè dicebamus in definienda pace. Ad iustam enim & veram pacem desiderantur duo: defensio à malo, & bonorum pacis perceptio. De vtroque preces concipiendas ostendit Psaltes verbis paucissimis; & seruata tijpi illius, qui tum ad figurandam Ecclesiam fuerat datus allegoria. Ierusalem typus erat Ecclesiae: ad tranquillitatem vrbis illius duo haec fuerunt opus, tum vt aduersus mala foris minantia & irruentia circummunita esset vrbs, tum vt intus abundaret bonis. Defensionem à malo Propheta his verbis docuit expetendam; *Sit pax in praemunitione tua*: Constitutionem verò stabilem in bono ac florentissimam postulare docuit illis; *Sit tranquillitas in palatiis tuis.* Etsi ne hoc quidem praetereundum videtur silentio,

silentio, quòd in hoc vtroque genere praestantiam summam bonorum ad pacem pertinentium amplissimis vocibus denotauit. Nam de illa defensione à malo acturus, non simpliciter murum, fossam, vallum, aut aliquid simile appellauit; sed voce amplissima vsus est, quoduis munimentum, ídque potentissimum & commodissimum ad defensionem significante. De interna verò bonorum copia tam magnificè loquitur, vt dignitatem Ecclesiae non possit quisquam ampliùs extollere, cùm *palatia* nominaret. Videbat enim Propheta omnes pios in Christum & Ecclesiam insitos, reges & sacerdotes apud Deum patrem in Christo factos, regale sacerdotium, vt appellat Petrus, 1. Pet. 2. 9. Exod. 19. 9. siue, vt Moses, regnum sacerdotale. Huic dignitati piorum dignas stationes voluit demonstrare à Deo attributas, ac velut praetoria & regales domos cùm tranquillitatem inesse palatiis eius expeteret: De rebus videlicet spiritualibus tam magnificè in fide sentiens, vt sibi ipse non posset satisfacere, nisi res illas in spiritu magnificas vocibus magnificis secundùm corpus exprimeret.

Videmus ergo ex Prophetae verbis, quidnam illud sit quod expeti à nobis omni tempore necesse est. Sed à quo expetamus, nisi à Deo, qui potest explere petitionem nostram? Deus igitur, Deus ille noster, auctor Ecclesiae, custos & hospes constantissimus illius, ad quem Ecclesia respiciens nihil non habet boni, à quo respiciens aliorsum nihil non sentit mali: is ergo ipse est, qui haec curare potest Ecclesiae efficacissimè, & à quo nos indesinenter opus est petere quaecumque ad pacem & tranquillitatem illius pertinent. neque dubium est, si ex animo fidem & misericordiam illius imploremus his ipsis ferreis & luctuosissimis temporibus, quin oculi ipsius super iustos inuigilaturi sint, & aures ipsius attentae futurae ad pias preces & suspiria illorum.

Sed quia Deus pacem & tranquillitatem Ecclesiae suae non solùm procurat immediatè (vt loquuntur) arbitratu suo, verumetiam quibuscumque visum est mediis vtitur ad praestandam pacem & tranquillitatem illius; videamus ne singuli nostri deficiamus ab officio nostro, si fortè Deus nobis, tanquam instrumentis indignis quidem, sed sanctificatis ab ipso per gratiam, ad tantum opus dignetur vti. Nam quid nobis miseris futurum est, si quod ore pertimus, illud manibus pedibúsque obnixè oppugnemus? aut si nec manum nec pedem admoueamus, cùm honorem istum Deus nobis habuerit, & ad opus immerentes gratiosissimè vocauerit? quod ergo petimus sermone, petamus animo; quod animo & sermone petimus, idem etiam modis omnibus appetamus, & studium, operam, laborem, industriámque nostram eò conferamus, vt id ipsum quod petimus, tandem beneficio Dei, vt benedicturi officio ministerióque nostro, assequamur. Hoc autem vt faciamus sanctè, meminerimus ab eo qui omnia dat, expeti omnia; ab iis verò qui possunt aliquid ministrare secundùm voluntatem Dei donatoris omnium, aliqua postulari secundùm Deum oportere. Itaque omnia omnino à Deo petimus; ab aliis, aliqua secundùm Deum. Cùm autem ab aliis dicimus; quis adeò desipit, vt aliorum officium meritò desiderari putet, & dissimulari nostrum? Quaecunque creaturae sunt, tenentur secundùm Deum ministrare voluntati eius. quid ergo exigamus ab aliis, quod nos ipsi praestare minimè cogitamus? Vtrumque opus est in expetenda pace & tranquillitate Ecclesiae: tum vt ipsi summo desiderio procuremus & colamus eam, tum vt proximos ad idem officium religiosè excitemus. Proximos autem omnes vniuersè prouocari ad hoc officium erga Ecclesiam Dei oportere docemur natura, & auctoritate Scripturae: quemadmodum Christum legimus praecepisse, Diligite etiam inimicos vestros, benedicite iis qui deuouent vos &c. Mat. 5. 44. & Paulum praeci-(f. 727)pientem, si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus in pace viuite. Sed quia varia est proximorum (vt in Scriptura vocantur) ratio, & ipse quoque Propheta in hoc loco aliquam distinctionem adfert; paucis de ordine eorum dicendum est, vt melius constet, quid quibus peti & praestari oporteat. Proximi omnes

omnes alij aliis secundùm speciem à natura sumus: Sed Proximorum duo genera statuimus, nos quidem qui in Ecclesia sumus. Nam alij in Ecclesia sunt nobiscum, alij absunt ab ea: Quorum illos Apostolus vocat domesticos fidei, ad Galatas scribens, cap. 6. v. 10. hos ad Timotheum exteros vel extraneos appellauit. 1 Tim. 3. 7. Exterorum verò rursum duo sunt genera. Nam alij sunt amici Ecclesiae Dei, alij inimici. Qui amici sunt, aut ita sunt amici, vt bonum curent Ecclesiae humano animo, aut saltem amici eatenus, vt malum illius non expetant: sed simpliciter in eo acquiescant, vt si potest bene esse Ecclesiae bene sit. Inimicorum verò qui Ecclesiam oderunt atque persequuntur, alij ignoratione sunt inimici, alij perturbatione & studiis particularibus, alij denique malitiosa voluntate. Quod faciamus cum istis omnibus, quicunque ad expetendam pacem Ecclesiae vocati sumus? Argumentum graue atque odiosum: sed tamen tam necessarium in hoc tempore quàm quod maximè. Quapropter de eo dicturi sumus quàm breuissimè poterimus, vt rationem pacis expetendae procurandaeque in tot tantísque impedimentis certam teneamus: Et dicemus diuerso ordine, vt ita paulatim ad singulorum graduum explorationem veniamus.

Primum igitur est, quid facto opus ad pacem Ecclesiae, si res nobis cum iis futura est qui voluntariè certáque malitia inimici sunt illius? Stat sententia, pacem Ecclesiae procurari à nobis oportere: Cúmque pax sit in vocatione à malo & fructu boni posita, non esse cum iis aut apud eos de pace Ecclesiae agendum, qui malitiosè procurant malum ipsius. Quapropter si pacem Ecclesiae verè procuremus, & instrumenta eiusmodi nobis oblata videamus quae pacem impeditura sunt, non sunt commouenda: Sic enim praecepit Christus dicens; Ne date quod sanctum est canibus, nec proiicite margaritas vestras coram porcis, nequando conculcent ea pedibus suis, & conuersi lacerent vos. Matt. 7. 6. Nam tu qui pacem expetis, quorsum eos commoueas, qui nihil nisi oppugnent Ecclesiae pacem? Sed hic tamen duplicem à Christiano homine cautionem desidero; ne quando prudentiae opinione veniat contra charitatem, quam omnibus debemus, teste Apostolo, Rom. 13. 8. Vna est, ne temerè iudicium feramus de vllo homine, quòd certa malitia & deliberata, siue (vt Moses loquitur Num. 15. 30.) elata manu oppugnet Deum, & veritatem, & Ecclesiam eius. Altera, si iudicandum est, ne ex fructu vno aut altero putemus nos arbores illas malas cognoscere; sed potius ex fructibus plurimis & grauissimis discamus cognoscere quod satis est ad cautionem nostram, non autem ad illorum condemnationem. Hunc ordinem nos docuit Christus diligentissimè, dicendo: Primùm quidem, ex fructibus eorum agnoscetis eos; postea verò subiiciendo cautionem illam pernecessariam, vt iudicium Deo permittamus, cùm inquit, Non quisquis dicit mihi, Domine Domine, introibit in regnum caelorum, sed qui facit quod vult pater meus qui in caelis est. Multi dicent mihi die illo, Domine, Domine, nónne per nomen tuum prophetauimus? & in nomine tuo daemonia eiecimus? & per nomen tuum multas virtutes edidimus? Tunc autem profitebor eis, Certè nunquam noui vos; discedite à me qui operam datis transgressioni legis. Matt. 7. 16. 21. &c.

Quòd si res nobis cum eo futura est; qui singulari perturbatione victus, & cedens infirmitati suae, Ecclesiae aduersabitur, eadem planè ratio à nobis obseruanda est, dum homo ita est. tantùm discrimen illud adhibendum, quòd Christianum hominem perturbationi praesenti oportet ad tempus cedere, & dare operam vt prudenter ac commodè miser homo iamiam ex perturbatione animi sui reuocetur, aut expectetur dum sidat quodammodò illa animi perturbatio, prout homini ebrio fieri à nobis solet. Id enim natura docet, salubriùs remedia aegroto adhiberi, cùm acres illae morborum ἀκμαὶ & perturbationum impetus quasi refracti sunt: & notum est illud dictum Cleostrati, qui cùm ebrius esset grauiter, cuidam sibi dicenti; Non te pudet quòd ebrius factus

factus es, respondit illicò, Et te non pudet, quòd mones ebrium? Hic enim verè dictum illud est à Solomone adhibendum, Velut mala aurea cum figuris argenteis est verbum dictum commodè. vt monile aureum, & ornamentum ex insigni auro est reprehensor sapiens apud aurem auscultantem. (f. 728.)

Quòd si ignorantia veritatis hominem videbimus Deo, Ecclesiae, & veritati Dei in Ecclesia aduersari; omnino videndum nobis est, vt in charitate expetamus institutionem hominis illius; nitendum vt praebeamus, quàm prudentissimè modestissiméque poterimus, lucem veritatis, qua tenebras mentis illius depellamus. Sed cum his omnibus vniuersè, qui inimici sunt, id semper nobis videndum est vt pacem Ecclesiae praeoptemus, & ante omnia expetamus. Quòd si cum bona Ecclesiae pace his prodesse possumus, faciamus sanctissimo studio salutis ipsorum: sin autem pax Ecclesiae aut membrorum eius periclitabitur propter voluntatem, perturbationem, aut inscientiam istorum, abstineamus potius ab eis commouendis, quàm vt pacem dimoueamus Ecclesiae, donec misericors ille Dominus, qui nostri misertus est cùm sibi inimici essemus, viam patefecerit illis misericordiae. Ad summam, quod veteres monuerunt olim non esse mouendum malum quod bene positum est, id in hoc hominum genere obseruari opus est accuratissimè. Videndum vt ab iis qui semper mali sunt, certóque consilio dant operam malo, ne bonum quidem expetamus, aut commoueamus magno siue Ecclesiae, siue nostro ipsorum, aut aliorum malo: Ab iis verò qui infirmitate aut ignoratione rapiuntur in malum, mouendis tantisper caueamus, dum ita se habent: sed potiùs studeamus eis benefacere; cùm erit commodum, quam malum ipsorum accendere, ne spe beneficiorum nobis accersamus importunè malum.

Sed quid si homines erunt non inimico erga Ecclesiam & pios animo? horum duo genera, quae antè dicebamus, semper distingui necesse est: Nam alij sunt non inimici, alij verò amici reipsa, & bono animo in Ecclesiam Dei ac membra illius. Cum iis autem qui non inimici sunt, hic modus ad procurationem pacis in Ecclesia tenendus est, vt potiùs vincas animos ipsorum & amicitiam concilies bonis sermonibus, officiis, exemplis, & rebus consimilibus, quàm vt importunè ab illis exigas benefacta: Animum istorum adduci priuisquàm manus necesse est. qui secus fecerit, is praeposterè de officio iudicat illorum, & suo: quod magnae est imprudentiae.

Sin autem homines amici sunt, qui animum vltrò adiecturi sint ad benefaciendum Ecclesiae, hic vtrumque fieri pro commoditate potest, nostra officia in illos exerceri, & vicissim illorum erga Ecclesiam occupari: vt tum nostris beneficiis lucrifiant Christo, praesertim fiducia nostra de ipsis explorata, tum etiam suis ipsorum factis quodammodo obstringantur ad constantiam illius sui in benefaciendo studij. Nam cur hoc modo non certemus benefaciendo cum illis hominibus? quibus Deus fecit promissiones causa Ecclesiae suae, & amplissimam quandam earum partem cum piis assignauit. Gen. 12. 2. 3. quos Christus pro nobis dixit esse, quandoquidem non sunt aduersus nos: Luc. 9. quibus promisit mercedem Prophetae, si vas frigidae in nomine Prophetae ministrauerint: Matt. 10. 42. quorum societatem Abraham, Dauid, & pij omnes in Testamento vtroque conciliare sibi non dubitauerunt, cùm & communitate naturae, & promissionum diuinarum consociatione hos sibi coniunctos esse boni animaduerterint. Temeraria de his iudicia interdum audiui plus satis: à quibus Christiani abstineant oro & obsecro, ne in veritatem diuinam communémque charitatem impingant periculosissimè.

Quòd si his beneficri à nobis oportere, & (quantum quidem per eos fieri potest) pacem Ecclesiae ab his secundùm Deum conuenit expeti; quantò magis & maiore etiam fiducia hoc ipsum expeti ab iis necesse est, qui censentur in numero domesticorum Ecclesiae? Atque haec causa est, cur nos passim Apostolus ad Christiana

erga

erga fratres nostros germanos Dei in Ecclesia filios officia accendit monitis saluberrimis, & hortationibus vehementissimis: modúmque officiorum istorum praescribit diligentissimè, vt cum omni modestia ac mansuetudine, cum animi lenitate tolerantes alij alios per charitatem, studeamus seruare vnitatem Spiritus per vinculum pacis, & fundamenta principiáque horum officiorum quàm accuratissimè adscribit, dicens; Vnum est corpus, & vnus Spiritus, sicut & vocati estis in vnam spem vocationis vestrae: vnus Dominus vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & pater omnium, qui est super omnes, & per omnes, & in omnibus nobis. Ephes. 4. 3. 4. 5. 6.

Atque his quidem omnibus officiis omnes promiscuè tenemur alij erga alios in Domino: sed tamen cùm ad eos respicio quos Deus singulari vocatione instruxit in Ecclesia sua, vt faciant & doceant quaecunque sibi à Domino praecepta sunt, quo grauiorem esse video obligationem illorum, eo grauiorem quoque video & horreo condem(f. 729)nationem, si ab his officiis, quae Deus docet, docendis & faciendis abscesserint. Quid enim? qui Angeli sumus Domini, ministri Christi, & dispensatores mysteriorum Dei, qui non sumus nostri iuris, sed Domini nostri Iesu Christi sumus, qui per ipsum mancipati Deo & Patri, & immissi ad colendam sanctam vineam illius, putamúsne licere nobis quod vulgo non licet? aut quod in aliis culpamus, in nobis vacare culpa? non cogitamus vnquam exemplum illius instrumenti electi à Domino, dicentis; Quisquis certat, in omnibus est continens; illi quidem qui in stadio currunt, vt perituram coronam accipiant; nos autem, vt incorruptam. ego igitur ita curro, vt non in incertum; ita pugilem ago, vt aërem non caedam; sed contundo corpus meum & in seruitutem redigo, ne quo modo cùm aliis praedicarim, ipse fiam reiectaneus? 1. Cor. 9. 25. 26. 27.

Quapropter mea nunc ad vos, ô fratres charissimi & symmystae obseruandi, sese conuertit oratio, qui praefecti estis ouili Domini, vt agatis & pascatis greges qui vobis commissi sunt ex auctoritate illius, & qui rationem illi Episcopo animarum nostrarum & summo pastori ouium estis redditturi, non solùm de vita, verum etiam de administratione vestra. Nam quòd omnes in populo Dei siue in Ecclesia debent, id & vos debetis; ac proinde cum aliis omnibus pacem Ecclesiae debetis postulare, & omnibus viribus, vt oues Christi, propugnare. Sed quia ampliùs quam aliae oues Christi accepistis, siue dono, prout variè sua dona admetitur spiritus illius; siue vocatione, qua singulis imperata & commendata est sua administratio: propterea nobis suprà quàm aliis necessaria est accuratio in gerendis rebus, quas fidei nostrae commisit Dominus. sermonem suum commisit nobis: in Ecclesia sua mandauit eloqui, & pascere oues suas: praeire iussit exemplo fidei: probari voluit exitum conuersationis nostrae, proptereáque nos id semper ante oculos habere, vt typi simus bonorum operum, quae grex Christi sequens consideret atque imitetur. Sal terrae, lux mundi fuerunt Apostoli: hac dignitate officij omnes communicant qui sermonem illum Domini, quem tradiderunt Apostoli, prout à Christo acceperant, praeferunt in ouili eius. Ambulent sanè alij in vocatione sua sibi ipsis, id est, suo & paucorum quibus sunt coniuncti, commodo: at nos quibus dispensatio bonorum istorum fuit concredita, siue stamus, siue cadimus, non solùm Domino nostro & nobis (vt alij) stamus, aut cadimus; sed aliis quàm plurimis, qui nobis labentibus collabuntur & consistunt stantibus. Optima quaeque de omnibus concipio, & opto ex animo: cùm tamen ex priscis recentibúsque exemplis incommoda plurima Ecclesiis allata videam imprudente multorum administratione, qui nec dignitatem sermonis diuini, nec veritatem vocationis suae, nec pacem Ecclesiae satis prudenter expenderunt, dabitis veniam pro vestra in Deum Ecclesiámque pietate, si postquam de omnibus Ecclesiae membris in commune dixi, aliquid etiam speciatim de iis dixero, qui communi corpori Ecclesiae

clesiae ex vocatione Dei tenentur consulere; vt pastores in ea dati, ad coagmentationem sanctorum, ad opus ministerij, & ad aedificationem corporis Christi.

Est igitur munus commune omnium, vt communionem sanctorum colant, & pacem expetant illius: nostrum verò singulare est, vt eandem communionem colamus singulari modo, qui singulari vocationis lege à Deo praefinitus est. Ad hanc communionem antè ostendimus, primùm formam internam, qua cum Deo coalescimus, pertinere: deinde externam, qua colligimur ad verbum ipsius percipiendum, preces exhibendas, praestandum obsequium, & ordinem honestatémque in his omnibus rebus procurandam. Nostrum est, vt in his ipsis rebus summa religione ac studio aliis omnibus praeeamus sermone, & factis. Quid hîc excusationis vel in speciem adferre possunt, qui aut sermone aut factis non ita procurant aedificationem illius corporis, quod Deus suo sanguine comparauit? Equidem perhorresco totus, nec sine dolore acerbissimo recolere possum cum animo meo, quantam Ecclesiae labem, quantam sibi ipsis ruinam accersiuerint, qui siue prudentes, siue imprudentes ab hoc officio suo desciuerunt. Faxit Dominus, ne quis porrò desciscat, & se machinationibus Satanae ab hoc sanctissimo instituto vocationis suae abripi patiatur. Grauissima sanè vulnera non nobis solùm infligimus, sed ipsi Ecclesiae Christi, quam curae nostrae Dominus commendauit; cùm dictis aut factis ab illo fine quem Deus imperat, aberramus, obliuiscentes illius pacis quam in Ecclesia Dei nos constantissimè oportet expetere. Nam cur non expen(f. 730)damus, quandoquidem administri sumus Christi & dispensatores mysteriorum Dei; cur (inquam) non expendamus diligentissimè dicta factáque nostra, quae ab aliis diligentissimè nouimus obseruari? Non laboro, vtrum ea sic obseruent alij iure, an iniuria: ex officio, an praeter officium. etsi cùm lux aliis iubemur esse, vt videant; & sal esse vt veritate doctrinae ab omni corruptione homines vindicentur; non possunt dici ex officio non facere, qui ad nos respiciunt. Omninò ita nos oportet cum animis nostris statuere: si religiosè dicta factáque nostra ipsi cogitemus circumspiciamúsque, id nos ex officio facturos esse: sin minùs, audaciam praefidentiámque inconsideratam nostram fore contra officium nostrum.

Quid ergo, dixerit quispiam, in dictis factísque nostris attendi à nobis necesse est? Exponam paucis. ad Deum, Ecclesiam, mundum, & ad nos ipsos oportet attendamus. Ad Deum, vt semper ab ipso pendeamus, & ad ipsum omnia referamus: Ecclesiam, vt ipsi ad Deum iturae praeeamus: ad mundum, vt inculpati extra ipsum fugiamus, & alios nobiscum euocemus: ad nos ipsos denique, vt in his omnibus officiis nos occupemus constantissimè, ad Deum, secundùm Deum, per Ecclesiam, & cum Ecclesia contendentes, & aduersus mundum armis iustitiae dimicantes ad nostram salutem, & eorum qui nos audiunt. Hîc verò, Deus bone, quam multis modis peccatur ignorantiâ, imprudentia, & infirmitate nostra! Non libet, neque expedit omnia pertexere, quibus omnes grauiter offendimus. Non libet ea, in quibus communiter cum aliis peccamus, colligere. Id satis futurum arbitror, si de iis peccatis dixero, in quae contra singularem vocationem nostram plus satis (eheu) incidimus, immemores gratiae Dei, pacis Ecclesiae, & vocationis nostrae: etsi sit plurimùm, vt huius ipsius vocationis nostrae praetextu & specie peccata nostra contegamus. Tacebo de internis peccatis, quae videt Deus, & singulorum sentiunt apud se conscientiae: de internis dicam.

Qui debemus ex vocatione, sanctimoniae & paci Ecclesiae dictis & factis consulere, plerumque dictis & factis officimus: tum eas res quae non sunt vocationis nostrae assumendo, tum eas quae omninò ex vocatione sunt omittendo, tum contra ius vocationis alia committendo. Ac dictis quidem offendimus, quà priuatim aliqua Ecclesiae membra, quà publicè corpus ipsius, prout sese res nobis obtulerit. De priuatis

 offensionibus

offensonibus quid dicam? aut vnde incipiam? Alios offendit leuitas sermonum qui nihil ad nos, alios silentium, alios importunitas. Praesertim si qui doctrina, reprehensione, aut consolatione opus habuerint, incredibile est quàm facilè imprudentia nostra offendantur animae quae priuatum Dei seruorum officium desiderant in suis angustiis & perturbationibus grauissimis. Non solet enim illa cogitatio animos nostros incessere, quam ab exemplo Christo Domini & praeceptoris nostri singulis momentis nos oportebat recolere; non litigabit, neque clamitabit, neque audiet quisquam in plateis vocem eius: arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet; Matt. 12. 19. 20. quae omnia Christus fecit opere, et in ministerio fieri imperat. Nec valde, nec saepe animos nostros afficiunt illius verba, qui zelo sanctissimo dixit, Quis affligitur, quin ego affligar? Quis offenditur, quin ego vtar? 2. Cor. 11. 29.

Quid? quòd in haec mala, grauiora certè quàm putemus, in conscientias infirmorum & indignissima vocatione nostra, non solùm ruimus apud eos qui in grege nostro sunt; verumetiam, tamquam si domi nihil esset in quo occupemur, agimus *ἀλλοτριοεπισκόπους* summa licentia, & in rebus alienis sumus oculatissimi? O nos miseros, qui amplissimos fines vocationis nostrae, quibus capiendis nunquam satis idonea aut sufficiens esse potest ingenij nostri tenuitas, dilatari putamus oportere vanitate nostra: neque in sermone, quem Deus imperat egi; neque in grege, quem Deus imperat pasci, conquiescimus ex officio nostro. 1 Tim. 4. 13. Act. 20. 28. 1. Pet. 5. 2.

Sed leuiora sunt haec priuata vulnera iis quae publico saepe imponuntur, partim fidentia; partímque imprudentia nostra. Nam siue ad sermones in concionibus publicè habitos, siue ad reliquam administrationem oculos conuerteris, incidunt saepe quàm plurima; quibus, nisi probè ad nos attendamus, nocemus publico, & auctoritatem vocationis illius nostrae, quam Deus contemni facto nostro noluit, ipsi minuimus. 2. Tim. 2. 13. Quàm multa interdùm pro concione funduntur, quae nihil ad nos pertinent aut vocationem nostram? quae nihil ad Ecclesiam? aut quae alienae cognitioni sunt credita? Testes sunt Ecclesiae multae apud omnes gentes, testes magistratus, testes historiae, te(f. 731)stes libri etiam de iure diuino & humano scripti, plurimos eorum, qui finibus Ecclesiasticae vocationis suae continere sese debuerant, quà se ipsos, quà ministerium suum sanctissimámque auctoritatem illius, quà multas animas, quà respublicas, quà Ecclesias funditus perdidisse, dum ex angustia sui iudicij (quod putabant amplissimum) omnia agi & ferri statuerunt oportere.

Librum sacrum, fratres dilectissimi, Librum foederis siue Testamenti veteris & Noui versandum habemus nocturna & diurna manu, vt dicebat Satyricus; non libros huius mundi forenses atque politicos: conscientias habemus curandas, ac non facultates: Ecclesias, ac non respublicas. Putamúsne igitur Deum malè prospexisse mundo, cùm res ciuiles ab Ecclesiasticis dispesceret? putamúsne nobis factam à Deo iniuriam, qui has res nobis, illas aliis curandas instituerit? putamúsne sufficere mentes cognoscendis & iudicandis, corpora faciendis tam multis rebus, quas Deus distribuit in multos propter earum infinitatem grauitatémque, & infirmitatem nostram? Nempe hoc illud est, miseret Deum nostri, & nos ipsos nostri non miseret. Videamus potius, obsecro, vt tenuitatem nostram seriò coram Domino deinceps recordemur, grauitatem muneris nostri ex veritate cogitemus, & nobis ante oculos ponamus magnum illum Dei seruum & Christi Apostolum, dicentem: Fiduciam habemus per Christum (non autem per nos) apud Deum (non autem apud nos) non quòd idonei sumus per nos ipsos ad cogitandum quidquam velut ex nobis ipsis: sed quòd idonei sumus, id ex Deo est, qui etiam facit vt idonei simus ministri sanctissimi illius foederis, ex quo

viuificamur

viuificamur in Spiritu. 2. Cor. 3. 4. 5. Hîc, hîc pes figendus est, in ministerio ad quod vocati sumus: non est cur aliò transuolemus, qui in opere nostro (si rectè iudicabimus) longè plus laboris sensuri sumus, quàm vt nobis liceat animi nostri explendi causa in alienas curas irruere.

Neque verò hoc malum vnum est in nostrâ administratione, quòd alienis rebus plus satis attendimur: sed ex eo alterum malum continuò nascitur, quòd alienis implicati occupationibus eas plerumque omittimus, quas etiam flagitat inexcusabilis vocationis nostrae necessitas. siqui in Ecclesia sunt, quos doceri à nobis oporteat; ne per somnium quidem nobis in mentem venit nostri officij: si qui redarguendi à veritate doctrinae abludentes; si qui ad probitatem & sanctimoniam vitae cohortandi; si qui à viis malis & distortis suis reuocandi; si qui verbi diuini consolationibus, vbi malis prostrati iacent, erigendi: siqui denique vllo modo verbis vitae aeternae in Christo animandi (hîc enim Rhodus, hîc saltus) siue priuatim, vt lex charitatis iubet; siue publicè vt ratio publica interdum postulat; tum verò nos hîc non adsumus, & verè aliud agimus, quos hoc agere oportuit (vt in rebus sacris olim clamabat praeco) & τόδ' ἔργον ὡς πάρεργον transsilimus. Nimirum hic fructus illius πολυπραγμοσύνης, hoc opus illius architectonis aduersarij salutis nostrae, qui mille opifex rerum & mille-artifex pro vno cogitato ad vocationem nostram pertinente infundit mille, ex quo nos ad mille potius alia quàm ad hoc ferri animaduertit ingenij nostri vanitate.

Atque vtinam in his finibus mali hoc nostrum malum subsideret, ne vlterius abriperemur à vocatione nostra. Grauissimum enim & indignissimum omnium ex perdito illo instituto id consequi solet maximo Ecclesiae damno, quòd ij qui aliena curant & ad sua sibi imperata minimè attendunt, eò tandem veniunt dementiae, vt obliti planè vocationis suae non dubitent ea facere quae in totum vocationi ipsorum aduersantur. Quid enim, obsecro, facias mi homo, qui forensia cum Ecclesiasticis, prophana cum sacris, humana cum diuinis conturbas praefidentissimè, nisi vt inescatus mellito veneno fastidióque huius mundi, exuas rerum sanctarum studium ex prophanarum consuetudine? Ita accidet tibi, quod olim prouerbio dicebatur, vt modò togatus, modò palliatus ambules, & vtramque paginam vir ἑτερήμερος corrumpas vocationis tuae, dum vtramque paginam mundi tibi videris facere. Deus bone, quantum delirium mentes istorum hominum occupat, qui rerum adeò multarum se posse confidunt satagere! Non ita delirabant veteres illi poëtae in ratione Deorum suorum, quos tamen hominibus longè potentiores esse fatebantur. huic caelum, illi aethera, huic inferiorem aërem, illi mare, vni terram, alteri inferos tribuebant procurandos: denique ordinem aliquem videbant in Diis suis commentitiis, quem tu, homo, in te ipso videre non potes: ac proinde vbi ordinem non vides, in contraria studia, sententias, actionésque, pro re nata (f. 732) vt pluma, in diuersos ventos, quàm facillimè abriperis. Nec verò aliter potest contingere: cùm tibi in rebus non constes, omninò necesse est eò delabaris, vt nec sermone, nec actionibus tuis perdiu idem esse possis.

Quemadmodum autem in rebus error est procliuis, vbi tam multiplicem capturam vnica ingenij nostri lineola & vnico iactu nos assecuturos confidimus, ita etiam alterum malum huic adnascitur necessariò, quòd iustum modum rerum peraequè ac res ipsas perdimus. Nam quae priuatim ad salutem animarum curari opus est, ea publicè funditamus, quae in aurem insusurrari, ea super tecta pronunciamus; quae sedato animo, ea cum feruore; quae cum vehementia, ea remisso animo; quae cum sale, ea insulsè; quae cum auctoritate, ea ineptè ad Scribarum & Pharisaeorum exemplum praedicantur. Nempe auctoritatem nostram, non Christi quaerimus plerique, & opinione freti auctoritatis nostrae vtramque perdimus miseri. Et miramur, rebus ita stantibus, si verbum Dei parum fructus edit in Ecclesiis Christianis hoc nostro

tempore?

tempore? cùm tam parum in iis, per quos efferri ipsum oportet, plerumque radicetur; & radicatum adeò multis spinis & sentibus praefocetur, quas nos ipsi plerúmque facto nostro imprudentiáque in aruo Domini conserimus?

Equidem non possum quin vehementissimè commouear, quoties haec mala apud me reputo: neque mihi voluptatis quidquam esse potest in iis perscribendis, quorum perhorresco cogitatione: & quae si qui indignè ferant à me consignari scriptis; peto ex animo, vt ferant indigniùs ea fieri ab aliis quae à nobis perscribuntur. Deum oro. det nobis omnibus iustum argumentum tollendi è medio has querimonias, & mihi ipsi delendi scripturam meam. Sed quid agam? taceámne in tanta perturbatione publica, tantóque incendio, quod plerisque custodibus dormientibus, aliud agentibus, aut variè in studia abreptis Satanas excitauit? certè incendium est in orbe Christiano, nisi Deus è 'caelo prospexerit, omnia consumpturum: animi humani foci sunt, in quibus peccatum flagrat; linguae hae folles sunt, illae fomites, quibus incendium magis ac magis inardescit; linguis succedunt Chartarum virulentissimarum plaustra, quibus tanquam malleolis, perrumpit incendium in omnes partes, quaecumque lingua perflari non possunt: denique bona pars Christiani orbis hoc tempore bustum potius videtur esse peruadente & furente incendio, quàm Christiani gregis domicilium. An ergo hi pastores? hae oues Christi? quas in suo miserabili busto miserè video contabescere? Sunt certè pastores adhuc, sunt oues Christi, & Christi sunt: sed multi in hoc tetro & lethali incendio nec se Christi esse, nec oues esse, nec esse pastores meminerunt: vsque adeò Christus salutarísque gratia illius grauitate istius incendij, & studiorum nostrorum in publico hoc malo vnitate, animorúmque tenebris, & mundi flagrantis fumo obscurantur. Quin igitur dicam, quod ille Elihu apud Iobum? plenus sum sermonibus, coarctat me spiritus ventris mei: ecce venter meus vt vinum cui non aperitur; sicut noui vtres, finderetur: eloquar, vt respiratio sit mihi: aperiens labia mea enunciabo. ne, quaesa, accipiam personam vllius, & apud quemquam non vtar praefatione. non enim noui praefationibus vti: paululum si dissimularem, tolleret me qui fecit me. Iob. 32. 18. 19. 20. 21. 22. Ac multos quidem viros bonos, Dei & Ecclesiae amantissimos, scio eadem verba mecum reputare sanctissimo religiosissimóque studio; cùm ad mala tam multa respiciunt, quae hoc nostro seculo in Christiano orbe grassantur licentiosissimè. Sed quia illi tacent coram hominibus, effundentes suos gemitus apud Dominum solum cognitorem omnium; spero me illis rem gratam facturum, si communes ipsis ac mihi dolores hoc scripto expressero, & Christianos omnes tandem testes appellauero tum doloris acerbissimi illius nostri, tum etiam officij, quod testatum facimus & spondemus in Domino, si fortè ad restiguendum incendium commoda Christianitati per voluntatem Dei opera nostra futura est.

Quid ergo agimus, ô fratres & peculium Christi? quid, grex Christi? quid, pastores gregis? quousque tandem in Christum, in membra ipsius, nostráque ipsorum viscera iniiciemus violentas manus? alij alios conteremus? dentibus, vnguibus lacerabimus? pedibus proculcabimus? & saeuiemus omni conatu nostro, vt immanes ferae; quousque linguae gladij acuti futuri sunt? quousque veloces pedes ad effundendum sanguinem procurrentes? quousque manus ad horrendam lanienam & carnificinam adiicientur? Sunt enim quorum linguae priuatim ac publicè nihil nisi tubae sunt ad canendum bellicum paratissimae; (f. 733) inflammantes totam genituram, nostram, & inflammatae à gehenna. Sunt quorum manus calamo & atramento armata perfundit Christianum orbem telis planè lethalibus: quibus non corpora, sed corda hominum ad mortem sibi & aliis consciscendam furiosè adducuntur. Sunt quorum pedes ad excursiones & panegyres expeditissimi ministrant diabolicis furiis in Christianum gregem irruentibus,

irrventibus, sceleratissimè. Haec tela iam in omnes partes Christiani orbis volitant adeò confertim, vt quemadmodum nimbo vehementissimo lux caeli, ita lux spiritualis denso telorum istorum numero multis Christianis mentibus minimè malis adimatur. An ergo tantum est in scribendo voluptatis, vt propter eam Christi, Ecclesiae, & animarum tam multarum expungatur ratio? an voluptatem illam nostram quam in scribendo capimus, tanti audemus emere? Quin potiùs cogitamus quod olim dicebat ille Satiricus, teneri multos scribendi cacoëthe insanabili? Scripta non ex morbo animi, sed ex iudicio certo exaranda atque edenda sunt. Alioquin taceri praestat: cùm doceat Salomon etiam stultum, quando tacet, videri sapientem. Prou. 17. 28. Quòd si certo iudicio fiant, profectò ad veritatem, & pacem, charitatémque spectare oportet omnia.

Ac morbo quidem animi potiùs quàm iudicio scripta quàm plurima hoc tempore in vulgus dissipari, multis argumentis probari potest. Verumtamen, ne longiores simus, paucula quaedam adferemus, ex quibus plurimorum scriptorum, quae hoc tempore circumuolitant in manus omnium, conditionem ostendemus: vt singuli videant, quàm impunè grassetur hoc malum maximo Ecclesiae malo. De iis autem, perinde ac de actionibus internis & externis hominum, non ex genere materiáque (agimus enim de scriptis solùm ad res sacras pertinentibus) sed ex specie, ac circumstantiis, & fine ipsorum fieri iudicium necesse est. Primùm enim scripta eduntur, ac potiùs vomuntur quàm plurima ab ingeniis perturbatissimis; quae pietati, veritati, charitati, & paci publicae reipsa aduersantur, & quae in aeternum praestaret supprimi quàm prodire in vulgi manus: adeò à bono principio absunt, & abiecto bono, quae speciem factorum constituunt bonam. Deinde vt demus scripta multa existere, quae non ita aduersentur his bonis quae modò diximus, sed ipsa (vt cum vulgo loquar) in substantia bona sint, tamen huic bonae substantiae multum veneni saepe infunditur, cùm loco doctrinae & dogmatum (vt vocant) veritatis iustae circumstantiae negliguntur, & res personales iniiciuntur, criminationes, conuicia, contumeliae, quàm plurima denique acerbissima iudicia: quae licet essent verissima, non iubet veritas dici, sed iubet reticeri charitas. Nam quid hoc ad veritatem propugnandam, aut mendacium expugnandum facit, si fortè hominem suis coloribus (vt mihi quidem videtur) depinxero? neque enim veritatem suam per homines Deus ita probari voluit, vt ex bono aut prauo huius, illius, cuiusquam hominis instituto vitae, de veritate diuina iudicent. Transcendit veritas omnem hominum captum: neque per homines illa iudicatur, sed homines per illam. Quapropter non dicebat Christus, ex fructibus hominum, aut ex hominibus cognoscetis veritatem; sed ex fructibus eorum cognoscetis eos. Et optimè inquit Apostolus: Quid si infidi fuerunt quidam? Num ipsorum infidelitas fidem Dei inanem reddet? absit. imò esto Deus verax, omnis autem homo mendax: sicut scriptum est; vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas quando tu iudicas. Rom. 3. 3. 4. Postremò si ad finem, quem sibi in scriptis proponunt multi, aut ad euentum etiam respicimus, omninò comperturi sumus, aut finem multorum qui scribunt iniquum esse, aut si quidem minimè malus est, plurimum à fine discrepare scriptionis modum: ipsum denique euentum ab vtroque abesse quàm longissimè. Cur autem? nisi quia in scribendo nec finis, nec modus seruatur plurimùm: & res tacendae diuulgantur in publicum; & incompetentes iudices in rebus etiam grauissimis malitiâ hominum appellantur, competentes verò multitudine oppressi in tanta rerum conturbatione silent.

Certè haec mala, quae modò à me adducta sunt, si quis accuratè sine perturbatione animi expenderit; mirabitur mecum summam illam Dei misericordiam, qui corpus illud lacerum Christianitatis, & in suam ipsius salutem coniuratum hactenus adeò gratiosè

gratiosè à meritissima ruina & peste conseruauerit. Nam vt nihil de fine & modo scriptionum dicam, quia iam antè perstrinximus, quotusquisque est qui à rebus fundendis abstineat, quas taceri praestitisset? si ad dogmata respexeris, hic multa incommodè, multa impropriè, multa falsò deblaterantur ab his & ab (f. 734) illis, quae vbi semel euolauerint, neque ex scriptis reuocari possunt, neque ex animis scribentium; qui se cupiunt victores esse, ac non victricem veritatem: neque ipsis in mentem venit sanctissimi illius dicti, quo Paulus vtebatur, nihil posse nos contra veritatem, sed pro veritate. 2. Cor. 13. 8. sin ad actiones hominum, quae perscribuntur, animum & cogitationem conuerteris, de quibus dicimus eo liberiùs, quo magis studiis in hanc aut illam partem impellimur; quis nescit multa etiam benefacta non nisi tempestiuè enunciari oportere? malefacta verò nunquam, nisi ex necessitate? Atque hic ille campus est, in quo plerique delicias agunt hoc ipso tempore; quo ad charitatem non solùm auctoritate diuini verbi, sed etiam grauitate iudiciorum eius, euentorúmque lamentabilium, quae (proh dolor) videmus quamplurima, nos omnes vno animo necesse habemus contendere.

Deinde quàm graue est illud, obsecro, quòd in istis omnibus scriptionum generibus iudices non competentes, non scientes, non aequi, appellantur? Quem enim, amabo te, mihi appellas iudicem, siue de dogmatis aut rebus eò pertinentibus, siue de vita hominum instituas dicere? Nónne appellas plebem? cui nec donum, nec vocationem impertiuit Deus, vt de rebus istis cognoscat, nedum ipsa iudicium faciat. An ignoramus inscientiam plebis aut populi, quem scriptis prouocamus? an ignoramus studia & partes in quas post omnem hominum memoriam plebs quàm facillimè & leuissimè per eiusmodi flabella scissa est ausu temerario? Quin illud fermè in more est populo, si iudicium ad ipsum deferas de rebus grauissimis, vt statim ferat sententiam: siue ex opinione suâ, quae perpetua est ignorantiae comes; siue ex studiis, quibus inconsulta plebs plurimum traducitur. Hi scilicet quorum non interest de multis cognoscere, qui nec donum habent vt rectè iudicent, nec vocationem vt vel cognoscant, hi (inquam) competentes iudices futuri sunt.

Quid verò, quòd hoc ipso facto, dum plebem appellas & commoues, viris bonis prudentibúsque os planè obstruis? qui operam dant ne aduerso flumini, quo fertur populus, obniti videantur. Nam cur tibi homini tribunitio, & clamoribus fora ac compita implenti, funémque longum trahenti imperitae plebis, obloquantur boni intempestiua obmurmuratione? Tu in tuo foro tibi videris dicere: illi in iusto cupiunt. Quid ergo? dixerit fortasse quispiam: túne populum iudicem iniustum dixeris? minimè gentium. nam ne iudicem quidem esse dico: alioquin cuius erit iudex, nisi aut sui ipsius, aut eorum quos habet iudices? vtrumque verò absurdum est. Quòd si quis in populo iudicium assumit sibi in plerisque rebus quae traduntur scripto hac licentia temporum; is qua fide, quo iure faciat, viderit; cùm omnes alios anteuertit imprudentia sua; nec Deo ipsi, nec iudicibus vocatis à Deo concedit locum. Nam in rebus dogmaticis, & quae cum fide coniunctae sunt, cur potius aliquem de stiuâ iudicem audies, quàm eum qui rebus sacris diligenter secundùm Deum operam dederit? Cur potiùs tumultuarium plebis conuentum, aut concursum, ac sibilum anhelantis audies, quàm iustum concilium ex iis hominibus constitutum, quos Deus instruxerit donis & vocatione ad piam & sanctam rerum quae controuertuntur definitionem? quòd si crimina sunt, conuicia, contumeliae, aut vitae malè gestae exprobrationes: primùm Deo iniuriam facis, qui ordinem humanum instituit, de rebus malè gestis in vita humana cogniturum: Deinde illis ad quos rei cognitio pertinet, iniuriam facis, quam iniuriam, vt illi dissimulent, non tamen dissimulabit Deus: praetereà populo iniuriam facis quem imprudentem excitas, vt conuolet in ius publicum actoritatémque magistratus:

stratus: Denique illi ipsi quem proscindis scripto, iniquus es. Si enim te offendit, habes mandatum Christi, vt arguas inter te & ipsum: Si alium, quis te procuratorem instituit, & gestorem rei alienae? sin autem non offendit te, cur offendis? sin vtrumque, cur ita agis, vt palàm testatum facias te non salutem, sed perniciem; non honorem, sed ignominiam, id est, non ex charitate, sed ex perturbatione animi à charitate alienissima euersionem illius expetere? Intereà verò, vt de tertio capite adiiciam paucula, quis ferat dum populus ita appellatur, silere bonos, qui iusta scientia, inperturbato animo, donísque conuenientibus instructi, aut iudices à Deo sunt istarum rerum instituti, aut à te adhiberi possunt. Haec illa est Christiana ratio, ad quam nos omnes oportet remis velísque (quod aiunt) contendere, non autem ordinem diuinum & humanum eadem opera conturbare. Aut ordinaria insistenda via, aut extra ordinem arbitraria degenda; non pro imperio praescribenda à contendenti(f. 735)bus: quod est iniquissimum.

Atque hanc quidem ἀτοξίαν eo indigniorem esse apud omnes constat, quo scripta reuera longiùs à pietate, veritate, & charitate absunt. Sed tamen ne eos quidem ipsos qui tuentur veritatem, peccare velim fiducia causae suae, & sic eam agere, vt in eadem peccata imprudenter ruant quae in aliis reprehendunt. Multa enim interdum ad defensionem veritatis humanitus possunt nobis excidere, quae praestaret inhiberi. Saepe fit, ut res praeter veritatem, praeter necessitatem, praeter officium ab iis effundantur qui propugnant veritatem. Ignoscat nobis gratiosè Dominus, qui in multis offendimus omnes: Iacob. 3. 2. sed tamen certissimum illud est, fieri non raró vt plus noceatur veritate, cùm ista vitia in causa eius à nobis adsperguntur, quàm accedat adiumenti: non quòd res ipsa interdum tanti sit momenti, sed quia tanti est quanti legentes esse voluerint: qui rem leuiculam, si fortè perturbato animo iudicauerint, in grauissimam transformabunt. Quapropter omnes veritatis diuinae sacerdotes, atque administros Christianae pacis oro & obtestor per sanctissimum nomen Iesu Christi, cui seruimus, vt tum ipsi de se suis sermonibus scriptísque cogitent quàm diligentissimè, ne fortè cum veritate, aut charitate, vel in speciem pugnent; tum verò vt in vtriusque modo, sermonum inquam & scriptorum, cancellos sibi circumdent quàm prudentissimè, extra quos non patiantur se vel latum pedem abripi, quamuis clamantibus & prouocantibus multis. Nam seruos Dei armatos esse conuenit inuicta illa patientia, de qua dicebat apud Salomonem Deus, Melior est longanimis robusto, & qui dominatur in animum suum eo qui capit ciuitatem. Prouerb. 16. 32.

Quid ergo? an non propugnabitur veritas à seruis suis? certè, propugnari oportet, ac non deseri veritatem: sed propugnari volo commodè; non autem imprudenter & sine fructu quasi lacinias veritatis discerpi importunitate hominum, qui veritati seruiunt: propugnari eam à seruis volo, quà loquendo, quà tacendo, & manum Domini (qui Deus veritatis est) expectando. Itaque cùm veritas ipsa commodè velit dici; cuius commoditatis ratio eiusmodi est, vt ex natura ipsa ac sine veritatis & modo dicendi scribendíque, & personis & circumstantiis temporis ac loci, maximè obseruanda sit: ea omnia si obseruemus, bene est; si non, in difficultates aut ipsi incidimus, aut alios iniicimus.

Ac primùm quidem veritatem pro commoditate naturae ipsius dici existimo, cùm dicitur id quod est; & id quod non est, negatur fide & simplicitate summa, quam suis Dominus Deus veritatis semper imperauit: quemdamodum ostendit Apostolus dicens, Deposito mendacio loquimini veritatem quisque proximo suo: Nam sumus alij aliorum membra. Enimuerò labium veritatis stabilitur in aeternum: at donec momentum transigam, lingua falsa. Prou. 12. 19. Finem verò huius veritatis charitatem esse tota scriptura testis est. Nam ex charitate docuit nos veritatem hanc Deus:

Deus: quae charitas effusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis, veritatem nos iubet eloqui, quoad eius fieri in charitate potest & expedit. contra charitatem eloqui veritatem, impium est: praeter charitatem, otiosum: neutrum verò approbat Dominus.

Haec autem ipsa non rarò contingit, vt in mente eius qui dicturus aut perscripturus est, rectè informentur, & tamen peccatum accidat in dicendi aut scribendi modo: praesertim cùm perturbationibus animi aut res obscurantur quodammodo, aut verba obiiciuntur dicenti & scribenti incommoda; nisi accuratè & cum delectu iudicióque maximo dicturus circumspexerit, quae res ad argumentum, quae verba ad res, qui modus & ratio ad vtrumque sit adhibendus, vt optata sequatur ex iis aedificatio. Nam verba sapientum non solùm recto & veritati opus est conuenire, sed similia esse aculeis, similia clauis infixis, lectissima, vt ab eodem pastore tradita (vt Ecclesiastes docet cap. 12. v. 13.) nimirum Domino.

Adhaec in personis obseruanda multa, citra quae plurimum offensionis dicentes scribentésque possunt incurrere. Nam & ij ad quos scribitur, & de quibus scribitur, & in quos scribitur, nonnunquam facto nostro ipsorum offenduntur: & (quod grauius est) offensiones illae quas saltem inter paucos latêre oportuisset, eò deueniunt vt omnibus fermè offensioni sint. Quòd si diligenter illud dictum Petri in his rebus attenderemus; Ante omnia charitatem alij in alios intensam habete: nam charitas operiet multitudinem peccatorum: item Augustini illud (f. 736) prudentissimum, Vbi natum est peccatum, ibi moriatur peccatum; neque diffundendis in fide erroribus, neque diuulgandis peccatis ita operam daturi essemus, vt plurimùm datur memoriâ nostrâ.

Atque huc maxime pertinet ratio illa circumstantiarum, quam antè diximus: in quibus principes circumstantiae sunt temporis, & loci, si à modo quem antè attigimus (quae summa est actionum circumstantia, etiam non rarò dans speciem actionibus nostris) discesseris. Nam quorsum intempestiua scripta? quorum gratia omnis eo ipso tempore quo eduntur excidit, & quorum fructus aut damnosus, aut nullus, quemadmodum enim nec acerborum fructuum, nec vetustate putrescentium est voluptas neque vtilitas, qui tempestiuè percepti futuri sunt grati & vtiles; sic etiam intempestiuarum scriptionum solet se habere ratio.

Nec minus iudicii necesse est adhiberi ad locorum discrimen explorandum: fit enim, vt qui sermo aut quae scriptura vno in loco prodest, eadem absit in altero. Sermones & scripta pro ratione locorum ad quae transmittuntur, vt venti regionibus, ita animis salubria sunt, aut insalubria. Ac propterea iniuriam faciunt, qui aut suo iudicio, aut suorum temporum locorúmve modulo omnia tempora & loca putant aestimanda. Vna quidem est in se veritas, sed quae sese contemperat generis humani bono, sine sui ipsius detrimento.

Atque haec omnia, & alia consimilia quae adferri possunt, profectò eiusmodi sunt, vt quisquis veritatis administer in charitate est, cogitaturus sit de eis diligentissimè, cùm aut sermonem dicturus, aut scriptum transmissurus est. Medicos omnes peritos & valetudinis humanae studiosos videmus non solùm de eo laborare, vt veritatem materiarum simplicium, compositarúmque & totius artis suae teneant, (quod theoricorum est) verùm etiam quod practicorum est (vt vocant) ad constitutionem subiecti, id est, corporis humani tum communem, tum singularem attendere; eáque probè exploratâ res secundum artem iustas, secundùm verò corporis constitutionem modificatas curationis causa admouere. Nos autem qui ad veritatis diuinae supernaturalísque dispensationem vocati sumus, & ad gregem Christi ouésque singulas illius, prout Dominus nobis fuerit admensus, procurandas; an ita desipiemus, vt prudentiam rerum istarum medicis relinquamus, & inconsideratè loquamur, scribamus, aut ambulemus

ambulemus in domo Domini? Fugiamus procul, ô fratres charissimi, insaniam istam, cùm nobis ipsis, cùm aliis damnosissimam: & potiùs à scribenda litera vnica totum vitae huius curriculum abstineamus, quàm vt animam vllam, vel minimam & infirmissimam, percellamus aut labefactemus officio inofficioso nostro.

Si igitur, quid nónne veritas propugnanda est? dixerit quispiam. Est quidem ea propugnanda, vbi oppugnatur; sed tempus est iustum propugnationis, & tempus cessationis aequè in publico atque in priuato labore nostro à Domino constitutum: quemadmodum in praeliis tempus est petendi hostis depellendíque, & tempus spectandi atque contemnendi, quum solido impingit demens. Tyro consumit operam inaniter, veteranus prudens non nisi vtiliter. Nam, certè si qui naturam veritatis ex doctrina Dei didicerunt, eámque ex officio charitatis ad propinquorum aedificationem cupiunt exponere, vult Deus ad conuenientem modum, ad personas, & ad circumstantias ita ab illis & nobis respici, vt seruiamus paci, & omnem motum contrarium paci sanctissima prudentia semper declinemus. Quapropter in priuatis institutionibus, redargutionibus, hortamentis, reprehensionibus, consolationibus, & si qua sunt praetereà huiusmodi, quid quomodo secundùm rationem personarum & circumstantiarum fieri oporteat, diligentissimè praescripsit Deus. Nam veritatem non solùm expressit secundùm naturam ipsius; verumetiam exprimendae illius inter nos modum ex charitate circumscripsit, à piis singulis obseruandum, vt sale & gratia conditus sit sermo & scriptura nostra. Colos. 4. 6. personarum quoque respectum haberi docuit oportere, vt peccantes moneantur, ac non traducantur: moneantur autem ordine charitatis, non inordinata illa imprudentia increpentur, quam cuique dictare solet offensi animi perturbatio: moneantur toties, dum spes emendationis est; & moneantur locis, ex quibus cognoscant honori suo & saluti consuli; denique si repetitis monitis non acquieuerint, sinantur aliquantisper, donec subsederit illa perturbatio animi quae ipsos transuersos rapit; aut si nunquam resipiscant, sinantur planè, ne discamus cum claudis claudicare, & contentiosi cum hominibus contentio(f. 737)sis & pertinacibus rixando efficiamur. Quid obstat, amabo vos, quominus eundem ordinem in publicis nostris sermonibus & scriptis obseruemus? Nam hunc ordinem etiam in causis publicis nos docuit veritas; & eundem quoque praecipit omnino charitas; cúmque natura charitatis ea sit, vt ad commodum respiciat eorum quibuscum agimus, certè & natura eorum postulat vt agamus ex charitatis lege. Cogitemus ergo, fratres dilectissimi, quotquot sumus qui nomen Christo dedimus, qua religione, qua fide prudentiáque in his actionibus publicis versari nos omnes oporteat, qui in priuatis tenemus magis earum modum: & deinceps demus ex animo operam, vt veritatem in charitate, & charitatem in pace ad salutem aedificationémque communem procuremus, recordemur eorum quae antè de capite illo nostro, typo fidei & conuersationis nostrae & confessionis Apostolo, Domino Iesu Christo dicebamus: non litigabit, neque vociferabitur, &c. Matt. 12. 19. Respiciamus ad Pauli monitum; qui hominem etiam haereticum vult à nobis demum vitari post vnam & alteram admonitionem, quum nouimus eum euersum esse, & ita peccare, vt suopte iudicio sit condemnatus. Tit. 3. 10. 11. Meminerimus denique amuleto certissimo nos instrui ab illo dicente, Quôd si quis volet contentiosus esse, non est hic mos noster, neque Ecclesiarum Dei. I. Cor. 11. 16.

Neque verò propterea confingendus est nobis inanis metus, desertum hoc pacto iri veritatem; ac proinde nos diuina, & aliena, & nostra causa teneri scripta accumulare scriptis, & singulis vel oblatrantibus canibus responsare. Nam hoc dictum profectò multorum est μορμολυκεῖον, qui suis siue perturbationibus, siue praeposteris iudiciis existimant oportere vt alij dextra sua cadant. Longè aliter nos Christus, aliter

Prophetae, aliter Apostoli, aliter denique sancti & prudentes viri inde ab orbe condito docuerunt exemplo & sermone suo.

Veritatem deseri, Deus bone? magnum crimen: si quidem hîc crimen est. Sed iam crimen esse desinit, ex quo semel aut bis veritatem scripto professus es, ac cultu publico semper doctrináque communi in Ecclesia testatus palàm. In hanc veritatem velut cippum firmissimum à Deo plantatum instrumento manus tuae, licet vel millies aduersariis impingere, te stante & ἀφιλονείκως quiescente. Antecedente facto qui instituit veritatem & praesente monstrat, is nullo iure posteà dicendus est eam destituisse, si ad singulorum clamores & vociferationes sese non obiecerit. Praeposterum hoc iudicium est, de quo sibi maximopere Satanas gratulatur. nouit enim artifex, dum ad clamores & contentiones aures aduertimus, praetermitti à nobis veram aedificationem quae est in Christo. Adeò veteratoriè hic antiquus draco imprudentiae nostrae nouit illudere.

Quòd si quis dixerit, etsi non veritatis causa, quae rupes immota est, tamen aliorum causa quos vocat veritas, responderi nonnunquam oportere; Equidem non negauero eiusmodi personas, causas, tempora, loca occurrere, quae responsionis necessitatem afferant: sed extra hanc necessitatem qui respondet, contentiosus est, aut vt efficiatur contentiosus, itidem metus est. Nam vt breuiter de personis dicam, quorum causa iudicas respondendum? aliena, an tua? si aliena, vtrum illius cui responsandum putas, an verò eorum qui auditores & spectatores futuri sunt! Si illius causa, cum ipso agendum est, non cum publico. Si aliorum causa, aut eorum qui nihil de re audiuerint, aut qui de re aliquid perceperint. Qui nihil audiuerunt, eos cur commoues? Qui audiuerunt, certè eorum causa oportet institui consilium istud, qui firmi in veritate sunt, aut qui infirmi sunt, aut qui in mendacium traducti sunt. Firmorum causa non putem: quid opus est? Infirmorum causa plus habet specie: sed tamen postquam ex veritate semel, aut bis fuerit dissentientibus satisfactum, equidem magis metuero, vt infirmentur contentione infirmi, quàm sperauero fore, vt perscriptione noua confirmentur. Et (quod grauius est) multiplex de eodem scriptio hoc habet incommodi, quòd plerumque siluam offensionis infirmis atque imperitis, calumniae verò aduersariis subministrat: quia (vt ait Sapiens Prou. 10. 14.) multitudine verborum non cessat defectio. Quòd si eorum causam adduxeris qui iam malo errore implicantur, studium laudo sed effectum non video. contrà enim plurimùm vsuuenit, vt ea ipsa mala quae modò ostendimus, miseros confirment in malo, quemadmodum iniecta aqua fabriles carbones solent inardescere. Hoc quotidiana docet experientia; & insignibus duobus exemplis, nimirum suo & alterius cuiusdam Episcopi, Augustinus (f. 738) optimè demonstrauit, qui ex Manichaeorum erroribus non vllo humano facto, sed singulari Dei testimonio, tanquam ex pestilentissima foetorum sentina erepti sunt. Lib. 3. Confess. cap. vltimo. Omnino praestat in hoc genere mali antecedentia scripta & documenta commodè & quasi aliud agendo, errantibus subiicere, ad testandam constantiam nostram in doctrina veritatis, quàm noua multa producere.

Restat vt dicat is qui scripturus est, sua causa se scriptum publico daturum esse: nempe vt ea aut defendat, aut explicet quae antè scripserit, aut criminationes obiectas diluat. Atqui iam eo peccatum est, si quis sua causa scriptiones eiusmodi immittat publico. Quorsum enim in meis rebus cognoscendis homines occupem? si veritatem quis scripsit & docuit, non sua, sed veritatis causa idem scripturus atque docturus est. Hoc autem officium ab illo amplius non exigit veritas, vt antè ostendimus, cùm vno aut altero scripto fecit satis. Quòd si personarum causa veritatem mentis nostrae opus est explicari (nam aliud est veritatis in sese testimonium edere, aliud eius rei

quam

quam sentimus cum animis nostris) aut breui additamento, non scriptorum centonibus praestari hoc potest, aut (quod est certissimum) vni & alteri eorum qui rem in dubium vocant, testatam certis literis facere mentem nostram. Alioqui in causa fidei; quid est cur tantopere, si quid singulare credimus, aliis obtrudamus? quid, cur laboremus vt sentiant alij nos hoc aut illud credere, & esse persuasissimos? modò ne ab expressa forma sanorum verborum (vt Paulus vocat 2. Tim. 1. 13.) absistamus, meritò omnia súsque déque ferre possumus, quae ab aliis de mente nostra cogitantur; & ipsi nobis (si ita placet) canere sine mo'tu publico.

Iam verò conuicia sint, iniuriae, criminationes, quibus appetimur palàm. cur non potiùs ferimus, vt Corinthios monet Apostolus; quàm vt eiulationibus & querimoniis eorum aures oppleamus quorum non interest? 1. Cor. 6. 7. Aristotelem illum Philosophum celeberrimum narrant historici, cùm à quodam inimico absens grauiter traductus esset, cuidam ad ipsum referenti & exstimulanti respondisse: Etiam licet absentem verberet. Et nos Christianos vsque adeò molles & fastidiosos esse, vt res eiusmodi non possimus contemnere, & quasi pedibus terere? Deinde, an nescimus quod olim prudenter monebat Tacitus, conuicia, si irascare, agnita videri: spreta exolescere? Lib. 9. Annal. Quòd si id ab vnoquoque natura exigit, & dictat ratio, quo iure nos serui Christi, qui Spiritu Christi viuimus in corpore Christi, qui armis iustitiae dextrorsum & sinistrorsum per honorem & ignominiam pro Domino nostro debemus contendere, qui etiam beati dicimur hoc ipso fidei & patientiae testimonio, desinemus à sequendo Christo, & salute nostra ipsorum, alienáque propugnanda, vt de rebus studiísque nostris singularibus concertemus, atque inuicem consumamus? cur potius non cogitamus, si hic aut ille nos petunt conuiciis, esse nobis contrà locupletissimum Dei, & animi nostri, & bonorum, apud quos viuimus, testimonium, quo freti acquiescamus, & abstineamus ab ista inani solicitudine? quae si nos torquet, ipsi cum aliis perdimur; si non torquet, perduntur tela contradicentium. Taceo quod antè exposui, iniquè facere eos qui conuicia scriptis passim disseminant: ac proinde etiam iniquitatem eandem ab iis confirmari, qui coram iisdem testibus iudicibúsque constituunt respondendum esse, & quasi in foro incompetente (vt vocant) obeunt vadimonium. Si enim purgari me exempli causa ab alicuius hominis contumelia, non dico mea (prius ima dehiscat terra mihi) sed aliena & veritatis ipsius causa necesse est: equidem malim apud eos me legitimè purgare, qui legitimè possunt cognoscere, quàm miseram plebem eo nomine commouere, quae nec cognitionis instituendae capax est, nec iudicij faciendi sine cognitione legitima, nec sese denique ex miseris illis & horrendis factionibus, quae hoc modo exoriri solent, potest commodè extricare. Prius igitur est, vt contemnamus conuicia: posterius, si animum nostrum vincere ipsi non possumus, aut res postulauerit, vt conuiciatores legitima cognitione conuincamus, docendo iustitiam nostram, non iniuriam illorum persequendo. Vae nobis, qui primas eruditionis ambimus, fugimus silentij: in quo tamen etiam Christus, qui veritas est, bonam confessionem coram Pilato confessus est. Qui non responsat, conuiciatorem confundit planè; qui autem conuincit, hanc existimationem saepe conciliat sibi, vt ex impatientia & animi perturbatione aduersarium persequi iudicetur. id autem, seu verè, seu falsò iudicetur, fructum ministerij impedit vehementissimè, totum non rarò intercipit: Et satis magnas poenas tum hoc ipso tempore apud bonos, tum futuro in posteritatem conuiciatores reportaturi sunt, nobis tacentibus, & causam nostram committentibus Domino, cui seruimus. De causis verò quibus ad responsandum saepe adducimur, locus eadem operâ explicatus est, cùm de personis diximus. Nam aut ad Deum & veritatem illius, aut ad nos, aut ad alios spectant. Quapropter iudicium idem fieri de iis necesse est. Praesertim verò seruos Dei per Christum oro,

id semper

id semper cogitent, non persequendis iniuriis, sed ferendis probari ministerium suum. Cuius probationes optimè demonstrauit Paulus dicens, 2. Cor. 6. 3. &c. Nullam in re vlla praebentes offensionem, ne vituperetur ministerium: sed in omnibus nos approbantes vt Dei ministros, tolerantia multa in afflictionibus, in necessitatibus, in angustiis, in verberibus, in carceribus, in exagitationibus, &c. quae ille fidelissimus imitator Christi nos voluit atque mandauit imitari. Tempore & loco responderi quoque interdum oportere antè agnouimus: sed incredibile est quantum fallamur iudiciis, cùm de iis circumstantiis videndum est. Det singulis prudentiam charitatémque Dominus. Et certè, cùm rationem Ecclesiae Dei, prout nunc se habet, cogito: corpus ita miserè affectum est, vt in plerisque illius malis nihil magis periculosum iudicem, quàm immaturam medicinam. Et tamen hoc vnum à plerisque videtur agi, vt quemadmodum apud Scythas olim & Babylonios per compita aegrotis consulebatur, tot sint Ecclesiae medici, quot viatores ad salutandam ipsam quamprimùm accessuri. ita plerumque euenit; vt quod dies curatura esset, vel potiùs Dei gratia successu temporis; id hodie, Deo irato, ad solum aspectum velimus curatum esse, vel ad crepitum digitorum nostrorum: & quod quietè posset consanescere, id commotione intempestiua conturbemus; tanquam prauis humoribus in corpore Ecclesiae irritatis, quos die & quiete commoda Spiritus Christi curaturus est solus. Atque haec quidem mala cùm in hunc locum adfero, nemini speciatim maledictum volo. Nam Deus testis est me de singularis cuiusquam hominis, quem quidem nouerim hoc tempore, notando facto minimè cogitare: sed licebit mihi per bonos (spero) deflere publica Ecclesiae mala, omnium communes culpas, & meas quoque ipsius: qui nos omnes & singulos tam multis intempestiuis & importunis dissidiis iustissimo Dei iudicio acerbissimóque agnosco flagellari. Quapropter deprecor iram flagelláque Dei communi causa Ecclesiae, & mea per Christum: orans Dominum Deum nostrum & patrem Domini nostri Iesu Christi, vt singulorum mentes illuminet in veritate, corda accendat charitate, & omnia simul regat ad finem pacis in vnitate Spiritus obtinendum. Deinde verò quia nos monet Psaltes thronos Dei inter homines ad hunc ipsum finem constitutos esse, vt singuli qui pacem Ecclesiae expetimus, ab illis thronis iusta assequamur adiumenta pacis & prosperitatis: vos appello, ô serui Dei, qui ex animo ad thronum spiritualem Christi in Ecclesia procumbitis, & à Deo hauritis mysteria gratiae & gloriae, quam Deus timentibus se praeparauit: vos item appello, ô serui Dei, qui ex officio ad thronum ciuilem in societate humana euecti estis, vt regatis eos in pace quos fidei vestrae commisit Deus: Expetite vos quoque pacem Hierosolymorum: curate vt amantes Ecclesiae fruantur prosperitate, vt pax sit praemunitioni & prosperitas palatiis eius: facite vt qui non sunt aduersus illam, pro illa habeantur, & in dies illi adiungantur ad vitam aeternam per salutis verbum. Nam si hoc cuique de populo, multò magis cuique de numero vestro praeceptum est, & impositum hoc munus à Domino. Experimini itaque singuli cum animis vestris pacem illam Domini laetificantem conscientias vestras: procurate vt vestrae illius pacis fructus etiam procedat foras ad eos in quorum societatem vos adduxit Deus.

Studeamus, ô fratres dilectissimi, vt pacem Domini semper cogitemus, semper cupiamus, semper omnibus ostendamus, semper colamus, sempérque defendamus strenuè, cùm aduersarium pacis videmus minimè otiantem, sed dies & noctes insidiantem aut appetentem corpus illud Christi quod ad pacem in veritate & sanctimonia vocatum est. Inuenit quidem aduersarius ille ad pacem Ecclesiae oppugnandum armorum plus satis (proh dolor) in Ecclesia ipsa & membris singulis ipsius, ouibus, & pastoribus. mortificemus ergo veterem illum hominem, mortificemus membra carnis nostrae paci illi caelesti aduersantia, & omnes aditus veteri illi serpenti, quàm diligentissime

gentissimè fiere potest, praecludamus; cauentes seriò nobis (f. 740) ipsis, & ad nos ipsos attendentes, & ad ouile Christi, & ad oues singulas illius, vt pacem, quam suo sanguine peperit, frendente Satana constantissimè teneamus. Vos autem, ô viri Principes, qui orbem Christianum videtis tum grauissimis incommodis per infirmitatem ipsius infestari, tum ab iis instrumentis saepe torqueri & excarnificari miseras animas, quae Deus sanctificauerat vt pacis instrumenta essent; rogo per sanctissimum nomen Domini nostri Iesu Christi, per amplissimas miserationes illius, ad quarum communionem salutarem vocati estis, per suauissimum illud nomen Christianitatis quo honorauit vos Dominus, & ab aliis cupitis honorari, per fructum illum amplissimum, quem in hac vita spondet, & exhibet, atque in futura consummaturus est Deus; vt miseram Christianitatem, quae plus satis theatrum dissidiorum & rixarum fuit, consilio & ope vestra alleuetis: humano ordine vestro ouibus Christi consulatis: pastores, quicumque tandem illi sint, ad honorem Dei prosequendum & animarum salutem promouendam abiectis aliis cogitationibus, ex verbo Dei, vrgeatis: impediatis ne intempestiuis imprudentibúsque remediis, vel potius vitiis adnascentibus vitia accendantur, & pax illa optatissima Christi in mentibus Christianorum omnium, in Ecclesia ipsa (quemadmodum indignissimè adhuc fieri vidimus) tantopere infirmata & debilitata corruat. Vos huic sanctissimo Christianitatis aedificio sustinendo, tanquam tibicines; huic partui alendo & curando, tanquam parentes praefecit Deus. Quandoquidem ergo à Deo est corpus, & à Deo estis huic corpori praepositi. & vtriusque Deo rationem reddituri in vltimo illo die; ita rerum vestrarum & Ecclesiae totius satagite, vt tanquam oues de instituto vitae, & tanquam pastores de instituto administrationis vestrae possitis Domino illi & Deo omnium respondere, freti praesidio gratiosissimo illius cui vos oportet seruire, Domino nostri Iesu Christi.

8. *Propter fratres meos & amicos meos, eloquar iam, pax sit tibi.*

9. *Propter domum Iehouae Dei nostri, procurabo tibi bonum.*

Nvllvm genus est docendi communius aut euidentius, quàm quod ab exemplis sumitur. Nam auctoritatem non omnes agnoscunt semper, ad quos habetur sermo; rationes omnes non capiunt. atque haec duo docendis hominibus attributa sunt, tanquam lumina intus & foris homini praelucentia, vt informetur de omnibus rebus quas ab ipso cognosci refert. Sed cùm haec duo lumina (vtut homo tenebricosus est) exemplorum lineamentis ante oculos ipsius adumbrantur; tum fit vt humana mens, quibuscumque circumfusa tenebris, quasi propiùs admota luce videat acutiùs, & ad reliqua illa ampliora lumina commodè percipienda, velut conspiciliis admotis, plurimum adiuuetur: praesertim si ab iis ipsis qui duas illas faces, auctoritatis & rationis, praeferunt, illa exemplorum adminicula simul praebeantur coràm: nempe si iidem typi sint operum, qui sermone docent, & quae dicunt faciant. Atque haec causa est, cur vbique Christus de suis sermonem habens, facere & docere, tanquam in vnum compegerit; & ipse quoque potentem dictis & factis sese ostenderit. Paulus item se non sermone modò, sed etiam opere docet ouibus Christi praeiuisse, & seruos Dei praecipit typos esse bonorum operum & salutaris doctrinae. Iacobus affirmat, si quis audit sermonem & eum non praestat, eum similem esse viro consideranti faciem suam natiuam in speculo: ac propterea iubet vt non simus auditores obliuiosi sermonis, sed actores operis. Iacob. 1. 22. 23 Omnes denique Apostoli in hoc instituto perstiterunt, ne quando cùm aliis praedicarent, ipsi fierent reprobi vel reiectanei, vt

Pauli

Pauli vtamur verbis. 1. Cor. 9. 27. In hunc igitur modum Psaltes, vbi omnes instituit de summo illo pióque studio quo pacem Ecclesiae opus est expeti, & singulos de modo expetendae illius pacis informauit, statuit postremò se ipsum in exemplum sermonum suorum & doctrinae communis statuere. Atque hoc certo consilio facit: tum vt doceret suos, quàm verè & ex animo antegressa illa documenta de laetitia & pace in commune Ecclesiae proposuerit, tum vt omnes videant & sentiant nos à seruis Dei non doceri res (vt vocant) impossibiles, neque obrui oneribus difficilibus portatu, quae ipsi digito suo mouere noluerint; sed potiùs vt illius aliorúmque Prophetarum exemplis, tanquam nube testimoniorum, circumsepti, discamus tandem nos taedere nostri, naturaeque nostrae, & ad officium (f. 741) illud sanctum, quò nos prouocauit, quasi praeeunte eodem duce contendamus.

Hic ergo finis ille est ad quem Propheta spectauit, cùm hos duos versus antecedentibus subiiceret: nimirum vt nobis sisteret in exemplum, & nos suo ipsius exemplo accenderet confirmarétque in sancto instituto nostro. Summa est. Dauidem velle, certissimísque de causis, ac necessariis, sermone expetere & opere procurare pacem Ecclesiae Dei; & hoc officium spondere, dum erat victurus, ad communem aedificationem. Partes itaque duae sunt: vna est sponsio sermonum orationúmque ad pacem Ecclesiae pertinentium: altera, sponsio operum ad eundem finem, si qua vnquam ratione vlla ab ipso poterunt proficisci paci Ecclesiae commoda. Prior locus 8. versu, posterior vltimo proponitur. Quamobrem de vtroque distinctè nobis videndum est: & quia causae simul coniunctae sunt, de illis eadem opera dicendum quod ad hunc locum videbitur pertinere, & ad consilium nostrum.

Sponsionem igitur sermonum de pace Ecclesiae Propheta faciens, dicit: *Eloquar iam: pax tibi.* Causam verò adiicit illis; *propter fratres meos, & amicos meos.* Ac de causa quidem iam antè diximus. Nam quaecunque ad communionem sanctorum edocti fuimus pertinere, ea fundamento nituntur illius germanitatis seu fraternitatis, & propinquitatis nostrae, quam non solùm inter nos habemus à natura, verùm etiam (quod potentius est) à gratia Dei in Christo, omnes quidem vocante communiter; sed benedictos à Patre vocante singulariter. Haec conscientia, qua nos fratres & propinquos alios esse aliis nouimus, coniunctissimos efficit, vt tum pacem inter nos procuremus, tum de pace & prosperitate alij aliorum laetemur in Domino. Haec igitur causa illa est, ad quam Propheta respexit illis verbis. Etsi, quod antè disertis verbis expressimus. non temerè Propheta *fratres & amicos* distinctè nominauit: sed vt per incrementum elegantissimum oratio assurgeret. quia fratrum appellatione ij solùm propriè continentur, qui & natura & gratia nobis coniuncti sunt in Ecclesia Dei; amicorum verò appellatione etiam ij qui foris sunt, & ab Ecclesia absunt: quibus vocandis omnes operam dare tenemur in Domino, quia (vt antè dicebamus) qui non sunt contra nos, ij pro nobis esse putandi sunt: Luc. 9. 50. quemadmodum promissione Deus ostenderat, dicens, Benedicam iis qui benedicent tibi, cùm Abrahamum promissionibus gratiae instrueret.

Hanc eandem causam pios omnes indesinentur sibi, praesertim hoc funestissimo perturbatissimóque seculo, necesse est ante oculos ponere; vt non alienationibus (quas videmus) animorum, aut praeposteris & iniquis in alios iudiciis studeamus; sed optima fide & conscientia fratres amicos singuli cognoscamus, cum illis coalescamus quàm diligentissimè, eósque omnibus officiis quae in manu nostra Deus posuerit, ex charitate ἀνυποκρίτῳ prosequamur. Haec igitur causa, quae Prophetam excitauit, & nos omnes longe iustiùs ac vehementiùs excitare debet ad illa, quae pòst sequuntur, officia praestanda accuratissimè, quàm Themistocles olim se Miltiadis tropaeis excitari de nocte praedicabat. Haec enim tropaea sunt Dauidis & Christianorum omnium clarissima,

clarissima, quòd & ciues suos seruauisse, & hostem salutis deuicisse dicuntur à Domino.

Officium autem in sermone positum, quod Propheta spondet his iustissimis de causis, duabus in rebus positum est, nimirum in Specie officij, & circumstantiis. Speciem officij Propheta spondet cùm dicit: *Eloquar pacem tibi.* Circumstantias, cùm addit, *nunc* vel *iam*, vnica voce designauit. Species officij in eloquenda pace Ecclesiae posita duo membra continet. pro ratione obiectorum siue personarum, apud quas ista ex officio suo eloquuntur pij. Ad vnum pertinent orationes, & preces, gratiarúmque actiones, quibus Deum Ecclesiae caput appellamus de pace illius: ad alterum communicationes cum Ecclesiae membris, cum amicis, & cum Ecclesia vniuersa. Nam siue ad Deum respiciamus, pacem oportet spirent animi nostri, & pro ea suspirent coram Domino Deo pacis; siue ad homines qui nos circumstant, oculos & cogitationem conuertamus, proferri à nobis ad pacem oportet omnia; vt qui filij simus illius qui Deus est pacis; alumni Ecclesiae, quae domus est pacis; membráque illius corporis quod Christus redemit conciliata cum Deo pace, & constituta inter nos in vnitate Spiritus. Atque haec quidem omnia iam antè fusiùs sunt explicata: Sed ea Propheta sibi ipsi nominatim applicauit, vt nostras singulorum conscientias permoueret excitarétque; ad idem officium in veritate (f. 742) & charitate praestandum. quod officium si tam diligenter plerique omnes coleremus, quàm diligenter studia & opera carnis colimus, quae Apostolus ad Galatas scribens exprimit copiosissimè: cap. 5. vers. 19. 21. iamdiu profectò extinctis mortiferis seminibus Satanae suauissima pace ampliùs frueremur.

Sed quid sibi vult illa temporis circumstantia, cùm Propheta dicit & Ecclesia verbis illius, se *iamiam* eloqui? Respicit quidem ad singularem illam occasionem quam principio Psalmi demonstrauimus, quòd Deus locum designasset habitationis suae, & arca in eum esset importata, ac cultus institutus: sed etiam spectauit vlterius, nempe ostendit se velle praedicare sermonem pacis, & instare tempestiuè & intempestiuè, adioque illicò sine mora aut cunctatione vlla in eo sancto opere sese occupare. 2 Tim. 4. 2. Notum est illud Christi, neminem, qui manu sua admota aratro respexerit ad ea quae retrò sunt, oppositum esse ad regnum Dei. Luc. 9. 62. notum & illud Apostoli, quando placuit Deo retegere filium suum in ipso, vt euangelizaret illum inter gentes, non statim praetereà contulisse cum carne & sanguine. Gal. 1. 16. Notum & illud elegans Cypriani dictum, cùm Aspacio Paterno proconsuli Africae tentanti ipsum, spe vitae seni facta, responderet in rebus sanctis non esse deliberationem. Hec igitur institutum suum citra vllam cunctationem deliberationémque, inde ab illo ipso momento ad vltimum vsque spiritum, profitetur Psaltes: ostendítque se (quod praecipit Apostolus) indesinenter oraturum esse pro pace Ecclesiae Deum, & indesinenter cum fratribus atque amicis de pace Ecclesiae sermones habiturum, neque passurum se, vt vel ad momentum abripiatur ab isto sanctissimo officio coram Deo hominibúsque persequendo.

Hactenus de sermonis ad pacem officiis. Sequitur aliter locus, de officiis ad pacem opere praestandis, qui locus duas consimiliter habet partes: vnam, de causa istius officij; alteram, de substantia & specie illius. Causam Propheta expressit his verbis; *propter domum Iehouae Dei nostri:* Officium illis, *procurabo quod bonum est tibi*, vel *exquiram bonum tuum.* Respicit autem propriè haec narratio causae ad propositionem illam primam, qua vsus est Propheta in principio, dicens piorum coëuntium verbis; Domum Iehouae adeamus: quo ex loco depromi facilè potest horum verborum interpretatio. Ad summam, causam instituti sui vniuersè Propheta ponit *domum Iehouae Dei nostri:* quibus verbis ostendit se ad hoc institutum adlaborare causa Ecclesiae,

Ecclesiae, non simpliciter quà domus est ex membris humanis coagmentata, sed singulariter quà domus est Iehouae Dei nostri, ab illo inhabitante sanctificata ad gloriam suam. Proinde cùm Ecclesia non possit rectè à nobis considerari, nisi secundùm relationem illam quâ ad Deum est ordinata; ex eo sequitur planè; qui Ecclesiae bene cupit, eundem etiam quodammodo cupere Deo qui Ecclesiam inhabitat. Cupit autem Ecclesiae pius, tanquam ad finem propinquiorem & quodammodo συμφυῆ, siue (vt loquuntur) connaturalem respiciens: Deo autem cupit, tanquam ad finem summum, in quo Ecclesia ipsa & singuli nostrum in Ecclesia conquiescunt. Nam quemadmodum nos in Ecclesia conquiescimus, non quia domus est, sed quia domus Dei; non quia corpus, sed quia corpus Christi: ità è diuerso, cùm bene Ecclesiae cupimus, non eò simpliciter cupimus, quòd domus & corpus sit; sed eò maximè, quòd domus Dei viuentis est & corpus Christi.

Atque haec causa est, cur Propheta non tantùm in descriptione Ecclesiae quà est, sed in descriptione Dei, à quo & in quo Ecclesia est, ampliùs haeret, dicens: *domum Iehouae Dei nostri.* Nam *Iehouam* nominando, ad vnam illam essentiam respicere nos iubet, quae sola est per se, & aliis dat esse, & principium est omnis boni in rerum natura: boni, inquam, tum ex natura, tum ex gratia in nos omnes collati. *Deum* verò *nostrum* appellando, respicit ad foedus illud sanctissimum, quo Deus noster est, & nos vicissim populus illius, & ad demonstrationem foederis eiusdem per sermonem & operationes gratiae. Sic enim passim in Scripturis Deus promissiones suas aut operationes asserens, fundamenta naturae & gratiae ad confirmationem suae veritatis in suis solet coniungere. Quò etiam illud pertinet, quòd in declaratione suarum promissionum, Vnitatem essentiae, & personarum Trinitatem in vnitate plurimùm denotat! Vnitatem, quam ex natura nouimus naturali appellatione *Iehouae:* Trinitatem, quam ex doctrina & reuelatione gratiae didicimus, gratioso foederis ellogio significans, cùm se inscribit *Elohim*, vel *Deum nostrum.*

Haec autem causa quam Propheta adfert, profectò (f. 743) eiusmodi est, vt singulos nostrûm dies noctésque possit afficere vehementissimè, nisi grauissimo veterno in sentiendis & persequendis bonis, grauissimáque obfirmatione in amplexandis malis, ad perniciem nostram teneremur. Cùm autem iam ille Iehoua Deus noster nos à malis vindicauerit, & nobis bona adiudicauerit quaecumque ab ipso ad rem creatam peruenire possent; quid excusationis vel in speciem praetexemus coram Deo atque hominibus, si ab eâdem causa persequenda abstineamus, ex quo Iehouam Deum nostrum & Ecclesiam Domum Iehouae Dei nostri per Scripturas sacras didicimus? Quapropter (vt ait Apostolus Ephes. 5. 14.) expergiscamur qui dormimus, & surgamus à mortuis, & illucescet nobis Christus. Intueamur semper in illam essentiam diuinam, quae principium est omnis boni, tum natura communi, tum gratia erga nos singulari: Intueamur in Patrem illum omnipotentem, qui nos dedit filio in Ecclesiam colligendos: Intueamur in fidei ducem ac perfectorem Iesum, qui pro gaudio sibi proposito pertulit crucem, & ad dextram throni Dei consedit, quò nos eueheret: Hebr. 12. 2. Intueamur in Spiritum illum patris & filij habitantem in nobis, & testantem spiritui nostro nos esse filios Dei, & templa sancta Domino: Intueamur in Ecclesiam, in quam velut templum lectissimum Deus nos conuocat, vt per eam ad se contendamus virtute aeterni spiritus viuentis in nobis. hae causae nos ita moueant, vt caeteras causas dimoueant ex mentibus nostris, & rapiant ad sanctissimum illud studium, cuius hîc Propheta meminit, & seipsum exhibet typum in pietate & sanctimonia ad haec officia praeiturum.

Quid ergo est officij, quod Propheta hoc loco praedicat? *Quaeram*, inquit, siue *procurabo quod bonum est tibi*, ô Ierusalem, vel domus Iehouae. Procurantur quae

adsunt, vt augeantur, atque conseruentur: procurantur quae absunt, vt inueniantur comparentúrque labore quaerentium nostro. Iam vtroque modo Propheta dicit se procuraturum quod bonum est Ecclesiae Dei. Quid autem illud sit quod bonum est Ecclesiae Dei, in praecedentibus satis explicauit. Bonum summum Ecclesiae est, quòd domus est Iehouae Dei nostri, ad ipsum ordinata constantissimè in Christo per vnitatem Spiritus: hoc esse illius. Ex eo bono sequuntur bona omnia, quae deriuantur in nos à Domino: siue percipienda intus à nobis, vt sunt fructus illi Spiritus, quos antè Propheta nominauit, pax & gaudium in Spiritu sancto; siue proferenda à nobis ex quo sumus in Christum insiti, & consortes facti pacis laetitiaeque spiritualis illius, vt sunt fructus illi Spiritus, qui in sanctificatione vitae, & charitate, & pace versantur; siue extrà insuper accedentia per benedictionem Dei, vt sunt pax illa & prosperitas Ecclesiae, de qua Propheta antè sermonem habuerat. Haec omnia quisquis procurat, procurat Ecclesiae bonum: qui non procurat, Ecclesiae officit, vtut sibi aliter videatur. Neque dubium est, quin ad haec omnia Propheta actus Spiritu Dei respexerit. Verumtamen cùm illi fructus à forma Ecclesiae interna externáque sint; nec extra Ecclesiam, sed in Ecclesia, id est, in Domino, qui inhabitat Ecclesiam, sint praesentissima: verius id esse existimo, agere Prophetam maximè de tertio illo bonorum genere quibus foris benedicit Deus iis quos interna benedictione instruxerit. Omnia igitur bona dat Deus, & omnia quaerimus data; quia nec illa ipsa quae data sunt, nec nos ipsos (adeò caeci sumus infirmitate nostra) inuenturi simus, nisi quos quotidiè exploremus, & bona Dei, tum quae iam ex facto dedit, tum quae porrò gratiosè daturus est, quaeramus in Domino. Horum in numero est pax, bonum suauissimum, quod se procuraturum spondebat Psaltes certa Spiritus Dei testificatione, dicentis, Persequimini pacem & sanctimoniam, sine qua nemo Deum visurus est. Hebr. 12. 14.

Quas ob res, quotquot sumus qui nomen Deo patri per Christum dedimus in spiritu, qui ad Ecclesiam indulgentissimis promissionibus & gratiosissimo foedere ipsius prouocamur, qui in Christo redempti sumus pretio amplissimo, qui in Ecclesia pedes nostros consistentes agnoscimus virtute Dei, qui testimonio communi gratiae diuinae fruimur in domo eius, vt nomen ipsius pro tanta beneficentia percepta celebremus, qui ordine ipsius diuino atque humano ad ius colendum & persequendum deducimur, qui circumsplendente luce testium Dei & Christi sanctissimorúmque ad pacem Ecclesiae procurandam accersimur; qui denique exemplo sanctissimi Prophetae Dauidis informamur de omnibus illis pietatis charitatísque erga Ecclesiam, & fratres, & amicos omnes officiis: fugiamus, per Deum immortalem, omnia illa incommoda, in quae à natura ferimur praecipites: carnem peccatricem, & membra nostra mortificemus (f. 744) in carne: à studiis carnis, quàm diligentissime fieri potest, abscedamus: Deum quaeramus in Ecclesia: Ecclesiam in Deo, nos & fratres nostros in Deo & Ecclesia simul recognoscamus, & pacem cum omnibus à Deo constitutam colamus constantissimè, fugientem persequamur, oppugnatam propugnemus, amissam quaeramus, inuentam teneamus, & obtinentes optimè seruemus in Deo, in Ecclesia, in nobis, & inter nos religiosissimè, expectantes optatissimum illum aduentum Domini et Seruatoris nostri Iesu Christi: qui pacem hîc in se partam, & in nobis inchoatam, illic in caelis consummaturus est perfecta & aeterna consummatione. Amen.

EIRENICI PARS II.

SEV

MEDITATIO IN PSALMVM CXXXIII.

1. *Canticum excellentissimum, Dauidis. Ecce quàm bonum & quàm amoenum est habitare fratres etiam vnà.*

Cvm hoc scriptum instituimus. de re pernecessaria, nimirum de pace Ecclesiae dicturi, haec summa à nobis fuit proposita instituti nostri: tandem aliquando à pugnis & contentionibus absisti oportere, & pacem quae sit secundùm Deum procurari, vt fructus illius amplissimos suauissimósque à Deo pacis assequamur. Itaque sermonis instituti ordinem persequentes, cùm ex Prophetae verbis de procuranda pace & rebus ad eam pertinentibus in Psalmum antecedentem dixerimus; nunc videndum nobis est, vt de fructibus illius pacis secundo loco adferamus quae nobis à Spiritu sancto in breuissimo hoc Psalmo fuerunt dictata. Est enim hic Psalmus perbreuis quidem in speciem indiculus; sed amplissimus argumento, spiritualium fructuum illius pacis, quam Deus cum Ecclesia sua communicat, certissimam doctrinam conuenientissimo ordine comprehendens. Quapropter etiam, vt alij aliquot Psalmi, quos prisca Ecclesia olim in vnum ordinem contulit, *Canticum excellentiarum* siue excellentissimum appellatur.

Cùm autem de hac Cantici inscriptione, quae vtriusque Psalmi communis est, ea in antecedentem illum dixerimus, quae ad huius argumenti commodam intelligentiam pertinent, non statuimus hîc actum agere & lectorem in eodem saxo versando occupare. Id nobis futurum est in praesentia satis: auctorem, & rem, & modum aequè nobis inscriptione huius cantici atque antecedentis demonstrari. Auctorem Deum esse, qui ipsum dederit, per Dauidem virum Dei actum spiritu illius. Rem quae hic exponitur auctore spiritu veritatis, esse omnium excellentissimam: Modum denique esse hunc, vt quemadmodum ratione commodissima perscriptus est & traditus Ecclesiae Dei, ita etiam accipiatur ab Ecclesia singulísque membris illius ; & auditione, lectione, recordatione, cantu vel modulatione cùm priuatim, tum etiam publicè recolatur propter amplissimam eius dignitatem & certitudinem. Quas ad res, non dico si viri sumus, sed (quod amplius est) si filij Dei sumus, oportet nos omnes neruos facultatésque nostras contendere; vt Deo obsequentes ad res excellentissimas religiosè aspiremus, eásque indesinenter colamus cum animis nostris, reputantes singularem Dei beneficentiam, qui nos ad excellentissima omnia tam gratiosè prouocat, dum stadium huius vitae decurrimus.

Omissa itaque inscriptione Cantici huius, de verbis & argumento illius speciatim nobis videndum est. Finis, quem Propheta spectauit, cùm hoc canticum Deo auctore perscri-

perscriberet, Ecclesiaeque asseruandum & decantandum traderet, hic propriè videtur esse, vt fructus pacis quam Ecclesia à Deo habet, perspicuè exponeret; & contemplatione illorum, animos vniuscuiusque veri membri in Christo Ecclesiáque insiti per fidem, ad vtrumque studium, tum fructuum quos singuli natura cupimus, tum pacis quae nobis datur & fructuosa est per gratiam, eadem opera accenderet. Nam quis fructus excellentissimos videns non appetat? quis arborem illam vel plantam, ex qua fructus progignuntur excellentissimi, non anteponat caeteris rebus, si sapit? Hanc igitur artem adhibuit Psaltes, vt singulos no(f. 745)strûm ad eundem finem persequendum raperet, quem ipse vtendum docendúmque proposuerat sibi.

Summa autem est, illius pacis, quam in communione sanctorum cum Deo Ecclesiáque eius obtinemus, fructus esse bonis omnibus commendabiles, & summopere appetendos, tum bonitatis ipsorum, tum suauitatis & iucunditatis nomine. Hos enim fructus nihil in rerum natura adaequare dignitate potest, nedum antecellere: quia vt radix, sic etiam fructus sunt à sola benedictione Domini, qui nobis benedicit omni benedictione spirituali in locis supercaelestibus in Christo, vt Ephesiis scribit Apostolus cap. 1. v. 3.

Partes itaque huius Psalmi in vniuersum duae ponendae sunt: Nam primùm habetur propositio totius argumenti, versu primo. Deinde verò expositio & enarratio illius, duobus sequentibus. Propositionem autem Propheta in hunc modum instituit, vt rem quidem proponat verbis simplicibus, dicendo: *Bonum & amoenum est habitare fratres etiam vnà:* Sed tamen amplificet dignitatem illius duobus sermonis figurati modis, cùm dicit, *ecce*, *quàm bonum*, *& quàm amoenum.* Primum itaque de ipsa propositione simpliciter dicturi sumus, deinde verò destringemus illa ornamenta ad amplificandam propositionis dignitatem hoc loco adhibita.

Est igitur haec propositio, communionem sanctorum bonam & amoenam vel iucundam esse. Communio sanctorum denotatur his verbis. *Habitare fratres etiam vnà.* Quod autem adfirmatur de hac communione, verbis simplicibus & apertis enuntiatum est, bonam videlicet eam & amoenam esse. Ad communionem sanctorum rectè intelligendam duo distinctè opus est obseruari, quid, de quibus dicatur; nempe de sanctis sancta communio: quà communionem in antecedens Canticum copiosè declarauimus. Sancti qui in hac communione sunt, appellatione *fratrum* denotantur: Communio verò quae inter ipsos est, communi habitatione per synecdochen Hebraeis vsitatam hîc adumbrata est.

Ac fratres quidem appellantur sancti qui in Ecclesia sunt, non naturae ordine, sed gratiae diuinae instituto. Fratrum enim duo sunt genera, pro ratione principiorum ex quibus efficiuntur fratres. Vnum principium natura est; secundùm quam fratres siue remotissimo, vt sumus omnes filij Adami, ad vnam speciem (cuius radix & principium fuit Adam) pertinentes, siue intermediis; prout inter hos duos gradus germanitatis plurimi etiam ex naturae aut ciuili ordine τῆς ἀδελφότητος gradus intercurrunt. Cùm autem in Ecclesia non fiant gradus isti, vt qui à natura sint, sed potiùs in ea inueniantur, vt à natura facti; necesse est, vt fraternitatem hanc, de qua agit Psaltes, in Ecclesia non à natura, sed ab instituto aliquo sentiamus proficisci. quod institutum non humanum, sed diuinum esse eo cognoscimus, quòd Pater Ecclesiae, qui dat Ecclesiae id esse quod est, idem est membrorum pater, qui dat eis esse in Ecclesia id quod sunt. Sumus autem inter nos fratres, primùm quidem in Christo conciliati Deo; deinde verò inter nos in Christo: quia Christus caput est cuius vi omnium membrorum inter se compages est coagmentata, & totum corpus ex eis constitutum assurgit in iustam staturam ipsius. *Ephes.* 4. 15. 16. Secundùm rationem hanc proximè inter se dicuntur fratres, quicunque in Christo & Ecclesia sunt germani filij

Dei

Dei Patris in Christo adoptati per gratiam. Verumtamen inter illam fraternitatem naturae & hanc fraternitatem gratiae, media quaedam est fraternitas, quidam quasi transitus à natura ad gratiam transmeantium virtute vocantis Dei. Fratres igitur secundùm carnem & speciem natura facit: Fratres secundùm spiritum facit gratia internae vocationis, quae singularis est in Christo: Fratres verò communes secundùm participationem aliquam gratiae facit externa vocatio, quae communis est mundo & Ecclesiae, vt omnes à mundo ad Ecclesiam transeuntes cum Christo in ea coalescant. Sed quia de hac ratione fraternitatis nostrae, sanctísque eius officiis, in Canticum praecedens diximus, nolumus hic longiores esse: modò hoc singuli obseruent Prophetae verbis propriè hîc de illa fraternitate intima in Christo agi, quae vt summa est, ita etiam alia illa iustae fraternitatis genera conplectitur. Nam qui frater est hac fraternitate nobiscum in Christo, idem & natura, at externa vocatione frater est, quandoquidem à natura per vocationem externam ad intimam illam & fraternam coniunctionem, euocatur, perducitúrque. Huius accessio non est illarum (f. 746) interitus, sed magis perfectio: quemadmodum vnitati si duo adieceris, non tollitur, sed augetur vnitas; nec flammula exstinguitur si flammam admoueris.

Quòd si fraterna coniunctio ex natura tantis viribus est, vt nulla voluntate hominum dissolui possit, quin semper fratres iure necessitudinis (quod ne tyranni quidem ius perfringendi habent, vt sese Dionysius Siculus agnoscebat, leges à se latas, posse; à natura, non posse effringere) coniuncti inter se teneantur; si fraternitas ex consociatione humanarum vocationum etiam homines inter se obstrictos tenet, quemadmodum prisci illi & prudentes Romani inter caeteros diligentissimè obseruabant, vt scripta illorum & historiae docent: certè illam fraternitatem, quae non ex naturae, aut humano iure est, sed ex diuino instituto, & instituto gratiae; eam (inquam) longè grauioris momenti ad obstringendos inter se homines dicamus necesse est. Quapropter satis mirari non possum eorum hominum siue audaciam, siue dementiam, qui tantum hoc ius necessitudinis, Deo auctore, diuina virtute, & mediis planè diuinis constitutum, tam parui faciunt, vt alios sibi fratres non esse iudicent; aut etiam, si fortè in communi nouerint nos alios aliis fratres esse, tamen cùm ad singularia venitur, siue in particulari (vt loquuntur) hunc, illum hominem; haec, illam Ecclesiam nihil secum habere coniunctionis & fraternitatis existimant. Si à natura esset coniunctio, natura euinceret non esse penes ipsos, vt ius naturae perimant arbitratu suo: Si ex humano instituto esset, testaretur ipsorum conscientia ius illud communionis non posse dissui, nisi per eos quorum auctoritate conciliatum est. Nam vulgatam est illud dictum, Quibus modis conficitur obligatio, iisdem tolli. Iam verò, Deus bone, quid audio? naturae obligationem homo non perimit: humanam quoque necessitudinem abolere priuato aut singulari facto suo vnus homo non potest: & necessitudo, quam diuinum institutum gratiae conciliauit, voluntate hominis dissoluatur? O insaniam miserabilem! qua se abripi quicunque sinit, iam priùs se Deo & Christo eripuerit, quàm alterum eripiat cogitatione necesse est. Nam quis odit suam ipsius carnem: quod membrum dat operam truncando corpori suo? Iam non est de corpore Christi, qui praesecare cogitat membrum Christi. Et tamen hic morbus est (vt ita dicam) epidemicus aetatis nostrae: in qua cognoscendis, librandis, iudicandis, damnandis, & explodendis fratrum nostrorum factis, & ipsis proteruè exauctorandis, sumus plerique omnes audacissimi: Neque dubitamus homines, Ecclesias, regiones totas & potestates à Deo institutas, quasi pro imperio maledictis & anathematis incessere, quamuis Christum sapiant, quia nobiscum non sapiunt per omnia. Manet, mi frater, manet nostra coniunctio: sed tua est (cuius me miseret) alienatio. Si te alienare à me voles, non potes quin priùs alienes à Christo, in quo fratres sumus; ego nec volo, nec possum; quia fratrem me sibi

sibi adiunxit Christus, & fratrem effecit tibi. Si fraternitatem rumpis, deintegro nectam: si dissuis, dabo operam vt resarciam: si euertis, erigam denuô: si negas, affirmat Christus, & ego cum Christo: si audire non vis, audiunt tamen boni, & audit Dominus, coram quo miseret me ex animo impotentiae tuae. Misericordia ductus feram quicquid non potero corrigere: sed ferens tamen, haec duo obseruabo studiosissimè: Vnum, vt constanter expectem à Domino curationem miserandae istius infirmitatis tuae: Alterum, vt ipse quoque iustas occasiones obseruem adiuuandi charitate & furrigendi tui, si fortè Deus hac mea opera ad salutem tuam aliquando vti voluerit. Cur enim perturbatos animo, vel in causa religionis, non feramus aequè ac ferimus eos quos ira, odium, & similia de statu mentis demouerint? Haec si inter fratres nascantur, nihilominus fratres sunt, nec esse desinunt. Iniquè ergo fecero, si propterea quòd fratrem te esse negas, aut negas officium fratris, ego in idem vitium incidero, nolo malefacto meo accumulare insipientiam tuam: sed sapientiae quicquid accepi à Domino, id integrum conseruare, & ex officio restitutionem tuam procurare, aut certè, si nihil aliud, coram Deo hominibúsque testari officium meum.

Est autem officium hoc ad quod praestandum obstricti sumus, non solùm in eo positum, nequid faciamus mali; verumetiam in eo maximè, vt quibuscumque modis possumus, alij aliis benefaciamus in Domino: quod officium in symbolo fidei nostrae innuimus, dicentes nos credere communionem sanctorum. Hoc à Propheta (quemadmodum antè perstrinximus) locutione commoda designatur, quòd *fratres habitent etiam vnà*: aut (si ita placet vertere) *considеant*. Huius autem communionis, de qua Propheta hoc loco instituit agere, ratio commodissimè (f. 747) quatuor vocibus exponitur: prout quatuor sunt capita ad iustam communionis huius intelligentiam necessaria. nam primùm communio iuris est qua *fratres* sumus, Patris eiusdem filij tum communio actionum atque bonorum est, qua *habitare* dicimur. praetereà communio principij & typi diuini est, qua *etiam* dicimur habitare alij cum aliis, puta vt communionem habemus cum Christo de qua in Psalmo 132. actum est. Postremò harum rerum omnium modus communis est *vnio*, quam habemus vnitate spiritus in Christo Iesu. Ac de eo quidem quòd fratres sumus, satis antè dictum: De secundo ergo videamus.

Sanctorum fratrum actiones in communione ipsorum describuntur *habitandi* vel *considendi* verbo. Naturale studium illud est, vt vulgò dicitur, quòd similes similibus facilè aggregantur: vt contrà qui instituti colunt dissimilitudinem, res suas seorsim habere solent. Praetereà & hoc naturale est, vt quibus est conuenientia in vitae genere, illi etiam in occupationibus & actionibus suis eandem conuenientiam seruent. Tum hoc quoque à natura est, vt qui actionibus vitae communicaturi sunt, ij bonis & commodis quae ad actiones sunt opus, etiam communicent. Denique vt hi conspirant animis, ita opere collaborant. Sicubi autem haec ratio animaduertitur, id potest fieri in iis qui communi domicilio, communi patrefamilias, & communi instituto viuunt: idque maximè in iis qui fratres sunt, prout hoc loco appellamur. Et certè communis est nobis omnibus Pater, Deus: communis habitatio, Ecclesia Dei, quae eadem est habitatio summi illius patrisfamilias, à quò omnis agnatio (vt Apostolus inquit *Ephes.* 3. 15.) nominatur in caelo & terra: institutum à patrefamilias vnum esse & typo & modo nemo, qui quidem Christianus sit, potest ignorare, cùm vnum caput, spiritúmque vnum dederit suis, vt qui re vnum sunt, non dubitent communicare inter se habitatione. Quòd si quis Hebraeam vocem interpretari malit *considendi* verbo, id eò amplius doctrinam illam confirmaturum est quam modò attulimus. Nam demonstratur hoc verbo tranquilla & sedata Christianorum communi habitatione vtentium ratio: quòd non clamoribus, aut contentionibus, non pugnis aut caedibus, non animorum

morum praecipite vehementia; sed commoda quadam & composita ratione vitae res suas instituant coram Domino. Compositus est Christianorum animus, mentes compositae: ex quibus studia, sermones, conatus, actiones eiusdem modi informantur. Qui secus faciunt, ij eadem opera, patris familias à quo sumus, capitis ex quo sumus, spiritus per quem sumus & Ecclesiae habitationis communis nostrae, in qua sumus, rationem videntur negligere. Haec autem si negligunt, quam rationem habere sui ipsorum dicendi sunt?

Atque hae quidem actiones si iudicio nostro aut viribus à nobis instituendae essent, pessimè sanè nobiscum ageretur: cùm neque certa earum rudimenta informata in nostris mentibus habeamus, neque facultatem vel ea ipsa praestandi quae nos docet lux naturalis conscientiae. Quamobrem tertium illud in hac sanctissima communione nobis erat pernecessarium: nempe vt principium certum, ac immutabile, & typum operum nostrorum Dominus exhiberet: Principium, vt viribus illius ageremur: typum, vt ad exemplum imitationémque illius ageremus. Vtrumque in Ecclesia nobis intùs & foris suppeditauit Deus, cùm & formam illam internam, quam Psalmo antecedente dicebamus, indidit Ecclesiae suae; & formam externam verbi scripti atque praedicati, iustúmque ordinem, qui ad constitionem Ecclesiae opus est, commisit suis. Ad haec duo praestantissima Dei beneficia respiciebat Psaltes, cùm diceret *etiam* de fratribus habitantibus vnà, & communionem suam colentibus. etenim vox ista, *Etiam*, ad Psalmum 132. qui proximè praecedit ordine in libro Psalmorum, referenda est. Exposuerat enim Psaltes Cantico illo singulari exellentissimóque constitutionem Ecclesiae Dei, qua spectat eum Dominum; & de communione sanctorum, quam cum Deo habent colúntque animo & facto, dixerat copiosè. Cùm autem communionis ad sanctos pertinentis duplex sit ratio: Vna, qua omnes cum Deo; altera, qua omnes cum fratribus suis inter se communicant: placuerat Prophetae de vtroque communionis genere duobus Psalmis continentibus res praedicare summè excellentes. Postquam igitur vim communionis cum Deo explicauit, & rationem totius Ecclesiae, velut à Deo pendentis relatione perpetua: nunc demum definit hac voce *Etiam*, se hîc sermonem de altera communionis sanctorum parte instituere, qua alij cum aliis vt fratres communicant: idque non suo iudicio (nam sola doctrina Dei Ecclesiam informat, & singula membra eius) non suis viribus (nam Deus est, qui solus facit omnia in omnibus sed (f. 748) ex sola doctrina & virtute Dei, vt qui solus in Christo sit principium 'Ecclesiae & typus absolutissimus. Ab hoc igitur principio & virtute hac diuina in Ecclesia Dei exposita, intus Spiritu, foris ordine sacri ministerij, vtrobique salutis verbo: Iam concludit Propheta, quicunque spiritus illius, & ordinis, & verbi participes sunt beneficio Dei, eos etiam sic habitare, id est in vnitate spiritus, ordinis, & verbi salutaris sese huic principio & huic typo virtute diuina conformare, vt omnes simul habitent, quemadmodum à Deo vno in vnitate spiritus vno communi ordine, & vna salutis doctrina vocati sunt. tanquam si diceret, se de iis demum loqui in hoc loco, qui sunt conscij apud se communis & singularis gratiae à Deo acceptae & in Ecclesia expositae, qui etiam in ipsis hoc principium sentiunt, hunc typum ante oculos habent, qui toti denique etiam feruntur eò vnde hoc bonum acceperunt, & porrò accepturi sunt confirmationem illius atque complementum.

Vtinam verò quotquot Christiani audire volumus, in eo laboraremus studiosè, & prout didicimus Christum, ita in ipso ambularemus, vt verbis vtamur Apostoli, Ephes. 4. 1. Nam Christiani sumus principio illo in nobis habitante, id est Domino Iesu Christo, per communicationem Spiritus: sed isti principio plerique omnes non secus renunciamus, quàm qui sibi ipsi violentam consciscit mortem, & adimit corpori suo

principium

principium vitae suae. Christiani sumus typo: sed veritatem ipsam typi plerique oppugnamus, & euertimus in nobus vitiositate nostra, viarúmque nostrarum deprauatione. Principium tenemus, & fugimus: typum videmus, & delemus. Hoc scilicet Christianorum est. Si ergo Christiani sumus, & communionem illam habemus cum Deo, etiam atque etiam Christiani simus cum fratribus nostris necesse est, colamúsque cum eis communionem verè Christianam, quae nobis hoc loco imperata est.

Quòd si rerum istarum communionem inter nos instituit Deus; quis adeò demens est, vt non continuò videat modi quoque ad has res pertinentis communionem esse oportere? Hunc autem modum exponit Psaltes cum de fratrum habitatione *vnà* vel *pariter* instituenda loquitur. Nam qui vnum sunt in Christo, qui vno iure apud Patrem, qui principio viuunt, qui ad eundem typum imitandum & eundem finem prehendendum vocati sunt, non seorsim quidem singuli, sed vnà coniuncti virtute Dei; hi profecto non possunt non sentire necessitatem coagmentationis suae, & rebus omnibus inter se communicare, vt optatissimum illum finem ad quem vocati sunt, per gratiam assequantur. Vnum est corpus (inquit Apostolus Ephes. 4. 4.) & vnus spiritus: sicut & vocati estis in vnam spem vocationis vestrae, vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & pater omnium, qui est super omnes & per omnes, & in omnibus vobis: His denique omnibus vnum commune domicilium & vna statio, Ecclesia Dei; in qua nos versari necesse est, & conuersari prout decet vocationem nostram, primum Deo seruientes, deinde verò alios aliis secundùm Deum: & vbi singulari ac communi opera, separata & coniuncta, ad vnum illum finem supernae vocationis, tanquam vnius domini seruos, & domesticos vnius domus, oportet contendere.

Quid? quòd non solùm vnitas, sed etiam in hac vnitate nostra membrorum & actionum omnium proportio eadem voce imperatur? Ex qua id sequitur boni, quòd neque à se ipso quisquam diuersus sit in via Domini, neque à suis fratribus, neque à Domino; sed constanter & totus Domino suo fratribúsque suis adhaereat, & sequatur Dominum cum fratrum corona religiosissimè. Sed de hac re in Psalmum antecedentem iam satis diximus, Deus ille, qui dat velle & perficere pro bona voluntate sua, gratiosè admoueat paternam manum, vt per eam toto corpore, animo, & mente sanctificemur, & huic officio incumbamus communionis nostrae in timore ipsius.

Postquam verò quaenam haec communio sit audiuimus; tempus est vt ex Dauide cognoscamus quid de ea praedicari possit. Hanc igitur communionem duobus nominibus Psaltes concelebrauit dicens: *Bonum & amoenum esse*, hanc communionem coli. Duplex gratia in communione sanctorum proponitur bonitatis & amoenitatis, vel iucunditatis summae. Haec autem duo non temerè à Propheta fuerunt posita, sed accommodatè ad naturam & captum hominis. Omnes nempe à natura haec duo expetunt, quod bonum est, & quod iucundum. Sic bonum expetimus vt voluptate coniunctum velimus esse: etiam à medicamento quamuis saluberrimo, si austerum est, abhorremus. Sed bonum & iucundum vulgo cùm dicitur, quamplurimi errores mentibus humanis solent obrepere. Nam bo(f. 749)num aut commune est aut particulare, praetereà aut animi aut corporis, tum aut morale in actione positum, aut naturale solùm in sensu & contemplatione, postremò aut aeternae illius vitae, aut huius periturae: quorum prius supernaturale atque diuinum est, in spiritu; hoc naturale & humanum, in carne & sensu positum. Quid hic homines faciant iudicij? Certè qui minimè omnium vtuntur ratione, bonum particulare communi, corporale spiritali, naturale & sensuale (vt ita dicam) morali, praesens futuro anteponunt: quia plurimum sensui, vt pecudes, rationi perparum, auctoritati Dei in verbo reuelatae nihil omninò tribuunt. Qui verò calamo rationis solius freti sibi videntur sapere, ij in suis ratiocinationibus

ratiocinationibus euanescentes vmbram boni pro bono amplexantur: & tamen quia sese plurimum cum illis inferioribus comparant, apprimè omnium sibi videntur sapere. Ac proinde neque hi, neque illi vnquam possunt cernere quid bonum & iucundum ex veritate sit. Bonum verò & iucundum, quod quidem verè bonum atque iucundum est, illud appellamus, quod vnam habet constantem verámque symmetriam siue commensum et commoditatem boni: ita ut nec particulare de communi, nec particulare aut commune de vniuersali derogent, nec corporale spiritali impedimentum afferat, nec sensile aut naturale morali obsit, nec denique praesens & caducum futuro aeternóque aduersetur; sed inferiora superioribus, omnia summo & vniuersali bono suo ordine & loco inseruiant. Hîc demum verè bonum esse & iucundum affirmamus, vbi haec constitutio rerum animaduertitur.

Hanc constitutionem, saltem prout in rebus humanis praestari potest, siquis in familia cerneret, incredibiles sui amores excitaret; si in ciuitate, eo gratia amplior, quia commune illud praestat domestico: si in regione: si in mundo denique vniuerso (qui tamen hanc refugit malitia sua) praeclarissimè nobiscum ageretur. Sed quod in vniuerso mundo, in regione mundi, in ciuitate, in domo vlla deprehendi non potest, illud totum adeóque amplius in Ecclesia nobis exhibetur beneficio Dei. Nam etsi hoc bonum voluptatémque hanc mundus non videt, nec videt caro aut oculus carnis: vident tamen quicunque oculos habent cordis à Deo illuminatos atque expurgatos, id est, quicunque in Ecclesia sunt, & in ea adhaerent Christo viuenti in ipsis atque ambulanti. Hoc illud est quod sibi Propheta voluit, cum nobis exponeret hanc rem demum bonam & iucundam esse, quòd fratres habitent etiam vel consideant vnà.

Atque hoc quidem bonum, quamuis diuinitus bonum, & iucundum etiam diuinitus, tamen oculus non videt, auris non audit, homo denique nec palpare manu, nec gustare, nec odorari illud potest, nec sentire vllo pacto viribus naturae suae. Sed non proptereà bonum esse desinit, si bonum esse non videtur iis qui bonitatem hanc iucunditatémque non possunt percipere. Nec coloribus, nec sonis, nec odoramentis, nec suauitate rerum, nec tactu afficiuntur mortui; quia mortui sunt, id est, inepti percipiendis rebus quas modò diximus. Odoramentum est odoramentum, etsi in nares pituita obstructas insiderit. Ignis non proptereà desinit ignis esse, si ea non vsserit quae non sunt praedita potentiâ (vt vocant) passiuâ vt igne comburantur. Res omnes tum demum rectè agunt actiones suas, rectéque percipiuntur, cùm ad obiecta commoda & conuenientia ipsis actionibúsque ipsarum peruenerint. Quid tum igitur, si mundus non nouit istam bonitatem & iucunditatem, istos fructus Ecclesiae? Quid tum, si ne Ecclesiam quidem nouerit? Ineptus est his rebus percipiendis. vitam Ecclesiae non videt mortuus, odoramentum non sentit frigefactus, ignem Dei in Ecclesia non sentit lapis. Sed ij demum sentiunt quos Propheta hoc loco vocat & excitat, dicens, *ecce, quam bonum &c.* Communiter quidem hoc dicit, sed non omnes in communi audiunt: Ii solùm audiunt, quibus hanc doctrinam in manus tradi, & in animo inscribi voluit Dominus. Quapropter ad pios, qui mysterij huius verè capaces sunt, excitandos duobus argumentis pungit conscientias nostras, cùm propositionem suam exornans atque amplificans, & subiectione vtitur, & admiratione vehementissima. Subiectionem dico, qua singulos nostrûm, quasi in rem praesentem vocat, inquiens; *Ecce:* administrationem verò, qua sibi ipse non satisfaciens in exponenda amplitudine boni & iucunditatis istius, omnes simul rapit in contemplationem illius, dicendo, quàm bonum & quàm iucundum! perinde enim est atque si diceret, nec ego satis ex officio nosse aut praedicare illud possum, neque nostrum quisquam, ac ne cuncti quidem, si vires nostras vnà coniungamus: sed vnica admiratio meo & communi nomine, quod dicturus essem si possem, demonstratura est. silentio meo, quod (f. 750) mihi amplitudo

plitudo rei ipsius efficit, nolo iniquus esse in gratiam Dei: sed profiteri saltem admirando tenuitatem ieiunitatémque sermonis mei in rerum tantarum cogitatione.

Haec illa insignis est praedicatio, ad quam nos omnes qui Christiani sumus, opus est excitari, in quam opus introspicere, cuius bonitatem & amoenitatem, suauitatémque incredibilem explorare, quam exploratam admirari & cum admiratione apud omnes pios coram Domino indesinenter testatam facere, quandoquidem (vt ait Apostolus Ephes. 3. 10.) sic nota fit per Ecclesiam imperiis ac potestatibus, etiam quae in coelis sunt, multiformis illa sapientia Dei secundùm propositum aeternum, quod constituit in Christo Iesu Domino nostro. Quae cùm ita sint, primùm omnium Deum oro & patrem Domini nostri Iesu Christi, nos omnes, quos spiritali vocatione ad fraternam coniunctionem in Christo primogenito inter multos fratres honorauit, regat Spiritu charitatis & pacis: vt quemadmodum dignatur habitare in nobis, ita nos in ipso etiam habitare vnà studeamus in vnitate corporis & Spiritus sui, & singuli magis ac magis sentiamus, experiamúrque, quàm bonum & quàm iucundum sit sanctissimam illam vnionem, cuius ipse auctor est, conseruare. Deinde verò hortor & oro pios omnes per Christum, & quicunque studio vitae aeternae suae gloriaeque diuinae affecti sunt, tandem aliquando discant, extra hanc communionem recognoscere quàm mala & ingrata omnia: vt hac ratione gloriam cedentes Domino, & ab omni distractione dissidióque in sanctimonia, pace, modestia, & lenitate spiritus abstinentes, dent operam diligentissimè optimis & iucundissimis communionis huius officiis, quae Deus hìc & in futuro seculo, certissimo verissimóque bono & iucunditate muneraturus est in Christo Iesu.

2. *Est vt vnguentum illud optimum, superfusum capiti, descendens super barbam, barbam Aharonis; quod descendit ad oram vsque vestimentorum eius.*

Etsi verissimum axioma illud est quod antè Propheta enunciauit, de bonitate & amoenitate pacis in communione sanctorum: tamen partim nostra infirmitate & impedimentis aliunde obuenientibus, partímque rei maiestate detinemur, ne veritatem istius enunciati ex officio cognoscamus, nisi Dei Spiritus per administros suos ad tenuitatem nostram sese demiserit. Propterae Psaltes aedificationi publicae consulturus, deinceps duobus versibus instituit enarrationem breuem propositionis illius quam modò diximus: vt & rei veritatem ampliùs videamus, ab ea quoque afficiamur vehementiùs ad quaerendam gloriam Dei & salutem nostram. Est autem huius expositionis modus à Propheta institutus duplex: Nam primùm, similibus ad declarationem illius enunciati commodis vtitur; deinde verò rem simpliciter, prout in se est, apodeicticè enunciat, à causa efficiente supernaturali, necessaria, liberrima, ac non impedita, quae ex sese indesinenter praestat enunciati huius veritatem. Hunc ordinem in ratione docendi conuenientissimum esse natura ipsa ostendit: & Christus non obscurè cum locis quamplurimis exemplísque frequentibus, tum disertis verbis confirmauit, cùm Nicodemum alloqueretur, dicendo, Si terrena dico vobis & non creditis, quomodo, si dixero vobis caelestia, creditis? Ioan. 3. 12. Haec eloquentia quaedam est, ait Augustinus, doctrinae salutaris, mouendo affectui discentium accommodata, à visibilibus ad inuisibilia, à corporalibus ad spiritalia, à temporalibus ad aeterna. Epist. 119. ad Ianuarium. Nam ipse animae motus, quamdiu rebus adhuc terrenis implicatur, pigriùs inflammatur: si verò feratur ad similitudines corporales, & inde ad spiritalia quae illius similitudinibus figurantur: ipso quasi transitu vegetatur, & tanquam in facula ignis agitatus, accenditur, & ardentiore dilectione rapitur ad quietem suam cognita veritate. Hoc igitur consilio propositionem antegressam Psaltes, primùm

 quidem

quidem similibus illustrauit, deinde vero necessaria demonstratione confirmauit. E quibus similia versu secundo & parte tertij, demonstratio verò reliquo versu tertio proponuntur.

Cùm autem propositionis illius duo membra habeantur ad communionem sanctorum spectantia: quorum vnum est communionem illam bonam esse; alterum, etiam iucundam esse: visum est Prophetae vtrumque membrum suae propositionis illustrare similitudine. Itaque duo similia certo consilio huc fuerunt allata: vnum, quo bonum communionis illius, alterum quo iucunditas & suauitas eiusdem subijceretur quodammodo in oculis omnium. Ve(f. 751)rumtamen, quod in more apud Hebraeos positum est, & vetustissimi quique auctores grauissimíque ad commoditatem iuuandae memoriae obseruarunt, duarum partium illarum expositionem adhibet similibus ὕςερον πρότερον, primùm de amoenitate & suauitate communionis dicendo per similitudinem illius olei siue vnguenti vnctionis (vt in lege appellatur) cuius confecturam Moses ex praecepto Dei priscam Ecclesiam docuerat Exodi 30. Deinde verò de bonitate communionis illius, assumpta pluuiae & roris caelestis similitudine.

Potuerat quidem Spiritus Dei ad hoc argumentum alias probationes & illustrationes quoque adhibere; siue exemplis aliunde petitis, siue rationibus ex natura ductis quae apud auctores ferme innumeros de bono pacis frequentatae sunt. Praettereà ex iis bonis quae de humana pace praedicantur, poterat secundùm quandam analogiam, quae à temporalibus ad aeterna obseruatur plurimùm, excellentiam fructuum ex diuina illa Ecclesiae pace nascentium ostendere. Sed commodius visum est Prophetae ex re praesente (vt ita dicamus) similitudines assumere ad argumenti huius declarationem, quàm longè eas arcessere: & prout in prisca Ecclesia Iudaeorum agebat, ita rebus quae ante oculos vel minimi cuiusque versabantur in Ecclesia illa, vti commodissimè ad illustrationem bonorum quae Deus in Ecclesiam confert colentem pacis.

Horum autem similium duo sunt genera: prius enim Ecclesiae illius singulare est, sumptum ab instituto diuinae gratiae; posterius commune est, à naturae ordine: vt hac ratione omnes pij sentiant, & videant etiam ignorantes Dei, quae bona sint expectanda à Domino, si homines pacem coluerint: cùm & per gratiam Deus testatam fecerit voluntatem suam Ecclesiae suae, & per naturam aliquem voluntatis sensum omnibus sit impertitus. Prius simile ab instituto Dei & obseruatione ecclesiastica sumptum, continetur secundo versu, in quo Propheta amoenitatem illius communionis sanctorum comparat vnguento illi praestantissimo atque suauissimo, quo summus sacerdos olim ex lege delibutus est: posterius in parte priori v. 3.

In priore autem simili hic ordo tenendus est, vt primùm intelligamus partes illius, deinde verò accommodationem illarum partium ad hoc argumentum quod agitur. In simili tria distinctè obseruantur: primùm, quid sit quod habet cum illa amoenitate spiritali similitudinem analogicè: Secundò, quis sit ad quem res illa perueniebat instituto Dei: Tertiò, qui vsus & modus istarum rerum ex praescripto Dei. Quid sit, Propheta explicat dicens de *vnguento* vel *oleo optimo*, praestantissimóque: ad quem pertineat, exponit iniecto *Aharonis* nomine & partium illius. Qui vsus & modus, demonstrat, cùm superfundi narrat atque *descendere*.

De vnguento non est cur dicamus multis: tum quia satis expressit Moses quae fuerit illius ratio Exod. 30. 22. &c. tum quia nostris temporibus, vel potiùs temporum plenitudini non expedit, vt de ea re magnopere laboremus: neque verò est huius instituti.

De persona cui hoc vnguentum adhibebatur, ex verbis Prophetae constat: qui non Leuitam quenquam simpliciter, non sacerdotem, sed Aharonem dicit nominatim; id est,

est, sacerdotem illum summum, principem sacerdotum, cuius vnctio Leuitici 8. disertè à Mose perscripta est. Etsi eo in loco de vnctione & consecratione non Aharonis solius legitur, sed etiam reliquorum sacerdotum, qui tum auctoritate Dei in ministerio sacro instituti sunt: nempe quia totus ordo prima illa actione simul fuerat consecrandus Domino, tum eorum qui aderant, tum posteritatis, quae ab ipsis erat ventura, nomine, & successura in idem ministerium. Leu. 4. & Le. 16. & Num. 35. Nam eorum posteri nusquam leguntur fuisse vncti: ac propterea summo sacerdoti specialis est haec appellatio diuinitus attributa, quòd sacerdos vnctus est. Sed cùm Aharonis nomen fuit hoc loco positum, exempli causa positum est: pro eo quod est, summus sacerdos ordinarius, quo in ordine princeps fuit Aharon. Est igitur synecdochicum, Aharonis nomen pro sacerdotibus summis; aut quouis de numero illorum vsurpari. Vsus verò & modus applicationis, secundùm quem vnguento vngebatur sacerdos vnctus, demonstratur illis vocibus, quòd vnguentum *superfundebatur capiti*, quòd *descendebat super barbam*, & inde *ad oram vsque vestimentorum* illius, atque haec de simili in praesentia satis. Iam de re, quam Propheta hoc simili adumbratam voluit, videamus.

In hac easdem partes opus est obseruari. Vnguento illi *optimo*, id est praestantissimo atque suauissimo respondet vnctio spiritualis Dei: id est, donorum omnium sua(f. 752)uissima & amoenissima communicatio, qua Deus perfundit (vt ita loquamur) eos qui communionem sanctorum in vnitate Spiritus, & charitate vera, ac pace coluerint. Et certè quaecunque ad commendationem prisci illius vnguenti adferri possunt, cùm nihil fuerit nisi spiritualium diuinorúmque charismatum typus & vmbraculum, ea multò magis de veritate, quam adumbrauit, necesse est praedicari. Dicitur *vnguentum*, ídque prastantissimum: diuinae igitur benedictiones spirituali modo, adeóque diuino, illud sunt quod istud vnguentum modo corporali praedicatur esse. Cùm autem dicatur primùm quidem *vnguentum* communi nomine, deinde verò κατ' ἐξοχήν, vt ab aliis vnguentis discerni queat, *optimum* ac praestantissimum appelletur, rectè ex iis appellationibus conficitur, benedictiones Dei, si in ipsis considerentur, vnguenta esse vnguentorum omnium praestantissima: caetera omnia, si ab vnguentis illis Dei separaueris aut inodora, ant graueolentia dici oportere.

Quo indignior est illorum hominum proteruia, qui documentis naturae, scripturaeque omnibus modis excitati, non possunt ex veritate animaduertere, quàm sint ipsi putidi, putidáque omnia, aut certè inodora, quibus solent adhaerescere, vt saxis ostrea, donec vnguento diuinae manus perfundantur. In primis autem incredibilis est tenacissimae illius naturae obfirmatio in iis quos regenuit Deus semine incorrupto verbi, aut admouit ad aliquam mysterij tanti conscientiam: quòd testes effecti, ac non solùm conscij maximae illius praestantiae, quam habet vnguentum benedictionum Dei, tamen aut non afficiuntur conscientia illius, aut affecti non possunt eo vsque assurgere, vt omnem praestantiam in illo solùm diuino vnguento benedictionum Dei spiritualium in Christo positam adiungant sibi, eámque sepositis aliis rebus omnibus teneant constantissimè. De re diximus: Iam de persona videamus, vel potiùs de corpore, cui tanquam obiecto vnguentum illud praestantissimum applicatur à Domino.

Nominatur hoc loco *Aharon:* nominatur autem vt persona quidem; sed velut corpus considerandum est in hac personae appellatione; quemadmodum illa partium quarundam enumeratio, quae hoc loco ponitur, demonstrat euidentissimè. Fuit autem Aharon, tanquam sacerdos summus ex lege institutus: fuit (inquam) vario respectu typus Christi & Ecclesiae. Nam quisquis mediator est, & inter duas diuersas & differentes partes intercedit, is apud vnum agit personam alterius. Atque hunc in modum Christus defungens τὰ πρὸς τὸν θεόν, id est, partes apud Deum Patrem nostro nomine obeundas,

undas, personam gessit Ecclesiae: cùm verò defungeretur τὰ πρὸς ἡμᾶς, id est, partes apud nos Dei patris nomine perficiendas, personam gessit Dei patris, cuius est imago, sermo, & sapientia aeterna. Sic Aharon, cùm de rebus agitur apud Deum obeundis aut percipiendis ab eo, corpus Ecclesiae corpore suo (vt ita dicamus) adumbrauit: cùm verò de rebus apud nos & erga nos defungendis auctoritate Dei, repraesentauit Deum, pro quo legatus erat in Ecclesia ipsius: ad vtrumque verò speciatim gessit personam Christi, id est, vncti illius summi sacerdotis nostri in aeternum. Hîc autem agitur quidem de rebus quas Deus in Ecclesiam, vt omnis boni principium, praestiterat, & in Aharonem ipsum, velut institutum Ecclesiae nomine: sed quas Ecclesia tamen occupare sanctè tenebatur coram Deo & Angelis eius. Proptereà hoc loco necesse est, vt nomine Aharonis figurari Ecclesiam intelligamus, fideli obsequio suo sistentem sese coram Domino, & exercentem palàm dona vnctionis eius: quemadmodum totam Ecclesiam Christianam in antecedentem Psalmum ostendimus non alia ratione Ecclesiam esse, quàm singulari illa relatione ipsius & ordinatione ad Deum, qua ordinatione fit vnctionis illius salutaris particeps, ex qua procedit in singulos omnimoda benedictio.

Sed quia benedictionum Dei in Ecclesiam ipsius ratio est huiusmodi, vt non solùm communiter corpori, sed etiam singulariter in singulas partes tribuantur: proptereà optimè Propheta hoc loco ordinem etiam partium ad commoditatem benedictionum Dei & communicationem demonstrandam persecutus est. Partium autem in homine aliae sunt innatae, aliae adiunctae: Quae innatae, aut sunt necessariae de natura illius, vt caput; aut non necessariae, sed de ornamento naturali illius, vt barba est. Quae adiunctae, foris adueniunt ad commoditatem illius, vt vestimenta sunt: quae Deus homini sanctificauit ad vsum ipsius, ex quo peccati conscientia erubuit miser, & pudefactus est nuditate sua. Atque hae quoque partes secundùm quandam analogiam obseruantur in Ecclesia Dei, vt eo sit illustrior multiformis illa Dei sapientia, quam in Ecclesia sua coram imperiis & potestatibus explicauit. Ordo est mem(f. 753)brorum in Ecclesia Dei: alius superiorum, alius inferiorum; item alius pertinentium ad necessitatem, alius ad ornatum & decus illius; vt Apostolus ad Corinthios docet c. 12. v. 4. ordo est praetereà rerum quae commodè ad vsum Ecclesiae adhibentur: quo in numero ij sunt de quibus in praecedentem Psalmum dicebamus; qui non sunt quidem de Ecclesia ipsi, sed tamen Ecclesiae non incommodant, quin potius eam circumuestiunt commodè ad gloriam Dei. Proptereà enim fratres ab amantibus Ecclesiae ibi distincti sunt, quia aliud est domesticum esse, aliud vicinum bonum, aut certè minimè malum. In hac igitur persona a l quam pertinet vnctionis diuinae communicatio tria haec optimè fuerunt distincta: corpus vel vniuersitas Ecclesiae; singula membra eius, etiam quae non ita sunt ad rationem Ecclesiae necessaria; & quae foris ei adiuncta sunt.

Restat nunc locus tertius, de vsu & applicatione (vt vocant) diuini illius vnguenti ad corpus hoc quod modò circumscripsimus. Eam applicationem Propheta fieri à Deo, velut principio omnis boni (quod antè diximus) ordine & modo conuenientissimo demonstrat, seruato decoro similitudinis: cùm ait primùm quidem *superfundi*, posteáque superfusum *descendere;* deinde verò ordinem partium distinctè obseruat, dicens, *superfundi capiti*, *inde in barbam descendere*, *ex ea deferri ad oram vestimentorum vsque.*

Sensus igitur est, neminem hominem in Ecclesia esse, qui suauissimam illam θυωδίαν vel bonam fragrantiam Christi à Deo Patre in Christo non percipiat: sed vnumquemque suo ordine & loco pro demenso donationum eius: neque tantùm suauissimum illum amoenissimúmque odorem ad germana Ecclesiae membra pertinere, verumetiam ad vicinos

vicinos omnes, qui modò nares suas (vt ità dicamus) malitiosè non compresserint, & odoramenta illa Spiritus Dei, quibus Ecclesia perfunditur & perfundit, refugerint. perfunditur enim a Deo caelitus: perfundit autem in terris secundùm Deum eos omnes, quibus datum est Ecclesiam obseruare, & Spiritui Dei inhabitanti ipsam minimè obsistere. Quapropter ad iustam huius similitudinis intelligentiam optimè distingui ordinem illum necesse est, secundùm quem Propheta causam & effecta amoenitatis suauitatísque istius in Ecclesia distingui voluit. causa Deus est Ecclesiam perfundens, & quidem actione adeò gratiosa vt singula membra à capite ad calcem & oras ipsas vestimentorum imbuat odoramento salutari suo. Effecta verò sunt haec tria: primum, quòd nihil est in Ecclesia, nihil Ecclesiae, ne adiunctum quidem ipsi quod in se redditum non sit odoratum benedictione Dei. Secundum, quòd hanc suauitatem siue θυωδίαν, quae in nobis est, alij aliis testatam facimus, & communicamus inter nos pro modulo donationis Christi. Tertium, quòd etiam exteros ab Ecclesia, quibus spectaculum facti sumus, afficimus odoratissimis illis vestigiis quae in nobis impressit Deus.

Atque hoc quidem in primis ad eos pertinet, & obstringit eos vehementissimè, qui tanquam Aharon ad sacrum ministerium vocati sunt. Hi enim sedulò operam dare debent, vt cum Apostolo dicant ex veritate; Gratia Deo, qui omni tempore triumphum facit nobis in Christo, & manifestat per nos odorem cognitionis sui in omni loco, 2. Cor. 2. 14. Sed nullum est tam exiguum membrum cui pro suo modulo haec quoque prouincia diffundendae illius δυωδίας non sit demandata. Quid enim? annon omnes etiam minimi in regno caelorum odoramento illo Dei in Ecclesia perfusi sunt? annon odorem illum in Ecclesia perceptum in eadem opus est exhiberi? annon odore illo aerem circumstantem sic impleri, vt exteri sentiant nos in Christo odoratos esse? quàm ridiculum est, si quis odoramentum habere velit, & odorem manibus comprimere? Christianus quisquis appellatur, aut odoramentum factus est in Christo, & odori est aliis; aut si odori non est, iam non est odoramentum Christi: haec suauitas non potest magis comprimi, quàm suauissimorum odoramentorum odor, qui ad eos dimanet qui circumstant nos. Ecclesia praestantissima est vnguentaria: singuli in Ecclesia sunt narthecia pretiosissima, si ad conditionem suam benè aspexerint. Haec vnguenta, haec odoramenta cur dissimulemus? cur non colamus? cur muscis iniectis (vt Sapiens in Ecclesiaste loquitur) cap. 10. v. 1. corrumpamus? Cur disperdamus, proiectis huc illuc & proculcatis aromatis quae ad confectionem eorum sunt opus? Etenim (vt Propheta inquit) bonum & amoenum est habitare fratres etiam vnà: in hac coniunctione sita est amoenitas: ex hac cohabitatione ac veluti confusione & contemperatione aromatum exsurgit illud spiritale vnguentum optimum, quod Deus olim materiali figurabat, vt Dauidem habemus auctorem huius interpretationis. Ad huius vnguenti constitutionem vsque adeò secundùm Deum communio illa sancto(f. 754)rum & συγκρασία necessaria est, vt insipidum, & inodorum, ac potius foetidum sit, quidquid in ista communione minimè continetur. Totum odoramentum est Christi, ex quo solo & in quo odorata est communio nostra, prout in Cantico Canticorum docemur passim. huius odoramenti ea natura est vt tanquam oleum stillet per totum Ecclesiae corpus à capite ad calces illius. qui in hac communione Christi versari cupit, eum in communione Ecclesiae sese opus est continere, quam praecedente Psalmo ex Dauide cognouimus, & membris sibi adunatis in Christo constanter adhaerere. Solus Christus seorsim odoratus est, atque adeò odoramentum ipsum: nemo nostrum sine Christo & sine fratribus esse odoratus potest: sine Christo, quia odoramento est, & nos in eo bona fragrantia sumus coram Domino: sine fratribus, quia corpus simul totum, non autem fastuosum, confidens, aut fastidiosum membrum seorsim perfunditur odore Christi. Omnino perfectionem amoenitatis huius instituit Deus:

Deus: amoenitatem facit odoramentorum communio, communionem charitas, quae perfectionis vinculum à Paulo dicitur: pax necessarium est charitatis instrumentum.

Quid ergo putamus, miseri? quid fingimus, cùm tanto supercilio alij alios quasi furcilla extrudimus, & censoriam quandam virgulam in hos, in illos promiscuè adhibemus, tanquam si nobis solùm esset iudicij nasus; aut Christus hanc facultatem cessisset nobis, qua ad libidinem animi nostri abutamur? Id sanè faciant Satanae stabularij: at oues Christi non decet, pastores minimè. Quin potiùs Christo cedimus, nos & illos in communionem corporis & Spiritus sui gratiosissimè adhibenti? Quin potius odores amoenissimos ab illo in nos deriuantem manum ipsius animaduertimus? quin potiùs vnguento illo odoratissimo fratres communiter nobiscum sentimus delibutos? quin potiùs etiam amicos ad participationem suauissimi eiusdem odoris ab illo capite in corpus vnum adscitum iri confidimus? quin potiùs & continendis iis qui iam vocati sunt, & vocandis qui absunt, damus operam diligentissimè, ab omni foetore abstinentes, quo crepant animi nostri, & omnem suauissimum odorem illis exhibentes, qui ad Christum & ad nos per Christum vnà perducantur? O beatum studium eorum, qui in hoc pietatis officio consumunt operam! beatas mentes quae de hoc studio cogitant! beatos homines, qui ista statuunt cum animis suis, eo se odoratiores fore, quo coniunctiores cum Christo & suis fratribus futuri sunt? Contra verò, quàm perditum & deploratum studium, in quod funestis hisce temporibus plerique abripiuntur! qui se odoratos fore tum demum arbitrantur, cùm alios à se abalienauerint, aut etiam sordibus & inquinamentis indignè commaculauerint. Ab improbo, inquiebat Dauid, prodeat improbitas: 1. Sam. 24. 14. & tu, miser, itáne statuisti desipere, vt improbitatem vomens, & pacem oppugnans & odoramentum fratrum tuorum, meliorem te fore iudices? aut odoratiorem fore, cùm à fonte odorum purissimo, à Christo ita discesseris? non cogitas sordes à te in proximum excreari non posse, quin prior sordeas? aut spargi venenum, quin venenatus sis?

Agite ergò, ô fratres dilectissimi, participes vnctionis illius pretiosae Christi, & in communionem sanctissimi illius corporis vocati virtute Spiritus, amoenitatem istius communionis nostrae recognoscite mecum per Deum immortalem; in qua communione Deus vngit, Christus à Patre vnctus est, membra vnguntur in Christo, & minimi etiam quique in regno caelorum tamquam barbae ipsius pili (si ita placet) odoramento perfunduntur, ipsae denique vestes, & quicunque nos circumstant, afficiuntur odoris istius amoenissimi conscientia. Ne sinamus ergo tanti illius, non priuati, sed catholici vel vniuersalis boni sensum, aut vsum, aut fructum nobis intercidere: ne sinamus nos ab eo excidere in quo odorati sumus: ne sinamus ab iis nos deuelli quibuscum odorati sumus, & odoratiores amplius efficimur, quo amplius ipsis in Christo adhaeremus: odorem illic inuenimus, non intulimus: quem si oppugnemus in vllo, non illum, sed nosmet ipsos extrudimus. ne sinamus vel minimi cuiusquam membri fastidium aut contemptum in animis nostris inualescere: ne sinamus denique vel eos ipsos qui foris sunt, foetorum nostrum sentire ex contemptu sui: sed quem odorem gratiosè communicauit nobiscum Christus, eundem summo studio & alacritate cum illis communicemus, si fieri potest, vt ille ipse odor noster tum in illis qui in peccatis mortui ac foetentes erant, tum in nobis qui à morte & corruptione per Christum vindicati sumus, sit Deo gloriosus, Ecclesiae illius salutaris. Si fecerimus, bene est, (f. 755) officium fecerimus Christo & Ecclesiae eius debitum: si non, iam non odor, sed foetor futurus est, quem coram Deo, Ecclesia, & vniuerso mundo eructabimus: quod malum auertat Dominus. In eos homines optimè quadrabit illud sanctissimum Augustini dictum Ephes. 227. Magnum istis hominibus consilium vindicandi est libido moriendi, non in corpore, sed in corde: vbi funus occultè prius suo putore

putore sentitur, quàm mors nostra cogitatione prospicitur: hos antè foetantes sentimus, quàm mortuos nouimus. Hoc verò non laudi cuiquam nostrûm, sed fraudi & perditioni acerbissimae futurum est; si pro odore etiam exteros ad Christum pellecturo foetorem edamus fugaturum.

3. *Vt ros Hermonis, vt qui descendit super montes Sionis. Nam illic mandauit Iehoua benedictionem, vitam vsque in saeculum.*

AMOENITATEM, quam in communione sanctorum Dominus collocauit, cuius pij sunt apud se conscij, & quam exteri vtcunque sentiunt virtute Dei, ex praecedente versu, Dauide teste, cognouimus. Cùm verò duobus nominibus sanctissimam illam communionem Propheta celebrauerit, amoenitatis & boni: iam nobis ratio illius boni, quod in Ecclesia communione sanctorum in Christo deposuit Deus, videnda est. Videnda autem, non accumulatis & arcessitis hinc inde testimoniis, sed ex his ipsis Prophetae verbis, quae modò exscripsimus: vt certissimum hunc ductum securi, de pace illa, quam nobis dedit Christus, continenda, seruanda, atque colenda in dies magis ac magis cogitemus.

Bonum itaque communionis sanctorum, & pacis in hac communione à Christo imperatae, duobus modis hoc loco describitur: primùm quidem simili à naturae ordine sumpto, vt antè dicebamus: deinde verò simplice enunciatione tum boni, tum causae, vnde emanat bonum, & ad communionem sanctorum peruenit. Simile quo Propheta vtitur, quamuis specie duplex atque circumstantiâ, ratione tamen vnum est, cùm hoc modo dicit, *est vt ros Hermonis, vt qui descendit super montes Sionis.* Agitur enim de vno rore, cuius naturam siue rationem non variat subiecti loci, in quem decidit, constitutio. Propria autem boni illius descriptio ἀπολογικῶς à Psalte subiicitur, dicente verbis sequentibus. *Nam illic mandat Iehoua benedictionem &c.*

Quòd autem Propheta ad rei eiusdem circumscriptionem duobus his similibus vtitur, id certo consilio ab ipso factum est: quod consilium antè exponi à nobis opus est, quàm ad explicationem argumenti ipsius veniamus. Hermonem montem, vel potiùs montana Hermonis, ex Scripturis constat pascuis illis Basanis fertilitate summa nobilibus esse imposita: montes verò Sionis in ipsa vrbe fuisse constat, & proximè vrbem Hierosolymorum, admodum siticulosos: adeò vt neminem, ne puerulum quidem, fugere posset cognitio commoditatis illius quae proximo agro ex rore caelitus accidebat. His rebus animaduersis, facilè iam omnes visuri sunt, cur duo similia argumento eadem, loco differentia Propheta hoc loco adscripserit. Prius simile ad copiam amplissimam bonorum à Deo in Ecclesia ad extremos vsque terminos pertinentium respicit: posterius ad vim illam benedictionis Dei, qua loca etiam arentia & siticuloso (vnde Sion Hebraeis appellatus est) ac fermè inepta edendis fructibus, efficiuntur ferendis illis habilia. Nunc de argumento ipso videamus.

In hoc itaque simili easdem partes sumus obseruaturi, quas in praecedente ostendimus. Primùm enim videndum quid sit quòd analogicè cum illo spiritali bono, de quo hîc sermo est, habere dicitur similitudinem: Secundò ad quem ros ille perueniebat naturae ordine (nam hoc exemplum naturale est) & ductu singulari Dei: Tertiò, qui vsus & modus istarum rerum ex instituto illius. Quid sit cum bono illo comparatum, palàm est, dicente Propheta *est vt ros.* Quò perueniat, demonstratur verbis illis, *super montes Hermonis & super montes* vel *montana Sionis.* Qui vsus & modus docetur eo quòd Propheta rorem ait *descendere.*

Ac rorem quidem natura bonum esse nouerunt omnes, cùm fructus illius quotidie ab hominibus percipiantur amplissimi ad commoditatem praesentis vitae. Quod autem

de rore

de rore secundùm naturam à vulgo percipitur dicitúrque idem à piis de bono spiritali dicitur percipitúrque in communione sanctorum: ab iis propterea non percipitur (vt antè dicebamus) quia percipiendis illis planè inepti sunt, donec regeniti fuerint à Domino.

Neque verò hîc necesse est, vt amplissimum illum laetissimúmque campum bonorum spiritalium decurramus, & percenseamus scriptis. Haec bona, etiamsi chartis innu(f. 756)meris statueremus pertexere, tamen percepturus esset, nisi qui iam per Dei gratiam insitum habeat in se & ingeneratum bonum. Haec bona (inquam) omninò intus sentiri praestat, quàm perscribi multis: quia singulis suo ordine sua sint bona à Deo distributa virtute Spiritus, quae in conscientia leguntur digito Dei exarata, non autem in charta humanísve tabulis. Sed quia vbisque in Scripturis sacris verbum Dei, quod potentia est eius ad salutem omni credenti; cum rore comparatum est, velut instrumentum vitae aeternae à Deo in has terras demissum caelitùs, quo perinde animi nostri irrorentur, humectentur, & inebrientur gustu ac potu salutis aeternae, ac rore aluntur gramina atque recreantur: propterea non dubitamus, quin hoc etiam loco ad illud sanctissimum verbum vitae aeternae Psaltes respexerit, cùm bonum communionis sanctorum describeret. Nam Deus cùm omnis boni in natura auctor, rorem suum defundit in agros ad infirmae huius naturae sustentationem, tum verò maximè, vt boni spiritualis in Ecclesia auctor, verbum suum defundit in Ecclesiam suam, quae aratio est vineáque ipsius, vt singula quae in ea sunt, roris illius communicatione alantur, augescant, & ad iustam maturitatem virtute ipsius perducantur. Ac proinde quemadmodum rorem non solùm secundùm se, & respectu principij sui nouimus esse bonum, verumetiam his rebus inferioribus bonum, id est, vtilem & necessarium, omnibúsque modis commodum (id enim omnes comperimus vsu experientia communi) ita verbum quoque Domini cùm in se & secundùm principium ipsius spirituali modo bonum esse docemur hoc loco, tum summè nobis vtile ac necessarium, qui ad aruum vineámque illius pertinemus.

Hanc autem haereditatem Domini, in qua & nos sumus, Propheta circumscribit *montium Hermonis & Sionis* appellatione: quorum illi ad fines regionis sanctae Orientem & Aquilonem versus pertinebant, hi velut ad vmbilicum eius: illi ad feraces valles, agrósque irrigandos commodè impositi; si arantes & siticulosi vix subiectis vallibus alimentum subministraturi esse videbantur. Quapropter his duabus appellationibus, tanquam ex re praesente, priscam Ecclesiam instituit Dauid non esse curtam aut infirmam Dei manum, quin ab vno fine Chananaeae ad alterum potentissimè rorem suum diffunderet, & peraequè loca arentia & siticulosa ac pinguia arua & valles vberes foecundaret. Quod autem hoc modo aspectabili Deus Ecclesiae in typo Chananaeae testificatus est, idem nos sine typo habemus testimonium, & virtutem Dei experimur. Nam communio haec sanctorum, ad quam vocati sumus, culta est haereditas illius, quam Christus suo sanguine comparauit. In hoc aruo Christi haereditario sunt herbae, frutices, virgulta, arbusta, arbores; quas tum sua paterna manu colit Deus in Christo, tum Christus in sese insitas alit & conseruat diligentissimè, quas indesinenter temperato veluti caelo, rore, consimilibúsque adiumentis curat & prouehit scientissimus fidelissimúsque agricola, & studiosissimus salutis nostrae: nec curat nos nimborum impetu, quo futurum esset vt corrumperemur prae tenuitate & infirmitate nostra; sed rore lenissimo, stillante commodissimè in nos, quamuis infirmissimos; vt paulatim singuli possimus in ipso augescere. Ita fit, vt omnes, velut rami in vnum truncum insiti atque in vnum corpus vnum Spiritum, & vnam communionem vocati, tum bono à Deo erga nos collato vtamur ipsi salutariter, tum idem bonum ad gloriam ipsius & ad communionem sanctorum pro eo ac possumus aedificandam occupemus.

Propterea

Propterea enim in ipso Cantici huius ingressu Psaltes dicebat, *Ecce;* vt nos testes illius boni in communione sanctorum appellaret: & moneret simul nos tam ab aliis spectari atque obseruari in communione hac, quàm alij à nobis obseruantur: ideóque necessarium esse, vt totum ilud bonum quod à Deo accepimus, tum quia bonum est, tum quia nobis ipsis bonum, in aedificatione & salute occupemus aliena & nostra. Etenim cùm in terris nulla tam exigua herba sit, quae rorem à Deo non sentiat, quae non vtatur, & quae non occupet eum ad testificationem gloriae Deo auctori omnis boni tribuendae: indignissimum illud est, si nos tam multis à natura bonis instructi, & aucti gratia copiosa atque infinita segnescamus in officio hoc & Deo palàm proclamante, *Ecce*, & Angelis hominibúsque in Ecclesia, extráque Ecclesiam, spectantibus, non demus operam, vt bonum hoc à Deo collatum ad Dei gloriam & communionem corporis, quod Christus sanguine suo redimit, & in quo sumus ipsi, vicissim referamus. Enimuerò cur segnescamus, aut illud agamus in hoc opere sanctissimo, quod Deus nobis imperat Pro(f. 757)phetae verbis? Deus non segnescit benefaciendo, dat omnibus, nemini exprobrat, suppeditat omnia, suggerit commodè velut rorem herbae; ídque non semel, sed indesinenter stillantibus è caelo benedictionibus eius. Quid est, siue in nobis, siue extra nos, quod ab officio hoc sanctissimo nos auocare possit, cùm Deus aduocat, & omnia quae sunt opus ad hoc officium nostrum sapientissimè, commodissimè, & vtilitate summa communicat? Si alienum vitium offensásque esse nobis impedimento querimur, quid nos vulneramus alieno vulnere? quid cadimus in alieno casu? quid aliena macula insani maculamur? alienum malum curemus potiùs, quàm vt participemus: malum non curatur malo. At bonum nostrum nunquam omittamus, aut illius vtendi commoditatem sinamus eripi è manibus nostris. Sin autem vitium à nobis est, an ergo putamus idem etiam foras effundi oportere? annon praestaret intus suffocari, quàm ad alios impotentia animi nostri aut imprudentia dimanare? Euellendum, extirpandum malum, non propagandum est. id iusta communio postulat, vt bonis communicemus inter nos, non malis. haec enim vbi sunt, atque adeò vbicunque, quumprimum nascuntur, praestat extingui & quasi suffocari: bona verò cùm in nobis ipsis, tum in aliis semper in communione sanctorum procurari.

Atque hoc officium eo studiosius fieri à nobis necesse est, quo ampliùs procliuem esse Deum animaduertimus ad beneficiorum suorum communicationem. Nam vt rorem videmus descendere, nec semel descendere, sed subinde; nec vno in loco, sed in tota oratione Domini; nec frustra, sed effectu certissimo: ita etiam de rore illo bonorum spriritualium iudicium nos oportet facere: semper decidit ros ille beneficiorum Dei, descendens commodissimè in omni tempore & loco, coniunctissimus diuina efficacitate, quemadmodum olim per Prophetam Deus pronunciauerat, Ecclesiae 55. 10. Verùm vt amor descendit magis à parentibus in liberos, quàm ascendit retrò, ita haec efficacitas. Non enim assurgit à nobis ad Deum vsque, vt capiat fructum de nobis: sed in communione sanctorum tota est à nobis occupanda; vt filij simus patris illius nostri caelestis qui facit vt sol suus exoriatur super malos & bonos, & pluit super iustos ac iniustos, non vlla dignitate aut virtute nostra adductus sed sola benignitate & munificentia sua, Matt. 5. 4. 5. quid enim terra ad rorem supernè obtinendum facit? Deus idem auctor est & faciendi & demittendi roris: eum non terra meretur; sed largitur gratia, qua naturae ordinem constituit Deus. Vt itaque nec Hermon, nec Sion fecerunt quidquam ad habendum rorem; ita etiam de nobis profiteamur coram Domino necesse est. Descendit amor infinitus illius ad nos vehementissimè; at non vicissim ad illum ascendit pusillus noster: efficit ille amor & rorem benedictionum & effecta singula ex rore illo procedentia. Nos igitur, qui tam gloriosa benignitate patris caelestis nostri in communione sanctorum participes effici-

mur roris caelestis illius; quo studio, qua contentione tenemur laborare, obsecro, vt istas benedictiones Dei refundamus, & gratum animum nostrum omni officio ac potiùs pietate Deo testatum faciamus?

At non refundit terra, nec rependit caelo, à quo perfusa est. bene est: Nam eadem quoque ratione res à se acceptas per nos Deus refundi postulat. Nec terra refundit caelo, nec nos Domino refundimus, sed cùm terra refundat creatis rebus aliis, in quarum commodum fructus ipsius instituti sunt, ac proinde hominibus ipsis sit parens & altrix benefica; vtrumque nobis tenendum est, nec posse nos Deo beneficia accepta refundere, vt terra caelo non potest: nec posse nos non refundere vel potiùs profundere in nos tanquam vicarios, quibus destinauit Deus omnes fructus á nobis prodituros. Proinde vt terra animantibus, ac praesertim humano generi, foecunda est; ita nos foecundari necesse est humanae societatis vniuersae, & maximè Ecclesiae bono. De hoc bonorum diuinorum vsu dies & noctes oportet cogitemus, in hoc laboremus, hoc vnum agamus coram Domino, denique toti in hoc simus: cùm Dominum illum, qui solus est **αὐταρκέςατος**, in hoc totum esse videamus, vt communioni sanctorum benedicat, & per nos etiam, quoscunque honore isto dignatur, quotiescunque fieri potest, benefaciat.

Ad hunc finem nos prouocaturus vehementiùs Psaltes, simpliciter exponit quae duobus antegressis illis similibus ad institutionem nostram pronunciauerat, altera parte huius versus dicens; *Nam illic mandat Iehoua, &c.* Cùm enim verba illa adhibet **ἀπολογικῶς**, perinde est atque si diceret: Optimo consilio & ex veritate se bonum ad communionem sanctorum pertinens cum rore coelitus demisso comparauisse. (f. 758) Nam certissimam esse analogiam inter opera naturae & gratiae, corporalia & spiritalia, visibilia & inuisibilia, temporalia & aeterna Dei. Etenim rorem à Deo esse, & amandari ab eo ad res creatas, praesertim vero ad haereditatem suorum: & consimiliter bonum illud quod de communione sanctorum praedicatur & ab eo esse, & ab eodem amandari, & speciatim communicari cum Ecclesia ipsius, in qua est illa communio sanctorum, de cuius causa laboramus. Haec summa sententia est sermonum, quibus Propheta in fine huius Psalmi vtitur.

In hac autem propria enunciatione illius, quatuor distinctè ponuntur ista, de quibus iam antè ex parte diximus: auctor, obiectum, modus, & species actionis illius siue bonorum spiritalium in Christo Iesu. Auctor est *Iehoua:* obiectum, Ecclesia & communio sanctorum in illa: modus, mandatum seu verbum ipsius: species, benedictio eius & vita aeterna.

Auctorem Iehouam esse natura & scriptura docent euidentissimè: natura quidem, auctorem esse omnis naturalis boni; quanto magis illius quo natura quàm longissimè superatur? Scriptura verò auctorem esse omnis supernaturalis boni: quandoquidem nemo res creatas supra naturam potest euehere atque transmittere, quàm qui supra naturam est. Vtrumque appellatione *Iehouae* ostenditur, qua Hebraei solùm significant verum & viuentem Deum, vt qui est à se, in se, per se, & propter se; à quo, in quo, per quem sunt omnia quae sunt, quaeque futura sunt; denique à quo facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil quod factum est: quibus verbis Ioannes diuinitatem Christi affirmauit, Iohan. 1. 3.

Hic verò summus & summè reuerendus auctor etsi res omnes creatas colit & curat arbitratu suo, tamen obiectum illud secreuit à reliquis creatis rebus, quod Ecclesiam appellamus, vt in ea omnes vires effectáque suae illius gratiae per infinitam dilectionem suam in Christo exsereret. Hoc autem corpus est quidem ex hominibus, atque etiam (si ita placet) Angelis constitutum; sed alium non habet quem Graeci vocant **τρόπον ὑπάρξεω** id est, exsistendi modum in forma & esse suo (vt

loquuntur

loquuntur) quàm illum ipsum quem confitemur in symbolo Apostolorum, dicentes; Credo communionem sanctorum: communionem inquam (vt praecedente Psalmo ostendimus) primùm quidem cum Deo nostro, deinde verò inter nos, prout in Christo vnum corpus & vnus spiritus effecti sumus. *Illic* ergo, id est, in illa Ecclesia illáque communione sanctorum, quam haereditatem sibi in Christo per gratiam aeternam adsciuit Pater, obiectum diuinae gratiae & misericordiae oportet recognoscamus: neque solùm vt communio spiritualis est, quam communionem habent Angeli & Spiritus iustorum consecratorum in caelis; verumetiam prout hic in terris haberi potest, spiritualis & corporalis, interna externáque secundùm ordinem & relationem internam externámque à Deo sancitam in verbo ipsius. *Illic* ergo, vbi Ecclesia est, vbi communio sanctorum fratrum vnà habitantium; vbi Christus communionis illius fundamentum inexpugnabile; vbi Christiani huic fundamento impositi per verbum, quod Prophetae & Apostoli tradiderunt; vbi à nobis quidem imperfectiones quàm plurimae, mentes dissentientes, animi diuersi, conatus aduersi, opera ad impietatem & iniustitiam plus satis adspirantia infirmitate nostra; sed perfectio maxima in fundamento & radice nostra: illic, inquam, thesaurus totus benedictionum Dei certissimè est depositus. Quo fit, vt quenquam hominem in hac communione neque nouimus, neque iudicamus secundùm carnem: nam vetera praeterierunt, omnia noua facta sunt (vt antecedente Psalmo dicebamus) sed secundùm Christum agnoscimus, quamuis adhuc laboret grauissimè ex vitiositate sua qui in Christo & in hac communione est.

Modus harum rerum à Propheta vnico verbo ostenditur, cùm Iehouam *praecepisse* siue *mandauisse* narrat. Si quis enim roget quem modum adhibeat Deus in praestandis actionibus suis, respondebimus ex Prophetae verbis, Deum sine motu suo agere, & solo dicto siue mandato suo, id est, voluntate apud se concepta actiones suas potentissimè efficere. Quòd si alias hoc modo efficit, certè multo magis eas quas sibi soli vindicat, & quarum gloriam cum nemine homine aut creatura vlla communicat. Huius generis autem sunt bona spiritualia, quae ad Ecclesiam perueniunt caelitus, & immediatè à Deo perficiuntur in corpore Christi, quod est Ecclesia.

Accedit alterum insigne & pernecessarium, in hoc praesertim tempore documentum: quod nimirum omnia illa bona quae Deus timentibus se praeparauit, praecepto eius semel ita fuerunt constituta, vt nunquam quicquam eorum quae instituit Deus & praecepit voluntate sua inelu(f. 754)ctabili, sit futurum irritum. Nam (vt ait Esaias cap. 14. v. 27.) Iehoua exercituum iniuit consilium, & quis irritum faciat? & manum eius extentam quis auertat? Quòd si in hac misera constitutione nostra aequè in nobis ac in aliis fratribus nostris & seruis Domini nostri Iesu Christi interdum quàm plurima animaduertimus abesse longissimè ab illa ratione quam salutari consilio suo constituit Deus; immò etiam nonnullos qui ex consilio eius ad hanc communionem pertinent, indignissimè hanc ipsam communionem dissuere, & atrocissimè perrumpere: tamen non ad praesens illorum factum, sed ad aeternum Dei consilium atque mandatum gratiae referre animos nostros oportet constantissimè; vt tum ipsi de nobis infirmissimis vasis spem concipiamus in Domino, tum etiam de aliis meliora speremus omnia: in quibus superciliosè damnandis atque expungendis partim facto ipsorum, partímque studiis & infirmitatibus plus aequo operam (proh dolor) consumimus. Itaque hîc hominem male agentem video, illic tamen Deum bene ordinantem contemplor in eadem communione sanctorum, & illa ipsa mala quae ab homine sunt plenitudine infinita gratiae obtegentem, vt extincto peccato seruetur homo ad vitam in die illo obtinendam. Atque hîc demùm circumfulget nos illa infinitas gratiae & beneficientiae diuinae, cùm in homine misero & peccatis dante operam miserrimè animaduerto simul, tum fidem

fidem decreti illius & consilij aeterni, quod Deus proposuit in sese, tum hominis ἀνικανότητα siue (vt ita dicamus) ineptitudinem. Nec mirum: quia solus Deus est qui nos aptos siue idoneos faciat ad participandam sortem sanctorum in luce, quemadmodum ad Colossenses scribebat Apost. c. 1. v. 12. Quapropter cùm nihil à nobis sit nisi malum nostrum & quidquid boni est tum in nobis, tum in ipsa communione sanctorum, à Deo sit; restat vt de bonis illis ex Dauidis sermone cognoscamus.

Bonorum ergo quae ad nos in communione sanctorum pertinent, & in quibus magis magísque à Deo prouehimur, duo genera à Psalte posita sunt: cùm benedictionem Dei & vitam aeternam nominat. Ac vita quidem aeterna summus est terminus, vbi nos oportet conquiescere in praesentissima contemplatione & fructu gloriae Dei, in quo cum Christo victuri sumus: benedictio verò vniuersè omnia bona comprehendit antecedentia, quibus Deus benedicit assiduè nobis, donec ad summam illam vitae aeternae metam perfectè transmittamur. Haec igitur bona sunt, quae in communione sanctorum à Deo exponi fidelibus Propheta narrat: quorum haec in cursu, illud in meta positum est, postquam benedictiones illas in vitae huius decursu percepimus.

Harum autum benedictionum potentissimum caput inter caetera illud est, quod in symbolo fidei nostrae cum Apostolis & sanctis omnibus profitemur, nos credere remissionem peccatorum. Sic enim ostendimus nos, qui fide Christum prehendimus & iustitiam eius qua iustificati sumus coram Deo, non aliter viuere in Christo, quàm si nobis moriamur: mori autem nos nobis coram Domino, cùm peccatum nostrum remissione aboletur; viuere, cùm peccati nostri loco iustitia Christi viuentis in nobis sufficitur: quam iustitiam quisquis prehendit & conscius est eius apud se per fidem, is omnino vitam aeternam adepturus est.

At quae bona? amabo vos; quantopere expetenda? Benedictionem Dei & vitam aeternam. benedictio enim Dei, quam hîc Propheta docet, non leuis benedictio est, sed omnes benedictiones quae in rebus creatis possunt existere, omnino superans: Auctore, nam Deus auctor est, & non homo: Quantitate, si qua est infiniti cum finito comparatio, nam omnis benedictio est in omnem plenitudinem, infinita in infinitum; non autem haec aut illa, hac aut illa re seorsim: Modo; nam spiritualis est ac non corporalis benedictio, proinde momentanea: Sede, nam benedictio est, in caelis excelsissima, non autem in terris abiectissima: Fundamentis materiáque, nam benedictio est in Christo, non autem in nobis à Deo deposita, vt certò sciamus neminem de iis quos Pater dederit in manum illius, periturum, Ioan. 10. 28. quae omnia sanctissimè verbis paucissimis Apostolus complexus est, cùm ad Ephesios scriberet c. 1. Hac benedictione in vitam illam aeternam perducimur infinito bono & amoenitate praeditam constantissimè, & gloria immutabili in Christo Iesu: cuius infinitas sic praecurrit mentes nostras, vt hîc non possit comprehendi: sic rapit, vt illic comprehendenda sit, vbi comprehendere habere est.

Quapropter tempus est, vt iam à somno expergiscamur, & ab omnibus illis auocamentis carnis atque impedimentis foris obuenientibus animos nostros & cogitationes abducamus, vt toti in colenda hac sanctorum communione (f. 760) occupemur in Christo & in Ecclesia, alij aliis bene facientes, bene indicantes, bene sperantes, bene cupientes, & ad omnem bonorum quae à Deo accepimus, communicationem secundùm Deum contendentes. Hoc Deus semper beneficus erga nos facto docet, sermone iubet, spiritu efficit: efficit autem in communione sanctorum, ad quam vocati sumus. Huic communioni benedictionem suam, uitámque aeternam consilio instituit, promisit verbo, praestat opere; & in exoptatissimo illo die secundi aduentus Christi consummaturus est.

Videamus

Videamus ergo, ô fratres in Christo dilectissimi, videamus obsecro, vt deinceps religioso studio ad benedictionem Dei vitámque aeternam attendamus: ad Iehouam auctorem illius respiciamus: conquiescamus in mandato & beneplacito uoluntatis eius ineluctabili: in Ecclesia & communione sanctorum hos thesauros gratiae depositos in dies recolamus: rorem & culturam Domini quàm fidelissimè agnoscamus in corpore Ecclesiae & membris singulis illius, abdicata omni animorum perturbatione quae nos occaecat indignissimè: odoremur optimam illam fragrantiam Christi odorémque suauissimum ad membra singula in Ecclesia permeantem; neque persentiscendis priuatis foetoribus infirmitatibúsque hominum inuestigandis & consequendis incumbamus; quicquid ad communionem sanctorum sarciendam, alendam, & continendam pertinet, quàm diligentissimè procuremus: denique quantum nobis cordi est quidquid boni, quidquid amoeni in Ecclesia, in Christo, in gloria Dei est, id vnanimes in communione sanctorum, ad quam vocati sumus, procuremus; vt decurso hoc misero & laborioso stadio praesentis vitae, in illa vita tandem conquiescamus, vbi quies sine interturbatione, gloria sine labe, & vita sine fine aeternùm futura est, in Christo Iesu vnico Seruatore nostro.


Te autem, ô Deus & Pater miserationum, qui propter sanctissimum filium dilectionis tuae gratiosissimè misertus nostri voluisti nos in consortium pacis & gaudij spiritualis adducere, quod Ecclesiae tuae in eodem filio tuo aeternùm praeparauisti, supplex oro condones omnia peccata nostra, quia peccauimus in te; & mortificans carnem nostram cum eius concupiscentiis, veram laetitiam illam spiritualem ex vera charitatis sanctae conscientia proficiscentem cùm in me ipso, tum in omnibus nobis ingeneres, faciásque vt nunquam alij aliis inuideamus, aut impedimento simus, aut etiam labefactemus, aut de(f. 761)turbemus de communione illa quam imperas, aut ordini tuo aduersemur, aut paci obsistamus, aut bonum & amoenitatem, quam in communione sanctorum posuisti, interuertamus per malitiam, infirmitatem, imprudentiam, aut ignorationem nostram mente, animo, sermone, aut facto: sed potiùs quidquid bonum, sanctum, iustum, & conueniens charitati est, illud virtute Spiritus tui acti cogitemus, studeamus, eloquamur; seruemus, faciamúsque ad gloriam tui nominis: da, ô caelestis Pater, vt te Iehouam cognoscamus, & domum tuam in te, quae spelunca foret sine te; da, vt adeuntes domum tuam, & consistentes in ea, sanctissimo zelo agnoscamus, sempérque laetemur de iis qui dicunt, & consilia capiunt de Ecclesia tua adeunda, studio gloriae tuae, & salutis suae: da, vt Ecclesia optimè constructa sit; & refecta labe illius, quae hoc tempore amplissima est, coagmenta lapides viuos illius pariter: fac, vt omnes ascendant eò ad percipiendum testimonium verbi salutaris tui, & celebrationem nominis tui exercendam: effice, ô Deus ordinis, vt iustus ordo in misera Christianitate obtineat: vt qui rebus sacris praesunt, eas procurent sanctè, abiecta rerum aliarum omnium cogitatione, & adiecto animo ad salutem gregis illius, quem filius dilectus tuus sanguine pretioso suo comparauit; vt qui rebus ciuilibus & humanis praefecti sunt, suis partibus tum in res publicas sibi commissas, tum in te à quo omnis potestas est, fidelissimè perfungantur, tuóque ordini inseruiant: inde omnibus simul, praefectis & subditis, superioribus & inferioribus, verum studium pacis publicae in societate humana & in Ecclesiastica sanctorum communione persequenda, tum propter fratres & amicos omnes, tum propterea quòd haec domus tua est, ô Deus, qui dignatus es Ecclesia capi, quamuis caeli caelorum non capiant te: da, vt bonum amoenitatémque communionis illius omnibus documentis naturae & gratiae discamus cognoscere, & rerum istarum comprehensione possimus omnia fugere, auersari, oppugnare, vincere, perrumpere, quae illam communionem sanctorum, bonúmque & amoenitatem illius praeripiunt Ecclesiae tuae. Attende, ô Deus, è caelo, & respice,

& mandata

& mandata tua consiliáque gratiosè de nobis ab aeterno capta etiam atque etiam perfice; vt renunciantes omni malo, & amplexi benedictiones tuas hîc viuamus secundum te, certáque fiducia & spe optissimum illum diem expectemus, quo aeternùm sumus victuri in te per Iesum Christum Dominum nostrum. Etiam atque etiam. Amen.

FINIS.

VOLUMINIS CONSPECTUS.



Princeton Theological Seminary-Speer Library
1 1012 01016 7833